THORMODI TORFÆI
HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARS SECUNDA,

EA CONTINENS,
QVÆ POST
INSTITUTAM IN NORVEGIA
MONARCHIAM
AD INTRODUCTAM
EODEM
CHRISTIANAM
RELIGIONEM
GESTA SUNT.

HAFNIÆ, MDCCXI.
EX TYPOGRAPHEO JOACHIMI SCHMITGENII.



HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS SECUNDÆ

LIBER PRIMUS,

DE GESTIS HARALDI PULCHRICOMI.

UNA CUM

APPENDICIBUS

DE

ANNO NATALI HARALDI PULCHRICOMI, ET CHRONOLOGIA AD ANNUM USQVE MILLESIMUM. QVIBUS ADDITA EST DISSERTATIO DE HROLFO ROGNVALDI MÆRIARUM COMITIS FILIO.

CAP. I.

DE SUCCESSIONE HARALDI PULCHRICOMI IN REGNUM PATERNUM, EJUS IN PUERITIA ET ADOLESCENTIA INDOLE, ET GESTORUM EXORDIIS.

HUcusqve ſtatum Norvegiæ à Noris Gorisqve temporibus ſub Regulorum poteſtate, in cives qvidem ſuæ cujusqve ditionis, licet legibus qvibusdam temperatâ, & pro ſubditorum conditione utcunqve diſtinctâ, interdum etiam eorundem arbitriis laxatâ, nullô tamen externô imperiô coërcitâ, expoſuimus. Nunc uti eadem iſta poteſtas, cum maximo utiqve civium in-

colarumqve, a mutuis direptionibus, latrociniis, cædibusqve liberandorum, commodo, & surgentis inde Christianæ religionis emolumentô, prorsus exoleverit, inqve unius imperii absoluti, legibusqve inde temperati, formam coaluerit, variasqve temporum vicissitudines subierit, toto deinceps opere demonstrabimus, orsi ab Haraldo Halfdani Nigri filio.

Haraldus ergò, patre in medio ætatis fortunæqve flore rebus humanis exempto, plenum invidiâ gravissimisqve odiis ac periculis undiqve circumseptum assecutus Regnum, & metum simul civibus, & contemptum sui universis demsit, & spe maxima suos implevit. Annos tum erat natus tantummodò decem, cum in hac tenella admodum ætate æqvales omnes corporis, senes etiam animi, magnitudine, fortitudine, & rei militaris scientiâ longè superans, excelsæ indolis manifesta protulit indicia. Principio Regni avunculum Guttormum, annos sedecim natum, corporis viribus animiqve juxta ac formæ dotibus, prudentia rerum gerendarum, laborumqve perferendorum patientiâ industriâqve conspicuum, aulæ & administrationi Regni militiæqve Ducis titulô, (qvi ab illo tempore ad Skulii usqve ætatem, sex circiter seculorum spatiô, in disvetudinem abiit) optimo sanè consilio, præfecit. Inter imperii initia teneræ ætatis contemptu vicinarum provinciarum Reguli, paternîs armîs subacti, ad spem libertatis se mutuò erigentes defecerunt. Horum primus Gandalfus, cui Hognius & Frodius Eysteini Heidmarchiæ Regis filii, & Hognius Karinus, in Hringarichiam infusus, se conjunxerunt. Hachius Gandalfi filius cum trecentis militibus in Vestfoldiam movens, superiùs per valles iter fecit, Gandalfo in latebris occasionem transitûs prospiciente, qvô simul ex improviso Regem opprimerent. Hoc per exploratores cognito, Guttormus, collectis copiis, Hachium a Gandalfo separatum præsentis Regis auspicio ductuqve invasit, & post majorem, qvàm pro numero militum, pugnam, unà cum maxima exercitûs parte occidit. Valli deinde, ubi commissum est prælium, ab Hachii nomine Hachadali vocabulum postea obvenit. Inde nihil cunctandum ratus cum exercitu victore adversus Gandalfum in Vestfoldiam cum suis irrumpentem, & nihil tale metuentem, opinione citius movit, prælioqve acerrimè commisso, fusum fugatumqve, amissis suorum plurimis, in regnum suum refugere compulit.

Hac duplici utriusqve cladis famâ perterriti Eysteini filii propriis mox viribus diffidunt, missisqve ad Hognium Karinum & Gudbrandum Dalorum præfectum nunciis, junctis viribus bellum instructuri, tempus locumqve Ringisakri (Heidmarchiæ villa est) coeundi edicunt. Verum hostilis consilii conventûsqve haut ignarus Haraldus, Duce Guttormo, per solitudines plerumqve itinere facto, hostes securos beneficio noctis adortus, diversis Hognii Karini & Gudbrandi cubiculis faces admovit, altoqꝫ ita sopitum somno utrumqve igni circumdatum concremavit; Hognio deinde & Frodio Eysteini filiis, qvi foribus effractis cum commilitonibus incendio elapsi, structa acie, prælium aliqvandiu sustinebant, ferrô consumptis. Qvam victoriam industriâ consilioqve Avunculi Guttormi adeptus Haraldus, Hringarichiam, Heidmarchiam, Gudbrandzdalos, Hadalandiam, Thotniam, Raumarichiam, universamqve borealis Vingulmarchiæ regionem favente Marte sibi subjecit. Tandem cum solo ex hostibus superstite Gandalfo plus simplici vice congressus, bellum hôc modô confecit, ut cæso hoste ejus qvoqve provinciam regno suo adjecerit. Tot igitur provinciis, præter Sogniam & Fialas Vestfoldiamqve, a patre sibi relictas, & suc-

ſucceſſione hæreditarias, nulli controverſiæ obnoxias, auctus Haraldus, ad Raumelfam fluvium, hodie Sarpum, regni limites orientem verſus extendit. *Compendium Chronici Regii*, qvod Fagurſkinnam, Latinè *Pulchram Membranam*, appellare conſvevimus, Svinaſundam usqve vel tunc temporis imperium dilatatum perhibet, de qvibus infra prolixiùs dicendum.

CAP. II.

DE VIRGINIS GIDÆ, ALIIS RAGNÆ, INGENTI FASTU, CONSILIOQVE DE UNIVERSA NORVEGIA SUBJUGANDA HARALDO DATO.

IAmqve, pace tot victoriis partâ, ab hoſtium molitionibus ſecurus animum ad otium amoresqve tranſtulit. Erat ea tempeſtate Eirico (Hordiæ, rectiùs Hadiæ, ſeu Hadalandiæ, ut habet vetus membrana, qvam Thomas-Skinnam appello) nubilis filia, nomine Gida, viri cujusdam inter Valdrenſes primarii educationi commiſſa, longè inter alias virgines animô ob excellentis formæ conſcientiam elatior. Hanc Haraldus cum pellicem ſibi depoſceret, miſſis qvi voluntatem ſuam exponerent, ad ſe deferri mandavit. Indignitate legationis commotâ virgo, generis nobilitatem ſibi cum illo parem, nec parentum utriusqve aliud diſcrimen, qvàm qvod ſuſpecta bonis fortunæ blandientis facies nuperrimè dederat, tacitè ſecum reputans, ambitioſam hanc ſuperbiam haud minore faſtu retundit. *tantumqve abeſſe* reſpondit, *ut ſe ad vilem pellicum ſortem demitteret, ut in iſtius etiam conſortium virginitatis ſuæ florem impendere faſtidiat, qvoad is Regulorum ſtatum ſupergreſſus, univerſam, qvàm latè patet, Norvegiam ad exemplum Gormi Daniæ, & Eirici Sveciæ Regum, liberrimo dominatu occupâſſet, & Regulis omnibus devictis, vel in ſuam poteſtatem redactis, incolas reliqvos in ſuum nomen jurare, & vectigalia, tributa, adeoqve omnia ſubjectionis officia, ipſe nulli obnoxius, præſtare coegiſſet; mirari ſe qvòd tantæ rei cupido nullius animum hucusqve ſubierit.* Tam ſuperbo reſponſo offenſi miniſtri, potentiam Regis ſui viresqve tantas eſſe prædicabant, *ut non eſſet, qvòd ipſam oblatæ conditionis vel puderet, vel pœniteret. Qvid? qvod invitam ſecum abduxiſſent, ſi tempus locumqve raptui aptum occaſio dediſſet.* Regreſſuri itaqve cum his mandatis a virgine dimittuntur: *tum demum eum ſuo amore conjugioqve dignum judicaturam, cum in ſui gratiam totam Norvegiam ſibi ſoli ac uni vectigalem ac tributariam ſubjecerit, regnumque ſuum tam plena poteſtate, eodemque libero Majeſtatis dominiô, quo Reges exteri Gormus & Eiricus Daniæ & Sveciæ imperium obtineant, ſupremus Noricorum Monarcha poſſederit, tum demum, nec ante, Regio nomine ac titulo dignus futurus.* Hæc domum revertentes Regi ſuo denunciârunt, procacis iſtius puellæ faſtum vehementer deteſtati, eoqve haud indignam pronunciantes, qvæ invita, nec ſine dedecore, abduceretur. Ad hæc Haraldus: *virgo*, inqvit, *nihil dixit, aut commiſit, qvod ullam reprehenſionem aut vindictam mereatur, quin potius magnam ejus monitis debeo gratiam, quæ hanc mihi cogitationem ſuggeſſit, quam nunquam hactenus mentem ſubiiſſe valde miror. Per Deos igitur opifices mei, rerumqve omnium moderatores, adjuro, nec antè capillos me comturum, luxuriantesve crines detonſurum, quàm totam Norvegiam meæ ditioni ſummo cum imperio tributariam*

ac vectigalem subegerim, etiam cum summo vitæ meæ periculo. Votum multo adstantium favore ac assensu exceptum. Guttormus enim, actis Regi impensè gratiis, mox prosecutus subjecit: *Regium esse, promissa fidemque absque exceptionibus præstare.*

Hæc uno eodemqve tenore omnia non modò Chronicorum exemplaria, & Codex qvoqve Flateyensis, sed reliqvæ etiam antiqvitates, ubi hujus rei mentio fit, constanter tradunt. Sola Fagurskinna diductiùs paulò, sed mutatis personis, idem recenset, loco Gidæ, Eirici Hordiæ Regis filiæ, virginem aliam, forma eleganti conspicuam, opibusqve immodicis affluentem, substituendo, qvam Ragnam Formosam appellat, totius propè Thotniæ, provinciæqve Landiæ, universæqve insulæ, tempore hujus Scriptoris Oyndygd vocatæ, dominam, Adilsis matrem Thoram, Regis Eysteini & Astridis filiam; Astridisqve patrem Regem Adilsem Nigrum dictum memorat. Sveciæ Reges fuisse temporum ratio non patitur, nec hic Adils Eysteini Regis, sed Astridis pater inducitur: proinde adducor ut credam, Thotniæ Regulos hos fuisse. Hanc Haraldus annorum duodecim sibi ætate comparem adamâsse traditur, octavoqve festi Jolensis die, in Hadalandia celebratô conviviô, animum suum ei aperuisse, qvæ hunc in modum respondens introducitur. *Haut equidem mihi maritum, genere qvidem Regio, potentiâ majestateqve item Regiâ præclaro, excellentiorem te polliceri possim aut velim; interim tamen prius qvàm te debito amore complecti cæpero, averem scire, tune an Gandalfii filii, Nerido Sapienti cognato vestro hæres futurus sis?* Haut eqvidem mihi, sive de Nerido hoc, sive cognatione, qvæ Haraldo simul & Gandalfi filiis cum illo intercessit, qvidqvam constat. Illud certum est, Gandalfi filios omnes prælio cæsos fuisse, priusqvam Haraldo suggestum esset consilium totius Norvegiæ invadendæ, nec præter solum Hachium qvisqvam post Halfdani Nigri obitum vixisse perhibetur. Tantum præterea negotii hostes Haraldo sub initium regni facessebant, ut cogitationes intra denfensionis limitem facilè coerceret. Liber qvidem Originum Islandiæ meminit Eyvindi Comitis, Comitis Arnmodi filii, Comitis Neridi, Senis Parciqve cognominati, nepotis, qvi Kiotvii Agdarum Regis partes secutus contra Pulchricomum bellaverit, cujus filius Ormus in Islandiam postea inter proscriptos concessit; verùm qvæ lis de ejus hæreditate inter Haraldum & Gandalfi filios oriri poterat, cùm propria ei proles nepotesqve suppeterent? Neqve eundem esse crediderim, qvem memorat Astridis Divi Olafi mater, dum maritum admoneri curat, ut magis indueret ingenium Haraldi Pulchricomi, & nepotum ejus, qvàm avi sui materni Hranii Mionesi aut Comitis Neridi illius Prisci, qvantumvis sapientiæ nomine claruerit; nam genus Haraldi ab hoc Nerido diversum inducitur. *Verelius* Priscum illum Refi nutritium conjecit *in notis ad Gotrici Historiæ Cap. IV.* qvi tamen ab his temporibus longè remotior est.

Valdè Haraldus ad virginis responsum excanduisse traditur, pronunciâsseqve; *eam meruisse, ut qvam in thorum suum genialem deducere decreverat, ignominia affecta pellicis sortem experiretur.* Illa animo nihil ad minas ejus demisso, monuit, *ut iram contineret, nec jocorum facetiis irrogaret, qvam a fæminis, sexuqve imbecilli, maxime autem virginibus, iisqve immaturæ ætatis, in Regulos, qvi regionem omnem replevissent, meliùs converteret: ad se qvod attineret, nec illius, nec cujusdam alterius concubinam se futuram, ut quæ nullius conjugio se addicere decreverit, eorum, qvi partes Norvegiæ in præsens tenerent; solum eum sibi maritum futurum, qvi universam, Regulis devictis, tituloqve & ditione multatis, libera potestate regeret.* His auditis Haraldus per caput

caput ſuum jurabat, *nullam ſe indigenarum tota Norvegia uxorem ducturum, præter illam, nec aliter qvàm univerſô Noricô territoriô in ditionem redactô, omnibus Regulis, regni ordinibus, civibus etiam ſingulis ad ſubjectionem adactis; neqve enim tam generoſam virginem provincialium Principum conjugio, ſed Monarcharum tantùm, aptam dignamqve, qvæ tantam molem animo agitaret, verbisqve exprimere auſa fuerit*, legeqve actutum in ejus gratiam omnium pudicitiam ſepſit, qva violentum ſtuprum fæminis illatum exilio, vel ſexaginta marcarum multâ, qvâ exſilium redimeretur, puniebat. Conſtat autem qvælibet marcha ſex octantibus, qvorum ſinguli pretio ſex ulnarum panni Norvegici cenſebantur; nam XLM: (ɔ: 40. marcæ) Sex alna eyris habetur. Id qvod & *Arngrimus Crymogeæ Cap. VIII.* definivit. Fæminas vero liberas, qvæ pudicitiam proſtituiſſent, in aulam Regiam deferri mandavit, iisqve ſervitutis pænam irrogavit, qvoad tribus ejusdem pretii marcis libertatis pretium ſolverent, ut liceret, qvibus liberet, pudicis eſſe, nec impunè pudicitiæ limites ulla transgrederetur. Cumqve victoriam, adeoqve omnem fortunam felicitatemqve, non in hominum, ſed Deorum immortalium poteſtate ſitam agnoſceret, illius verò potentiam maximè conſpicuam, qvi Solem, rerum omnium, qvæ conſpectui ſubjicerentur, ornatiſſimum, mundumqve univerſum creâſſet, adjecit voto: *ſe illum ſolum in poſterum ſacrificiis culturum, illiusqve auxilii fiduciâ tantam rem aggreſſurum; nec eum inter amicos habiturum, qvi ab hac perſvaſione diſſentiret: neqve enim ſibi probari, fore ut qvisqvam Deorum ſuas res promovere poſſit, cujus imperium unicô ſaxô aut ſilva circumſcriberetur, qvod multo latius, ſi poſſent, extenderent; ſe namqve ingeniô imperandi avidô præditum, non qvieturum prius, qvàm univerſum terrarum orbem ſibi ſubjiceret, ſi de perpetuitate vitæ, perinde ac Dii, certus eſſet. Illum vero Deum, cujus opificium homo eſt, homini rectiſſimè opitulari poſſe, qvi cum omnium potentiſſimus ſit, crediturum ſe, facilè eam ſibi vim largiri poſſe, ut repentè omnibus Norvegiæ Regulis potentior evadat.* Hanc Haraldi orationem verbis Fagurskinnæ exſcripſi: verum qvantum a religione illius, vel ſaltem moribus, diſcrepet, cuivis patet; nam & plures uxores qvam Ragnam duxit; & ſuperſtitioni ethnicæ mancipati ſinguli, illo imperante, idola coluerunt, qvorum tamen complures intimo amicitiæ nexu ſibi devinctos habuit. Objiciebant inſuper filio ejus Haconi cives, qvòd morem paternum inter ſacrificia ſolenneſqve epulas, qvibus prima qvæqve pocula in honorem Deorum inſtituta, prælibare conſveverat, temerè ſolviſſet. Conſtat tamen ex oratione Olafi Tryggvini, in Mæria ad populum poſt cædem Yriarskeggii habitâ pro religione Chriſtiana, qvæ extat in *Codice Flateyenſi pag: 165*, Haraldum, licet ethnicum, tamen & incantatores deleviſſe, & opifici ſuo confiſum, ab eodem auxilium expectâſſe, licet qvis is fuerit ignoraverit; ut non omninò vana ſint, qvantumvis in majus aucta, qvæ hic ei tribuuntur.

Voto aſſurgens Guttormus, adqꝫ circumſtantes converſus, his verbis orationem Regis excepiſſe traditur: *Non aliàs e duobus juvenculis, qvorum neuter ætatem ultra duodecim annos produxerat, voces tantâ ſapientiâ prudentiâqve refertas, exceptas exiſtimo, qvales ab Haraldo & Ragna nuper auditæ ſunt. Voto certe Regis, qvotqvot ipſius imperio tenentur, miniſtris & civibus, magnum laborem periculaqve majora injuncta conſtat, qvæ tamen ingenti gloria rerumqve omnium affluentiâ cumulatiſſime qvandoqve rependi, ingenita Regi noſtro virtus & fortitudo pro certo pollicetur. Fuerunt qvidem majores ejus Principes intrepidi, animiqve inqvieti, illum tamen tantis auſis, conatuqve ſuperâſſe omnes, & ſucceſſu qvoqve mox ſuperaturum, indubitanter confidimus.*

 dimus.

dimus. Subjecit tandem juramentum per caput suum, qvo se & ad perpetuam, dum viveret, operam Regi suo navandam, & ad ejusdem numinis cultum, qvod omnia gubernat regitqve, maxima cum religione obligavit. Eodem die Haraldus ei territorium universum, qvod Skioldus qvondam tenuit, id temporis Odinsalas dictum, cum terris sinui Saltvit eâ tempestate, postea Oslve dicto, conterminis, tractuqve maritimo, qvi usqve ad Svinasundam extensus Saltstrandarum nomine continebatur, cum Ducis titulo munificè largitus est. Hæc totidem ferè verbis, eodemqve sensu, Fagrskinna tradit. Per tractum Odinsalas Vingulmarchiam intelligere videtur, cum Svinasundâ terminetur, nec ad oppidum Odeval extendatur. Qvinam vero hic Skiöldus fuerit, non utiqve liqvet: Odini filium, Daniæ Regem qvondam, autumabam, qvi territorium hoc donô patris adeptus Daniæ conjunxerit. Verùm cum plures præfecturæ intercedant, minus illud ad veritatem accedere videtur. Fortè Skioldum intelligit, qvi magicis artibus Eysteinum Halfdani Albipedis filium, fatalia sibi spolia diripientem, suâqve provinciâ exportantem, dum in transitu sinus tunicam complicatam velut tibiam inflaret, navi deturbatum necavit; nam & hujus ditio Vingulmarchia fuit, inqve Vornia habitasse legitur, qvod apprimè tractui huic Guttormo donato convenit. Qvòd verò Haraldi imperium ante monarchiam flivio Raumelfa terminatum memoretur, qvem tamen donatio hæc transcendit, parùm ad infrigendam authoris assertionem momenti habet; nam pars reliqva pactis vel alio modo accessisse poterat. *Eigla*, sive *Historia Eigilis Skallagrimii*, postqvam universam Norvegiam Haraldus subegerat, Vestfoldiam, Hringarichiam, Agdas, atqve adeo omnem ditionem, qvam pater Halfdanus Niger tenuit, Guttormo donatam conceptis verbis tradit. Ragnam verò hanc ut inter uxores ejus haut dubiè numerem, (qvarum sex *Chronica & Codex Flateyensis pag. 16.* præter Thoram Mostrarstangam, Haconis Adalsteini alumni matrem, qvæ concubina erat, recensent, cum tamen novem, ut Ragnhildê Danâ potiretur, repudiâsse tradant. *Imò Codex Flateyensis pag. 302.* decem uxores, & viginti concubinas simul duxisse tradit, cum qvibus omnibus in gratiam Ragnhildis Danæ divortium fecerit) ita illi hoc affictum existimem, qvòd Gidæ Eirici Hordiæ vel Hadiæ Regis filiæ consensus antiqvitatum tribuit, nam & hujus filii recensentur, genus etiam ad Norem usqve, licet pluribus avis atavisqve exclusis, id qvod ex posterum serie, in alios ramos extensâ, liqvet. Illud præterea Gida, hîc Ragnæ sub nomine latens, nobis suggerit, qvo scilicet anno Haraldus in Thrandiam post rebelles cives in Uplandis domitos moverit, unde magna Chronologiæ lux oboritur. Constat namqve, duodecimo ætatis anno Haraldum de domanda Norvegia votum nuncupâsse, qvi nobis est annus Christi DCCCLXV vel LXVI, qvod statim exseqvi aggressus est. Universam Norvegiam decennio subegisse consentiunt omnes antiqvitates.

CAP. III.

DE EXPEDITIONE HARALDI IN THRANDIAM, EAQVE FELICITER IN POTESTATEM REDACTA, IMPOSITISQVE GRAVAMINIBUS, COMITUMQVE OFFICIIS ET STIPENDIIS.

Secun-

SEcundùm votum illud intrepidè conceptum Haraldus ope & conſilio uſus Ducis Guttormi, copiis ingentibus per Uplandas, ubi vires ſuas auxit, in Gudbrandsdalos magnis itineribus contendit. Inde Dofrinis alpibus laborioſo tranſitu ſuperatis, in proximam regionem deſcendit, ubi cæſis atqve ædium incendio multatis incolis, tantum omnibus metum incuſſit, ut omiſſis in tam ſubita conſternatione defenſionis conſiliis, effusâ fugâ alii in Orcadalum, in Gaulardalum alii, ſe gregatim infunderent, qvidam latebris circumſpectis, â præſenti furore ſe ſubducerent, reliqvi clementiam ignoti hoſtis experturi pacem peterent; & hos cum in deditionem accepiſſet, nemine reſiſtente, per ſubactas provincias in Orcadalum impunè proceſſit. Ibi Gritingus provinciæ Regulus (codex Flateyenſis plures fuiſſe tradit, qvorum tamen nullius nomen edit) omnium primus collatis ſignis cum illo dimicavit, infelici qvidem ſucceſſu, nam captivitate ſua militumqve ſuorum internecione hoſtium victoriam nobilitavit, tandemq;, cum bellô nulla ſalus eſſet, ſe ſuaq; omnia victoris poteſtati, præſtito juramento, permiſit, civibus in illud ipſum conſentientibus. Qvicqvid autem terrarum agrorumqve armorum vi (non item deditione, uti ex multis colligitur) in ſuam ditionem acceperat, hoc gravamine afflixit, ut avitis hoſtium hærediolis aut latifundiis, tesqvis etiam & montibus, ſilvis, ſtagnis, fluminibus, mariqve circumjecto, fiſco Regio aſſignatis, qvilibet colonus, ſine ullo paupertatis aut divitiarum diſcrimine, ſive novalia araret, ſive inculta excoleret, vel ſale coqvendo, piſcatuqve aut venatione demum vitam toleraret, cenſum atqve reditum fundi prædiiqve ſui, etiam a majoribus relicti, qvod allodiale vocant, annuum Regi penderet; Itaqve ſingulos Comites ſingulis provinciis præfecit, qvi ex legis patriæ præſcripto jus dicerent, prædiorum canones & violatæ legis multam colligerent. In alimentum ſumptusqve ad ſtatum ſuum conditionemqve pro dignitate ſuſtentandam mercedis loco fruendum Regii fiſci & tributi trientem ultrò conceſſit. Sexaginta (ut habent codices MSS omnes, qvadraginta editio Danica memorat) armatos compenſationis loco in procinctu ad Regis militiam habere tenebantur; qvolibet ſatrapa, qvi Comitis ſui dicto audiens eſſe tenebatur, viginti marcarum ſtipendio viginti viros, Regi militaturos, ſuis ſumptibus alente. Præpoſitus autem eſt qvilibet Comes qvatuor aut pluribus baronibus ſeu ſatrapis: in tantum enim prædiorum ac latifundiorum reditum annuum, omniaqve Regis vectigalia ac tributa auxerat Haraldus, ut Comitum proventus priſtinum Regulorum cenſum ſuperaret. Adjectum & onus, qvô Regem cum univerſo ſatellitio qvotannis convivio excipere tenebantur. His ulteriùs in Thrandiam perlatis, magnus fit repentè nobilitatis præcipuæ ad Regem confluxus, qvi gratiæ locum qværentes, deditione ſpontanea recepti, in verba ejus obſeqviumqve jurant. Qvos inter eminebat Hacon Griotgardus, Comes de Yriom, qvi eodem jure tituloqve Halogiæ præfuit: isq; inde magno militum numero ſtipatus Regi ſubſidio acceſſit, imperata facturus. Horum omnium acceſſione auctis copiis, primò in Gaulardalum infeſta ſigna movit: ubi duobus Regulis uno prælio cæſis, ditiones utriusq;, Gauldalenſium videlicet Strandarumqve provincias, occupavit, qvarum poſteriori Comitem Haconem præfecit. Mox in Stioradalum profectus, tertiô ibi commiſſo prælio, provinciam totam ſubegit. Sociis ergo viribus armisqve interioris Thrandiæ

Reguli,

Reguli, collatis cum eo signis, pari cum cæteris fortunâ dimicârunt, qvorum unus Veradalo, alter Skauni, tertius Sparbyggis, qvartus Eynæ præfuit, insulari provinciæ. Omnes autem vel cæsi, vel fugâ elapsi, ditionibus suis hostis potestati permissis exciderunt. Universam igitur Thrandiam, post octo Reges sublatos, totidemqve prælia (*Flateyensis* tamen *Codex* qvinqve, Chronici aliud exemplar sex aut plura, Editio Danica decem, memorant) feliciterperdomuit. Hîc tam *Codex Flateyensis*, qvàm *Fagurskinna*, eum denuò votum de totâ subigendâ Norvegiâ, itemqve tributis non ex depressis modò vallibus, sed maritimis etiam promontoriis, a limitibus montanis versus orientem ad oceanum usqve septentrionalem recipiendis, iterâsse tradunt.

CAP. IV.

DE HERLAUGI ET HROLLAUGI NAUMDALENSIUM REGUM TUMULO ET DEDITIONE, NUPTIIS REGIS CUM COMITIS HACONIS FILIA, HLADISQVE MAGNIFICE EXSTRUCTIS PALATIIS.

ERant fratres Herlaugus & Hrollaugus, pariter Naumdalis Regia cum potestate imperitantes; hi tumulo, cui post mortem inferrentur, exstruendo trium annorum operam impenderunt. Saxis, cæmento, materiaq; variâ constabat monumentum: jamq; extremam manum operi planè perfecto admoverant, cum nuncius advolat, Regem Haraldum, vicinis expugnatis, exercitum hostilem propediem in illos ducturum. Turbatus hoc rumore Herlaugus, cum vires sibi ad resistendum deficere facilè perspiceret, victorumqve sortem simul ac servitutem juxta detestaretur; ne tamen patriæ finibus exsul cessisse tyranno videretur, rem stupendam, & in eum usqve diem inauditam (ni fortè fides habenda iis, qvæ de Ragnare Hellulandiæ Rege circumferuntur) aggressus, magnam esculentorum potulentorumqve copiam, in longum tempus suffecturam, intra tumuli claustra congeri curavit. Mox famulis duodecim comitatus subterraneam specum vivus ingreditur, aggestâqve arenarum terrestriumqve glebarum saxorumqve mole, exitum simul & adıtum obstruit, societatem individuam cum inferorum præstite Odino in posterum, ut videtur, juncturus.

Alter verò fratrum Hrollaugus, propinqvum periculum publica deditione præventurus, alium collem, solenni Regum sedi dicatum, conscendens, solium regali magnificentia apparatuqve conspicuum erigi curat; inferiùs autem subsellia, Comitum sedes, aulæis insterni, occupatôqve Regis solio in inferiorem Comitum sedem se sponte demittens, abjurato Regis titulo, Comitem se ipse proclamavit, & mox Haraldo adventanti obviam progressus, suis fratrisqve factis consiliisqve commemoratis, se regnumqve suum, data fide, in manus ejus tradidit. Lætus tam facili istius Reguli deditione Haraldus, amico animo & vultu dextram fidei suæ pignus dedit, alligatôqve lateri gladiô clipeum collo appendit, manuqve sua Comitum sedi adductum eum Naumdali Comitem pronunciavit, totiusqve provinciæ præfectum constituit. Horum officium *Jus aulicum*, qvod Hirdskra inscribitur, & Edda, sed temporis diuturnitate non nihil immutatum,

tum, deſcribunt. His ita ex voto geſtis Rex in Thrandiam redux ibidem hiemavit, ubi ab eo demum tempore primariâ regni ſui ſede conſtitutâ, hiemes tranſigere ſolitus, Thrandiam qvoqve ſedem ſibi delegit, eandemqve ita auxit, ut condidiſſe videretur. Hladis enim ædes cætera ædificia magnificentiâ longè ſupergreſſas, Regioqve in primis ſplendore ſuperbas, exſtruxit, Comitum deinceps Thrandenſium domicilia. Hæc duobus annis, in Chroncicis qvidem non diſtinctis, ad calculum tamen revocatis, reparatæ nimirum ſalutis DCCCLXVI vel VII geſta ſunt, octavo verò abſoluta: an vero ad hunc, an inſeqventem annum, initum eadem hieme cum Comitis Haconis Griotgardi filia Aſa conjugium referendum ſit, incertum eſt: id ad continendas in obſeqvio devictas provincias, plures etiam adjiciendas, plurimùm facere ratus, conciliatis cum nova affinitate illuſtrium familiarum ſtudiis, qvæ ſocerum ſangvinis vel affinitatis nexu attingerent. Exinde Comes Regi in primis carus & honoratus, primum gratiæ amicitiæqve locum tenuit.

CAP. V.

DE EXPEDITIONE NAUTICA, CLASSIARIORUM MILITUMQVE DELECTU, ET REGIS IN IIS DELIGENDIS PRUDENTIA ET LIBERALITATE, CÆSISQVE BELLO NORDMÆRIÆ ET RAUMSDALI REGIBUS, SOLVIOQ; KLOFIO IN FUGAM VERSO, ET ROGNVALDO EYSTEINI GLUMRÆ FILIO IN DEDITIONEM ACCEPTO.

OMnibus ſic terra captis maritima reſpexit; claſſemqꝫ primo veris initio mari committendam adornavit; priùs tamen Hornklofius in ſilva Updalenſi juxta Orcadalum carmine qvodam, qvod Glym-drapa inſcribitur, pugnatum teſtatur: prætoria navis magno interim ſtudio præparata, & eleganter draconis capite pro inſignibus exornata, cui miniſtrorum aulicorum fortiſſimos, atqve athletarum ſeu Berſerkorum robuſtiſſimos claſſiarios impoſuit, proretis, ſigniferisq;, qvorum in omni conflictu primus ſemper ac maximus uſus erat, ex omni fortiſſimorum militum numero, magna curâ & induſtria ad proræ cuſtodiam & defenſionem electis, ſpatium proræ proximum, usqve ad locum ſentinæ (fuerunt autem duo, alter a puppi, alter pari, ut credo, ſpatio a prora extendebatur) Arauſn patria lingva dictum, athletæ ſeu Berſerki complebant. Neminem enim ſuo ſatellitio dignabatur, niſi qvorum fortitudo, alacritas, atqve adeo virtus omnis, qvæ in milite reqviritur, rara eminensqve alios longè præſtabat: talibus enim navem Regiam, ad omnia pericula obfirmatam, inſtruxit, ſuppetente copia ê ſingulis totius Norvegiæ provinciis eligendi præſtantiſſimos, in Regis militiam deſcribendos. Itaqꝫ magnis copiis exercitus Regius, multis navibus claſſis, magno & numeroſo procerum atqve illuſtrium virorum comitatu, terreſtris navaliſqve expeditio conſtabat. In primis Berſerki pellibus lupinis, ad terrorem hoſtibus incutiendum, induti, & exteriùs amicti, qvoties pugnandum eſſet, univerſum agmen ante aciei principia præibant, ut hoſtilem inſultum propulſarent, ac procul dimoverent, qvos maximis honoribus præmiisqve ornatos adeò ſibi devinxit, ut nullum pro ſe periculum ſubterfugerent. Ea enim judicii dexteritate pol-

lebat, ut ſingulorum merita ingeniaqve rectè perpendere, ſeqve ad eorum indolem applicare noſſet. Senes honorabat, æqvales vultu hilari verbisq; amicis excipiebat; omnibus comem & affabilem ſe gerebat; aulam cultu magnifico, ſatellites bonis moribus apparatuqve ſplendido inſtruebat. His omnibus florem juventutis ita invitavit, ut optimus qvisqve & fortiſſimus certatìm ad eum ſe contulerit. Exercitu igitur, auxiliis hiſce, & genere, & numero, & fidelitate firmiſſimis, ſatis probè inſtructo, haut mirum, plurimos aperto Marte ſubegiſſe, reliqvos autem promiſſis & pactionibus ad obſeqvium tractos fæderibus ſibi junxiſſe. Verùm plurima licèt prudentiæ conſiliiqve ſolertiâ expediverit, multum tamen debuit fortunæ, qvæ ei indulgendo nunqvam fatigabatur. Hunthiofus erat Mæriæ Rex, belli armorumqve ſcientiâ clarus, filius huic juvenis impiger, Solvius Klofius; ſocer, idemqve Solvii avus maternus, Nokvius Romsdaſi Rex. Hi, cognita Regis Haraldi incurſione, adunatis viribus, obviam ei proeeſsêre, factoqve apud Solskelem concurſu acerrimè dimicabant; ſed Regibus tandem in acie cæſis fugam Solvius arripuit. Extat de his geſtis eorum temporum æqvale carmen Hornklofii. Qvas duas provincias ubi regno ſuo adjeciſſet Haraldus, longo ibi per æſtatem tempore moratus, lites inter incolas cognovit, judiciisqve diremit. Appetente hieme in Thrandiam reverſurus, Raugnvaldum Eyſteini Glumræ filium in deditionem commilitiumqve acceptum, qvi cognomentum Potentis ac Prudentis juſtas ob cauſas inditum, poſtea obtinuit, utriqve provinciæ præfecit, præſidiisqve militum, potentiorumq; ſubſidiis, unà cum ſufficiente claſſe ad arcendum procul hoſtilem inſultum, armavit. Frater hujus Sigurdus, de qvo ſuo loco dicendum. Genus eorum a Gore Noris fratre, nimio intermediorum avorum defectu, vetuſta monumenta hac ſerie recenſent: ortum tradunt patre Eyſteino Glumra, avo Ivare Uplandorum Comite, proavo Halfdano, abavo Svadio, atavo Heitio, qvi Goris filius perhibetur. Illud certè hinc colligendum, hæc qvidem nomina inter majores eorum haberi, licet complura avorum neglecta ſint. Annus DCCCLXVIII. hoc tenore tranſactus eſt.

CAP. VI.

DE HARALDO IN SUNN-MÆRIAM CLASSEM DIRECTURO CONTRA REGEM ARNVIDUM, AUNUNDOQVE FIORDORUM REGE A SOLVIO KLOFIO AD AUXIlium ferendum concitato, Kvöldulfo militiam ejus detrectante, bello ab Haraldo adverſus utrumqve, eorumqve cæde, iteratâ Sölvii Klofii fugâ, cæſoqve Rege Vemundo Kambane a Comite Rognvaldo, Karii de Berla tranſitu ad Regem Haraldum, ejusqve filiis.

PRoximo vere Rex Haraldus, poſtqvam Hladis hiemâſſet, magnum ex univerſa Thrandia exercitum claſſi, qvam magna cura inſtruxerat, impoſuit, in Sunnmæriam primo qvoqve tempore moturus. Solvius enim Klofius noviſſima fuga dilapſus, tota hieme in prædatoriis navibus tranſacta, Nordmæriam plerumqve infeſtans, multos Haraldi milites occidit, multos exſpoliavit. Interdum in Sunnmæria ad Regem Arnvidum, qvem arctiore ſangvinis nexu attigerat, remanſit, ubi collectis in occurſum Haraldi magnis copiis, exercitus haud contemnendus concitur, multis ultrò affluen-

affluentibus, qvi injuriis damnisqve irritati, hostibus ejus se jungebant. Ipse qvoqve Solvius in Fiordos ad Regem Audbiornum (qvi ibi, non, ut habet exemplar typis impressum, in Sognia, imperabat) profectus, ipsum magnoperè in societatem periculi prædæqve sollicitabat. Longa enim & eleganti oratione differebat: *venire Haraldum ad omnia regna tollenda, ut nullum usqvam totâ Norvegiâ nisi suum imperium esset. Thrandos, Nordmærenses, Raumsdalensesqve expugnatos, deniqve Sunnmæriam peti; ut qvisqve proximus ab oppresso sit, per omnes qvasi continuum incendium pervasurum, ab Arnvido gradum in Fiordos fore. Potentiorem namqve Haraldum jam factum, qvàm ut singulorum viribus resisti possit: mutuas operas præstandas, qvò jugum singulis imminens declinetur, viris ortûs generisqve splendore paribus intolerabile: id qvod patrem suum exemplô docuisse, qvi mortem honestam præ miserabili subjectione elegerit. Communem omnium causam esse libertatis defensionem, nisi Naumdalorum Regum exemplum placeat, turpem servitutem regno libertateqve mercantium, at hoc neminem ingenuum, nedum Reges, unqvam probaturos. Consideraret igitur Audbiornus, an Sunnmæriâ Arnvidoqve oppressis, firmiorem se ad resistendum ad finem belli futurum putet. Scire eqvidem se magnas illi opes virorum, armorumq; & auri esse, & illa re a se ad societatem ab Haraldo ad prædam peti, si sibi se adjunxerit, eam famam secuturam, auxilio profectum injustè oppressis, latronem gentis Norvegicæ oppressisse, qvod ut faciat, monere se hortariqve, ne malit communi pernicie unum imperium prolatare, qvàm societate victor seqvi.* His talibus persvasus Audbiornus amicos consulit, qvi commune periculum nisi communibus viribus averti non posse cernentes, in societatem belli eum perpulerunt. Singulis igitur proceribus imperatum, ut in subjectis suæ cujusqve Præfecturæ partibus habito militum delectu, Regem ipsum in bellum seqverentur. Unus inter hos fuit Ulfus, qvòd adulto semper vespere dormitaret, satis tamen matutinus, Kvöldulfus dictus (lupum vespertinum denotat) pater ei Bialfius (aliàs Brunda-Bialfius dictus) mater Hallbera, soror Hallbiorni Halftrollis, seu Semigigantis, qvi pater erat Ketillis Hængi posterioris familiæ Hrafnistinæ, his nominibus a priore, eaqve antiqvissimâ, mutuatis claræ. Ulfus Oargus seu Generosus Hallberæ pater fuit, cujus, ut avi, nomen gerebat Kvold-Ulfus, uxor illi Salbiorg, Karii, a prædio Berla Berlukarii dicti, filia, filii illis duo, Thorolfus natu major, minor Grimus, qvi qvòd annos XXV natus calvus esset, Calvus dictus est, patriâ lingvâ Skallagrimus. Solus Kvöldulfus militiam Regis mandatumqve detrectabat, teneri qvidem se lege dictitans illatum Regno Fiordensi bellum omnibus viribus propulsare, regemqve suum defendere, non item alterius districtûs principem, vel ejus territorium; nuntiisqve Regiis Regi suo referre mandavit; *neqve se copias ullas collecturum, neqve pro Mæriæ Rege latera sua hostili gladio objecturum, nec adversus Haraldum, Regem strenuum, felicem, & fortunæ aurâ sublatum, celebremqve, Diis aversis pugnaturum, qvi videatur fortunam in manibus habere, plenisqve ulnis premere, cujus ne manipulum Rex suus habeat.* Hoc responso nuncios ad Regem remisit. Destitutus Kvöldulfi auxiliis Rex Audbiornus, cum reliqvis, qvos habebat, magnis copiis in Mæriam nihilominus ducens, Arnvido se conjunxit. Jamq; cognoverunt, Haraldum cum instructa classe copiisq; ad se tendere. Huic igitur obviam profecti intra Solskelem occurrunt, accinctiqve pugnæ naves catenis colligant, eqve proris inter se devinctis pugnam conserunt; id enim in navali bello usus tunc obtinuit. Mox Regiâ Haraldi nave in Arnvidi prætoriam directâ, tanto ardore ê rostris confligitur, ut magna qvamvis

vis utrinqve ſtrage facta, prælium tamen in longum tempus extraheretur, nec diſcerni poſſet, qvò ſe victoria inclinaret, utpote ex parte utraqve hominum genere & armis paribus procedente certamine. Haraldus indignatione & ira accenſus e puppi ad proxima proræ proſiliens, tantum impetũ in Arnvidi navem fecit, ut proretæ, & omnes qvi anteriores partes defenderent, ſuo qvisqve loco dejecti, pedem retrò ad malum usqve, velut ruinâ impulſi, referrent, multi vero fortiùs obnitentes, momento proſtrati, aſcenſum ei in Arnvidi navem præberent. Regem impigrè transgreſſum exemplo moti reliqvi ejus commilitones ſubſeqvuntur, & per cæſorum ſtragem viam ad ipſum Arnvidum ſibi ſternentes, eum fortiter pugnantem in nave obtruncant. Concidit item Audbiornus Fiordorum Rex. At Solvius iterum fuga dilapſus, qvi piratarum dux poſtea factus, novus patriæ hoſtis longo multorum annorum decurſu, plurima Norvegiæ loca freqventi clade afflixit, fædisqve direptionibus infeſtavit. Cruentiſſimo hoc bello Haraldi Comites duo, Asgautus & Asbiornus, affines, duo item Haconis Hladarum Comitis filii, Griotgardus & Herlaugus, occubuerunt. De his poetæ Hornklofii verſus *Chronicis MSS.* continetur: *Eigla* vero duos adhuc Comites alios, Haraldum & Tiorfium, eodem prælio cæſos memorat. Hac victoriâ Haraldus Sunnmæria auctus, in Thrandiam hiematurus rediit, neqve enim ſub exitum autumni ê re viſum eſt, ut longiùs in auſtrum provectus Stadas tranſmitteret. Comitem igitur Rögnvaldum utriqve Mæriæ & Raumsdalo præpoſuit, qvi eadem hieme comitatu freqventi, qvem aliàs domi circa ſe habebat, per iſthmum in Fiordos exteriore via digreſſus, Regem Fiordorum Vemundum Kambanem, qvi fratri Audbiorno nuper cæſo cum Regis titulo ſucceſſerat, ex improviſo, cum Nauſtadali convivio indulgeret, de nocte adortus, cum nonaginta ſtipatoribus incendio delevit. Mox ſuperveniens Karius de Berla, aliàs Berlukarius, Vemundi filius, cujus frater Skioldolfus occupantium Islandiam unus refertur, cum inſtructa longa nave in auxilium Comiti accurſurus, ubi negotium perfectum animadvertit, eum in Mæriam regredientem comitatus eſt. Claſſis omnis Vemundi totaqve ſuppellex Comiti Rognvaldo in prædam ceſſit. Karius de Berla in Thrandiam ad Regem Haraldum conceſſit, ejusqꝫ militiæ ſe addixit, fuit enim athleta nobilis. Illi erant filii duo, Eyvindus nimirum Lambius, ſeu Agnus, & Aulver Hnufa, poëta pariter ac athleta inſignis. Hic præcedente autumno, qvi erat anni LXIIX, vel LXIX, ad Regem ſe contulerat, benignèqve in ſatellitium ejus inter ſummæ dignitatis proceres receptus, patrem ad idem faciendum exemplo ſuo invitavit; fugatus namqve ab Atlii Sogniæ Comitis filiis, Haſteino & Herſteino, qvorum ſororem Solveigem, Formoſam dictam, viſam Gaulis in convivio freqventi deperiens, uxorem ambiit, repulſamqve ob dignitatis diſcrimen paſſus, carminibus dum celebrâſſet, fratres ejus acriùs irritavit, qvi eum imparatum globo militum aggreſſi, facilè ad fugam capeſſendam compulerunt. Sed Herſteinus ab Hiorleifo & Ingolfo, qvi omnium primi in Islandiam cum familiis ſuis incolendi propoſito migrârunt, paullò poſt occiſus eſt.

CAP. VII.

DE INSTITUTA A REGE DEVICTARUM PROVINCIARUM ORDINATIONE, EVOCATO KVOLDULFO, ET EJUS TERGIVERSATIONE AULVERIS HNUFÆ ORATIONE AD EUM ET EJUS RESPONSO, DIVERSIS DE GESTIS REGIS AUTHORUM TRADITIONIBUS.

Pro-

PRoximo vere, Anni nimirum DCCCLXIX vel LXX, Haraldus in Fiordos ad provinciam in ditionem accipiendam, ſtatumqve illius ordinandum, profectus eſt; cum enim procerum animos actaqve in ſingulis noviter partis provinciis ſollicitè obſervare conſveverit, anxiè providit, ne qvæ occaſio defectionis novorumq; motuum relinqveretur. Itaqve potentiores omnes, unde aliqvid periculi metuendum eſſet, ſive illi præfectorum, ſive opulentiorum civium ordinis eſſent, ad obſeqvium ſibi concepto juramento præſtandum adegit; recuſantes vel exilium, vel gravis alia pœna manebat. Fuerunt etiam qvi ſupplicium non effugerent, nam alii pedibus, alii manibus, pro contumaciæ gradu, multabantur, qvibusdam ultimum ſupplicium irrogatum eſt. Conſimiliter dum in Fiordis moraretur, magnates tota provincia per nuncios ad ſe accivit, & inter cæteros Kvöldulfum, qvòd eſſet vir nobili qvidem proſapiâ, famâ tamen prudentiæ, fortitudinis, viriumqve, & rei militaris ſcientiæ clarior, ſpe facta majoris dignitatis, ſortisqve amplioris, ſi ipſi miniſtrare haud recuſaret. Ille ætatem imbecilliorem, qvàm ut militiæ nauticisqvæ præliis par eſſet, excuſans, domi ſe remanſurum, nec in poſterum Regibus miniſteria præſtiturum reſpondit; nuncii igitur, ut filium ad Regem mitteret, hortati ſunt, (Grimum namqve domi viderant) juvenem magnis roboris alacritatisqve indiciis conſpicuum; certò affirmantes, *Regem famulitium ejus ſatrapæ dignitate officioqve penſaturum, qvandoqvidem ipſe ætatis excuſatione immunitatem poſceret.* Erat autem Grimus ſtatura grandi, nigris capillis, robore, qvemadmodum pater, giganteo, ſed formæ decore deſtitutus, laborioſus & induſtrius, fabriliumqve artium admodum peritus, œconomiæ in primis ſtudioſus: hic tum præſens reſpondit, *ſe haudqvaqvam ſatrapam futurum, vel Regi, qvoad pater viveret, operam ſuam addicturum, eum namqve ſolum dominum, dum in vivis eſſet, habiturum.* His reſponſis dimiſſi nuntii, Regi omnia ordine exponunt: qvibus auditis, aliqvanto commotior, *viros illos arrogantes pronunciavit, nec qvorſum tenderent, conſtare.* Aulver autem Hnufa Regem ſororio ſuo Kvöldulfo mitigaturus, magnopere rogavit, *ne ei ſuccenſeret, ſe enim ad eum mandata Regis relaturum, nec dubitandum qvin accederet.* Cognitâ ſeria Regis voluntate profectus, deinde Kvöldulfum accedit, Regisqve mandata his verbis exponit.

Ad te, chariſſime affinis, mea magis ſponte, qvàm juſſu Regis profectus, mandata qvidem ejus, ſed ſimul mea conſilia, defero. Miratur ille & indignatur te invitatum veriùs qvàm arceſſitum ſolum accedere recuſâſſe, nec fidem vel præſentem, vel obſide an præde filio abſentem obligare ſuſtinuiſſe, tot populorum domitori, Regisqve tui victori, jam qvoqve tuo Regi ac domino, cùm non ſit alter, Fiordorum Regibus extinctis, cui obſeqvi tenearis. Nec libertatem ſperes, qvam nec illis regnantibus optabas, nec vindictam illorum tibi pollicearis, pro qvibus arma contra eum, rebus integris, ſumere renuiſti; aut tunc imperium ejus omnibus viribus propulſandum erat, aut nunc absqve tergiverſatione ſubeundum; obſeqviorumqve delinimentis colendum mitigandumqve. Sed nec tu, qvi Regibus, &, ſi imperia conferantur, vix Regulis qvidem, parere conſvevisti, idqve ſine majoris emolumenti ſpe, &, ut par erat, æqvo animo, jam tibi dedecori duces, potentisſimo totius Norvegiæ & prope ſoli Principi obſeqvium deferre, inqve ejus fidem te dedere, cui qvicqvid terrarum à Svinaſunda ab auſtro, Thrandiam usqve, & qvicqvid inde aqvilonem aut auſtrum continuo tractu, vel in-

ſulis interſperſo, ad auſtralem Sogniæ terminum protenditur, tota præterea Veſtfoldia, ut invicto Regi ac domino paret & obſeqvitur, Cui, non dicam privatorum, ſed ne Regum, ad hunc usqve diem ullus ſe impunè oppoſuit, nullus obſeqvium detrectavit, niſi ſuo vel exilio, vel excidio. Horret animus Regum Naumdalenſium meminiſſe, qvorum diverſa conſilia omninò diverſi exitus exceperunt; Vitæ naturalis tædio alter, cum reſiſti poſſe deſperaret, nec victoris clementiam præ nimio faſtu, nec exilii ſortem præ vecordia experiri ſuſtineret, relicto vivorum commercio, ipſe vivus mortuis ſe aſſociavit, perpetuis tenebris in poſterum integris luminibus damnatus; cùm vice verſa frater alter, cui meliorem mentem propitii Dii indiderant, præter Regium nomen nihil deſideret, qvod ultro depoſitum, magno conſilio animoqve, meliori ceſſit, ne Diis averſis bellum gerens, ſe, uxorem, liberos, propinqvos, familiam, populum, cui præerat, provinciamqve univerſam adeo in extremam perniciem, ſtolidâ pertinaciâ præcipitaret. Hinc potentiam Regis, viresqve & nomen, qvod jam nimis ſerò Regulorum reliqviis ſomnum excutit, perpendas. Unde vero tantus metus? niſi ex continuis victoriis, unde victoriæ: niſi ex prudentibus conſiliis proceſſerunt? qvorum tu ordinem paucis accipies. Puer vix decennium egreſſus plenum invidiæ regnum multis partibus, ſed novitèr a patre auctum, accepit, mox teneræ ætatis contemptu exuti provinciis Reguli, ſuas qvisque repetere aggreſſi, non modò qvas amiſerant, ſed qvas inſuper habuerant, ejus dominio adjecerunt. Inſtruxerat enim aulam ſuam, non aſſentantium, adqve gratiam loqventium, vanaque oſtentatione turgentium turba, ſed delectisſimorum hominum, prudentia, rerum militarium uſu, fortitudine, animi corporisqve robore excellentisſimorum, ſatellitio, qvod exqviſitis præmiis, muneribus, honoribus, præfecturis, & idgenus illecebris provocatum, continua liberalitate, gratia, Regioqve favore proſeqvitur. Horum te nemini ſecundum, cum fama haud inanis vulgaverit, eidem qvoqve adjicere cupit, vel, ætatis excuſatione accepta, filiorum alterum; cumqve certam incrementi ſpem, fortunæqve inſignem aceeſſionem, virtus tua, fides & induſtria, filiorumqve florens ætas uſusqve polliceantur, meritum tamen ingens accedit, qvòd ſola Regis famâ motus arma adverſus eum capere nolueris. Id cum ſit, uti eſt, per ſe valde commendabile, cave ne nova obſtinaciâ corrumpas; maturo itaqve judicio perpendas, ſeveritatem Regis, non dicam ſævitiam, an clementiam & gratiam experiri malis. Nec pudeat exemplum viri clarisſimi patris mei, ejusdemqve tui ſoceri, ſeqvi, qvem mutatæ ſortis haudqvaqvam pœnitebit.

Ad ea Kvöldulfus reſpondit; *& ſe Majeſtatem Regis reverri, & potentiam agnoſcere, & fortunam perſpexiſſe, & in futurum proſpicere, abſtinuiſſeqve bello, qvod ei Rex ſuus, nondum ulla injuria laceſſitus, intulerit, ne eum irritaret, nec alio conſilio ipſius aulam, ſatellitium, imo & commercium, vitare, qvàm ut offenſæ occaſio omnis præcidatur, nihilo tamen minus vereri, ne ſatis his phylacteriis ſibi ſuisqve cautum ſit. Jam enim ſe procul inſtantem ab eo familiæ ſuæ perniciem proſpicere, animoqve præſagire. Si fata ut differri, ita qvoqve averti poſſint, hanc unam ſolamqve viam eſſe, ad evitandam qvàm metueret ſortem, domi itaqve ſe remanſurum; qvod ſi Thorolfus filius grandior, jam piraticâ occupatus, per autumnum domum rediret, cupidum eum certè futurum, & accedendi Regem, & militiam ejus ſeqvendi: proinde referret, & ſe Regi amicum futurum, & ad ejus amicitiam colendam, qvotqvot ſibi obedirent, vel nexu aliqvo devincti eſſent, reducturum, futurumqve in eodem magiſtratu, qvem hucusqve ſub prioribus Regibus geſſerit, ſi Regi ita viſum fuerit, exitum demum acta probaturum.* Hæc Aulver Regi referens adjecit, *filium abſentem propediem venturum, poſtqvam è piratica redierit, potioremqve eſſe,*

& mili-

& militiæ magis assvetum, qvàm eum, qvi domi remaneat. His dictis Regi satisfactum est. Exinde in Sogniam Regem concessisse, ibiqve peractâ æstate in Thrandiam hiematum rediisse *Codex Flateyensis* & *Eigla* tradunt, dissentientibus Chronicis, qvæ è Fiordis in Vikam navigâsse tradunt, Tunsbergamqve, celebre id temporis oppidum, devectum post peractas in Thrandia qvatuor hiemes: recensenturqve seqventis anni gesta per Gotiam, Vermalandiam, Vingulmarchiam & Raumarichiam, id qvod etiam seqvi placet. Non tamen dissimulandum, Eiglam tradere Herlaugi tumulum ante sexennium obstructum fuisse, cum Naumudalum Haraldus peteret: metu autem ejus adventantis Herlaugum ingressum, communiter tradunt. Octo autem præliis, aut pluribus, Thrandiam domuisse traditur, nimio unius anni opere. His gestis Naumudalum aggressus est. Exinde qvatuor annorum mansiones intra Thrandiam Chronica enumerant, anteqvam in Vikam procinctum movit. Apparet inde, neqve Chronica, neqve Eiglam singulorum annorum gesta accuratè distinxisse.

CAP. VIII.

DE CONFLICTU COMITUM HACONIS GRIOTGARDI ET ATLII SOGNIÆ, EORUMQVE MUTUA CÆDE, CAUSAQVE TANTI MALI.

Fiordis itaqve Haconem Comitem Griotgardum socerum suum præposuit. Is nuncios ad Atlium Gracilem Sogniæ Comitem misit, cum mandato, ut præfecturâ Sogniæ decederet, Gaulasqve, ubi priùs Comes fuisset, remigraret, beneficio namqve Regis Sogniæ præfecturam sibi commissam. Qvô se utrumqve, qvoad Regis conveniendi copia foret, possessurum respondente, altercationes ortæ tandem in apertum bellum eruperunt. Fialis in sinu Stafanesensi crudeliter ab utraqve parte dimicatum est, Hacone Comite cæso, Atlioqve lethaliter vulnerato, qvi saucius in insulam Atleyam relatus, ex vulneribus decessit. Causa vero, qvâ Atlium Rex præfecturâ Sogniæ, veterem amicum, patrisqve sui fidelem ministrum, Comitem ab ipso constitutum, & deinde a se sub regni initia confirmatum, removit, talis affertur. Inter cætera Comitum onera, illud non minimum recensetur, qvòd tenerentur qvotannis Regem cum universo satellitio convivio excipere, satellites autem, præter majoris dignitatis viros & servitia, sexaginta. Impeditus autem negotiis bellicis Rex, convivio per triennium ipse interesse neqvibat; ne tamen juris remissio in immunitatem privilegiaqve verteret, legatis convivium celebrare mandavit. Illi amicis & consangvineis invitatis, numerum convivarum ad centum usqve extenderunt, usiqve licentiâ, multa etiam petulantiâ, Comitem graviter commoverunt, ita ut anno qvarto omnes ignominiosè domo ejiceret, Regemqve ipsum ad convivium pro consvetudine jureqve suo ineundum deposceret, vel ut pecuniâ id redimi sineret. Qvi repulsi in Thrandiam redeuntes, Regemqve convivio apud Comitem Haconem indulgentem offendentes, Comitem ad illum criminati sunt. Is excandescens, precibus Haconis, præfecturam iisdem conditionibus, qvibus Atlius tenuerat, sibi deposcentis, commotus, diversis affectibus, hinc gratiâ, illinc irâ abreptus concessit:

cessit. Atqve ita Atlius, vetus patris minister, affinisqve, ipsi Haraldo carus semperqve fidus, petulantis satellitii calumniis oppressus, gratia Regis feudoqve inauditus excidit.

Hasteinus Atlii filius præfecturam postea tenuit, qvoad Haraldus Rex & Sigurdus Haconis filius, collectis copiis, eum aggredi parârunt; diffisus itaqve viribus in Islandiam concessit, ut inferiùs clariùs tradetur. Hæc tamen longè post contigisse existimo; tradit enim Eigla Regem Haraldum præposuisse Fiordis Comitem Hroaldum, qvi priùs Audbiorni Comes fuit. Is fuit Thoreris satrapæ pater, qvi postea Haraldi filium Eiricum Blodöxium educavit, uxor Hroaldi Arnthrudis, Arnbiorni alterius Fiordorum Comitis filia, ex matre Astride Slækiudreingo dicta, pöetæ Bragii neptis; uxor Bragii ejusdem Astridis, mater Lopthæna, pöetæ Erpi Lutandi filia. Hunc Comitem Hroaldum mortuum putem, anteqvam hæc contigerunt, suffectumqve Comitem Haconem ipsi, id enim migratio tum Ingolfi in Islandiam primò indicat, cum Pulchricomus annos XVI natus esset, ut fusiùs seqventi libro demonstrabitur, ubi de migrationibus primorum Islandiæ incolarum agetur; tum etiam rerum ab Hasteino gestarum circumstantiæ, qvibus cum trium Islandiæ Aboriginum gestis collatis, qvi metu Comitis Haconis Griotgardi filii solum verterunt, haud obscurè colligitur, hæc demum post conflictum Hafursfiordensem contigisse.

CAP. IX.

DE CONTROVERSIA HARALDI CUM EIRICO EYMUNDIO SVECIÆ REGE, UTRIUSQVE IN VERMIAM INGRESSU, ET CÆDE AKII, SUBJECTAQ; AB HARALDO VERMIA, PUGNA CUM VESTRO-GOTHIS ET CÆDE HRANII, REDITU IN THRANDIAM, ET LIBERIS IBI SUSCEPTIS.

TUnsbergam ut ventum est, post continuum qvadriennium (& qvod superat) in Thrandia & vicinia exactum, qvô Vikam ne semel qvidem lustraverat, cognovit Eiricum Eymundium Speciæ Regem, Vermiam omnemqve Marchiam ditioni suæ tributariam subjecisse, Vestro-Gautiæqve nomine tractum omnem, qvi in aqvilonem ad Svinasundam, & in occidentem circa maritima protenditur, censuisse, constituto ibi Comite Hranio, natione Gauto, viro potente, qvi vicem Regis districtum omnem inter Svinasundam & Gauthelfam dirigeret. Minæ qvoqve Speciæ Regis ad Haraldum delatæ sunt, jactantis, *se non ante qvieturum, qvàm tantundem de Vika in suam ditionem redegerit, qvantum Sigurdus Ringus qvondam, & post eum Ragnar Lodbroch, tenuerunt.* Constat autem Raumarichiam & Vestfoldiam tenuisse, usqve ad Grenmariam. Nec erant vanæ minæ, Vingulmarchiam enim, & qvicqvid inde territorii in austrum porrigitur, ad se per defectionem traxerat. His majorem in modum offensus Haraldus, Foldenses cives ad causam dicendam in forum judiciale convocatos proditionis defectionisqve postulat: illi variis effugiis crimen diluere aggressi, haud pari felicitate se purgârunt; alii extra culpam deprehensi absolutiqve sunt, alii pænâ pecuniariâ multati, alii corporali cöerciti, totaqve æstate qvæstio per provinciam rigidè excercita. Principio autumni Raumarichiam ingressus Rex, pari examinis acerbitate, multarumqve exactione universam

versam peragrans, omnes harum provinciarum incolas in ordinem redegit.

Principio hiemis cognovit, Eiricum Sveciæ Regem Vermiam cum satellitio pervagantem, conviviis civium, consvetô Regibus more, passim exceptum, reditus tributaqve exigere. Nihil igitur sibi cunctandum ratus, ipse qvoqve, omni morâ amputatâ, nemus Eidense transgressus, præmissis qvi hospitia sibi suoqve comitatui idonea appararent, in Vermiam pervenit. Inter omnes regionis illius cives Akius qvidam authoritate & opibus facilè eminebat, seniô qvoqve venerabilis, qvi florente ætate piraticis exercitiis latrociniisqve, non id temporis tantùm honestô, sed & glorioso, rei familiaris augendæ modô, magnas divitias coacervavit. Is per nuncios Regem Haraldum ad convivium definito die invitans, ad eundem diem Eiricum qvoqve Sveciæ Regem ad hospitium vocavit. qvod jam pridem meditatus, magnæ capacitatis cænaculum ædificari curavit: aliud æqvè magnificum, sed vetustius, aliqvanto intervallo a novo separatum erat: par utriqve apparatus ornatusqve, aulæis & peristromatibus instrata, pretiosaqve supellectile pariter ornata erant: veteri ornatus vetus, novus novo delectus: discreta hospitia pro ætatis ratione Regibus excipiendis destinata; Eirico, ut seniori, vetus, novum Haraldo, ut juniori. Argenteis magni ponderis vasis, & corneis poculis inauratis, apparatuqve magnifico mensæ utrobiqve ædesqve complebantur: nova Haraldo, eaqve affabrè polita, artificioseqve sculpta, effigiata, auroqve obducta; vetera Eirico decreta, sine ullo ferculorum potulentorumqve vel officiorum obseqviorumqve discrimine. Chronicon typis impressum casu, non consultò, Eiricum Regem primò ingressu veteri, Haraldum autem accessione diversa novo hospitio exceptum tradit, Regesqve ipsos mutuum vitâsse aspectum & alloqvium, qvod a neutrius commodo videretur armorum provocatione alterum lacessere, neutrô de vulgi fide certo aut securo, sed nec illo tempore qvicqvam tributi a Sveciæ Rege exactum perhibet. Propensum in Haraldum affectum famulitii, qvod patri Halfdano Nigro Akius qvondam in aulam ejus recept⁹ præstiterat, memoriaqꝫ veteris domini clementiæ, nova filii humanitate renovata, auctiorem fecerat: qva accensus, finito convivio ad eum jam discessurum ingressus, filium, nomine Ubbium, duodecim annorum puerum, manu ducens, dextræqve ejus admovens, *si qvid*, inqvit, *de te hoc qvalicunqve officio meruisse me censes, id in hunc puerum conferas velim: eum enim in tuum famulitium trado.* Simulqꝫ magnis Regem muneribus honorabat, qvi benevolentiam ejus magno verborum honore extollens, indubium amicum sibi futurum asseveravit. Inde Akius ad Regem Eiricum, jam tum veste indutum adqve iter paratum, conversus, magnifica in eum qvoqve dona erogabat, qvi tristi vultu, responsi parcus, statim eqvum conscendit. Is procedentem domo honoris causa pedes prosecutus in viam deduxit. Per sylvam a villa non procul distantem iter erat, qvam ingressus Rex, nec jam satis iræ potens, ut qvi a delatoribus informatus omnia qvæ in Haraldum collata erant in sui contumeliam interpretabatur, qværit *cur se veteri & Haraldum novo ordinâsset diversorio, eumqve sibi omni officii genere prætulisset, cum tamen ei satis constaret, qvòd sibi subjectus esset?* Akius qvid responderet aliqvantisper hæsitans, tandem inqvit; *nihil in vobis excipiendis discrimen admissum agnosco, nec ullam conqverendi ansam de minoris tibi tuisve qvàm illi præstita epuli aut honoris convivalis cura & observantia: vetus verò triclinium cum competenti ornatu apparatuqve tibi, novum Haraldo, non alio qvàm ætatum respectu provisa, cum tibi jam annis gravi senescentia, illi ætate florenti novitia competant:*

Qvod autem me ſubjectúm tibi commemorâſti, tantùm a vero abeſt, ut haud minus te mihi ſubjectum agnoſcam. Sic duo exemplaria MSS. habent. Id qvod impreſſum eſt, omittit. Tam contumaci futiliqve reſponſo offenſus, ut par erat, Rex, diſtricto gladio eum protinus lethali vulnere percuſſit. Haraldus, cum eqvum conſcendiſſet, Akium ad ſe accerſiri juſſit, qvem cum reqvirerent, qvidam eò, qvò Eiricum comitatus eſt, ſecedentes exanimem invenerunt, qvod ut Haraldus cognovit, in ultionem ardens, ad perſeqvendum Eiricum cum toto ſatellitio eò usq; proceſſit, qvaod is in conſpectu eſſet, qvi veſtigiis ſuis ut inſiſtentem agnovit, iter fugæ ſimile, qvantùm præſens periculum ſvaſit, acceleravit, usqve dum in ſilvam perveniretur, qvæ Vermiam a Gautia diſterminat, qvô in tuta recepto, Haraldus in Vermiam rediens eam ſibi univerſam ſubegit, Eirici miniſtris, qvotqvot ibi remanſerant, trucidatis. Hæc geſta ſunt anno DCCCLXX. vel LXXI. Superiori anno Ingolfus ad inveſtigandam Islandiam profectus eſt, ut latiùs proximo libro patebit.

Vermiâ ſubactâ in Raumarichiam eadem hieme,& inde per Tunsbergam ad claſſem profectus eſt. Trajecto deinde ſinu in Vingulmarchiam conceſſit, transactoqve in claſſe toto hiberni temporis ſpatio, Raumarichiam, ſeu diſtrictum, qvi jam Bahuſenſis eſt, oppugnavit, Gautis copias inſtructas opponentibus: de his extat Thorbiorni Hornklofii verſus.

Vere proximo, cum concretam glaciem ſolis ardor eliqvâſſet, Gauti ad arcendam ripis Regiam claſſem, fluminis Gautelfæ fundo palos infigebant. Rex autem navibus eousqve directis utramqve infeſtans, territorium latè populatus incendiis paſſim fædavit, qvoad Gauti magno cum exercitu confluentes, collatis ſignis, ingenti vi mutuaqve ſtrage diu; ancipiti conflixerunt: tandem victoria penes Regem remanſit. Complures inde pugnæ, variâ interdum victoriâ, plerumqve tamen a partibus ejus ſtante, geſtæ, Hranio Gauto unâ harum occiſo, diſtrictum omnem ad aqvilonem Gautelfæ,& ad occidentem lacui Væneri adjacentem, totamqve Vermiam ſuæ ditioni ſubjecit, præfectoqve avunculo Guttormo, cum valida armatorum manu, ipſe in Uplandas conceſſit, ubi tempus haud exiguum cum moratus eſſet, tranſitis alpibus Dofrinis in Thrandiam iterum regreſſus eſt. Ibi nonnulli anni deinceps tranſacti. Tum primùm liberos procreâſſe traditur, & qvidem ex Aſa Haconis filia Guttormum, qvem Dux Guttormus aqvâ aſperſit, genibusqve ſuis impoſitum de nomine ſuo dixit, inqve Vikam deductum educavit, nam tota Vika cum Uplandis jurisdictioni ejus ſubjecta eſt. Deinde gemellos Halfdanos, Album alium, Nigrum alterum, dictos: qvartum Sigfrodum genuit. Singuli in Thrandia educati, cito magnam omnibus de ſe ſpem, Niger licet majorem, promiſerunt. Annus, qvo hæc geſta ſunt, cum etiam in Thrandiam rediit, poſt natum Chriſtum DCCCLXXI. vel DCCCLXXII. fuit. Hæc prælia Hornklofius duobus verſibus canebat.

CAP. X.

DE THOROLFO KVOLDULFI FILIO IN SATELLITIUM REGIS RECEPTO.

ANni, qvi proceſſerat, autumno, Thorolfus Kvöldulfi filius cum avunculo ſuô Eyvindo Lambio è piratica domum rediit, cognitoqve qvòd Rex Haraldus nuncios ad patrem miſerit, qvid poſtulâſſet ſciſcitatus eſt. Is poſtulatum retulit,

retulit, ut vel ipſe, vel filiorum alter, aulam Regiam militamqve ſeqveretur. *Qvid tu ad illa reſpondiſti?* ait. *Id qvod animus dictavit*, inqvit, *nimirum, me illius ſatellitem nunqvam futurum, idem etiam, me authore, filij mei facerent, ſi meis conſiliis monitisqve obſeqvi non recuſarent; animus enim præſagit, illius imperio ætatem noſtram breviorem futuram, qvàm natura præſcripſerat. Longè aliam ſpem de illo præcipio*, ait Thorolfus, *maximum enim fructum mihi polliceor, ſi mandatis ejus obſecutus, aulicisq; miniſteriis inſertus, ei militiæ ſacramentum dixero; neqve enim inanis fama ad me pervenit, qvanta alacritate ſuos ſatellites colat, opibus augeat, honoribus ornet, qvanta etiam circumſpectione curâqve in eis deligendis utatur, cum ad ejus militiam niſi ſingulari virtute viriumqve experimento illuſtribus viris aditus minimè pateat, qvorum conſortium, etiam ſi cætera deſint, viro tamen generoſo ultrò expetendum eſt, qvorum ſortem, ſupra omnium indigenarum hujus regni evectam, ampliſſimarum provinciarum præfecturis imperiisqve, pro meritis captuqve cuivis demandatis, ſatis conſtat. E diverſo, qvotqvot ei ſe oppoſuerunt, in dies abjectiores ad occaſum vergere, tandemqve in nihilum redigi conſpicimus, aliis patria domo penatibusqve relictis æternum ſibi exilium indicentibus, aliis ad infimam, paulumq; a ſervili diſtantem, mercenariam ſortem*, (id qvod de devictis intelligendum hîc locus innuit) *delapſis. Qvare haud ſatis mirari poſſum, te, pater, tantæ prudentiæ, & in expetendis honoribus haud vulgaris ambitionis virum, delatam tibi a tanto Rege dignitatem, nobiliſſimamqve conditionem detrectâſſe; qvod ſi imminens nobis ab illo periculum exitiumqve verâ conjecturâ præſagire videbaris, cur igitur tuo Regi operam, qvantam maximam poteras, non tuliſti, vel ad opprimendam, ſi fieri potuiſſet, hujus Regis potentiam, vel ſaltem finibus noſtris prohibendam, ſic enim metum illius tibi nobisque ſimul demſiſſes. Jam vero indignum videtur, qvòd neq; amicum ei neqve inimicum te geras, cum tamen neceſſitas horum alterum præſcribat. Haud fefellit me*, reſpondit pater, *conjectura, cum Regem noſtrum huic imparem, exitium ſibi in Mæria quæſiturum augurabar; optarem quidem hæc de familiâ noſtrâ, damno haud modico ab illo qvandoque afficiendâ, vana eſſent, quæ tamen nimis verè conjectâſſe videor, tu verò arbitrium rerum tuarum haud injuſtè poſcis: per me igitur licebit militiam ejus ſeqvi, neque enim metuo, quin ad id ſatis idoneus ſis, virisque & athletis præcipuis nulla ex parte inferiorem, vel ad pericula obeunda ſegniorem te præſtes. Illud ſaltem te monitum volo, & etiam atqve etiam obteſtor, ut ne ſupra ſortem tuam conditionemve elatus illud aggrediare, cui perficiendo impar ſis, neve viros te potentiores laceſſendo in te provoces, quibus rectiùs diſſimulando ceſſeris; id quod te tamen facturum valde dubito.* Conſpicuum eſt ex Pulchricomi in Vermia Gautiaqve geſtis, qvibus Thorolfus interfuiſſe non perhibetur, annum eum apud patrem tranſegiſſe. Hoc igitur anno, qvo Rex in Thrandiam rediit, qvi LXXI. vel LXXII. ſeculi illius erat, Thorolfus a patre dimiſſus, adqve navem deductus eſt, qvi abeuntem oſculatus, felicem abitum reditumqve feliciorem ei precatus eſt. Nec qvicqvam de Thorolfi itinere memoratu dignum repperi. Avunculo ſuo Eyvindo Lambio ſociô in Thrandiam devenit, vectus nave viginti locorum, qvâ in expeditione piratica uſi ſunt. Comiter excepti, inqve hoſpitum deducti, ibi ad idoneum Regem ſalutandi tempus manebant. Tandem, avo materno Berlukario & avunculo Aulvere Hnufa præeuntibus, ad eum ducebantur, verbisqve Aulveris Thorolfus hunc in modum commendatus fertur. *Adeſt jam, quemadmodum ſpoſpondi, Thorolfus Kvöldulfi filius, juvenis meæ commendationis eo minus indigus, quo ipſum ingeniti ornatûs habitûsque ſuffragio commendatiorem coram conſpicis.*

 immo-

Immota manent Kvoldulfi promissa, viri fidei integræ constantiæq;, de qvo dubitandi ansam tanto pignore sublatam existimes. Hunc igitur juvenem pater, velut fidei suæ & obseqvii obsidem, ut benignè accipias, adqve maxima quæqve promoveas, enixè petit, nos etiam idem ut facias etiam atqve etiam oramus. Rex haud irrita vota eorum & expectationem futuram pronunciavit, modò talem se præstaret, qvalem exterior habitus polliceretur. Inde Thorolfus in satellitium Regium adscitus, in leges aulicas juravit. Berlukarius autem cum filio Eyvindo Lambio domum, ad rei familiaris curam, regressi sunt. Locus Thorolfo inter Aulverem Hnufam, avunculum suum, & virum alium, nomine Bardum, assignatus; qvi qvoniam hujus historiæ magnam partem, vel ipse, vel per alios conficit, citra cujus notitiam relatio nostra difficilior intelleƈtuqve obscurior futura sit, aliqvid super eo notandum erit.

CAP. XI.

DE GENERE BARDI THOROLFI CONSESSORIS, EJUSQVE AVI VIOLENTIA, NUPTIIS ET LIBERIS, BARDI CONJUGIO, PRÆFECTURA, AMICITIAQ; CUM THOROLFO.

Bardi Pater, nomine Bryniolfus, natus patre Biorgulfo, qvi Thorgis (celebris Halogiæ villa est) habitans, provinciæ totius præfecturam gessit, viro semigiganteo, monticolas, qvà genus, robur, staturamqve, referente, eiq; valde similis, qvo procurante Helgam Ketillis Hængi, domini de insula Hrafnista, filiam uxorem duxerat, ex qva Bardus natus, atqve inde Thorolfo propinqvus, utpote sobrinæ filius. Hic statim ab ineunte juventute formæ venustate insignis, qvam cæteræ corporis dotes æqvabant, adeo ut Thorolfum, qvà formæ decus, robur, staturam, agilitatem, prudentiam etiam & rei militaris scientiam, audaciam, atqve adeo omnia, exæqvare videretur, unde Albi simul & Robusti cognomina consecutus est. Valde senex erat Biorgulfus viduusqve, cum filius uxorem duceret, itaq; omnem familiæ curam imperiumqve domesticum ei commiserat. Convivium qvodam autumno fortè celebrabatur, fueruntqve Biorgulfus & filius convivarum præcipui. Per vesperas, pro more, fæminæ viris singulæ singulis assidebant. Inter virgines una eximiæ formæ, nomine Hildiridis, præcelluit, cui pater, qvi convivio præsens aderat, Hognius, Lekam insulam incolens, vir præcipuâ formâ, divitiisqve affluens, prudentiâ haud mediocri, verùm genere ignobili, suæqve fortunæ faber, qvam propria industriâ & in re familiari administranda solertiâ sibi ipse peperit. Eam virginem consessûs sociam Biorgulfus senex elegit, cujus formæ morumqve svavitate captus, sermones blandiores, sed eosdem etiam secretiores, cum ea serebat, qvoad convivium durabat. Inde suam qvisqve domum repetebant. Verùm procedente autumno Biorgulfus, navigio cum triginta remigibus in Lekam directô, triente ad custodiam navis relictis, cæteris stipatus ad domum Hognii contendit, qvi obviam procedens, amicis eum verbis exceptum introductumqve, cum comitibus hospitio invitat. Detractis deinde penulis, ansata mero plena pocula per filiam Hildiridem iis ministrari facit. Tandem Biorgulfus adventus sui causam exponit, nimirum qvòd filiam ejus domum deducere, sibiqve sine nuptiarum solennitat-

nitate ſociare geſtiat. Id *diſſolutas* vel *approperatas nuptias* appellabant, qvod concubinæ ſeu pellicis ſtatum, non uxoris, denotat. Impar & imparatus ſimul erat Hognius ad vim, ſi poſtulata recuſaret, repellendam; itaqve in indemnem contumeliam conſentire, qvàm cumulatam majori damno, tandem qvoqve ad ſuam ſuorumqve cædem proceſſuram, prætulit. Ex torto hoc modo magis qvàm impetrato patris conſenſu, Biorgolfus virginem uncia auri emit, veteri lingva eyri gullz/ octava ſcilicet parte marcæ. Atqve ita eodem ſecum lecto in ædibus paternis prima nocte collocatam deinde domum deduxit, filio Bryniulfo tantam patris decrepiti protervitatem indignè ferente. Poſt duos deinde filios ex iſto contubernio ſuſceptos deceſſit, alteri Harechi, Hrærechi alteri nomen erat, qvos poſt obitum patris cum matre domo, ſine ulla paternæ hæreditatis portione, ad avum maternum Hognium reduci Bryniolfus curavit, ubi tantiſper educabantur, donec illo mortuo univerſa hæreditas ad ſolam matrem pervenit. Cum autem adoleverunt, avum maternum venuſtate formæ, ſtaturâ etiam exiliore, prudentia qvoqve referebant, Hildiridides a matre communiter nuncupati, Bardoqve Bryniulfi filio æqvales erant. Inter inſulas Halogiæ Aloſt/ hodie Alſten haud parùm celebris, ſinu antiqvitus Beſſif/ hodie Beſſen/ circumluitur. Nobile ibi prædium, nomine Sandneſia, qvod tunc vir Halogenſium eo tractu opulentiſſimus Sigurdus, diſtrictûs illius præfectus, prudentiæ famâ conſpicuus, incoluit: uxor illi Ingibiorg, nobili familia fæmina, Havardi filia Comitis Halogenſis, Griotgardi ex filio neptis. An is Havardus frater fuerit Haconis Comitis de Yrium, ejus qvi Haraldi Pulchricomi ſocer erat, definire neqveo. Unica Sigurdo & Ingibiorgi filia fuit, eaqve ſola ampliſſimi patrimonii hæres, nomine Sigridis, ingens familiæ, in qvam tranſiret, acceſſio futura. Hanc Bardus, lembô triginta interſcalmiis diſtinctô vectus, totidemqve remigibus comitatus, uxorem petebat, cumqve conditionem filiæ haud ampliorem qværi poſſe facilè parentes animadverterent, haud ægrè ſuum conſenſum præbuerunt: verùm in æſtatem proximam nuptias, in parentum virginis domo celebrandas, differri placuit.

Hac eadem æſtate, nimirum ſeculi illius LXXII, nobilitas Halogenſis, præcipuè ex iis, qvi ad illud usqve tempus Regem non acceſſerant, nunciis accita, Thrandiam devenit. Inter hos Bryniulfus cum filio Bardo, autumno ad Regem delati, comiter excepti ſunt, impetravitqve Bryniolfus non ſolùm præfecturam, qvam antea geſſit, ſed etiam ampliorem. Antea qvidem tum ipſi, tum Biorgulfo patri commercia cum Finnis, gratiâ tamen priorum Regum, tributorumqve eorum nomine exigendorum, poteſtas conceſſa eſt; id qvod ei Haraldus etiam confirmavit: qvô domum deinde dimiſſo, Bardus apud Regem in ſatellitum numerum adſcriptus remanſit. Hæc de Bardo præmittenda erant, etenim ambo eodem anno in aulam Regis aſciti, ſocietatis jura ſanctè & conſtantèr, qvoad vixerunt, ſervârunt, ut poſtea dicetur. Hic autem conſeſsûs in aula Pulchricomi ordo obſervabatur; honoratiſſima loca, ſolia inferiora dicta, poëtæ occupabant, & inter eos ſupremum Audun Illskiælda cognominatus, ætatis, qva reliqvos anteibat, prærogativâ; fuerat enim Halfdani Nigri poëta: proximus ei Thorbiornus Hornklofius fuit, cui Aulver Hnufa latus aliud clauſit, qvem Bardus proximè excepit, qvoad Thorolfus interpoſitus utrosqve diremit, fortè ætatis vel geſtorum privilegio potior, cùm ei præferretur, qvi prior in collegium aſcitus eſt, qvod tamen Bardum minimè offendit. Exiſtimo ſangvinis reſpectum hic prævaluiſſe, junctumqve lateri avunculi ne-

li nepotem. Sic mutuo amore officiorumqve certamine autumnus & inſeqvens hiems, qvæ anni DCCCLXXIII. eſt, proceſſit.

Proxima æſtate Bardus a Rege de conſtituto nuptialis feſtivitatis tempore certior domum repetendi veniam impetravit; exinde Thorolfum multis precibus ad itineris reditûsqve ſocietatem impulit; aſſeverans, multos ibi cognatos ſuos, antea qvidem non viſos, provinciæ tamen primates, magnô ſe benevolentiæ & gratificandi ſtudio complexuros, deprehenſurum; qvi ſimiliter permiſſu Regis eum ſecutus eſt. Torgas cum ventum eſſet, præmittitur Sandneſiam ad Sigurdum nuncius, Bardi adventum, nuptias, prout convenerat, ad præſtitutum tempus celebraturi, ſignificans, qvi remiſſus, referre jubetur, pacta ſe inviolata ex omni parte ſervaturum. Magno igitur propinqvorum procerumqve provincialium pompâ floreqꝫ nobilitatis comitati Bardus paterqve Bryniolfus Sandneſiam petunt. Complures ibi Thorolfus magni nominis viros, diverſis cognationis gradibus ſe contingentes, mutuaqve gratulatione excipientes, offendit, nomine qvidem antea, non item facie, notos. Nuptiis ex ordine pro dignitate celebratis, uxorem Bardus Torgas deduxit, ibiqve prope ad exitum æſtatis permanſit; autumno comite Thorolfo ad Regem rediit, ibiqve hiems intra aulæ parietes transacta, cujus decurſu Bryniolfus debitum naturæ ſolvit, qvi erat annus ſeculi LXXIV. In ejus locum filius, eadem qva pater authoritate, iisdem privilegiis, præfecturæ pomeriis nulla ex parte coarctatis, ſubſtituitur, dimiſſusqve a Rege domum profectus, ſolus univerſam patris hæreditatem crevit, Hildirididibus in nullam partem, qvantumvis jus ſuum ſtrenuè urgentibus, admiſſis. Hic repentè dives potensqve factus, ingenii magnificentiam liberalitate, ædificiorum apparatu, ornatuqve domeſtico, familiæqve ſplendore declaravit. Ex uxore filium nomine Grimum ſuſcepit, Thorolfo interea in aula Regis remanente.

CAP. XII.

DE PUGNA HAFURSFIORDENSI, SUBJECTA HARALDO TOTA NORVEGIA, EXCULTISQVE A DEVICTIS ET EXULIBUS VARIIS TERRIS ET INSULIS.

ANno DCCCLXXV. fama haud incerta magnos in auſtralibus Norvegiæ provinciis motus belliqꝫ apparatus fieri, claſſes exercitusqꝫ adornari, arma & commeatus colligi, delectus freqventes haberi, ad aures Regis detulit. Etenim univerſa Hordia Eirico, Rogia Sulkio, Regibus, (Slockium *Codex Flateyenſis* appellat, Comitemqve, non Regem, nominat) & Sotio hujus fratre, eodemqve Comite, Agdia Kiotvio Opulento, filioqve Thorere Haklango, Thelemarchia duobus fratribus, Hroaldo Hriggo & Haddo Duro Regibus, initâ inter ſeſe ſocietate, firmaqve invicem fide, adverſus eum conſpiraverunt. Neqve enim ignorabant, valida imperia atterendo ſingulos cunctis ſupercreſcere, nec aliud remedium, qvàm feſtinos occurſus, & ex communi metu virtutis ſocietatem. Itaqve præter copias claſſesqꝫ ex indigenis collectas, auxilia undiqve conqviſita, armis commeatibusqve inſtructiſſima, ad commune bellum excivere. Qvo cognito Haraldus, collectis ex ſingulis provinciis militum ac navium copiis, e Thrandia

dia ut venienti bello obviam iret, solvit. Stadas prætervectum ut Eiricus Hordiæ Rex percepit, educta in orientem classe paratisqve auxiliis occursurus, sociorum adventum in dies exspectabat. Ad aqvilonarem Jadriæ oram convenerunt, inde fæderati ad sinum, a capris nomen sortitum, Hafursfiord patria lingva, hodie obliteratâ nominis ratione Hafrsfiord dictum, classem vertunt. Sunt duo sinus vicini, qvorum uterqve a capris nomen trahit, sed synonymis distingvuntur, ut alter Buckfiord dicatur, qvod pariter sinum caprinum denotat. Hoc eodem sinu infesta classe Haraldus prior occupato, hostes expectabat. Itaq; & primùm dubiâ victoriâ, magna utrinqve cæde pugnatum est, proram Thorolfus, Bardus & Berlukarii filii, Aulver Hnufa & Eyvindus Lambius, duodecim Berserki, lupinis pellibus, fortè mastrucis, amicti (Ulfkednos vocabant) spatium proræ proximum defendebant. Iis vulnerandis omne ferrum impar erat. Media in classe Regia navis cum Thorere Haklango, robore giganteo strenuè congressa est. Thoreri plures se adjunxerunt, qvas Aunundus, Ligni pes postea dictus, Ofeigi Bullufoti seu Loripedis filius, cum socio Ormo Divite duxerant, Regemqve impigrè impugnabant. (Ofeigi progeniem *Arngrimus Crimogeæ Lib: II. Genealogia XVII* exhibet) Soror Aunundi Gudbiorg, Gudbrandi Kulæ mater, patris Astæ, qvæ Sancti Olai mater erat; avus Aunundi Ivar, cognomine Beitill, nominatur. Hi ab occidentali expeditione piratica bellisqve per Hiberniam gestis in Norvegiam reversi, a sociis Regibus in partes sollicitati, gloriæ avidi, summa pericula sibi deposcebant. Haraldus providere omnia, laudare fortes, increpare ubi segnior pugna esset, adeoqve in Haklangum suos concitare, ut inferentium se proretarum Berserkorumqve impetus visqve amplius nec sustineri nec sisti possit, qvoad Thorer in sua nave inter promptissimos pugnando cæsus est. Inde cæteri ad unum omnes occisi, navis ruptis vinculis summota, nam omnes inter præliandum colligabantur. Inde in Aunundum impetus versus, hortantibus se invicem militibus, ut temerè factum hostem notâ aliqvâ insignirent, qvæ memoriam ejus prælii perpetuò renovaret, inqve proram transilientem intrepidi excipientes, dum in militem qvendam invectus, alterum pedem e latere navis exsereret, gladio præsecant, statimqve ex vulnere seminecis concidit. Inde cædes stragesqve universam navim pervasit: ille a suis in proximam navem ad Thrandum Biorni filium, Eyvindi Austmanni fratrem consangvineum, relatus est. Exinde Regulorum res inclinare, naves capi, hostes passim cædi, ut non amplius pugna sed cædes esset. Effusâ deinde fugâ singuli dilapsi, solidam Haraldo victoriam, præmiumqve universas ditiones suas, qvæ tantùm Monarchiam morabantur, adeoqve universam Norvegiam, ejusqve, tum per se, tum qvosvis alios hostes, in perpetuum retinendæ spem certissimam, sibi mortem, vel exilium, vel servitutem vel, pænam ad arbitrium victoris patiendam, reliqverunt. Prælium isthoc pari spe, utrinqve æqvis viribus, cum fiducia sui, sine contemptu hostium commissum est; nam totius Norvegiæ flos, & plurimarum gentium auxilia & vires, in partes tractæ, sese collidebant. Ceciderunt præter Thorerem Haklangum, qvi omnium fortissimè pugnabat, Eiricus Hordiæ, & Sulkius Rogiæ Reges, Sotiusqve Comes. Kiotvius autem fugâ in insulam parvam, accessu difficilem, pervenit: alii deinde navibus, alii terra per Jadriam dilapsi, cladis suæ vestigia circumferebant. Nec Haraldo victoria incruenta fuit, nam præter occisorum numerum, qvi literis nusqvam proditur, nullus in Regia nave ante malum vulnere caruit, præter Berserkos ferro semper inviolabiles. Victo-

riam

riam hanc Thorbiornus Horn-Klofius carmine, cujus qvatuor versus extant, celebravit. Mortuos deniqve pro more sepelire sauciosqve curari victor Haraldus præcepit. Actis deniqve militibus, copiarumq; Ducibus, gubernatoribus, proretis, & qvi iis proximi plurimum periculum sustinuerant, gratiis, singulos debitis, pro cujusqve merito, laudibus extollebat, muneribusqve ornabat; parva tamen ea præ præmiis in posterum expectandis pronunciabat. Et jam decertatum erat, votumqve ex omni parte expletum, cum nullus indigenarum superesset, qvi propriarum virium vel auxiliorum fiduciâ feliciores in posterum sibi successus adversus eum polliceretur, qvàm experti sunt qvotqvot ei se ad illum usqve diem opposuerant, cæsis aut exilio multatis hostium Principibus, numerosoqve eos secuto hominum vulgo, abjectâ patriæ recuperandæ spe simul & desiderio, per varias regiones insulasqve disperso. Thrandus & Aunundus cum pluribus aliis piratis, qvi Haraldo obstiterant, armaqve adversus eum moverant, transmisso oceano ad occidentales insulas se receperunt, qvò magna primariæ nobilitatis Norvegicæ patriâ exacta pars concessit. Singulos namqve obseqvium detrectantes, vel armis libertatem vindicare aggressos, exilio bonisqve omnibus multavit; qva occasione qvam plurimæ regiones, vel incultæ, vel raris tantùm habitationibus, vix ac ne vix qvidem vicinis notæ, vel coli cæptæ sunt, vel freqventiùs excoli. Tunc Helsingia Jamptiaqve uberius cultæ, latiusq; habitatæ sunt, qvàm ad illud tempus à gente Norvegica fuerunt. Isto bello durante (verba sunt Chronici) etiam remotiores terræ, Islandia Færevæqve inventæ sunt & excultæ. Hæbudæ idem & Orcades, ut & Hialtlandia, novos Normannicæ gentis colonos, eosqve qvàm plurimos, admiserunt, qvi tamen primitùs hiberna ibi statuerunt, unde Regnum Haraldi per æstates piraticis direptionibus, damnisq; qvàm maximis illatis, maritimas præsertim oras vastârunt. Nec tamen defuerunt illustres magnæqve authoritatis viri, qvi clementiam victoris experturi ei se dediderunt, receptiqve in gratiam, communem operam in patria amplificanda, & sedulò excolenda navârunt, præter eos, qvi ab initio ejus partes secuti sunt, vel processu temporis, tota patria civili hoc bello conflagrante, se ei sponte adjunxerunt. Hæc pugna inter cruentissimas totoqve septentrione celeberrimas numeratur; qvæ & civilibus bellis polyarchiæqve finem, monarchiâ, majore Regni gloria, seqventiumqve temporum commodo, remedio licet aspero, inductâ, imposuit.

CAP. XIII.

DE OBITU BARDI, THOROLFOQVE FIDUCIARIO HÆREDE, UXORISQ; MARITO AB EO TEstamento delecto, Regisqve consensu constituto, inqve præfecturam successione; Regis in eum profusa benevolentia & munificentia, Hildiridarum expostulatione, hæreditatis portione & repulsa, Regis pluribus cognominibus & coma attonsa.

INter cæteros Thorolfus Kvöldulfi & Bardus Brynjolfi filii eô prælio graviter vulnerati, lectoq; diutius detenti, valde ægrotabant: tandem Thorolfo convalescente Bardus decessit. Ut vero certam mortem ex insanabili vulnere imminere animadvertit, accersito Rege, arbitrium de bonis suis dispensandis sibi permitti

permitti poſtulabat: qvo impetrato: *Thorolfum*, inqvit, *cognatum meum, eundemqve ſocium, omnium bonorum mobilium ſoliqve hæredem facio: maritumqve uxori meæ, filioqve nutritium delego, qvòd præ omnibus ipſius fidem perſpectam habeam.* His ad legum præſcriptum per conſenſum Regis, legis fortè defectum ſupplentem, ordinatis, magno amicorum luctu debitum naturæ ſolvit. Fiduciarius hæres hoc teſtamento inſtitutus videtur, obligatusqve ad hæreditatem filio ætate maturâ reſtituendam.

Thorolfus ut convaluit, Regem ea æſtate ſecutus, magnam ex conflictu Hafursfiordenſi gratiæ acceſſionem adeptus, ſub autumnum in Thrandiam eum comitatus eſt, captaqve accedendi occaſione, petivit veniam, ad iter in Halogiam maturandum, qvo ſe hæredem ſecundum teſtamentum gerere poſſet: id cum haud gravatè Rex indulſiſſet, inſtrumentis inſuper confirmavit, teſtamentumqve ſuo conſenſu permiſſuqve factum ratum eſſe juſſit, adjecit præfecturam & commerciorum cum Finnis uſum, atqve adeo univerſam dignitatem, ſingulaqve privilegia, Bardo priùs indulta, naviqve longa cum univerſo apparatu abeuntem donabat, adjectoqve commeatu, & qvæ ad iter faciendum exornandumqve pertinebant, liberaliter & magnificè ſumma cum benevolentia dimiſit. Qvi ut Torgas pervenit, qvàm amiciſſimè ob intercedentem priùs notitiam neceſſitudinemqve exceptus, mortem Bardi ultimamqve ejus voluntatem, conſenſu Regis inſtrumentisqve confirmatam, exponit. Luxit qvidem Sigridis mariti fatum, verum ut conditionem ſibi haud imparem, ejus voluntate arbitrioqve qvæſitam, Regia inſuper authoritate firmatam perſpexit, re ad amicos relata, patris authoritatem conſenſumqve expectari placuit. Ad eum igitur Thorolfus lembo vectus cum ſexaginta comitibus concedens, triente ſtipatus domum acceſſit, amicèqve ad hoſpitium invitatur, qvòd a nuptiis Bardi notitia interceſſerat. Relatis deinde, qvæ in ſinu Hafursfiordenſi eadem æſtate geſta erant, obitum Bardi ultimaqve mandata Regisqve conſenſum denunciat, inſtrumentaqve hac de re confecta exhibet, qvibus inſpectis pater, qvamvis morte Bardi ingens damnum acceptum reputaret, filiæ tamen optimè conſultum perſpiciens, ſuum conſenſum libenter addidit; contractuqve ſponſaliorum perfecto, certum nuptiis tempus, Torgis eodem autumno celebrandis, definitur. Inde lautè exceptus novus ſponſus, mutua lætitia tempus exiguum terit: domum reverſus nuptias magnificè adornat, undiqve conqviſitis qvæ ad illas inſtruendas exornandasqve reqvirebantur.

Ad præſtitutum tempus freqvens propinqvorum nobiliumqve familiarum concurſus nuptiale convivium condecorabat, auxit qvoqve ſocer Sigurdus de Aloſtia, magno comitatu hoſpitumqve numero eò ſecum deducto, nec aliâs in ea provincia nuptiæ tanta pompa apparatæ ſunt. Brevi deinde Thorolfi magnanimitas liberalitasqve apparuit. Magnum enim domeſticorum gregem ingenti ſumptu aluit, nam & annonæ facilitas, proventusqve magnus, iis annis latè per Halogiam affulſit. Hæreditas ingens eadem hieme morte ſoceri obvenit, qvam univerſam uxor Thorolfi creverat.

Interea Hildirides dimidiam hæreditatem, qvam Bardus a Bryniolfo patre ſuo relictam decerpſit, reſtitui ſibi poſtulant, qvippi vi & injuria a Bryniolfo fratre ereptam, communem enim utrisqve patrem Biorgolfum ſe pariter ac Bryniolfum, nec eum ullo jure ſe potiorem, reliqviſſe. Ad ea Thorolfus reſpondit, notos ſibi, tum Bryniolfum, tum etiam meliùs Bardum: utrumqve ea moderatione æqvitateqve fuiſſe, ut in juſtam de-

debitæ hæreditatis partem procul dubio eos admiſſuri fuiſſent, ſi jure niterentur: jam vero ſe interfuiſſe, cum de his cum Bardo qvondam expoſtulaſſent: verum reſponſum ab eo, nulla iis juris auxilia ſuffragari, qvippe extra conjugium natis nothisqve. Ad ea Harechus regeſſit, *idoneis ſe teſtibus adſtructurum, qvod mater ipſorum dote empta in thalamum mariti conceſſerit, Bryniolfum vero communem fratrem cognationis magis qvàm juris reſpectu, Bardum etiam ſpe emolumenti ab eo qvandoqve, cum ad ſe redierit, accipiendi, minus de hæreditate interpellatos; jam verò partem ejus ſibi debitam, in aliam familiam tranſituram, haud æqvo animo pati poſſe: videri qvidem Thorolfum, anteceſſorum more, poteſtatis vi, teſtibus excluſis, cauſam juſtam oppreſſurum, qvos ſi admittere velit, legitimos ſe hæredes eſſe, tum bonorum aliorum, tum prædiorum mancipio nexuqve tenendorum, atqve adeo totius portionis hæreditariæ capaces facilè monſtraturos*, His offenſus Thorolfus iracundè reſpondit; *qvâ ratione vos inter legitimos reputem, qvorum mater capta jure mancipii per vim a Biorgolfo domum delata eſt?* Hoc dicto Hildiridides exacerbati diſceſſerunt. Haud eqvidem promiſcuè ab hæreditate extra conjugium nati, certè non in totum, excludebantur, ut in Fiölnere Fionico infra in hoc opere videre eſt, captivæ tamen ſervorum jure cenſitæ ſunt, nec liberi ex iis ſuſcepti legitimi; cauſæ autem captivitatis ratio nulla habita eſt, vi & injuria qvalecunqve jus præſcribente. Duobus usqve ad partam prælio Hafursfiordenſi monarchiam cognominibus Haraldus innotuit: ab educatione apud Dofrium gigantem Dovra foſtri ſeu *Dofrij alumnus* dictus eſt; cum vero impexus, irreſectis capillis incedens corporis curam negligentiùs geſſerat, cognomentum Luſæ arbitrio vulgi inditum conſecutus eſt, qvod a conglobata comâ tractum, impexum denotat. At poſtqvam perſolutô votô decennium expleverat, in Mæria ad Comitem Rognvaldum divertens, magnifico convivio exceptus, cum corpus balneo ablueret, comamq; Rognvaldus, jam per decennium impexam, componeret, capillumq; reſecaret, decusqve cæſariei admiratus exclamaret, *ô qvam pulchras comas tuas, mi domine!* tertium ab eo impoſitum reportavit, â prolixo capillo, decentiqve colore, Harfagri ſeu *Pulchricomus* appellatus, id qvod omnium circumſtantium ſuffragio mirè illi convenire viſum eſt. Tradit enim *Codex Flateyenſis* eam ſplendidiſſimo ſerici aut elaborati auri colore, in grandes cincinnos diſtinctam, adeo promiſſam fuiſſe, ut ſub Baltheum nodis necteretur; tanta enim longitudo decusqve eam commendavit.

CAP. XIV.

DE UXORIBUS PELLICIBUS ET LIBERIS HARALDI, NUPTIISQVE CUM RAGNHILDE EIRICI JUTIÆ REGIS FILIA, CÆTERARUM OMNIUM REPUDIO, NATOQVE EX EA EIRICO BLODOXIO POSTEA DICTO.

POſt pugnam Hafursfiordenſem, partamqve tam celebri victoriâ Monarchiam, & votum dudum conceptum, tantis tot annorum laboribus impletum, cauſam voti virginem, cogitationum molem virgineo animo majorem complexam, conſiliaqve ſuggerentem, in animum revocavit, qvam ut acqvirendi decoris authorem habuiſſet, etiam accepti participem habendam.

bendam censuit. Hanc igitur per legatos honorificè in domum suam introductam thori participem fecit, liberosqve ex ea procreavit, filiam Olofam, prolis ab ea susceptæ natu maximam, deinde filios Hrærecum, Sigtryggum, Frodium & Thorgilsem, hi omnes Barnteklæ educati sunt. *Codex Flateyensis* Sigtryggum,aliàs Tryggvium,Frodium & Thorgilsem Svanhildis Eysteini, cognomine Sæfarii, Comitis de Heidmarchiæ filiæ, filios facit, qvibus Olafum & Biornum addit; Gidæ autem Guttormum Harechum & Gudriodum tribuit, id qvod editio Danica tuetur, nisi qvòd Harechi loco Hrærechum ponit, librarii fortè mendo. Verùm ut in acqvirendo imperio, qvàm ad conatum monito, major erat labor, neqve æqvalis collatio, ita nec in fructuum decerpendorum solam eam societatem admisit,nam complures aliás uxores duxit, unde liberorum largus proventus affluebat; verùm qvô ordine eas duxerit, nusqvam traditur. Asam omnium primam, filiumqve Guttormum ex ea natum, & omnium Haraldi filiorum primum memorant, qvem & Dux Guttormus aqva aspersisse, genibus suis imposuisse, de nomine suo dixisse, secum in Vikam deduxisse, ibiqve educâsse perhibetur, reliqvos ex ea susceptos filios Halfdanos nempe gemellos & Sigfrodum, antea recensui. Svanhildis Comitis Eysteini Heidmarkensis, Potentis dicti, filia tertio loco numeratur, ex qva filios genuit Olafum, dictum Geirstada-Alfum, Biornum & Ragnarem Rickelem. *Codex Flateyensis*, ut & *Editio Danica*, expunctis Ragnare, Olafo & Biorno; Frodium, Thorgilsem & Sigtryggum (aliàs Tryggvium) reponunt. Eysteinum Vestfoldiæ præposuisse, nepotesqve suos ei educandos tradidisse.codici Flateyensi memoratur. Qvarta Ashildis, Dagi Hringi filii de Hringarichia filia, inde proles Dagus, Hringus, Gudriodus Skiria,& filia Ingigerdis, Halfdano Comiti nupta, eorum filia Gunnhildis, uxor Finni Skialgii, eorum liberi, Eyvindus Skaldaspillir/ seu poetarum crux, Niall, Sigurdus & Thora. Nialis filia Astridis Steinkelis Sveciæ Regis mater. *Codex Flateyensis & editio Danica* in Dago & Hringo consentientes, reliqvis omissis,Ragnarem Rickelem addunt, inqve Uplandis educatos tradunt. Ex divisione provinciarum inter filios Regis, qvæ in stirpes non capita processit, de qva *Cap. XXXII. hujus libri infra, codicis Flat:* recensus cæteris verior videtur. Adjicit his editio Danica alteram filiam Olofam Arbot seu Annonæ levatricem. De Snæfride & Thora Mostrarstonge postea dicetur. *Codex Flateyensis* decem uxores & viginti concubinas duxisse tradit, cum Ragnhildem, raræ formæ sapientiæqve virginem, Eirici Jutiæ Regis filiam, per legatos ambiret (vetus membrana existimari tradit eundem Eiricum, qvi primus templum Ripis ædificavit, ego vero diffido, cum is *Adamo Bremensi* & *Codici Flateyensi* Harechus appelletur. Avi Eirici nomen Eiricus Blodoxius Ragnhilde natus postea gessit, diversum ab Harechi nomine.) Pater legatione audita, scopum ejus filiæ proponit, ejusqve sententiam reqvirit, qvæ respondit: *ne toto qvidem orbe, vel potentissimi Regis trigesimam amoris particulam, virginitate sua redempturam; nec se hac vice nupturam.* Magnificum virginis responsum ab utriusq; aulici sexus collegio cum legatorum ludibrio exceptum est; mussitabant enim *nihil periculi Jutiæ Regi ab ira armisve Haraldi metuendum esse, longè majori assveto periculo, qvàm is inferre possit, qvi popularibus rusticis debellatis, possessionibusqve exutis, tanqvam re præclarè gestâ turgeat: aqvilas corvosqve Danicos jam diu jejunos, magna dape cadaverum exercitus ejus saturandos.* Idqvod Thiodolfus de Hvine cantilenæ inclusit. Verùm neqve Eiricum, neqve filiam, par cum aulicis potentissimo Regi insultandi libido incessit, moderatius a-

agendum ratos, ne contemptum magis ſe qvàm honoratum interpretaretur; conditionem igitur propoſuit, omnium uxorum pellicumq; repudio, virginis potiundæ. Haraldus dignam reputans, qvæ ſe ſolo frueretur, amorem ipſius, conjugiumqve præſcripta conditione redemit, remiſſisqve ad propinqvos ſingulis uxoribus, Regia illam pompâ domum deducendam curavit, celebratisqve de more nuptiis tenerrimè amare cæpit, & in amore qvoad vixerat perſeverare; viſa namqve eſt ſingularis prudentiæ fæmina, virtutumqve muliebrium exemplar. Hæc Thiodolfus de Hvine carmine proſecutus eſt. Novem in ejus gratiam repudiâſſe Chronica tradunt. Ex illa filium Eiricum, Blodoxium poſtea dictum, genuit, nec ultra triennium in Norvegia ſuperſtes, publico omnium, ſed privato Regis, eoqve acerbiſſimo, luctu elata eſt, nam qvem mortuæ impendere neqvibat benignum amoris affectum, derivavit in commune matrimonii pignus filium; qvem, antiqvato cæteris ſuffragante naturæ privilegio, amoris tantum prærogativâ, omnibus prætulit, fratribusqve ſuis, iisdemqve Regibus, plusqvam fratrem, Regem nimirum Imperatoremqve deſtinavit, eundemqve apud Thorerem Hroaldi filium Fiordorum præfectum educandum curavit.

CAP. XV.

DE THOROLFI INDUSTRIA ET COMMERCIIS CUM FINNIS, KILPINGORUM CÆDE ET CURA ÆCONOMICA.

CUm primum Thorolfus præfecturam Halogenſium conſecutus eſt, proxima ſtatim hieme, conſcenſo monte in Finnmarchiam, nonaginta virorum comitatu, præter ſuperiorum præfectorum morem, qvi triginta tantùm, interdum etiam paucioribus, contenti ſunt, profectus, mercium etiam ingentem copiam convexit, indictisqve nundinis, & tributa exegit, & commercia exercuit. Hinc magna vis mercium Finnicarum, ut plurimum emptione & permutatione, partim etiam metu, per univerſum, qvod peragravit, territorium congeſta eſt. Ut verò montem verſus orientem conſcendit, cognovit Kilpingos (ſic vocantur qvi montem Kiolum inhabitant) ad Finnos præfectos, commercia rapinis miſcere. Finnis igitur ad itinera eorum exploranda præmiſſis, ipſe ſeqvebatur, deprehenſosqve triginta uno loco ad unum omnes occidit. Inde triginta qvinqve, & tantùm non centum in univerſum, occiſi ſunt. Præda omnis, eaq; ingens, Thorolfo ceſſit. His ſpoliis lucrisqve onuſtus Sandneſiam rediit, ubi magnam verni temporis partem moratus, extructa longa nave, draconum capitibus cæteroqve ornatu inſignitâ, Torgas devectus eſt. In rebus ad æconomiam pertinentibus ſolers erat & induſtrius, alios enim ad halices capiendas, alios ad aſellos ſiccandos, alios ad phocas, alios ad aves ovaqve colligenda emiſit: omnia deniqve, qvæ induſtriâ conqviri poterant, ad ſe deferri curavit; nam præter ſervorum gregem centum mercenarios liberos ſingulis diebus aluit: fuit enim liberalitate & magnificentiâ inſignis, qvâ nobiliores omnes & qvoscunqve vicinos ad ſe allexit, arma & naviculæ piſcatoriæ, tum etiam jurisdictio, præcipuè curæ erant.

CAP.

CAP. XVI.

DE REGE HALOGIAM LUSTRANTE, FREQVENTIBUS PROCERUM CONVIVIIS, PRÆSERTIM A THOROLFO TORGIS CELEBRATO, ET HILDIRIDIDARUM ADVERSUS EUM CALUMNIIS.

HAc eadem æſtate Haraldus in Halogiam profectus præter convivia, qvæ more priſco prædia Regia exhibere tenebantur, ſumptibus colonorum celebranda, etiam civium nobiliorum, præfectorumqve ſuorum, opiparis epulis certatim excipitur. Præcipuus inter illos Thorolfus, maximis impenſis convivium inſtruxit, qvò nobiliſſimum qvemqve civiumqve inferiorum magnam turbam convocaverat, ut numerus convivarum ad qvingentos exſurgeret, cum Rex tantùm trecentis comitaretur. Qvod autem triclinium tantæ multitudinis capax nullum eſſet, horreum ampliſſimum tapetiis inſtratum, ſcamnisqve & clypeis pro more exornatum, ejus loco inſtructum eſt, eòqve Rex deductus in ſolio conſedit. Ut verò tantum confluxum hominum, numerumqve comitatum ſuum longe ſuperantem animadvertit, rubore genas ſuffuſus, haud dubium conceptæ animo indignationis ſuſpicionem aſſidentibus præbuit, Maximo deinde miniſtrantium ſtudio convivium rerum omnium apparatu affluentiſſimum per triduum proceſſit, Rege nulla lætitiæ vel exhilarati animi ſigna præferente; ultimò autem die, cum convivio excedendum eſſet, Thorolfus eum, ut in littus exſpatiaretur, invitat. Qvò cum ventum eſſet, navem, qvam nuper ædificaverat, velis & armamentis omnibus inſtructam, inqve ſtatione natantem, Regi donat, ſimulqve excuſat convivarum freqventiam, non ad æmulationem Majeſtatis Regiæ, ſed ad ornamentum præſentiæ ipſius invitatam. Rex ſibi ſatisfactum verbis vultuqve indicans, hilarem benevolumqve ſe deinceps præbuit, qvo viſo cæteri omnes gaviſi, convivium per ſe qvidem ſplendidiſſimum, tantisqve muneribus ſub exitum nobilitatum, dignis laudibus extulerunt, palam prædicantes, tantum virum magna Regis utilitate provinciis illis præfectum. Rex itaqve haud in minore, qvàm antea Thorolfum, cum diſcederet, habuit gratia. Inde in Halogiam boream verſus provectus, conviviis magnam æſtatis partem trivit: tandem, converſo itinere, in auſtrum reflexit.

Inter cæteros provinciales etiam Hildiridides Regem ad triduanum convivium invitârunt, qvi ſtudia eorum haud aſpernatus, ad ſtatutum diem ſe affuturum promiſit. Exiguus illic, præter Regium comitatum, convivarum numerus erat, nulla tamen convivio vel excipientium induſtria vel elegantia defuit, ideoqve Rex & hilaris & facetus convivatoribusq; acceptus fuit. Harechus occaſionem ſecretò Regem alloqvendi, materiamqve ficta Thorolfi crimina exaggerandi, ſedulò captans, ubi nactus erat, multa de æſtivo ejus per Halogiam tranſitu, multa de Halogenſium in eum ſtudiis, conviviorumqve celebritate & eminentia rogitavit. Rex ad ſingula interrogata reſpondit, omnibusqve collaudatis a ſingulis benè exceptum ſe, & unoqvoqve pro rerum ſuarum copia, teſtatus eſt. *Utut ſit*, regeſſit Harechus, *magnum tamen apparatuum ſplendoris & magnificentiæ diſcrimen ſuſpicor, neqve enim ullum celebritate Torgenſi, tot convivarum confluxu illu-*

ſtri, comparandum. Rege ſuffragante, adjecit Harechus; *aliter fieri non potuiſſe, cum undiqve conqviſitum eſſet, qvicqvid ad illius apparatum ſolennitatemqve reqvirebatur; verum qvod tam felici eventu abſolutum eſſet, admirandæ Regiæ fortunæ meritò adſcribendum, nec fortunæ ſolum, ſed etiam inſigni ejus ſolertiæ, ut qvi ſolus periculum viſa multitudine præſentiens, armato ſe præſidio noctes diesqve ſepſerit (uti ex aliorum relatione didicerit.)* His auditis, Rex attonito ſimilis, ſeverius eum intuens, *Qvid*, inqvit, *narras, Hareche? an horum tibi notitia conſtat. Permiſſu ne Regio edicam?* reſpondit: Rex qvæ ſciret exprimere jusſit. *Me profectò, o Rex,* inqvit, *tantarum rerum relatore haud indigeres, ſi communis per Halogiam fama tuas perinde aures atqve noſtras impleret. Nihil plebi Halogenſi ad rebellionem adverſus te præter ducem deeſt, ſed ne is qvidem, qvoad Thorolfus, tantis præter cæteros fortunæ naturæqve donis ſublatus, ſupereſt. Neqve eum corporis robur deficit, nec formæ decus, nec opes privatæ propriæqve, & iſtæ qvidem immodicæ, ſed liberâ rerum alienarum rapinâ in immenſum auctæ. Regiarumqve præfecturarum acceſſione privati ſortem excedentes. Hinc ſe domumqve ſuam, more planè Regio, ſatellitum præſidio vallat, ingenti ad authoritatem Regiam comparandam momento, qvam à te acceptam, adverſus te ipſum parùm abfuit, qvin uſurpaſſet. Nam ut primùm fama adventus tui in Halogiam, tantum trecentorum hominum ſatellitio conſtantis, audita eſt, communi conſilio in caput tuum univerſiqve comitatus conjuratum eſt. Princeps conjurationis Thorolfus, idemqve ſceleris peragendi dux, ditioni Halogenſi Naumdalenſiqve Regio titulo imperioqve delectus. Nec is otioſus torpebat, tanta namq; ſpe illectus, omnes ſinus Halogeñſes, omnes inſulas peninſulasqve permenſus, arma & milites undiqve conqviſivit, nec qvò tenderet celavit, palam namqve ad te opprimendum exercitum collectum profeſſus eſt. Enim vero ut primùm adventum tuum velorum freqventia prodidit, ruſticis, panibus vorandis, qvàm armis gerendis aptioribus, terror injectus, etiam Thorolfum, ad conſeqvendæ eâ manu, qvantumvis majori, militibus tamen veteranis haudqvaqvam pari, victoriæ deſperationem adegit, Ad artes igitur ſimul converſi, per convivium inſidias moliebantur, ſopitosqve ſomno vinoqve graves & inermes ferro igneqve adoriri decreverunt. Qvod an ita ſit, facilè colligitur. Nam in argumentum funeſti conſilii mihi relatum eſt, convivium in horreo celebratum eſſe, eo qvod recens exſtructa cœnacula, magnisqve impenſis curâqve exornata, hoſpes exurere nollet, qvæ tamen omnia armis & armatura repleta erant. Cum autem prudentiâ tuâ omnes doli vias obſtructas animadverterunt, inſidiis obſeqvium prætexebant. Nec mirum, hæc tuas tuorumqve aures præterire, cum univerſi ſinguliqve conjurationis crimine contacti in necem tuam conſpiraverint, metusqve pœnæ pariter omnes teneat. Conſulo itaqve tibi, ut Thorolfum in aulam revocatum proretam vexilliferumqve tuum conſtituas, nam ad hoc omnium maxime idoneus eſt; ſin præfectum mavis, ad auſtrum, ubi natus eſt, reduc, Fiordorumqve præfecturam committe, ubi actorum ejus omnium inſpectio penes te eſt. Hanc autem Halogenſium præfecturam viris moderatis trade, iisqve, qvorum in te fidem perſpectam habes, qvorumqve majores eam ante geſſerant. Nos qvidem fratres mandata tua impigre exeqvemur: pater noſter longo tempore felici ſucceſſu provinciæ huic præfuit, nec enim qvilibet illo officio aptus eſt, fides reqviritur, cum ipſe rarò huc venias, indigenæqve infideles ſint, tibiqve inimici, nec regionis conditio exercitum admittat, qvo ſtipatus procedas, cui alendo minime ſufficit.* His dictis Rex qvidem excanduit, iram tamen, more ſuo, qvoties rem magni momenti, ſed ingratam, percipiebat, temperavit. Deinde qværit, *an Thorolfus Torgis jam remaneat?* Negabat Harechus; *tanto enim aſtu,* inqvit,

inqvit, *pollet, ut ne tibi exercituive tuo se objiciat, metuens ut fortè omnes publicam conjurationem tam constanter tegant, ne indicium ejus ad te perveniat. Idcirco post discessum tuum in Alostam secessit.* Hæc Rex tacitus intra præcordia concoqvens, cum paucissimis vix particulam eorum comunicavit, fidem tamen habere visus est. Inde à convivio amplis muneribus donatus discessit, vicissim gratiam suam illis pollicitus. Deinde qvæsita occasione eum, dum in Naumdalo moraretur, accesserunt, sæpiusqve proficiscenti de industria occurrerunt, comiter semper & ubiqve excepti.

CAP. XVII.

DE THOROLFI MINISTRO THORGILSE GIALLANDIO, CENSUM FINNMARKENSEM AD REGEM DEFERENTE, EXPEDITIONE THOROLFI ET KVENIÆ REGIS IN KYRIALOS, ET ITERATA HILDIRIDARUM CALUMNIA.

ANteqvam Thorolfus Torgis proficisceretur, tributum omne Regium a Finnis exactum, si fortè ante discessum Regis ex Halogia domum non rediret, æconomo suo Thorgilsi Giallandio deferendum tradidit. Fuit autem Thorgils Regi familiaris, sæpiùs ejus militiam secutus, proretæqve & vexilliferi officio functus, inqve pugna Hafursfiordensi isti navi præfectus, qva Thorolfus, dum piraticam exerceret, usus est, acceptisqve a Rege muneribus, spe facta uberioris gratiæ, carior deinceps factus, vir robore corporis insignis, athlethaqve intrepidus, penes qvem absente Thorolfo totius domus familiæqve regimen erat. Is igitur censu lembo imposito, viginti viris comitatus, usqve Naumudalum navigavit, ibiqve Rege offenso, præmissa Thorolfi salute, censum se ex Finnmarchia collectum asportare professus est. Rex, conversis in eum oculis, ne verbum qvidem reddidit, omnibusqve iratus visus est. Omnium ignarus Thorgils, melioremqve occasionem expectaturus, Aulverem Hnufam adiit, qvæsivitqve ecqvid esset, qvo Rex offenderetur? Ille *causam qvidem se nescire, pro explorato tamen habere, qvod post convivium in Insula Leka exhibitum, ad mentionem Thorolfi semper taceat: Hildiridides freqventer secretos cum eo longosqve sermones serere, facilè autem ex eorum verbis colligi, Thorolfo inimicos esse, ab iis itaq; delatum videri, cujus rei hac occasione experimentum se capturum.* Regem deinde accedens; *Adest*, inqvit, *amicus tuus Thorgils Giallandius cum censu Finnico, qvi tibi debetur, tanto, qvantus nunqvam aliàs visus est, a Thorolfo missus, reditum accelerans, ut inspicias orat.* Rex sine responso navem accessit, conspectaqve pretiosarum pellium longè uberiore merce, qvàm pendi solebat, dictisqve Aulveris ad amussim respondente, præter spem subitò delinitus facilem se & comem præbuit, adeo ut exinde liberè eum Thorgils alloqvi possit. Expeditis deinde muneribus, pellibus ursinis, aliisqve magni pretii a Thorolfo missis, inqve monte Kiolo comparatis, adeo mitigabatur, ut itineris Thorolfi seriem reqvireret, qvâ ordine expositâ, *qvid malum*, inqvit, *Thorolfusne mihi infidus est, aut vitæ meæ insidias struit?* Qvo audito, qvotqvot aderant, voce consentiente responderunt, calumniam esse malorum hominum, insontem Thorolfum ad Regem criminantium: Rex neqve se fidem habiturum respondit. Mox alloqvio blandus facilisqve benignè eum dimisit, qvi rediens Thorolfo omnia retulit. Inse-

Infeqvente hieme, qvi anni erat DCCCLXXVII. Thorolfus iterum in Finnmarchiam circiter centum virorum comitatu profectus eft, nundinis, ut prius, mercatoriisqve officinis inftitutis, paffim per provinciam vagatus. Cum ulterius in ortum proceffiffet, legati Regis Qvenorum Farevidi ad eum veniunt, fuppetias adverfus Kirialorum (Carelorum) Regem, ditionem fuam infeftantem, poftulantes, oblata focietate prædæ, Regi Thorolfoqve ex æqvo dividendæ, fingulis autem Thorolfi, militibus geminata portione. Aliud exemplar æqvas utrorumqve partes recenfet, portio autem Regia triens totius prædæ erat, præter muftellarum exuvias, pellesqve urfinas, qvas ex indivifo præcipiebat. Thorolfus, expofito legationis fcopo, confenfum fuorum reqvirit. Illi occafionem prædæ haudqvaqvam elabi fe pafluros pronunciantes, legatos eveftigio feqvebantur. Ubi in Qvenlandiam ad Farevidum Regem ventum eft, exercitum inftruunt. Qvenorum acies trecentis militibus, centum Norvegorum conftitit. Confcenfo monte in Kirialos, qvi prius Qvenos impugnârunt, inciderunt, qvi priore victoria feroces, eandem fibi fortunam pollicentes, iterum collectis viribus magno in eos impetu feruntur. Verùm Norvegi clypeis qvàm Qveni firmioribus ufi, mafculè eos exceperunt, tandem etiam repreflerunt, magnâ eorum parte cæfa. Aucti fpoliis haud exiguis Farevidus & Thorolfus in Qveniam redeunt. Mox Thorolfus, firmatâ cum Qveno amicitiâ, in montem fe recepit, provectusqve ad finum Veffifem, in prædio Sandnefiâ paulifper morabatur; fub initium veris Torgas pervenit. Ibi cognovit Hildiridides in Thrandia apud Regem hiemâffe, fufpectos de calumnia, confictisqve in fe criminibus, qvibus haud fane pro periculi gravitate motus, tantum refpondit, *Regem calumniis fidem minime habiturum, præfertim tam abfurdis; qvî enim fieri poffit, ut infidias ei, tam præclare de fe merito, tendere niteretur? Malle fe ipfius præfectum effe, qvàm Regem, modò alium conterraneum Regem haberet, qvi fe, qvoties vellet, in fervitutem redigere poffet.* Nec erat fama inanis, nam & Hildiridides cum duodecim famulis, præter familiares & vicinos, qvos ad fidem faciendam dictis fuis teftes adhibuerunt, hiemem apud Regem tranfegerunt, fæpe ad fecreta colloqvia admiffi. Harechus, ut cenfus Finnicus a Thorolfo miffus placuerit? qvæfivit: ubi Rex probatum fibi confirmavit, *qvanto magis*, inqvit, *fi univerfum recepiffes, jam vero maxima parte retenta portiunculam tantum mifit. Exemplo funto pelles urfinæ tres doni titulo commendatæ, è triginta, qvas retinuit. Inde de reliqvis facilis eft conjectura; fidem experientia faciet: qvod fi præfecturam nobis fratribus commiferis, longè majora tributa accipies.* Comites eorum univerfam calumniæ feriem, uti convenerat, teftimonio fuo confirmârunt. Inde malè fopita in Thorolfum qvafi de integro ira revixit.

CAP. XVIII.

DE ACCESSU THOROLFI AD REGEM, PRÆFECTURAQVE EI ABLATA, HILDIRIDIDISQVE COMMISSA, EJUS IN KYRIALOS ITERATA EXPEDITIONE, COLLECTISQVE MERCIBUS, NAVIQVE MERCATORIÆ IMPOSITIS, INQVE ANGLIAM MISSIS.

PRoxima æſtate Thorolfus in Thrandiam ad Regem Comitatu nonaginta virorum profectus, omne tributum iſtius anni ſecum devexit. Deductus in hoſpitium magnificè exceptus eſt. Eadem die Aulver Hnufa eum accedens, valdè eum apud Regem falſis criminibus traductum retulit, fidemqve calumniam nactam. Eam igitur Aulveri coram Rege diluendam commiſit; *neqve enim ſe longis ſermonum ambagibus eum detenturum, ſi falſis malorum hominum obtrectationibus, qvàm veritati, totqve experimentis probatæ fidei ſuæ, plus tribuerit?* Poſtridie Aulver retulit, allocutum ſe ejus nomine Regem, nihilo tamen qvàm antea de animo ejus certiorem. *Ipſe igitur eum accedam*, inqvit Thorolfus; interqve prandium ingreſſus venerabundus Regem ſalutat, qvi ſalutatione accepta propinari ei juſſit. Thorolfus *ſe Finnicum cenſum, pluresqve alias res, in obſervantiæ teſtimonium afferre profeſſus eſt*; *ſcire enim ſe bene apud Regem collocaturum, qvicqvid ejus honori tribuerit.* Rex *nihil ſe ab eo præter bonum expectare, neq; enim aliud de eo promeruiſſe; eſſe tamen, qvi referant, non omnia ex fide & gratiæ referendæ ſtudio ab eo agi. Ipſi qvidem*, ait Thorolfus, *haud vera referunt, nam nulla ex parte fides mea in te vacillat, nec delatores iſti tuæ ſalutis, incolumitatis, honoriſqve, perinde atq; ego, ſtudioſi videntur: qvod autem mei hoſtes ſint, manifeſtum eſt, nec fallet ipſos inimicitias meas care admodum ſe aliqvando mercatos eſſe, ſi ſine aliorum interventu ſoli diſceptabimus.* Atqve his dictis abiit. Poſtridie cenſum reddidit, ipſo Rege præſente: deinde pelles urſinas, muſtelinaſqve Finnicas, doni titulo depromſit, qvod adſtantes commendantes, gratiam Regiam tali munere promereri dictitabant. Rex ex indiviſo pretium illorum decerpſiſſe reſpondit. Thorolfus *omnia ex fide feciſſe, & in obſeqvium Regis*, reſpondit, *neqve enim perinde animum Regis, ejuſqve inclinationem, atqve gerendorum rationem, in ſua poteſtate eſſe: ſatis conſtitiſſe Regi acta geſtaqve, mores fidemqve ſuam, dum in aula eſſet. Mirùm ei perſvaſum, ad deteriora prolapſum mores illos exuiſſe. Imò*, ſubjecit Rex, *id temporis optimè te geſſiſti, præſtabitqve ut in aulam redeas: en tibi vexillum, geſta hoc, aulicorumq; meorum præſes eſto; nemo te deinde calumniabitur, ubi omnium actorum tuorum egomet ipſe perdius pernoxqve teſtis inſpectorqve adero.* Thorolfus ad utrumq; latus reſpiciens, circumſtantes ſe familiares comitesqve intuitus, *hos ego*, inqvit, *homines haud temerè deſeram: officium ſtipendiaqve Regia mihi indulta in poteſtate tua ſunt, familiares autem mei penes me permanebunt, & qvamdiu ſumptus ſuppetit, meis, licet privatis, impenſis vivent. Illud ſaltem peto, ne convivio a me excipi dedigneris, qva occaſione ab iis hominibus, qvibus fidem non derogabis, veritatem ſuper his, qvæ mihi imputantur, explorare, indeqve pro merito juſtam ſententiam ferre poteris.* Rex pluribus ejus conviviis ſe minimè interfuturum reſpondit. His dictis Thorolfus abiit, domumqve receſſit. Præfecturam deinde Hildiridibus cum Finnica provincia Haraldus conceſſit, prædium etiam Torgas, omneſqve poſſeſſiones Bryniolfi qvondam, rem jam diu controverſam, ſibi vendicavit, iiſqve beneficio ſuo fruendas tradidit, nunciis ad Thorolfum miſſis, qvi eum de voluntate Regia certiorem redderent. Is mandatis obſecutus, ſubſtantiam omnem navibus impoſitam, familiares, liberos, ſervoſqve Sandneſiam deportavit, nec minore qvàm antea ſplendore aut numero familiam aluit, dignitatemqve tuitus eſt.

Hildiridides, nemine contradicente, magnâ licet amicorum cognato-

rumqve Thorolfi invidiâ, tacitâqve indignatione, præfecturam Halogensem susceperunt, hiemeqve insecuta, qvæ erat anni LXXVIII. Finnmarchiam, triginta hominum comitatu, more priscorum præfectorum ingressi, longè minore qvàm Thorolfus pompâ, & inde secutâ authoritatis successûsqve in tributis colligendis imminutione, & haud mediocri detrimento, qvæ demto metu Finni pro suo arbitrio reddebant. Eodem tempore Thorolfus centum Comitibus in Qvenlandiam ad Regem Farevidum profectus est. Ibi communibus viribus, perinde ut superiori hieme, qvadragintorum hominum manu, monte conscenso in Kyrialiam infusi, eas territorii partes pagosqve diripuerunt, qvæ mins populosæ ad resistendum inhabiles videbantur. Inde spoliis ingentibus locupletati revertuntur. Adulta deinde hieme Thorolfus Finnmarchiam pervagatus, proximo vere domum rediit: rem deinde familiarem halecum asellorumqve capturâ, reliqvarumqve rerum acqvirendarum studio, perinde ut antea sustentavit & auxit. Magna ei navis mercatoria, studiosè exornata, supernè, qvantum ex aqvis emergebat, affabrè picta, qvam velum diversicolor, applustria etiam, rubro ceruleoqve distincta, ornabant, omnisqve apparatus selectus erat. Hanc piscibus oneratam, impositis insuper pellibus mustellinis albis, Scythicisqve, reliqvisqve diversi generis, qvæ per hiemem acqvisiverat, coriis qvoqve bubulinis, præfecto Thorgilse Giallandio, in Angliam misit; qvi mercibus, tritico, melle, vino, pannis Anglicis permutatis, magno cum lucro Norvegiam repetens ad Hördiam usqve pervenit.

CAP. XIX.

DE NOVA HILDIRIDIDARUM CALUMNIA, REDITUUM EXILITATEM EXCUSANTIUM, CULPAMQVE IN THOROLFUM CONGERENTIUM, EJUSQVE NAVE JUSSU REGIO INTERCEPTA, PATRIS KVOLDULFI AD EUM MANDATIS.

HAc eadem æstate Hildiridides tributa Finnica Regi attulerunt, qvæ dum Rex præsens conspexit, num universa allata essent? qvæsivit. *Et hæc qvidem*, inqvit, *longe minora vilioraqve, qvàm cum Thorolfus præfecturam gesserat. Bene habet*, responderunt, *qvòd discrimen hoc animadvertisti, animadversurus simul, qvanto te Thorolfus spoliaverit, & qvàm facilè universum censum tibi eripiet. Nos hac hieme, veteri præfectorum more, triginta viris comitati in Finnmarchiam profecti sumus, Thorolfus centum comitibus secutus est, minatus nos cum omni comitatu occisurum, causam prætexens præfecturam nobis a te commissam. Unica salutis via erat manus ejus declinare, ideoqve exiguum spatium emensi sumus, cum ille, universa Finnmarchiâ peragrata, merces omnes magnas parvasqve coemit, tributa etiam regia recepit. Regem enim Halogiæ Finnmarchiæqve se constituere in animo habet, qvod cur non impedias, miramur. Testis est omni exceptione major navis illa magna, pretiosis omnegenus ferinarum exuviarum mercibus, in Finnmarchia comparatis onusta, qvam Thorgils Giallandius in Angliam ducit; licet, si libet, per exploratores transitum ejus inqvirere, cum reditum molitur. Neqve enim nostro tempore aliam locupletiorem Noricis oris advectam meminimus, qva tamen qvicqvid continetur,*

tur, tuum esse existimamus. Singula comitum stipatorumqve testimoniis firmata sunt, nec præstò erat qvi refellere posset. Eodem autumno Haraldus per Hòrdiam conviviis indulsit, juriqve dicendo, & qvicqvid ad statum provinciæ illius corrigendum pertinebat, inqvirendo, edictisqve confirmando, vacabat. Qvatuor erant fratres ex Vika oriundi, pater verò eorum in Hisingia ad Gautelfam habitabat, cujus jam defuncti hæreditatem creverant. Thordus & Thorgeir domi remanebant; Sigtryggus autem Snarfarius, qvod velocem, & Hallvardus Hardfarius, qvod item celerem synonimicè denotat, in aula Regis, sangvinis nexu ipsi conciliati, vixerunt, qvorum ministeriis ad legationes, ad exteros & intra patriam. ad redigenda in fiscum Regium noxiorum bona. vel crimina capitalia vindicanda. uti solebat. Odiosum officium exosos plerisqve, Regi tamen percaros, reddidit. Hos igitur, dum in Hördia moratur, ad Thorgilsem Giallandium inqvirendum emisit, duabus navibus instructos, cum mandatis, ut navem cum mercibus universis in potestatem redactam ad se deferrent, nautis tantùm incolumibus dimissis. Eum in portu Furusunda improvisum adorti, ne vim qvidem opponentem, qvippe nullius facinoris conscium, nec tantillo numero ad resistendum sufficientem, cum omnibus nautis captum in terram deponunt, armis & utensilibus omnibus, præter vestes qvotidianas, nudatos. Reversi igitur ad Regem navem cum mercibus, ut jussi erant, exhibent; qvibus visis, tanqvam invicto argumento, fratrum relatio probata, fidesqve adstructa visa est. Thorgils autem cum sociis per ambages itineris ad Kvòldulfum pervenit, eiqve omnia ordine enarrat. Ille *vereri se* ait, *ne vetus præsagium eò, qvò augurabatur, tenderet. parvi se istud rei familiaris detrimentum facere, si hoc termino sisteretur. Illud se majore cura sollicitudineqve afficere, qvòd de moderatione Thorolfi adversus potentiam Regiam Majestatemqve, aliàs semper hoc vero præsertim statu necessariâ, valdè dubitet. Referret modò filio parentis hoc consilium ut qvandoqvidem fortuna non culpa iram ei Regis consciverit, excederet regno, Angliæqve aut Daniæ Regis clementiam experiretur. feliciore procul dubio eventu.* Navem deinde iis commeatumqve, qvantùm sufficeret. tradidit, qvi Torgas reversi, acceptum detrimentum retulerunt: is nihil his motus, haud qvaqvam sibi indigentiam hac jacturâ metuendam, lucrum potius ex societate Regia sperandum dictitabat; polenta ergo & farina ad necessitatem coempta, omnibusqve, qvæ reqvirebantur, pecuniâ, parte etiam agrorum, in sumptus distractâ, conqvisitis, pari ac antea magnificentia per totam hiemem familiam sustentavit; id solum qvestus, ornatiorem vestem eis destinâsse.

CAP. XX.

DE INTERCEPTA A THOROLFO IN RESTITUTIONEM DAMNI REGIA NAVE, VILLAQVE IN HISINGIA EXSPOLIATA, ALIISQVE EJUS LATROCINIIS, ACCESSU, MALIS PRÆSAGIIS, GRIMIQVE FRATRIS EJUS NUPTIIS.

APpetente vere, anni nimirum LXXIX, navem longam, centum sociis nauticis stipatus, extra omnes insulas austrum versus dirigens, eousqve in altum flexit, qvoad medii tantum montes, subducta planicie, in conspectu essent. In

Vikam delatus, cognito qvòd Rex ibi moraretur, in Daniam primò, inde in mare orientale, seu Balticum, cursum vertit: ibi piraticis latrociniis tota æstate parum lucratus, sub autumnum, cum ex nundinis Scaniæ mercatores maximâ freqventiâ solvunt, ipse qvoqve eò advectus, nullo sui indicio facto, classem Norvegicam subsecutus, in portum Mostrarsundam pervenit. Ibi navis magna, tum qvoqve Scaneyrâ rediens, qvam Thorer qvidam Thrumius, Regis Haraldi in insula Thruma villicus, gubernabat. Prædium erat celebre, ubi Rex potissimum, cum partes eas regionis permearet, divertere diutiusqve morari consvevit. Ad id cum magnæ expensæ reqvirerentur, earum comparandarum gratia Thorer in Scaniam navigans, polentam, triticum, vinum, melqve, & cætera necessaria, Regiâ pecuniâ coëmit, navemq; oneravit; qvam Thorolfus aggressus, conditionem deditionis aut defensionis obtulit, qvi hosti improviso viribus impar, deditionem elegit. Qva in potestatem recepta, nautas omnes in insulam Torolfus exponit, lætus in præsens amissæ navis suæ merciumqve jacturam hac prædâ reparatam. Et jam duabus navibus in aqvilonem usqve ad ostium Gautelfæ provectus, utrâqve anchoris alligatâ, ipse per tenebras amnem ingressus, ad prædium, qvod Hallvardus & Sigtryggus ibi possidebant; qvod sine mora undiqve circumsessum, edito clamore militari, oppugnat, qvo excita familia omnis ad arma properabat. Asseribus in muri speciem domus cingebatur, qvos Thorgeir insiliens, manibusqve se attollens, dum impigrè transgrederetur, Thorgils Giallandius transilientis manum amputabat, qvo vulnere affectus in silvam se abdidit. Thorolfus autem, occiso Thordo, villaqve direpta, ad postremum eam incendit. Inde ad navem reversus, alto se commisit, secundisq; ventis in Vikam delatus, magnam ibi navem polentâ onustam, qvam Vikenses possidebant, nautarum, pugnam detrectantium, deditione cepit. Et jam tribus navibus Foldiam seu sinum Osloensem prætervectus, navigationem qvàm ocissimè maturabat, armentis tamen passim pecoribusqve ad commeatum direptis, superatâqve Lidandisnesia in altum cursum flexit. Qvoties Littoribus appulsum est, rapinis haud abstinuit. In Fiordos delatus, adqve patrem profectus, omnia qvæ acta essent edocuit, parumper deinceps moratum, abeuntem pater in viam prosecutus his verbis dimisit: *vides nunc, fili, heu! nimis verum præsagiorum meorum eventum, qvem neqve tibi, neqve nobis utilem, verùm, qvod abominor, luctuosum futurum metuo. Ad hæc monita consiliaqve mea transgressus, Regem lacessendo in te provocas, cui, qvantumvis animi corporisqve robore fortis, opibus potens, amicitiisq; affluens tibi videaris, frustrate tamen, nec majori, qvàm cæteri omnes, qvi hanc terram incolunt, fortunæ successu oppones, exitioso eorum exemplo, qvi Regiis opibus, ditionibus, titulisqve subnixi felicitati ejus succubuerunt, necqvicqvam doctior: optarem qvidem longam tibi vitam, & qvæ terminum meæ longè excederet, (namqve hoc nostrum colloqvium ultimum futurum auguror) ut tamen mihi supersis, valde vereor.* Thorolfus navem ingressus, ut domum venit, spoliis omnibus in ædes congestis, per universam hiemem magno satellitum numero stipatus, magnis sumptibus familiam, more Principum, aluit. Eadem hieme frater ejus Grimus cum speciosa virgine, Yngvaris, viri eximii, qvi priorum Regem satrapa fuerat, filiâ nuptias celebravit, annos natus viginti qvinqve.

CAP. XXI.

DE THOROLFO AB IPSO REGE CÆSO, EJUSQ; IN SOCIOS FIDE ET INVICTA IN IPSAM MORTEM FORTITUDINE, REGISQVE IN PROPINQVUM EJUS EYVINDUM BENEVOLENTIA.

Haral-

HAraldus in Vika consedit, dum Thorolfus direptionibus grassatus est: inde per Uplandas in Thrandiam progressus, freqventi satellitio ibidem hibernabat, anno nimirum seculi illius LXXIX. & LXXX. Sigtryggus interea & Hallvardus, cognito damno, qvod Thorolfus nuper intulerat, fratrumqve suorum clade, ut par erat, offensi, crebrò Regis aures inusitatæ insolentiæ jugi repetitione fatigantes, qvodqve non solum per civium capita fortunasqve grassatus, ipsius qvoqve bonis sceleratas manus injicere, exuto pudore, reverentiâ, omniqve pœnæ metu, Diis juxta ac hominibus refractarius ausus esset, verbis ad exasperandum idoneis exaggerabant, operamqve suam ad eum occidendum obtulerunt. *Ut ut culpâ suâ Thorolfus mortem promeruerit*, respondit Rex, *dubito tamen, an vobis fortunæ satis sit ad eam inferendam, viro, cui omnino impares estis.* Illi experiendi potestatem efflagitantes, primo vere omnia ad expeditionem necessaria parant, suosqve comites colonosqve armis instruentes, veniam profectionis postulant, Rex *permittere se qvidem ait, ut Thorolfum interimant, certum, caput occisi, dum redirent, cum pretiosa gaza relaturos; augurari tamen, remis velisqve reditum iis maturandum.* Duabus navibus centum qvinqvaginta viris instructis profecti, flante borea, ventô inimico passim tardabantur. Vix portu exierant, cum Rex Hladis solvens cum qvadragintis classariis naves conscendit, remigioqve sinum, usqve ad isthmum Ellidensem, emensus, navibus relictis, terrestri via in Naumdalum transiit. Ibi navibus incolarum receptis, sex noctes diesqve, contrariis ventis, lunâ tamen internitente, obluctatus, Sandnesiam noctu pervenit. Ante prædium portus erat; ibi velata Thorolfi navis, tunc in procinctu agnita; solum enim versurus, sedemqve mutaturus, cervisiam in itineris usum coxerat. Rex militibus vexillum præferri jussit, domum accedit, neqve enim procul mari distabat. Excubitores, relictâ statione, inter cæteros, omnium securi, in cænaculo commissabantur, hostilis adventûs omninò ignari. Domum igitur circumsessam cum sublatus clamor tubæqve sonitus prodidisset, Rex fæminis & parvulis egrediendi potestatem fieri jussit. Improviso terrore excitus Thorolfus, protinus cum sociis arma corripit, cum uxor Sigridis domo egressa, qværit, an inter satellites Regios, filii qvoqve Berlukarii præsto essent? qvi accedentes, qvid postularet, rogant: deducite me, inqvit, ad Regem; qvo impetrato: *nullus ne*, inqvit, *ô Rex, veniæ aut intercessioni locus? si Thorolfus*, respondit, *se protinus dedat, vitæ membrorumqve incolumitate donabitur; de familiaribus autem comitibusqve ejus, qvi ejusdem noxæ participes sunt, pro cujusqve meritis pœnarum exigendarum arbitriô mihi reservatô.* His ante fores triclinii, ubi Thorolfus continebatur, ab Aulvere relatis, absqve mora respondit, *ad iniqvas conditiones cogi nolli, permitteret modò exitum Rex, qvo justo prælio, qvantumvis viribus impares, decernerent.* His ex Aulvere cognitis, ignem tectis injicii jubet, neqve enim vitæ suorum tam prodigum esse, ut illorum periculo cum eo, qvem obsessum teneat, manus conserat, copiarum numero inferiorem, haud incruentam de se victoriam permissurum. Ignis itaqve ædibus admotus, cum materiam aridam, domumqve corticibus arborum tectam, avidè corriperet, Thorolfus suos ad effrigendos asseres, qvi parietes connectebant, evellendasqve trabes, qvò per frontispitium exitus pateret, hortatus, summa vi & ipse annixus, ruptis compagibus, viam su-

pra parietes, & inde exitum, aperuit. Primus deinde transgressus, secutus Thorgils Giallandius, deinde unus post alterum foràs eruperunt. Inde multa strage Regiorum, ancipiti eventu pugnam expectatione longius extrahunt, utpote qvos conscientia contracti culpâ periculi & desperatio vitæ, tristi responso incussa, ultima audere & experiri cogebat, nihilqve ex ardore illo remissum est, qvoad cænaculum, firmum a tergo munimentum, integrum stetit; qvod simul ut conceptô igne flagrabat, geminato periculo, a fronte Regia acie, a tergo incendii rabie premebantur; cum Thorolfus instantem oculisqve obversantem mortem ingenti gloria cumulaturus, adeo concitato impetu in Regiam aciem se infert, ut ipso incursu obvios funderet, vadensqve per confertos, gravibus plagis, sævis vulneribus, iisqve insanabilibus, Regiis ab utroqve latere concisis, ad vexillum usqve Regis se infestus proriperet, cumqꝫ eodem momento Thorgils concideret, ipsum Regem, tot ab eo occisorum Regum, horumqꝫ manibus, victimam destinatum, invasurus, ejus loco signiferum trucidat; mox exclamans: *Hei mihi*, inqvit, *qvi tres pedes ultra non processi*! qvo dicto, gladiis hastisqve coopertus, ipsi Regi lethale vulnus inferenti ad pedes exanimis concidit. Ilicò Rex suos receptui canere, ulterioriqve cæde abstinere jussit, militibusqve confestim ad naves remissis, ad AulveremHnufam conversus: *Accipite*, inqvit, *cognatum vestrum*, *decentiqve funeris pompa elatum sepelite*: *prædis rapinisqve singuli hic abstinebunt*, *mea namqve omnia sunt*. His dictis ad navem regressus est. Inter cæteros, qvi vulnera obligabant, unum leviter saucium cum notâsset, *istud qvidem vulnus*, ait, *Thorolfus non fecit*, *non ita ei gladius hebebat*; *damnosa certè est tanti viri jactura*. Posterò die, ubi primum illuxit, secundo vento usus, in reditu complures naves longas diversis in portubus offendit, singulas ad subsidium Thorolfo adversus Sigtryggum & Hallvardum, qvorum fama adventum eorum præcurrebat, accurrentes; sed perinde atqꝫ illi adverso aqvilone detentæ in stationibus hærebant. Inde repens per Halogiam occisi Thorolfi fama, Sigtryggum & Hallvardum, infecto negotio, retrò ad Regem, nec sine ludibrio, convertit. Procuratis, ut imperatum erat, exeqviis, sauciisqve curatis, Aulver Hnufa & Eyvindus Lambius, qvi Sandnesiæ aliqvantisper in gratiam viduæ rem domesticam administrârant (omnis enim suppellex præter vestem apparatumqve tricliniorum incendio supererat) ad Regem redeunt, indignam innoxii nepotis mortem, illatamqve familiæ cladem calamitatemqve aliqvantisper lugentes. Tandem uterqve adito Rege dimissionem petunt, ingenuè profitentes, *iis se amicè & familiariter conversari non posse*, *qvi propinqvum suum sustulerint*. Ad ea Rex rigidè cum respondisset, *non dimissurum*, *sed apud se detenturum*, *suas qvisqve sedes repetebat*. Postridie utroqve ad se vocato, *vestra*, inqvit, *conditio qvæ futura sit*, *accipite*. *Tales in hunc usqve diem in aula mea vos declarâstis*, *ut dignos mea gratia bonorumqve omnium favore judicem*, *id enim præclaris vestris moribus promeruistis*. *Tu igitur*, *Eyvinde*, *dimissionem impetrabis*, *Thorolfiqve uxorem Sigridem cum prædio Sandnesia bonisqve omnibus accipies*, *gratiæ insuper meæ in posterum particeps*, *si utinoveris*. *Tu verò*, *Aulver*, *apud me maneto*, *neqve enim te propter excellentiam tuam carere possum*. Tantis beneficiis deliniti, amplissimis verbis clementiam Regiam extollentes, pro se qvisqve gratias certatim egerunt. Nam & demtum tantis solatiis contemtum, & repensam orbitatem ista satisfactione constabat. Eyvindus igitur Sandnesiam profectus, voluntatem mandataqve Regis idoneis testimoniis astruens, Sigridis, præter spem in statum priorem possessionesqve restitutæ, consensum facilè impetravit,

vit, atqve ita in omnia nepotis bona, conjugis etiam amplexus, successit, firmâ in omne deinde tempus & stabili Regis gratia usus, adeo ut familiam suam Regiæ arctiore necessitudine connecteret. Finnis enim Skialgius, filius ex hoc conjugio natus, neptem Pulchricomi Gunnhildem, ex filia Ingigerde, Comitis Halfdani uxore, conjugem duxit. Inde Eyvindus Skaldaspiller / seu poëtarum crux, avi nomen gerens, & Ranveig Sigvati Rufi uxor, de qvo in proximo libro in indice primorum Islandiæ incolarum, prodierunt.

CAP. XXII.
DE KETILLE HÆNGO, QVI HILDIRIDIDAS IN ULTIONEM THOROLFI SUSTULIT, INQVE ISLANDIAM SOLUM VERTIT, LUCTUQVE KVOLDULFI IMMODICO EX NECE FILII.

THorolfi cædes proceres Halogenses valde offendit; inter qvos fuit Ketill Hæng⁹, primarius Naumdali civis, sobrini illius nepos, natus patre Thorkele, aliis Ketille, Comite Naumdalensi, præcipuus inter illos, qvi ad auxilia ferenda navibus evecti adversis ventis detinebantur. Hic, accepto cædis Thorolfianæ nuncio, protinus Torgas cum sexaginta viris advolans, Hildiridides, tunc infreqventi famulitio cinctos, cum tamen plerisqve, qvi aderant, occidit, prædioqve direpto universas opes avexit, Duabus inde navibus, spoliis inimicorum, tum etiam propriarum rerum supellectile, onustis, patriam voluntario exilio mutaturus, in Islandiam transfretavit, ut in catalogo incolarum Islandiæ latiùs exponetur. Hunc exitum Hildiridides habuerunt, qvi solius vindictæ prurigine per tot calumniarum anfractus, tot dolorum laqveos, sibi ipsis præmaturum exitium, fortè etiam familiæ ruinam, accelerârunt. Kvöldulfus autem, cæde filii cognitâ, doloris acerbitate exsternatus, abjectâ rei familiaris curâ, velut repentino morbo ictus, lecto affixus decubuit, gratuitam orbitatem, spe vindictæ abscissâ, insuper futuram prospiciens. Id verò luctum, per se qvidem plus nimio acerbum, magis tamen aggravabat, jamqve pœnitebat, permisisse eum ministerio Regis, qvod illi qvandoqve exitiosum futurum & prævidebat & prædixit. His curis propè confectum adit filius Grimus, increpatqve, qvòd otiosis qverelis se macerando curam vindictæ, unicum salutis medium, abjiciat. Hortatur itaqve, *ut abjecta inutili sollicitudine lecto exsurgat, dignumqve indole sua, dignum fortuna priore, dignum familia Hrafnistina animum capiat, singulaqve ad vindictam momenta observet, qvam si non ab ipso Rege exigi contingat, a ministrorum tamen aliqvo haud desperandam.* Hac adhortatione injectaqve solatii spe paululum refectus pater versum fudit, qvo se hac qvoqve qvalicunqve ultionis expectatione solatur.

CAP. XXIII.
DE GRIMO AB AULVERE HNUFA PERSVASO UT REGEM ACCEDERET, EUMQVE DE SATISFACTIONE OB CÆDEM FRATRIS INTERPELLARET, EJUS ITINERE ET EVENTU.

Interea

INterea Haraldus ad Uplandos profectus sub autumnum Valdresiam ingreditur, sæpius ab Aulvere, qva par erat modestiâ, interpellatus, ut pro cæde Thorolfi patri seni satisfacere, eumqve aliqvo honoris genere in orbitatis solatium afficere dignaretur. Id cum Rex, modò se is vel filius accederent, experterentqve, minùs abnueret, Aulver ad Kvöldulfum profectus, ibi aliqvantisper remansit. Tum Kvöldulfus omnem in Sandnesia rei gestæ ordinem sollicitè exqvirit, qvid ultimum virtutis monumentum moriturus filius ediderit, qvorum armis impetitus, qvove vulnerante occubuerit, Aulvere omnia, ut gesta erant, exponente, & inter cætera Regiâ eum dexterâ occidisse, ad ejus pedes prostratum, pronum jacuisse. *Benè habet*, ait Kvöldulfus, *veteres enim crediderunt vindicatum iri qvi pronus occubuerit, nec vindictam procul ab eo, prope qvem moriturus corruisset; affulsuram tamen illam fortunam, hoc statu, miser despero.* Aulver præsentissimum consilium dictitabat, ut adito Rege satisfactionem ab eo, qva par esset moderatione, deposceret. Kvöldulfo ætatem excusante, ut Grimus id negotium expediat, hortatur. *Nihil mihi negotii cum Rege illo*, respondit Grimus, *neqve enim mihi eloqvii gratia suppetit, nec longo sermone satisfactionem vel gratiam ejus expetam, qvâ nec indigeo.* Aulvere, nec ad id multis verbis opus fore, respondente, se enim pro virili causam ejus promoturum, Grimum eò produxit, ut iturum se promitteret: tum demum Aulver ad Regem rediit. Profectus deinde Grimus, in comitatum familiares vicinosqve spectatæ fortitudinis viros undecim delegit, qvorum hæc sunt nomina: Anius, Granius, Grimolfus, Grimus, Thorbiornus, cognomento Thrumus, Thordus, Beigaldius, Thordus, cognomento Thuss, Thorgeir, Oddus, undecimus erat Gris. Lembo in austrum vecti, trajecto sinu Otrarfiordensi, terrestri itinere in Vossiam tendunt, indeqꝫ qvà via ducebat, donec ad stagnum, non procul a villa, ubi Rex convivabatur, ventum esset, qvô scaphis transmissô, inter prandendum accedentes, Aulverem nuncio exciunt, qvi ingressus, refert, expectare eum & evocare advenas duodecim, homines an gigantes, his tamen similiores. Is qvinam essent conjectans, statim exiit, Grimumqve nepotem suum complexus, ut Regem secum accederet, hortatur; qvi conversus ad suos: *mos est*, inqvit, *ut ingredientes ad Regem arma prius deponant, sex igitur inermes intrabimus, reliqvi ad fores arma nostra custodient.* Aulverem itaqve præeuntem proximè secutus, cum dimidio comitatu triclinium intrat. Mox Aulver Regem venerans: *adest*, inqvit, *Grimus Kvöldulfi filius, qvem tibi majorem in modum commendatum velim: eqvidem multos ornâsti, qvi tanti non sunt, illum ut ornes enixè cupio, atqve adeo, ut qvicqvid beneficiorum in eum contuleris, in me collatum reputem*: causam deinde Grimi magnâ facundiâ oravit. Rex Aulverem intuitus, vidit â tergo stantem virum rara proceritate, capite enim supra omnes eminebat, ipse calvus: *iste ne*, ait, *ingens vir Skallagrimus est?* *Rectè*, respondit Grimus, *& aptè me notâsti* (est enim Skallagrimus idem qvod *Grimus calvus.*) Tum Rex: *qvandoqvidem, Grime, satisfactionem pro fratris cæde exigis, in aulicas leges jura, satellesqve meus esto, præmium honoresqve pro merito expectaturus.* Ad hæc Grimus respondit, *satis qvidem novi, qvanto rerum omnium decore me frater Thorolfus præstaret, qvi tamen successu ad gratiam tuam conseqvendam omnino caruit; non igitur tibi serviam, qvandoqvidem eam operam, qvam tibi velim præsta-*

præstare, & tu qvoqve meruisti, fortuna non sinet. Insperato responso offensus Rex, contracto in faciem sangvine, conceptæ altiùs iræ satis evidenti signo, conticuit; qvo animadverso Aulver extemplò egressus, seqvi eos jussit. Egressi pariter, arreptis raptim armis, ocissimè viâ, qva venerant, progressi sunt, qvos Aulver prosecutus Grimum descendentem his verbis affatus est. *Longè aliter*, inqvit, *iter tuum ad Regem, qvàm sperabam, cessit; author tibi eram accedendi eum, idemqve jam nunc eum in perpetuum evitandi, nisi aliter conciliati fueritis, qvàm jam estis.* His dictis inter se salutantes, Grimus stagnum naviculâ trajecit, cæteras autem, qvotqvot erant, terebrandas, trajectioniqve inutiles reddendas Aulver curavit. Retrospiciens autem Grimus perseqventes se satellites a Rege missos observabat, qvi, scaphis non suppetentibus, re infecta redierunt. Notata est vox Pulchricomi, qvam Grimo egrediente emisit: *magnum illum calvum*, inqviebat, *qvi huc intravit, iræ furorisqve plenum observavi, qvem & prospicio exitio futurum qvibusdam ex iis, qvorum interitum inter præcipua damna reputamus, neque enim ulli nostrum parcet, si vivus elabitur; ad eum igitur occidendum properate.* Grimus ut persecutionem elapsus est, rectà domum profectus, patri omnem itineris ordinem exposuit. Placuit ei Regis famulitio se non addixisse, eandem enim fortunam, par priori damnum, ab illo sibi expectandam asseveravit. Eò res redacta est, ut haud tutum intra Norvegiæ fines amplius esset: placuit itaqve, relictâ patriâ fortunarum suarum sedem in Islandiam transferre; ad qvod multæ commoditates invitabant, dotes regionis haud contemnendæ, patens occupantibus territorium, pro arbitrio & absqve pretio colendum & possidendum, amicus etiam Ingolfus cum sociis, qvi eò cum tota familia nuper concesserant. Itaqve proximo vere, qvi annus erat seculi LXXXI, duas naves longas instruunt, singulis triginta viros imponentes, armis idoneos, præter fæminas, liberos, omnemqve adeo rerum mobilium suppellectilem, nam agros nemo invito Rege emere ausus est: atqve ita portu evecti ad insulas Solundas, qvæ magnæ multæqve sunt, insidiis tegendis perqvam idoneæ, in occulta statione aliqvantisper delituerunt.

CAP. XXIV.

DE SÆVA IN FILIOS GUTTORMI COMITIS, REGIS AMITINOS, KVOLDULFI GRIMIQVE VINDICTA, EORUMQVE UT ET HALLVARDI QVOQVE ET SIGTRYGGI SIMUL QVADRAGINTA CÆDE, TRANSITU IN ISLANDIAM, KVOLDULFI MORTE, ET ULTIMIS MANDATIS, CAPULI FERALIS MIRA DIRECTIONE ET VELOCITATE, DELECTO GRIMI DOMICILIO.

HOc eodem anno Dux Guttormus, qvi Tunsbergæ ut plurimum consedit (penes qvem absente Rege totius Vikæ directio fuerat,) piratarum, qvæ ibi freqvens erat, irruptioni, tum etiam Gautis oppugnantibus, qvoad Eiricus Eymundius vixit, semper intentus, ex morbo decessit, anno ætatis (si Codicis Flateyensis traditioni, ad calculum reductæ, fidendum) trigesimo qvarto. Innuunt tamen Chronica utraqve, longiùs ætatem produxisse,

duxiſſe, nam juvenis fuiſſe dicitur, cum pater occiſus eſt, qvod de qvinqvenni puero dici non poterat, qvi ætatem Pulchricomi tantùm ſex annis præceſſerit. Ut verò morbum lethalem, inſtantemqve mortem cognovit, miſit ad Pulchricomum nuncios, qvi imminentem exitum vitæ ſuæ nunciarent, liberorumq; ſuorum, patrimoniiqve curam ei ultimæ voluntatis fidei commiſsô commendatam referrent: erant autem pueri Sigurdus & Ragnar; filiæ Ragnhildis & Aslaug. Qvo cognito, Rex ê Thrandia, ubi tunc temporis fuit, fratres Sigtryggum & Hallvardum in Vikam, ut pueros ad ſe deferrent, miſit, filiabus propinqvorum educationi commiſsis. Ad iſtius itineris uſum navis, qvam Thorolfus poſſederat, adhibita, jamqve in reditu mare Sognicum prætervectos vidit Grimus; erat enim omnibus oculatior, agnovitqve fraternam navem: toto namqve tempore, ex qvo domo exceſſerant, ſpeculatores per oras maritimas, ubi publicus navigantium curſus erat, ſubornavit. Viſa igitur nave, miſit, qvi obſervarent, ubi per veſperam portum caperet; deinde ad patrem reverſus, prædæ ſpem haud exiguam, non modò rerum, ſed etiam hominum majoris notæ, ingeſſit, hortaturqve ad perſeqvendum. Sine mora remis velisqve profecti, ſuam qvisqve navem duxerunt, ingreſſiqve portum, ſcapham littori admovent: qvo animadverſo vigiles, qvi ad pontem ſtationes agebant, iis, qvi in nave erant, ſublato clamore, hoſtes adeſſe ſignificant, qvi obductis velis qvieti ſe dederant. Kvöldulfus ſuis mandat, ut vela vinculaqve protinus gladiis diſſecent, rumpantqve. Ipſe, ne ſpatio qvidem ad arma capienda dato, navem tranſcendit, a prora deinde puppim usqve haſta malleata progreſſus, alterum latus evaſtans, obvios qvosqve uno eodemqve impetu proſtravit, inqve rabiem Berſerchianam verſus, ferini furoris viſus eſt impleri: ubi autem in Hallvardum incidit, galeam caputqve diſſecuit, gladioqve capulo tenus adacto, exanimem in ſublime levatum extra navem projecit. Grimus a puppi in proram usqve, ſimilem ruinæ ſtragem, qvocunqve pervaſerat, edidit. Obvium deniqve in prora Sigtryggum occidit. In tanta conſternatione plures in mare ſe conjecerunt, qvos expeditâ ad id ſcaphâ natantes omnes Grimus interfici curabat. Qvinqvaginta viri unà cum fratribus perierunt, filii item Guttormi, alter decem, alter duodecim annorum, inter natandum occiſi ſunt. Tres capti, in nuncios cladis authorumqve & occiſorum ſervati delectiqve, incolumes ad Regem miſſi, cum mandatis, ut ſimul ac qvæ geſta erant, expoſuiſſent, carmen qvoqve referrent, cujus hic eſt ſenſus. *Jam ultionem ſatrapæ de Rege ſumſimus, proleqve regia aqvilam lupumqve pavimus, cæſumqve natat corpus Hallvardi, cinerea aqvila laniat Snarfarii vulnera.* Magna ibi præda ex patrimonio filiorum Guttormi congeſta eſt, navisqve cum onere portu deducta, ſpoliaqve reliqvis impoſita. Kvöldulfus navem Thorolfi recepit, duxitqve; aliam Grimus. Tantis ſpoliis aucti, alto ſe committunt. Medium pelagus emenſi erant, cum Kvöldulfus in morbum incidit, convocatis igitur nautis, ſe ad illud tempus rarò ægrotâſſe refert, præſagire morbum hunc noviſſimum futurum: defunctum ferali arcæ ſe includi mandat, dictitans, *vehementer ſe falli, ſi in Islandiam ad partem ejus occupandam non deferretur, ſalutem filio Grimo dicerent, monerentqve, ut ſi fortè, licet creditu arduum, eos in Islandiam capulus ſuus feralis præveniat, ibi locum habitationi deligat, qvem ſe occupâſſe cognoſceret*; deinde deceſſit. Ipſi mandata exseqvuntur: nec vanum erat præſagium, nam ejus capulum in ſinum qvendam delatum, cum illuc appellerent, inveniunt, qvem in promontorium translatum ſaxis obruunt. Ibi proinde Grimus domicilium delegit, prædiumqve

umqve Borg appellavit, qvod penes familiam perpetuò ad hunc usqve diem permansisse dicitur. Qvanto virium robore Grimus polluerit, indicat saxum ingens, hodieqve conspicuum, qvod exercendo ferro subjectum urinando ex imo fundo medii sinûs extraxit: vix hodie qvatuor viri levant. Hic ingenti tractu, eoqve amænissimo, occupatô, numerosam familiam, & in ea liberos hominesqve armis gerendis idoneos qvinqvaginta qvotannis aluit.

CAP. XXV.

DE AGRIS KVOLDULFI IN FISCUM REGIUM RELATIS, GUTTORMO REGIS FILIO IN COMITIS GUTTORMI LOCUM VIKENSI TERRITORIO PRÆPOSITO, ANNO OBITUS REGIS SVECIÆ EIRICI EYMUNDII.

PUlchricomus, omnibus Kvôldulfi agris possessionibusqve ærario Regio addictis, amicos cognatosqve ejus ubiqve inqvisivit, singulosq; aliqvo incommodo affecit. Magna igitur pars eorum, & inter alios socer Grimi Ingvar, cujus filiam Beram uxorem duxit, in Islandiam concesserunt. Grimus natus videtur anno DCCCLIV nam viginti qvinqve annos natus dicitur, cum uxorem duceret, duxisse autem dicitur eadem hieme, qva Thorolfus frater ejus novissimè eos invisit, qvi erat annus LXXIX. Jam verò incertum est, an ante sacrificium hibernum, seu festum Jolense, nuptias celebraverit, ideoqve si certum annum assignare neqveo, proximum tamen collinenâsse nullus dubito. Hæc paulò latiùs prosecutus sum, qvo universa ficti criminis series, calumniæqve, tam delato, qvàm deferentibus exitiosæ, ipsiqve Regi perniciosæ, vires eventusqve constarent.

Verùm tantum unico hoc exemplo Haraldus profecisse traditur, ut nunqvam in posterum delatoribus aures temerè præbuisse dicatur. Thorolfi autem ut fidem studiumqve in Regem, cæterasqve virtutes, anteqvam lacessitus esset, laudem; ita extremam illam temeritatem, parentis etiam consilio neqvicqvam vetitam, qva ad vindictam prolapsus oppignorabat sibi Regiam navem, tanqvam jure (qvod vocant repressaliorum) captam, nemo excusaverit. Patebant illi ad eum Regem, qvi obsesso & pene capto parsurum se professus est, rebus jam integris mitigandum, calumniasqve retorqvendas, multæ viæ. Verùm a superiorum temporum licentia sub Regulorum imperiis profecti fastûs reliqviæ in Thorolfo remanserant, licet, non ut in multis aliis, subjectionis, injuriæ tamen accipiendæ, acceptæqve decoqvendæ omninò impatiente, id qvod pater fraterqve Grimus, & omnium acerrimè Eigill, ut infra in Blodoxio tradetur, exemplo testati sunt. In defuncti Ducis Guttormi locum Haraldus filium suum Guttormum substituit, Vichæqve præfecit. Mortuus fuit id temporis Eiricus Eymundius, Speciæ Rex, qvem anno Regni Haraldiani, non Monarchiæ, decimo, qvi nobis est a nativitate Servatoris DCCCLXXVII, mortalitatem explevisse Chronica MSS. tradunt. Annales autem Flateyenses, ut & alii vetustiores, anno DCCCLXXI diem suum obiisse volunt, qvod ideo minus seqvor, qvia cum ordine successionis, periodoqve imperii singulorũ, cum tempore nativitatis Pulchricomi collatis, non conveniat. (nos qvoqve in Serie Regum Daniæ ad annum LXXIII retulimus.) Successit Biornus de Colle, ejus nominis eodemqve cognomine secundus, annosqve regnavit qvinqvaginta.

CAP. XXVI.

DE HROLFO ROGNVALDI COMITIS FILIO, A REGE OB RAPINAS PROSCRIPTO.

Circa hæc tempora, (neqve enim certum annum aſſignare poſſum) Rolfus Rognvaldi, utriusqve Mæriæ & Raumsdali Comitis, ex conjuge Hilde (Codex Flateyenſis Ragnhildem vocat) filius, avi materni Rolfi Neſiæ, ſeu Naſonis, nomen referens, per longam (ut videtur) avorum ſeriem a Sturlaugi Laborioſi (ſi ejus vita tota conficta non eſt) tempore demiſſum, per toum ſeu Balticum mare aliqvanto tempore piraticam agere aſſvetus, cum in Vikam appuliſſet, armenta pecudesqve ſuperiorum temporum licentiâ in commeatus alimentaqve ſuorum militum rapuit. Id cum Regi, non procul inde agenti, innotuit, majorem in modum excanduit; nam & legem a ſe latam, qvæ inteſtinas omnes direptiones ſeverè cöerceret, violatam, contemptuqve præſentiæ ſuæ culpam auctam indignatus eſt. Is igitur, legum mandatorumqve ſuorum ſeverus vindex, Rolfum totius Norvegiæ finibus proſcripſit, exulemqve publicè in foro judiciario pronunciavit. Qvo cognito, mater Rolfi Hildis ad Regem profecta, iramqve deprecatura, interceſſione ſua neqvicqvam placabat: rhythmum igitur, cujus hic eſt ſenſus, & ipſa irata modulabatur. *Nomen jam Naſonum tibi inviſum eſt. dum virum præcipuum patriis finibus eliminas, nobilitatis illud decus. lupum in greges inter ſilvas ſaltusqve oberrantes irritare qvid conducit? qvi in rabiem verſus haud exiguum damnum inferet.* Hic Gaungu-Rolfus dictus eſt, qvod Ambulantem ſeu Pedeſtrem denotat, eo qvod tanta corporis mole fuiſſe tradatur, ut nullus eqvus ei vehendo par eſſet, pedesqve incedere neceſſe habuerit, procul dubio nominum ſimilitudine avos nepotesqve confundente, ut ſæpius fieri ſolet, namqve Sturlaugi Laborioſi filius primus Gaungu-Rolfi ab eadem cauſa nomen ſortitus perhibetur, qvod huic, fors ex eadem familia prognato, cum proprio nomine, ut fit, etiam aptatum conjicere licet; aliàs a Scriptoribus, res ejus geſtas prodentibus, minimè moles illa prætermiſſa fuiſſet. Exul ad Hæbudas primò profectus noſtris ſcriptoribus traditur, magna veritatis ſimilitudine; nam & flos totius Norvegiæ eò conceſſit, exulumqve proceres ducem tantùm eximium qvæſiverunt, Geirmundo prius Heliarskinno imperium in ſe offerentes, cujus auſpicia ad impugnandum denuo Pulchricomum ultrò ſeqvi placuit. Id qvod is prudenter jam ſenior abnuit, Islandiæ civitate profligatæ ſpei prælatâ. Et *Chronicon* qvidem *Turonenſe* tradit Rollonem elapſis poſt Haſtingi (Haddingum *Crantzius* nominat, Haſteinus fortè dictus eſt) incendia tribus luſtris (refert autem Sanctum Qvintinum, urbem Sveſſionis & S: Genovefæ Pariſienſem eccleſiam, illo duce, anno DCCCLVI crematas) id eſt anno DCCCLXXI. Seqvanam, Garumnam, Ligerim navigio ingreſſum, in feſto S: Johannis Nannetum veniſſe, & urbe peſſundata Gurvardum urbis Epiſcopum, miſſas celebrantem, ad altare S: Ferreoli decollâſſe, urbemqve Andegavum devaſtâſſe, qvod non convenit cum reliqvis ſcriptoribus. Adventum ejus in Galliam *Dudo S: Qvintini Decanus* in annum DCCCLXXVI, *vetus autem Chronicon incerti authoris, ſed quod Monachi Floriacenſis videtur, pag. m. 32*, in annum Caroli Pii (fortè Calvi) ultimum, fortè DCCCLXXVI referunt; incendia tamen & vaſtationes prædictas in

in Caroli Simplicis tempora, qvem *Phrygio* Anno CM imperare cepiſſe putat. *Vilhelmus Gemêticenſis* Rolfum Gemetias anno LXXVI veniſſe tradit, fortè priùs qvàm proſcriberetur; (diu enim latrociniis aſsveverat, & cum tantis poſtea ſucceſſibus inclaruerit, imputatum fortè ei eſt, qvod vel alii geſſerunt, vel qvibus ipſe, licet non Princeps, tamen interfuit. *Polydorus Virgilius* Anno DCCCLXXXVII in Angliam, *Ubbo Emmius* poſt annũ XCVI in Gallias veniſſe refert: uterqve initum cum Alfredo fædus tradit, ut mirari ſubeat, cur *Claudius Lyſchander* Adalſteinum pro Alfredo ſubſtituendum moneat. *Bromton* anno LXXV. *Dunelmenſis* in Normanniam LXXVI. XV Kal: Decembris, *Radolfus de Diceto* DCCCLXXXII, *Crantzius* DCCCXCVI acceſſiſſe tradit. Iis accedo, qvi poſt annum octogeſimũ in Gallias delatum tradunt. Noſtris qvoqve monumentis repugnat, ad annum LXXVI claſſem exercitumqve eò traduxiſſe. Proximo anno ab initio Monarchiæ Haraldianæ, ante eam certè in Gallias nunqvam totius exercitûs Dux commeavit, ut ille tradit, qvi adventum ejus in annum DCCCLXXI refert, nam totâ Norvegiâ eum proſcribere neqvivit, anteqvam eâ potitus eſſet. Omnes reliqvæ ſupputationes per noſtra monumenta ſubſiſtere poſſunt, at cum Adalſteini æra nullo modo, qvem plurimi anno CMXXIV vel CMXXV. *Pontanus* XXVI occepiſſe regnare tradunt. Solus *Dunelmenſis* initium imperii ejus in annum CMXIX conjicit. Ex Hæbudis exulum Norvegorum confluxu viribusqve ſuffultus in Angliam, & inde in Gallias, Rolfus movit. Ibi Normanniam Ducis titulo poſſidendam nactus eſt. Ex eo Duces Normanniæ Angliæqve Reges deinceps ortum trahunt. Hujus hiſtoriam præter alios *Crantzius* prolixiùs, ſuccinctè *Ubbo Emmius* & *Polydorus Virgilius*, complexi ſunt, Danumqve fuiſſe, non Norvegum, *Pontanus* & *Claudius Lyſchander* contendunt. Nos, ne Haraldi hiſtoriam præter neceſſitatem interrumpamus, hanc diſputationem ad calcem vitæ ejus remittimus. Progeniem ejus Chronica MSS. perinde ut alii ſcriptores recenſent, hac ſerie: filius ei Vilhelmus Dux Normanniæ, ex qvo Richardus Primus natus, progenuit Richardum Secundum, cujus filius Rolfus (ita Robertum appellant) Longa-Spatha, pater Vilhelmi Baſtardi Regis Angliæ.

CAP. XXVII.

DE REGE, PHILTRO IN IMMODICUM AMOREM PLEBEJÆ VIRGINIS SNÆFRIDIS EXTRA SE RAPTO, QVAM MORTUAM PER TRIENNIUM LUXIT, CADAVERIQVE ASSEDIT, ITEM DE LIBERIS EX EA NATIS.

ACcidit qvadam hieme, cum per Uplandas jurisdictionem exerceret Haraldus, Toptisqve convivium Jolenſe celebraret, ut pridie ejusdem feſti Regem veſpertino tempore cænantem Svaſius qvidam Finnus ad fores triclinii accedens, nunciô acciret ad convivium (ut habet editio Danica) qvi offenſam incurrens, pro legatione, qvam intulit, iram Regis retulit. Verum Svaſius ad illam obſtinax, iterum miſit, qvi Regem evocaret, adjectô, eum ſe Finnum eſſe, cui poteſtatem fecerit in oppoſiti collis radicibus tugurium ſuum ſtatuere. Egreſſus itaqve Rex, in poſtulata ejus, variantibus licet ſuorum ſuffragiis, aliis hortantibus, aliis disſvadentibus,

consensit. Transgressum filia Svasii Snæfridis, egregia corporis specie virgo, formæ artisqve fiduciâ accedens, cornu mulso repletum ei porrigit, qvo recepto, simul manum porrigentis complexus, ignei amoris flammam, universum corpus medullasqve penetrantem, ilicò concipit, medioqve cupiditatis ardore lecti sociam eadem ipsa nocte poscit. Abnuit pater, ni matrimonio secum juncturum promitteret. Rex nihil moratus, oblatam conditionem accipit, & deinceps totus in ejus amorem effusus, sed extra se raptus, adeo delirabat, ut imperii rerumqve suarum oblitus in illius ditionem concesserit. Credas puduisse amicos, tam properè, sine publico privatove consilio, socerum ex infima plebe esse electum, Regemqve ex ignobili esse geniturum, qvi nobilibus imperarent; sed sublata libertate, vultu, qvi maxime servit, assensos. Qvatuor ex illa filios sustulit, Sigurdum Hrisium, seu Gigantem, Gudriodum Liomium, seu splendidum, Halfdanum Haleggum, seu Altipedem, & Raugnvaldum Rettilbeinem, seu Loripedem. His pignoribus relictis Snæfridis fatis concessit, constititqve exanimi idem corporis color, idem oris facieiqve decor, eadem vultûs gratia, idem vigor, odorqve, qvæ viva dormientis specie præ se tulit, nec aliud Regi visum. Itaqve ut somno sopitam, non mortuam, per triennium luxit, ipsiqve præsens adfuit, custodiam corporis egit, revicturam sperans, carmenqve lugubre illius honori composuit, cujus primum versum codex Flateyensis exhibet, qvo se mortuum velatamqve virginem, balneo lemurum excitare profitetur; idem versus artificiosissimè concinnatus est. Luxerunt autem cives universi Regis amentiam. Tandem Thorleifus Sapiens, vel, secundum Codicem Flateyensem, Eigill Ullserkus, Regem hoc verborum tenore allocutus fertur: *Rectè & bene facis, Rex, dum tui memor promissi, memor Majestatis, tantæ nobilitatis, tam exsuperantis formæ feminæ, pretiosis illam vestibus, purpuraqve ornatam, plumeis culcitris, holosericisqve impositam, digno honore prosequeris: unum desidero, ne more mulierum de plebe iisdem semper velamentis operiatur; mutandus vestium apparatus, qvo pietatis tuæ officia ejusqve gloria conspectiora fiant.* Annuente Rege, consiliumqve laudante, translatum corpus, amotæ vestes. Tum verò teterrimus odor, funestusqve halitus per universam domum sparsus, circumstantes ad rogum qvàm celerrimè maturandum perpulit. Corpus omne livido colore perfusum, lacertas, ranas, serpentes, & alia viperei generis nocumenta produxit. Inde Rex ad sanitatem, desidente furore, rediit; illa in cineres conversa est. Verùm postqvam se delusum a Finnis jam sanior agnoverat, adeo gravi ira exarsit, ut filios ex ea conceptos domo expelleret, conspectuqve suo interdiceret. Gudriodus itaqve Liomius ad nutricium suum Thiodolfum de Hvine se contulit, qvodqve ipsum Regi in paucis carum, plurimum apud eum posse cognovit, ut intercessione sua sibi fratribusqve placaret, postulavit. Qvi eô in itineris societatem assumpto, in Uplandas ad Regem profectus, sero vespere inter convivandum domum Regiam ingreditur, conscensoqve juxta fores loco, pileo tectus, qvinam esset dissimulavit. Rex per pavimentum incedens, oculis in scamna conversis, ubi numerum convivarum præter spem auctum animadvertit, distichon hujus sensus modulabatur: *Mei qvidem satellites mulso perqvam dediti, huc libenter confluunt, sed qvorsum tam multi?* Thiodolfus metricè subjecit: *Calvariis non pepercimus, cum cruentis bellis Regis partes propugnavimus, nec tunc nimis multi*: innuens, participes laborum suo merito etiam deliciarum fieri. Pileo deinde deposito agnitus, summa cum benevolentia exceptus est. Cum Rege deinde expostulat, qvòd alienam culpam filiis suis impu-

imputaverit: *iniqvum dictitans, eos in pœna communicare, qvi nihil in culpa communicaverint; illam iis matrem habendam fuisse, qvam ipse deligeret, si meliorem providerit, cumulatiorem ei gratiam ab ipsis referendam; parentum electionem non esse in mortalium potestate: si qvis metus esset a præclara patris indole, in maternas sordes degeneraturos, naturæ vitia arte & industria corrigenda, istam curam providis educatoribus commendandam.* Justis piisq; postulatis haud gravatè Rex assensit, eiqve Gudriodum, ut priùs, educandum tradidit, Sigurdum & Halfdanum in Hringarichiam, Raugnvaldum in Hadalandiam, nutriendos ablegavit; qvi præclaris artibus imbuti, animi corporisqve viribus in dies aucti, in insignes viros evaserunt. Exinde Haraldus ad pacis studia conversus, intra fines Regni se continuit: moxqꝫ inde rerum omnium affluentia secuta est.

CAP. XXVIII.
DE EXPEDITIONE REGIS IN OCCIDENTEM, DOMITISQVE PRÆTER HÆBUDAS, ORCADIBUS ET HIALTLANDIA, COMITIQVE ROGNVALDO DONATIS.

ROgnvaldo Mæriarum Comiti, præter Rolfum, cujus mentionem nuper fecimus, plures erant liberi, Thorer nempe, cognomento Tacitus, eadem qva Rolfus conjuge legitima natus, qvi patri postea in comitatûs possessionem successit, & Ivar. Cæteri extra conjugium procreati, Halladus nimirum & Hrollaugus; Einar qvoqve è serva natus; atqve hoc nomine patri, servilis commixtionis nimis serò pertæso, vilis & exosus: fratrem etiam habuit Rögnvaldus, nomine Sigurdum, de qvo mox dicturi sumus, paucis de Orcadibus præmissis, idqve eo brevius, qvòd qvicqvid nobis de iis constat, jam antea justo volumine prolixè complexi sumus. Eas *Chronica Norvegica*, ut & Hialtlandiam, ante Pulchricomi tempora piratarum receptacula fuisse tradunt, id qvod de solitudinibus haudqvaqvam videtur intelligendum, qvæ piratis minori usui fuissent, qvàm si essent cultæ. Eò se vel exules vel rebelles e Norvegia in hibernia receperunt, qvi totas æstates Pulchricomi ditionem, plurimis illatis damnis, infestare consveverunt, præsertim mediæ regionis partes, post Hafursfiordensem victoriam; nam angvium instar, colliso capite caudâ minantium, cum de ulteriori successu spes esset profligata, non tamen nocendi penitùs abscissa, id egerunt, qvod poterant, populationibus latè, latiùs etiam metu sui sparso, Regem ad excubias haud mediocri classe qvotannis agendas, ad arcendum finibus Regni hostilem impetum, exciverunt. Verùm qvoties ipsis periculum imminebat, in altum provecti, ad occidentales terras refugerunt, iteratóqve Regem lacesserunt. Qvi tandem ægrè ferens, impunè se eludi, adqve sumptus haud mediocres sustinendos cogi, qvadam æstate oceano transmisso, primùm ad Hialtlandiam delatus, prædones omnes, qvotqvot improvisam expeditionem minimè suspicati elabi neqvibant, ad internecionem delevit. Inde orcadibus occupatis, eodem tenore eas in potestatem redactas a latronibus liberavit. In Hæbudas inde concessit, ubi tot fere victorias reportavit, qvot bella gessit; gessit autem qvàm plurima, ducibus piratorum occisis, promiscuaqve cæde plurimis absumptis.

Nec

Nec Scotiam ab armis ſuis immunem reliqvit. Pluribus ibi pugnis, multaqve ſtrage edita, ad Monam ſe convertit, qvam incolis omnibus vacuam deprehendit, namqve metus ejus univerſos, deſertis tantùm domibus, reliqvis omnibus ablatis, in Scotiam abegit. Nullo igitur reſiſtente, eam non tam domuit, qvàm derelictam occupavit, id qvod Hornklofius rythmo prodidit. Inter has pugnas Ivar, Rögnvaldi Mæriarum Comitis filius prælio cæſus occubuit, in cujus ſolatium (alii licet tonſæ prius comæ Regiæ præmium hoc tradunt, ſed minùs, ut videtur, ad veritatem, cum inſulis illis eo tempore potitus non ſit) dum domum rediret, Orcades & Hialtlandiam ei fiduciario jure poſſidendas, hæredibusqve ejus conceſſit, ut ſeqventes Norvegiæ Reges donationem illam poſtea, atqve adeò ipſe Rex, interpretatus eſt. Nam cum Rögnvaldus eas iterum fratri ſuo Sigurdo donâſſet, qvod ſtatim fecit, non tamen Comitis titulum ſeu inveſtituram, vel ille, vel poſteri, vivo Rege, aliter qvàm illo creante, conſecuti ſunt. Cum autem Comes creatus ſit ab Haraldo; clientelari jure inſulis hiſce, non item Hæbudibus, absqve tributi onere, tantùm præfectus relinqvitur. Adeo latè in occidentem fines imperii ſui Haraldus extendiſſe traditur, ut nemo ſucceſſorum latiùs, ſolo Magno Nudipede excepto, teſte *Lib. Originum Islandiæ Cap. XI. pag. 12.*

CAP. XXIX.
DE KETILLE SIMO AD HÆBUDAS DOMANDAS MISSO, EJUSQVE AB OBSEQVIO DEFECTIONE.

Poſtqvam Haraldus ab expeditione in Hæbudas & Monam Orcadesq; ſuſceptâ domum rediit, piratæ Scoti & Hiberni Hæbudas iterum occupârunt. Ad eos igitur domandos, inſulasq; in poteſtatem redigendas, Ketillem Simum, claſſe militeq; ſatis inſtructum, licet admodum invitum, ſed imperio Regio reniti non auſum, amandavit, inſulisqve præfecit, impoſita conditione, tributi annui pendendi. Hic igitur univerſam familiam eò deducit, relicto ſolo filio Biorno, latifundiis & prædiis in Norvegia præfecto. Educabat eum Comes Jamtiæ Kiallacus, filiâ Giaflauge deinceps in uxorem datâ. Ketill multis præliis perpetuô victoriarum curſu feliciter geſtis inſulas domuit: fœderibus deinde præcipuis occidentalium regionum Principibus, & affinitate per filiarum conjugia ſibi conciliatis, earum poſſeſſionem ſibi confirmavit. His fretus, claſſe & militibus ad Haraldum in Norvegiam remiſſis, apertè ab eo defecit, Principemqve Hæbudarum ſe gerens, & tributa & obſeqvii genus omne in poſterum detrectavit. Milites demum remiſſi retulerunt, *feliciter qvidem Ketillem inſulas domuiſſe, ſed nullo Regis commodo.* Itaqve bonis prædiisqve omnibus, fiſco Regio addictis, eum multavit: filiumq; Biornum, qvi ſolus ex ejus liberis in Norvegia remanſit, poſtqvam proſcripſiſſet, per percuſſores neqvicqvam tollere annixus, in cognatos ejus amicosqve iram vertit, ne ſe maturè ſubduxiſſent, acriùs ſæviturus. Sola hiſtoria, qvæ *Laxdæla* inſcribitur, qvam *Arngrimus* etiam ſecutus eſt, teſtatur, ideo invitum e Norvegia in Hæbudas profectum, qvòd Pulchricomum ſuis prædiis inhiare vereretur: id qvod tamen a veritate abhorret, nam neqve unqvam his artibus doliſqve

Haraldum usum legimus, nec id expediebat adversus eum, cui tantas copias commiserat, præfecitqve peregrinis regionibus, unde proferendorum imperii limitum latè per occidentem præstantissima occasio affulsit, Haraldo perqvam utilis. Dulcedine imperii captum, jugumqve Haraldianum, qvod necessitate durante displicere dissimulavit, exosum, & ad perfidiam prolapsum, credere par est. Filiam Audurem Olafo Candido seu Albo (Hviti enim hoc modo vertitur, qvi *Varæi* Amlaus esse videtur, ordine temporum dictitante) dudum ante id tempus elocâsse videtur. Nam qvomodo consistit (qvod etiam ex antiqvitatibus colligitur) filium ex ea genitum Thorsteinum, *Varæi*, ut colligo, Ostini Duflini Regis fratrem, nondum natum, societate cum Sigurdo Orcadum Comite inita dimidiam Scotiam domuisse, si tum primùm filiam Audurem matrimonio ei junxisset? Id qvod neqve scriptores antiqvi, neqve *Arngrimus* observavit, qvi in inveterato errore hæret, qvod tamen *Laxdæla* haud obscurè corrigit. Certè Audur infra annum Christi DCCCXL. nasci non potuit, si filius ejus Thorsteinus circa annum DCCCLXXX. in perdomanda Scotia occupatus fuisset. Patri itaqve ejus ante annum Christi DCCCLX. nupserit oportet, non post annum DCCCLXXV, postqvam Haraldus solus rerum potitus est: Ketillem namqve Simum circa annum DCCCXX. natum supponimus, ut sexagenario propior cum exercitu ad Hæbudas missus videatur, neqve enim decrepitum ad id electum statuendum; senem *Laxdæla* conceptis verbis fuisse tradit. Cur autem ejus operâ, & potissimùm inviti, qvàm aliorum uti maluerit Haraldus, aliam rationem probabiliorem afferre neqveo, qvam qvòd affinitate occidentalium Regum succinctum (ubi piraticam dudum ante exercuisse *Laxdæla* tradit) facilè eos in suas partes allecturum nosceret (nihil enim de hominis, bonæ ad id usq; tempus famæ, fide dubitabat) gener namqve ejus Olafus, natione, ut videtur, Norvegus, eo qvod in occidentem expeditiones suscepisse tradatur, (qvod addi non debuisset, si vel Hibernus vel Anglus fuisset) Dublinum Hiberniæ civitatem cum subjecto territorio subegit, seqve ibi Regem constituit; ut malè alibi tradatur, filios Pulchricomi primos Norvegorum oppidum illud expugnâsse. Nec scio, qvem Norvegiæ Regem *Camdenus ex vita Griffithi ap Cynan* Principis Valliæ Haraldi nomine intelligat, qvi post Edgaris Angliæ Regis tempora, annum scilicet CMLXXV, qvo decessit, maximam Hiberniæ partem tenuerit, Dublinumqve condiderit. Genus Ketillis libro seqvente inter incolas primos Islandiæ cognosces.

CAP. XXX.

DE SIGURDI ORCADUM COMITIS ADVERSUS COMITEM SCOTIÆ MELBRIGDIUM PERFIDIA, ET UTRIUSQVE FATO.

Sigurdus Rögnvaldi Mæriarum Comitis frater cum Thorsteino Rufo, de qvo seqventi libro plura dicenda sunt, societate inita, fines Regni ultra limitem insularum, qvem Oceanus præscripsit, longè protulit. Nam Katanesiam & Sudurlandiam, usqve ad terminum Eckialdzbackam, in ditionem uterq; communi opera redigit. *Codex Flateyensis* Rossiam & Moraviam, adeoqve dimidiam Scotiam, addit, oppidumqve ab eo in australi

Moravia exſtructum, nomine omiſſo, tradit. Fuit Comes qvidam in Scotia, nomine Melbrigdius, a prominente oriqve exſerto dente Tannius ſeu Dentatus dictus. Inter hunc & Sigurdum convenit, ut in locum conventui deſtinatum ad mutuum colloqvium, qvilibet qvadraginta tantùm militum ſatellitio ſtipatus, coirent. Verùm præſtituto tempore Sigurdus metuit, ne fortè Scotus pluribus militibus ſuccinctus inſidias ſibi tenderet; qvod igitur extimuit ſcelus, ſibi occupandum ſtatuit. Singulis itaqve eqvis eqvites duos impoſuit, qvo numero eqvorum deceptus propiùs Comes accederet. Qvod ut Melbrigdius animadvertit: *decepit nos*, inqvit, *Sigurdus, duplicato armatorum numero, ê ſingulis namqve lateribus eqvorum duos pedes dependere animadverto.* Suos itaqve hortatur, *ut qvod unum reliqvum fortuna fecerit, cohoneſtent virtute; id ſolum referre, utrùm præbentes corpora pecorum modo inulti trucidentur, an toto animo â patiendo expectandoqve eventu in impetum atqve iram verſo agentes audentesqve perfuſi hoſtium cruore inter exſpirantium inimicorum cumulata armaqve & corpora cadant.* Atqve his dictis conferti hoſtes expectant: qvo animadverſo Sigurdus, parte dimidia eqvis depoſita, jubet ut ſtatim ſeqvantur, ſe vero cum eqvitatu impetum in illos irruptionemqꝫ facturum, & a ſtatione turbaturum. Nec fefellit eum conſilium, non enim Scoti eqvitatum ſuſtinebant, itaqve primo impetu pulſi, facilem de ſe hoſti victoriam conceſſerunt: ad unum omnes cæſi ſunt, capitaqve corporibus amputata, âqve victorum ephippiis ſuſpenſa, ne qvid inſolentiæ deeſſet, qvaſi in triumphum ducebantur. Verùm accidit, ut Sigurdus eqvum calcaribus in curſum acriùs concitaturus, pedem in prodigioſum demortui Comitis dentem impegerit; unde vulnus virulento humani dentis morſu ſuræ inflictum confeſtim intumuit, conceptoqve veneno lethiferum evaſit. Inde perfidiæ inſolentiâ cumulatæ ſecuta pœna, infamis exitus, qvem ſibi ipſe, alienis per ſummum nefas inhians, loco ſpoliorum prædæqꝫ acceleravit. Conditus eſt tumulô in Eckialdsbacka, neqve enim ultor rupti fæderis fideiqve Deus domum eum redire paſſus eſt. Sed neqve ſuperſtiti filio Guttormo partus per parentem amplificatusqve principatus, uſusve ſpoliorum, magnis laboribus periculisqve acqviſitorum, diuturnior fuit: intra namqve annum absqve prole morbo abſumptus eſt.

Poſt exceſſum Guttormi Orcadum Comitis, Halladum filium Rögnvaldus inſulis præfecit, eumqve ad Haraldum Regem Comitis dignitate ornandum ablegavit, â qvo acceptâ, ut loqvuntur, inveſtiturâ, Comes conſtitutus eò conceſſit, inqve Hroſſeya qvietus conſedit, otio deſidiæqve deditus, cæteras inſulas a piratis impune exſpoliari, homines occidi, opes diripi, qvaſi ſua nihil referret, paſſus eſt; incolis aſſidua latrocinia, nullo vindicante, tanqvam licita, apud eum qveſtis. Tantùm aberat, ut præſidio eſſet, ut generis dignitatisqve oblitus, latronum tædio, qvibus compeſcendis imparem ſe animadvertit, abdicato officio, ſummo cum dedecore opprobrioqve in patriam rediret, ibiqve Hauldico ſtatu recepto contemptui eſſet. Eſt autem ſtatus Hauldicus idem qvi nobilitatis, ut ex hoc loco planum eſt. Nam & Herſar ſeu Herſii, qvi aliàs Lender menn/ o: Satrapæ ſeu præfecti, vel Barones, ut & Comites, creabantur a Regibus, Hauldi naſcebantur: id qvod *Arngrimum* non ſatis obſervâſſe exiſtimo. Eſt autem Hauldus, *Codice Gulathingenſi, Tit.* Landzleigu Balkr/ Cap. XL. deſcribente, qvi in bona allodialia, tum paterna, tum materna, ſucceſſit.

Poſt Halladi diſceſſum duo prædones Dani, Thorer Lignobarbus, & Kalfus Skurfa ſeu Scabioſus, inſulas occupârunt, Qvod ubi ad Rognvaldum

dum relatum est, ignaviam filii execratus, degenerem eum familiæqve portentum pronunciavit. Convocatis igitur filiis, profiteri jussit, qvinam Regium munus, familiæqve decus, utrumqve ignavi fratris desidiâ vel fœdatum vel amissum, vindicare velit? Primus Thorer Tacitus progressus, qvò se pater ablegaret processurum profitebatur; ad qvem pater, *domi eum manere oportere* respondit, *patriam namqve ejus nutricem mansvetam satis & facilem futuram. Liber Originum* Rolfum deinde prodiisse tradit, seqve ad vindicandas insulas obtulisse: cui pater respondit, *animi qvidem generosi indolem, stupendumqve corporis robur audaciamqve, haud ei muneri ineptum declarare; verùm ingentes animi motus priùs sedandos, qvàm provinciarum regimen suscipiendum. Codex Flateyensis* peregrè id temporis profectum, inqve expeditionibus occupatum refert, cum hæc agerentur; cui etiam accedo, si Rolfum anno seculi ejus LXXVI. Gemetias primò appulisse statuendum. Nam hæc ante annum octingentesimum octogesimum contingere neqviverunt, ante qvem Rolfum proscriptum ex hac supputatione fuisse oportet. Deinde Hrollaugus patris voluntatem de se Comite constituendo qvæsivit; cui ille respondit: *mitiori illum ingenio præditum, Islandiam satis ei monstrari, ibi magnum virum, clariqve seminatis parentem futurum animum præsagire.* Ultimus Einar patrem accedens, *me igitur eò mittito*, ait, *exosum parenti filium, nec ad ampliorem spem in patria aspirantem: adde etiam copias qvibus interceptas insulas ê manibus prædonum extorqveam: gratissimam tibi rem me facturum recipiam, nunqvam deinceps in conspectum tuum rediturum. Minùs idoneum principem*, respondit pater, *maternum te genus totum servile pollicetur: verum qvod conspectui meo te subducas, valde placet, tanto acceptius, qvanto discessus prior, reditus posterior.* Inde nave viginti scalmorum donatum, Comitisqve titulo dignitateqve a Pulchricomo ornatum, dimisit. Primò in Hialtlandiam vectus copias magnas, incolis ad se ultrò confluentibus, collegit. Inde versus Orcades rectà cursum dirigit, piratasqve prædictos duabus navibus instructos adortus, cruento prælio fudit, de qvo distichon id temporis factum remanet:

Ficosum & Lignobarbum detrusit ad Orcum,
Einar, cui Cespes nominis author erat.

Dictus autem est Einar de Cespite, patria lingva Torf=Einar / qvòd lignorum inopiam cespite bituminoso in Torfnesia Scotiæ promontorio effoso Orcadenses primus supplere docuerit (silvis enim insulæ carebant) vir rara indole & ad imperandum natus.

CAP. XXXI.

DE HALLADO ROGNVALDI FILIO COMITE ORCADENSIUM CONSTITUTO, EJUS IGNAVIA ET ABDICATIONE, SUFFECTOQVE IN EJUS LOCUM EINARE DE CESPITE, ET EJUS GESTIS.

QVadragenarius erat Haraldus, cum filii jam adultiores indignabantur, *Comitibus, respectu sui ignobilibus, regni partes concessas, se Rege satos, tantisqve natalibus dignos, viros strenuos, reiqve benegerendæ idoneos, præteriri.* Igitur Halfdanus Altipes & Gudriodus Liomius Rognvaldum Mæriarum Comitem magnis militum copiis inopinantem primo vere adorti,

incensis ædibus, cum sexaginta satellitibus flamma fumoqve consumptis obruerunt. Gudriodus in provinciis, qvas tenuerat, qvasi justo bello partis, aut jure vindicatis, consedit: Halfdanus, tribus longis navibus ibidem direptis, occidentalem oceanum piraticâ infestum reddidit. Qveis cognitis, Haraldus cædem Comitis vindicaturus, adversus Gudriodum movit. Hic rebus suis diffidens, Regis se potestati permisit, veniâqve impetratâ in Agdam jussu ejus seponitur, supposito in patris Rögnvaldi locum filio Thorere Tacito, matrimonio filiæ suæ Olufæ Arbotæ (sic dictæ, qvòd anni vel annonæ remedium adtulerit) insuper ornato, visaqve est paterna cædes repensa interfectoris pænâ, affinitate Regia, & restitutione in universam paternam ditionem. Halfdanus autem Altipes valdè improvisus in Orcades delatus, Comitem Einarem, fugâ sibi salutem qværentem, in Cataneſiam compulit. Ipse exscensione facta insulas sibi regendas, tanqvam legitimo Regni Norvegici hæredi, usurpato etiam Regis titulo, arrogavit, multis virium defectu, metuqve potentiæ vel sævitiæ, ad eum transeuntibus. Proximo autumno Einar, Halfdano jam securo, majoribus viribus comparatis, reversus, omnibus ejus copiis primo statim congressu dissipatis, eum in fugam compulit, mox etiam a suis desertum, inter noctis tenebras, ad impeditas & avias latebras qværendas. Victor fiduciæ speiqve plenus alacres milites in navibus velatis excubias agere jussit. Posterioris diei diluculo fugitivi, qvotqvot investigari poterant, neci dati, jamqve procul omnia perlustraturus Comes, sublimes circumferens oculos, *nescio*, inqvit, *qvam hominis vel alitis imaginem in Rinarseya aspicio, nunc sursum se, nunc deorsum momento ferentem.* Nec mora, emissis exploratoribus Halfdanus agnitus ad Einarem defertur. Is gladio dorsi scapulis adacto, omnes a spina, usqve ad lumbos, costas separavit, exemptosqve pulmones Odino pro victoriæ perennitate dedicavit, rhythmumqve in perpetuam ejus memoriam extempore fudit, cujus hic est sensus: *Mortem qvidem Rognvaldi ulti sumus, Parcis hic justè judicantibus, meo qvadranti cædes obtigit Regia* (Halladum autem inter fratres aut non censuisse, aut qvidam eorum, qvi post Ivaris cædem qvintus erat, fato functus videtur; nam per qvadrantem se qvartum intelligit) *contegite alacres viri, qvoniam victoria penes nos; Altipedem lapidibus, durum ei tributum*, (saxa tumulo excitanda intelligit) *reddo.* Alium rhythmum post partam victoriam præcedenti vespere, cum Halfdanus ê navi prosiliens mari se immersit, cecinit, hoc sensu: *non vidi hastam in hostium cohortes ê Rolfi vel Hrollaugi manibus emissam: nobis vindicta patris cessit, qvin & hoc vespere, dum cruentum navale gerimus bellum, Thorer Comes adhuc tacitus in Mæriis sedet.* (allusit ad cognomen Thoreris.) Hinc planum est (extat namqve versus idiomate patrio) qvatuor hos fratres fuisse: Halladum autem (sive mortuus, sive vivus erat) ut tanto genere indignum præteriit. Hæc cædes anno post natum Christum circiter DCCCXCIII perpetrata videtur. Cecinit & tertiam cantilenam, qva sibi Regiæ prolis cædem gratulabatur.

Hæc in Norvegiam perlata fratres Halfdani valde commoverunt, protinus ad vindictam paratos, ni pater moras nectendo impedivisset, qvorum minas ad se delatas cum Einar percepisset, rhythmo exsibilavit, hujus sensûs: *multos namqve ovium subreptarum reos agi, se vero cædis Regis filio illatæ: esse qvidem, qvi haud leve sibi a generoso Rege periculum inminere prædicerent, sibi vero cladis Haraldo illatæ vindictam haudqvaqvam extimescendam.* Adjecit & alium hoc sensu: *sunt eqvidem multi hinc inde confluentes, viri minime viles, nec sine causa mei sangvinis avidi, incerti tamen,*

men, nisi me fuso, qvinam nostrum aqvilis præda fiet. Tandem Pulchricomus, exercitu haud modico classi imposito, ad Orcades vectus est. Qvod ut Einar cognovit, in Catanesiam Scotiæ promontorium secessit. Per legatos deinde locus, ubi Rex Comesqve convenirent, lectus: ibi Comes Regis arbitrio cuncta permittens, ejus judicio staturum se promisit. Rex Comiti & universis Orcadum incolis, sive qvòd vasallum adversus dominum superiorem juverint, sive omnes crimine occisi filii contaminati fuerint, multam sexaginta selibrarum auri indixit. Nimium illud civibus visum, Comes se solum omnium nomine expensurum pollicebatur, si agros omnes suos sibi possidendos permitterent. In id haut gravatè consensum est, eo qvod pauperioribus agrorum exiguum esset, ditioribus redimendi, qvandocunqve liberet, spem certam facultates suggererent. Solus igitur Comes irrogatam multam solvit, qva accepta, postqvam Rex Scotiam, *Glitneris odâ* testante, armis infestâsset, eodem autumno in Norvegiam rediit. Longo deinceps tempore prædia omnia Orcadensium penes Comites remanebant, qvoad Sigurdus Hlaudveris, sive Ludovici, filius, civibus eadem reddidit. *Chronica Norvegica in vita divi Olafi* tradunt, absente Comite cives omnes Orcadenses a Rege, agris allodiisqve singulis multatos, juramentoqve ad possessiones in proprietatem ejus transferendas adactos: postea pacem coaluisse, iis conditionibus, ut beneficio Regis Orcades Comes, sed absqve tributi onere, teneret, qvod jugi sumptu, ad insultus hostiles iis temporibus solennes propulsandos pensaretur; solvisse autem in præsens sexaginta marcas auri: id autem suo civiumqve nomine factum apparet, cum possessiones eorum sub hypotecha obligatas ea de causa teneret. Einar longo tempore deinceps insulas feliciter rexit, Princeps animi excelsi, qvo materni generis sordes, corporisqve vitia, satis superqve pensabat. Erat autem facie turpi, altero oculo captus, qvo tamen acrius viderat, qvàm alii duobus. Morbo senex, qvo anno nescio, decessit, tribus filiis, Arnkele, Erlendo & Thorfinno Hausakliufo, seu capitum sectore, relictis.

CAP. XXXII.
DE DIVISIONE PROVINCIARUM INTER FILIOS PULCHRICOMI, EORUMQVE JURE ET EXITU, ROGNVALDIQVE LORIPEDIS IRROGATA A PATRE PÆNA.

GUdriodi & Halfdani exitiosum Comiti Rögnvaldo exemplum reliqvi filiorum Haraldi secuti, & ipsi qvidem mutuæ invidiæ stimulis invicem concitati, complures Comites ditionibus suis expulerunt, qvosdam etiam trucidârunt. Adeo imperandi cupido pænæ metum superaverat, qvem etiam indulgentiæ in Liomium, impunitatis in Halfdanum recens memoria exemplumqve, vel minuit, vel demsit. Intestinis igitur bellis, diffidiis, aliisqve malis civilibus, maturè occursurus Rex, comitiis in orientali Regni parte (Anno, teste codice Flateyense, ætatis LXX, versione Danicâ LX, Chronicis MSS: L.) indictis, omnes Uplandicæ nationis populos eò convocavit. Ibi filiorum singulos Reges appellavit & fecit, concessa redituum omnium parte dimidia, legemqve sanxit, regno parum utilem, ut a se progenita virilis sexûs proles in Regios titulos ditionesqve, fæmi

fæminis orti in Comitatus, perpetua hæreditate fuccederent, qvos a filiorum fede unô gradu inferius, pariter ut filios â foliô Regiô, fibi foli refervatô, diftinctos collocavit. Olafo, Biorno, Sigtryggo, Frodio & Thorgilfi Vingulmarchia, Borgarfysla, qvæ & Oftfoldia deinde dicta eft, Raumarikia, Veftfoldia, feu Tunsbergenfis diftrictus, & Thelamarchia: Dago, Hringo & Ragnari Heidmarchia cum Gudbrandzdalis: Snæfridis filiis Hringarichia, Hadalandia, Thotnia, cum adjacentibus: Guttormo tractus a Gautelfa ad Svinafundam, nomine Ranarichia, feu diftrictus Bahufenfis: Halfdanis & Sigriodo Thrandia; Rærecho & Gudriodo, in aula plerumq; manentibus, reditus ex Hordia & Sognia: Eirico Halogia, Nordmæria & Raumsdalus ceffit. Hic reliqvis omnibus prælatus, patri præftò inqve delitiis fuit, qvem cæterorum fratrum Regem, fibiqve fucceforem, deftinavit, fingulis filiorum fibi, civibus autem cujuscunqve provinciæ fuis dominis illud faftigium unicè expetentibus. Thrandi Halfdanum Nigrum refpiciebant. Orta inde inter ipfos fratres æmulatio & diffidia mutuam concordiam corrupit, corruptam fuftulit, fublatam jurgiis, tandem etiam cædibus, cumulavit. Cum autem Regnum in tot provincias divifum effet, fingulæqve provinciæ fingulis, qvædam etiam pluribus Regibus pro dignitate fuftentandis impares effent, animisqve regentium anguftiores, ad prifcorum Regulorum ut fortem, ita etiam ftudia, reditum eft, piratica licet indigenis abftentum, in exteras tamen gentes transmarinasqve nationes graffatum, jufto etiam exercitu qvibusdam bella illata, familiæqve Regiæ detrimento qvandoqve terminata: nam & Halfdanum Altipedem in Orcadibus occifum docuimus: ejus cognominis alter, Albus dictus, in Eftonia cruento prælio cecidit. Frodius & Thorgils, impetratis a patre longis navibus, expeditione in occiduas infulas fufcepta, Scotiam Cornaviamq; (qvam Bretland Norvegi olim appellârunt) populationibus vaftârunt; Hiberniam præterea adorti, Dublinum (non qvidem primi Norvegorum, ut habent Chronica) occupârunt, nam Olafus, *Varæo* Amlaus, Thorfteini Rufi pater, prius urbem illam cum adjacente agro tenuit. Frodius veneno ibi fublatus perhibetur, Thorgils vero per complures annos regnâffe, tandem etiam dolo interemptus. Hunc qvidem noftri fcriptores confudiffe videntur cum illo Thurgefio, qvem *Giraldus*, tefte *Bromtone*, narrat Fedlimidii Hiberniæ Regis tempore Norvagenfium Ducem Hiberniam occupâffe, factisqve qvàm pluribus per loca foffatis profundis, caftella fimplicia, duplicia, triplicia, murata adhuc integra, tamen vacua, erexiffe, tandem dolo puellarum delufum interiiffe, nam cum filiam Regis Medenfis adamâffet, qvam pater ejus cum qvindecim puellis transmittere Thurgefio promififfet qvibus apud ftagnum Lachernum cum totidem nobilioribus gentis fuæ Thurgefius occurrere fpofpondit: qvod dum faceret, a qvindecim juvenibus imberbibus, fub habitu puellari ficas ferentibus, dolosè occifus, poftqvam triginta annis in infula imperaverat: qvæ ipfius verbis retuli. *Camdenus* Norvegos univerfam infulam eo Duce per triginta annos indignisfimis populationibus vaftâffe perhibet, qvo infidiis fublato, in Norvegos cæde adeo atroci graffatum fit, ut vix nuncius tantæ cladis fuperfuerit. Sed de his ad calcem fuperioris libri egimus. Certè tempora ab æra Pulchricomi diverfa funt; nam ab adventu Patricii Primi, qvi incidit in annum Chrifti CDXXXII ad Fedlimidii tempora qvadringentos annos *Giraldus* numerat. Illius autem tempore Thurgefius infulam fubegiffe traditur. *Jacobus Varæus Antiqq. Hibernicarum Cap. XXIV.* annum adjicit DCCCXXXV adventus ejus primum, nondum nato, fecundum noftratum

tum calculum, patre ejus Haraldo, occiſum autem tradit anno DCCCXLV, decem ergo, non triginta, annos imperavit. Stabilit hanc noſtram conjecturam *Hiſtoriæ Britannicæ* traditio, qvæ Gurmundum qvendam ab Africa in Hiberniam advectum & inde in Britaniam â Saxonibus aſcitum perhibet, cujus auſpiciis Thorgeſius Hiberniam ſubjugâſſe fertur, qvi non Africanus, ſed Norvagienſis *Giraldo Cambrenſi Topographiæ Hibernicæ Cap. XXIV.* veriùs fuiſſe videtur, id qvod vel nomen perſvaſerit, Africanis, ut credo, ignotum. Gudmundi nomen in Gurmundi Scriptores Britanni, vel etiam librarii, fortè detorſerunt. Regnaverit in parte Norvegiæ illis temporibus potentior aliqvis illo nomine dynaſta, cujus auſpiciis Thorgeſius Hibernos ſubegerit. Neqve enim nobis illòrum nomina geſtave, qvi tunc Norvegiæ partes rexerunt, veteres memoriæ reliqverunt, præter admodum pauca progenitorum Haraldi Pulchricomi, & eorum, cum qvibus ipſis res erat. Nec aliis etiam Haraldi liberis lætior exitus: Guttormus namqve præſidio limitibus Regni adverſus finitimorum incurſiones impoſitus, dum in excubiis verſatur, ad oſtium fluvii Gautelfæ, ubi claſſis ſuæ ſtativa habebat, ſuperveniente Sólfio Klofio, antea non ſemel victo, vices alternante fortuna, navali prælio ſuperatus interficitur, eiqve frater Olafus ſubſtituitur. Rögnvaldus autem Loripes Hadalandiæ præfectus, ad materni generis ingenium rediens, magicarum artium ſtudio totum ſe dedidit; execrabile illud genus, qvod ſeið appellant, humanisqve oſſibus lebeti injectis, adqve focum aſſatis, peragi traditur, in præcipuis deliciis habens. Id genus autem magiæ cultores Rex in primis execratus, unum eorum, nomine Vitgeirem, Hordiæ civem, talium infamem, ad ſe accitum, nefariis artibus nuncium remittere juſſit. Is excuſationis loco metricè regeſſit, *minus rectè ſibi crimini dari, qvod in Hadalandiæ Regulo Rognvaldo non damnaretur*; qvo cognito Rex valdè exacerbatus, Eiricum filium cum valida ſuorum manu in Hadalandiam ad eum interficiendum ablegavit; qvi improvisò ſuperveniens, eum cum octoginta veneficis, incenſis ædibus, ſuſtulit. Hac ſevera in objecti criminis reum filium animadverſione magnam laudem aſſecutus erat Haraldus, ut qvi juſtam pœnam paterno affectui præpoſteræqꝫ indulgentiæ prætulit, magnum authoritatis in poſterum teſtatiſſimo exemplo munimentum. Gudriodus Liomius, exacta apud nutritium ſuum Thiodolfum de Hvine hieme, lembo, qvem inſtructum habebat, in Rogiam trajecturus, obortam ſubitò tempeſtatem nihil moratus, Thiodolfo carmine, qvod extat, neqvicqvam diſſvadente, propè Jadriæ littus importuoſum, facto naufragio, fluctibus cum omnibus ſociis nauticis abſorptus periit. Halfdani ſimul orientem cunjunctis viribus operisqve infeſtantes, dum Eſtoniam invadunt, magnoqꝫ prælio laceſſunt, inſignem cladem accipiunt, qvam Halfdanus Albus ſua cæde magis fecit memorabilem. Octo Haraldi filii variis bellis occubuerunt. Eiricus in Fiördis apud ſatrapam, ut antea diximus, Thorerem Hroaldi filium usqve ad annum ætatis ſuæ duodecimum educatus eſt.

CAP. XXXIII.

DE SKALLAGRIMI FILIO THOROLFO, HOSPITII JUS IN NORVEGIA PERMISSU PULCHRICOMI ADEPTO, CONSILIO BIORNI HAULDI (CUJUS GESTA HAC OCCASIONE EXPONUNTUR) INTERCESSIONE THORERIS SATRAPÆ, MAXIME VERO PRECIBUS EIRICI BLODOXII, IN CUJUS SATELLITIUM RECEPTUS EST.

Dixi-

DIximus ſupra, Skallagrimum poſt cædem amitinorum Haraldi Pulchricomi in Islandiam conceſſiſſe. Duos ibi filios procreavit, majorem Thorolfum, patrui nomen referentem, qvi admodum juvenis in Norvegiam, vivo adhuc Pulchricomo, Biornum qvendam Hauldum, hac occaſione pluribus memorandum, ad ſeqventium faciliorem intellectum, ſecutus trajecit. Pater Biarni Grimolfus de Orlandia, Sogniæ ſatrapa, cui frater Thorer, ibidem natus. Accidit autem ut Biornus ad convivium invitatus, inuſitatæ formæ virginis Thoræ, cognomento Hlaðhorn / Thoreris Hroaldi filii, Fiordorum ſatrapæ, filiæ, inter plures alias invitatæ, repentino amore captus, nec impetrato in conjugium patris conſenſu, perſpectis mutui amoris veſtigiis incitatior, inſuper repulsâ irritatus, maximè qvòd haud impar conditio offerretur, proximo autumno domo paterna haud repugnantem raptam ad patrios penates deveheret, uxoriſqve loco haberet; invito & adverſante patre Grimolfo, cui cum Thorere inſignis amicitiæ uſus erat. Injuriam igitur tam atrocem a ſua domo illatam ei, qvem ne verbo qvidem offenſum voluiſſet, ægrè ferens, ſine mora per nuncios ſe ei ad arbitrium ejus ſatisfacturum pollicetur; qvod alitèr, qvàm recepta filia, ſe admiſſurum cum negâſſet, ne id qvoqve reconciliandæ gratiæ veteriqve concordiæ obſtaret, Grimolfus eam remiſſurus obſtante filio impeditur. Qvi primo vere navem longam a patre, piratici exercitii ſpecie, cum poſceret, reſponſum accepit, tantis ſe eum viribus haudqvàqvam inſtructurum; forſitan ad plura, ſibiqve inimica facinora, ipſiq; indigna perpetranda: mercaturæ tantum merciumqve copiam fore, Dublinumqve ut navigaret, ſvaſit. Poſtqvam paratus faventem ventum nactus eſt, Thoram, curæ cuſtodiæqve matris ſuæ commiſſam, accedit, ſeqve comitari jubet; qvæ haud gravatè aſſentiens, conſcia matre, ſed patre inſcio, de nocte navem ingreſſa, communem ſibi cum illo ſortem depoſcit. In altum navigantes, nihil magis qvàm patriæ littora devitant; longaqve tempeſtate erroreqve per æſtatem acti, tandem ad Marſeyam (aliud Exemplar Nidarſeyam, tertium Möſeyam habet) Hialtlandiæ inſulam, ſine tamen naufragio, navem impingunt. Mox oppidum ſeu caſtrum proximum ingreſſi, eo univerſam mercium vecturam deferunt, navemqve reficiunt. Eodem autumno per mercatores ex Orcadibus advenientes fit certior Biornus, ſe â Rege Haraldô ob raptum virginis totâ Norvegiâ proſcriptum. In oppido igitur Moſeyenſi, celebratis cum Thora nuptiis, hiemat; proximo vere in Islandiam vela daturus, cum tamen inter nautas nullus eſſet, qvi priùs terram illam attigerit. Ut verò ſe ad domum Skallagrimi delatum cognovit, ſilentio nautis omnibus indicto, ne qvis ſtatum ſuum indicaret, ſedulò cavit: novit enim illum Thoreri Baroni intimæ amicitiæ fœdere junctum eſſe, eoqve adito, patriam genusqve qværenti, cum ſe Grimolfi filium profeſſus eſſet, ilicò agnitus, inqve ſpem ſubſidii, Grimo operam ei ultrò deferente, erectus eſt. Qvo ulteriùs qværenti, ecqvid hominum nobiliorum præterea ſecum duceret? Thoram filiam Thoreris, Fiördorum ſatrapæ, ſuam uxorem reſpondit. Tum vero Skallagrimus majorem in modum gaviſus, *datam ſibi occaſionem benè de veteri fidoqve amico merendi, ſocium eum ſuum, cum qvo ſibi neceſſitudo vetus interceſſerit*, aſſeverans, ad hoſpitium eos cum ſociis omnibus nauticis univerſaqve familia invitat, merceſqve omnes in ſeparatam domum deferri curat, non procul a propria do-

domo distantem, cujus domunculæ rudera hodieqve visuntur, & Biorns toftir sive *Biorni rudera* etiamnum appellantur, accesſitqve Biornus per æstatem Skallagrimo hospes optatus. Eodem autumno mercatores ê Norvegia retulerunt, Biornum qvam sibi vendicaret uxorem, invitis parentibus rapuisse, Norvegiaqve profugum, mox Regio judicio proscriptum exulare; qvod ut Skallagrimus audivit, accito Biorno qværit, *an conjugium cum Thora parentum etiam voluntate contractum esset? se qvidem eum ex genere patreqve Grimolfo æstimâsse virum a mendacio alienum. Nihil*, respondit Biornus, *tibi mentitus sum, nam ad ea respondi, qvæ me interrogâsti, nec mihi succenseas, qvòd plura non retuli. Jam verò, cum ulterius qværas, ingenuè etiam referam, consilio eam parentum neqvaqvam nupsisse.* Tum SKALLAGRIMUS valde excandescens; *tu vero*, inqvit, *cur eò audaciæ processisti, ut me hoc rerum tuarum statu accederes? an & arctior inter patrem ejus & me, eaqve vetus, necessitudo te qvoqve latuit? Accessi*, respondit Biornus, *ideo, qvòd huc appuli locorum omnium ignarus; mansi etiam, qvia te effugere non poteram, jam verò res fortunæqve meæ futuraqve conditio in potestate tua sunt: bene tamen me jura hospitalia de te, qvem tectis mensaqve receptum tanqvam in familiam adscivisti; sperare jubent.* Tum Thorolfus filius sortem hominis in potestate sua sitam, àqve mera clementia dependentem, propitius ut respiceret, patrem oravit, pluresqve alii deprecationem filii suis qvoqve precibus promoverunt; qvibus mitigatus SKALLAGRIMUS, filio eum suscipiendi potestatem fecit, hortatus *ut susceptum studio viro bono dignô foveret, unde emolumentum ad hospitem, honor ad ipsum redundaret.* Receptus itaqve in gratiam Biornus ibi hiemem transegit. Subseqvente vere Thora uxor ejus filiam peperit, qvæ aqvâ aspersa Asgerdis dicta est. Eam Bera Skallagrimi uxor nutricatui idoneo commendavit. Exitu hiemis Thorolfus patrem, qvid de hospite suo Biorno statuisset? sciscitatus est: ille qvid ipse decreverit, explorare jussit: *patriam repetere in animo esse, si id ei per Regem socerumqve tutum esset, retulit*, oravitqve, *ut missis ad Thorerem nuncis, injuriæ damniqve æstimatione ei permissâ, pro Biorno fide-juberet, eumqve deprecatione sua, pristinæ amicitiæ respectu omninò multum profuturâ, placaret.* Annuit SKALLAGRIMUS petitis, nunciosqve ad Thorerem satrapam misit, qvi Grimolfo simul legationis scopum exposuerunt. Is occasionem lætus arripiens, pro virili nixus est, soceri gratiam filio suo conciliare, itaqve Thorer optimum ratus, hoc præsertim statu, oblatam conditionem honoremqve, qvô major sperari affectis rebus non posset, haut respuere, culpam ignovit; filiâq; in integrum restitutâ, Biornum in gratiam recepit, nunciisqve Skallagrimi per hiemem apud se detentis, & liberaliter habitis, mandavit, ut hæc iterum referrent. Qvô cognitô, Biornus Norvegiam cum uxore iterum meditatus, post tres hiemes apud Skallagrimum exactas, relictâ apud uxorem ejus Beram, qvam nutriendam sibi delegit deposcebatqve, filiolâ, assumptô secum Thorolfo, a viatico liberaliter instructô, collatô in Skallagrimum honorifico munere, grati animi, in acceptorum beneficiorum memoriam, pignore, amicè dimittitur. In Sogniam delati ad Grimolfum divertunt: deinde nunciis ad Thorerem missis, postqvam ad præfinitum diem locumqve convenissent, denuò amicitia, offensarum oblivione inductâ, coaluit, Thorere filiæ dotem ut rebus integris destinatam dicente. Exacta deinde apud Grimolfum hieme, postero vere unica longa nave simul piraticam feliciter aggressi, maris Baltici spoliis locupletati autumno redierunt; qvo tempore Pulchricomus seniô gravis in Rogia residebat, Eiricus verò filius ejus, admodum adolescens, in nu-

tricatu Thoreris Fiordorum satrapæ relictus est, cæteris filiis ad maturam ætatem provectis. Et jam arctiore necessitudine inter socerum & generum firmatâ, Biornus Örlandia solvens, socio Thorolfo, in Fiordos ad Thorerem navicula, qvam inter alia spolia piratis eripuerant, affabrè ornatâ, coloreqve, in qvantum supra aqvam emergebat, venustè imbuta, duodecim a singulis lateribus remis instructâ, provectus est, ubi aliqvantisper cum mansisset, fortè observabat Regium adolescentem Eiricum, illius ad pontem alligatæ venustate captum, qvodam die â ponte in eam retroqve sæpius exspatiantem. Itaqve author fuit Thorolfo, ut eam illi donaret, qvo ejus opera ad iratum ei patrem placandum, securitatemqve intra Regni limites, satis alioqvi ambiguam, conciliandam uti posset. Qvi monitis parens, Eiricum accedens, an navis placeret qvæsivit: ubi eam impensius laudibus commendâsset; *eam igitur*, ait, *si libet, muneri a me accipies*. Is *accepturum se qvidem, scire tamen, præmium dono longe inferius suæ amicitiæ usum reputaturum, spem tamen illius, si vita suppeteret, certam ei futuram* spospondit. Cui Thorolfus, nullam navem gratiæ ejus comparandam regessit. Interjectis aliqvot diebus, Biornus socerum Thorerem affatus, relatum sibi significavit, Regem Thorolfo odiô patris valde infensum esse: Thorer id ita esse asseveravit. *Tu igitur*, ait, *ad Regem proficiscere, & modis omnibus eum Thorolfo mitiga, nam eadem nos ambos fortuna manebit, nec alitèr de me peregrino in patria sua meritus est.* Thorer *iturum se qvidem pollicitus, verùm sollicitandum insuper Eiricum, ut una simul profectus, hanc etiam provinciam in se suscipiat*, monuit; qvi facilè petitis annuens, ubi ad patrem, in Hordiam qvoqve nuper delatum, pervenit, post haud modicam moram Thorerem, Thorolfi causam agentem, verbis precibusqve juvabat, impensius obsecrans, *ne iram in innocentem filium verteret, qvòd in patris offensa nihil omnino participaverit, qvâ enim æqvitate insontem perseqveretur?* Rex, audito Skallagrimi nomine, infensior, *multa a Kvöldulfi filiis damna accepta, multa ex iis mala promanâsse respondit, nec sperandum hunc propinqvis suis meliorem futurum. Omne namqve genus istud hominum effrene, inqve omnes inimicos suos pariter sine ullo dignitatis conditionisve respectu audax temerariumqve esse.* Eiricus *Thorolfum suam gratiam ultro expetivisse, munereqve eximio, nave videlicet, qva jam eò advectus esset, promeruisse: illum esse primum, qvi se munere aliqvo ornâsset, successum ejus reliqvos in exemplum tracturos, indeq; qvantum apud parentem possit, judicaturos.* His talibusqve Rex exorari se passus, *tutus qvidem hic erit Thorolfus*, ait, *meo tamen conspectui exemptus. Esto qvidem tibi, qvantum voles, acceptus, aut enim fortuna mitius tibi genus illud hominum reddet, qvàm mihi olim, aut favoris gratiæqve in illos collatæ qvandoqve pænitebit; qvod autem tibi nihil denegatum velim, etiam hujus rei potestatem permitto.* Hoc responso dimissus, Biorno Thorolfoqve, qvid actum esset, retulit, qvi exinde complures æstates simul, piraticæ studio dediti, ingentes opes coacervârunt. Tandem in satellitium Eirici ascitus Thorolfus, dum varias orbis septentrionalis partes piraticâ lacesseret, fidum assiduumq; comitem ei, etiam in ultimam Finnmarchiam, se præbuit.

CAP. XXXIV.

DE EXPEDITIONIBUS PIRATICIS EIRICI BLODOXII IN ADOLESCENTIA, DEQVE GUNNHILDE JUVENCULA IN FINNMARKIA ABSTRUSARUM ARTIUM SCIENTIAM ADDISCENTE, PRÆCEPTORUMQVE CÆDE, EORUMQVE PERITIA, EIRICI CUM GUNNHILDE NUPTIIS, THOROLFI REDITU IN ISLANDIAM, DONOQVE SKALLAGRIMO AB EIRICO MISSO.

Duo-

DUodecim annorum erat Eiricus, cum traditâ a patre qvinqve navium classe, orientalium australiumqve terrarum maritimam oras piraticis latrociniis vastabat, Daniam nempe, Saxoniam, Frisiam, Curlandiam, Esthoniam, vicinasqve terras, Sveciam etiam & Gautiam. His militiæ tirociniis primum qvadriennium impensum, seqvens inde qvadriennium occidenti infestando datum: maritima Scotiæ, Hiberniæ. Angliæ, Cornubiæ & Galliæ isto furore direpta, opibusqve nudata. Postremò extremi septentrionis vicino Biarmia avari istius archipiratæ insultibus oppressa, ne esset ulla ad occidentem aut boream orbis Europei plaga, qvæ se ab injuriis ejus intactam meritò gloriari posset. Ibi collatis signis dimicatum, magno prælio fusi Biarmi, magnis rerum suarum spoliis avaritiam ejus magis irritârunt, qvàm satiârunt. Magno inde latrocinii proventu locupletatus, in reditu oris Finnmarchiæ classem admovit. Fortè pars sociorum nauticorum in terram exscendens, inter sparsa Finnorum tuguria, incomparabili specie fæminam, qvalem ad eum diem nunqvam viderant, conspiciunt, cujus admiratione defixi, an illo terrarum cæliqve tractu ista venustas sponte proveniat, animo volutantes, nomen, genus, & patriam sciscitantur. Illa *Gunnhildis sibi nomen, patrem Ossurem Totium seu Lafskeggem* (Longobarbum) *Halogiæ civem* (editio Danica falsò Regem habet:) *verùm ad perdiscenda magicarum artium mysteria, ad duos totâ Finnmarchiâ celeberrimos earum doctores a patre ablegatam, jam diu eis operam navâsse* (Fagurskinna apud Finnorum Regem Mottulem informatam tradit.) *Magistros in præsens venatum profectos feris insectandis distineri; utrumqve in amorem suum effusum, nuptias suas expetere. Utrosqve stupendorum operum artifices, sagacitate tanta, ut more canum venaticorum proficiscentium vestigia, haud secus in compactioris terræ superficie, petrosoqve solo, durisqve rupibus, qvàm molli impressa nivi, aut gelidæ pruinæ, naribus colligant. tanta pernicitate pandis incedentes trabibus per prona montium super cumulatas nivium congeries ferri, ut rapidissimas feras cursu prævertant, iisqve effugium præcludant; adeo certo ictu destinata ferire, ut nulla celeritate evitari posset, stratos advenarum ossibus campos, testes locupletes; qvoties irâ excandescant, nec terram efferatam eorum faciem sustinere: aspectu rumpi & inverti, moriqve confestim, si qvodcunqve tunc vivum rabie concitatis occurrat. Vobis itaqve*, inqvit, *si præsentissimum periculum certamqve mortem effugere curæ est, occursus eorum ante omnia vitandus est, donec eos junctis viribus interimendi idonea occasio affulgeat; aut enim iis, aut vobis moriendum.* Illi nec opinato periculo attoniti, oblatum beneficium avidè arripientes, intra tugurii latebras abduntur: ipsa autem virgo lineo sacco exemptos, pulveris cineris speciem referentis, manipulos, per circuitum casæ, aream qvoqve & interiora conspersit. Finni redeuntes, ecqvid hospitum adesset? interrogant: ubi neminem accessisse respondit, rem insolitam mirati, qvòd vestigia eorum ad tugurium usqve odore collecta nullis deinde indiciis apparerent. Accenso foco cænam præparant, qvâ peractâ, Gunnhildis lectum suum sternit. Tres illis proximæ noctes insomnes actæ erant, mutuo metu, ne vigilans rivalis, in virginis gratiam se insinuans, universam dormienti præriperet. Isto igitur metu utrumqve se levaturum simulans, invitat, ut communi secum lecto incubent; se interim, dum dormirent, ad utriusqve custodiam advigilaturam. Grata erat utriq; insperata benignitas, itaqve a suo qvis-

qve

qve latere collocati, ſuo qvisqve brachii amplexu fruuntur, ſibiqve invicem ex æmulatione diffidentes, ejus fiduciâ erecti læti ſecuriqve, animum ſomno relaxaturi, mox in utramqve aurem dormiunt. Illa qvàm altum dormiant, periculum factura, excitare eos adnititur: ægrè id prima vice: cum verò acriore ſomno urgente actutum ſopirentur, iterum vix, ac ne vix qvidem, exſuſcitat: redormientes neqvicqvam ſuſcitare conata jacentes erigit, ne tunc qvidem ſomnô ulla ex parte diſcuſſo. Tum verò ſaccis ê phocarum pellibus utriusqve capite obvolutis, infraqve brachia nodis arctè conſtrictis, ſigno dato latentes Regios miniſtros, in inſidiis abditos, evocat, qvi promptiùs qvàm vocabantur accurrentes, ſtrictis gladiis confoſſos tugurio extrahunt. Eadem nocte ingens cæli fragor, horrendiqve fulminis ictus, ignesqve inter concretas nubes micantes, nimborum rabies, & inſolita imbrium vis, domum vicinaqve adeo concuſſit, ut ne exitus qvidem, nedum ad naves reditus, pateret; viſumqve eſt cælum in ultionem Finnorum exaſperatum, tanto iis tempeſtatum apparatu parentare. Poſtero die renitente ſole, poſitisqve ventis, ad claſſem Gunnhildem ſecum ducentes, Eirico tradunt, qvæ omnium oculos in ſe convertit, maximè Eirici. Is in reditu oris Halogiæ claſſem admovens, Oſſurem Totium arceſſit, ejusqve conſenſum in filiæ ſibi matrimonio ſociandæ nuptias reqvirit; qvi, inſperato gaudio lætus, ſermonem ejus aſſenſu excepit. Atqvi Eiricus, tot victoriis elatus, tot exſpoliatarum gentium manubiis auctus, virginem inſuper ſuæ ætatis omnes formæ venuſtate ſupergreſſam, domum triumphantis ſpecie devexit, nuptialiqve fœdere ſecum junxit, qvæ deinde numeroſa prole fæcunda *Regum Matris* cognomen poſtremò meruit. Hæc circa annum ætatis Eirici vigeſimum contigerunt, qvo verò ſeculi iſtius anno, vix definiri poteſt. Qvantum tamen ex *vita Eigillis Skallagrimi filii*, qvæ magnam partem ad Eirici hiſtoriam pertinet, colligere licet, ad proximos poſt nongenteſimum decimum referenda videntur. Serò enim Haraldus Eirici matrem in uxorem duxit, cum novem in ejus gratiam repudiâſſet, & inter juniores ejus liberos Eiricus refertur. Poſt annum DCCCXC natum exiſtimo. Qvo verò tempore hæc geſta ſunt, Gudriodum & Ræreehum mortuos, Eiricumqve in aula Regis in eorum locum ſucceſiſſe, reditusqve ex Hordia & Fiordis, indultu Regis, præter aſſignatum territorium, Halogiam, Nordmæriam & Raumsdalum, ad ſtatus ſui ſuſtentationem percepiſſe exiſtimo; niſi forte hæc ad ea tempora referenda ſunt, qvæ diviſionem Regni inter Haraldi filios præceſſerant, nam in annis ætatis Haraldi, circa illam viginti annorum controverſiam ſcriptores ſuggerunt.

Reverſus ex Finnmarchia cum Eirico Thorolfus, veniam ab eo ad patriam repetendam patremqve inviſendum impetravit. Diſcendenti ſecurim magnam inauratam, pretii eximii, patri donum ſuo nomine perferendam tradidit: qvam ut ſimul cum ſalute Regis exhibuit, ad lectum ſuum Skallagrimus alligavit, usqve autumnum, cum mactandis bobus tempus ſolenne adeſſet: tum duobus ſimul colligatis, ſaxum ſubjecit, ſecureqve Regia amborum capita uno ictu amputavit: verum qvòd ſecuri ſaxo impactâ clavus, qvi manubrium ferro connecteret, confringeretur, in culinam eam rejecit.

CAP.

CAP. XXXV.

DE BIORNO MERCATORE, VESTFOLDIÆ REGE, EJUS PRUDENTIA ET PACIFICA REGNI ADMINISTRATIONE, PARRICIDIALIQVE AB EIRICO BLODOXIO PERPETRATA CÆDE, HALFDANO NIGRO THRANDIÆ REGE ULTIONEM MOLIENTE, PATRIQVE, ILLUM ARMIS INVASURO, ARMA OPPONENTE, DEGVE PACIFICATIONE.

Biornus Haraldi filius, Veſtfoldiæ Regulus, Tunsbergæ conſedit, ubi illo ſeqventibusqve ſeculis emporium longè celeberrimum; qvò ê circumjectis provinciis, & ſeptentrionalibus Regni partibus, Dania qvoqve & Germania, diverſisqve aliis orbis regionibus, multitudo magna confluxit. Ipſe etiam Rex commerciis valde deditus, pacis artes incerto bellorum eventui præferens, mercaturam excoluit, ſuisqve navibus merces invehendas exportandasqve curavit, comparatisqve rebus pretioſis, & qvibus ad ſuſtentandam Regiam ex dignitate familiam opus erat, magnam vim opum ſimul corraſit, & annonæ fertilitatem ſalubribus conſiliis, honeſtôqve & innoxiô ſtudiô civibus ſuis procuravit, provinciamqve magnâ ſapientiâ & moderatione rexit. Verum ſordebant tales artes reliqvis fratribus, viris armis deditis, ſtudiô a majoribus per continuam ſucceſſionem qvaſi per manus traditô, qvod unum ad gloriam conſeqvendam decus Regibus, populorumqve rectoribus, tantùm proprium excolendum judicabant: fratrem ergo, bella, niſi neceſſaria, exoſum, per contemptum Mercatorem vel Nautam appellârunt: qvi tamen ob mitiorem imperandi rationem felicitatemqꝫ civibus ſuis, rerumqꝫ omnium affluentiam, honeſto otio per certas prudentiæ imperatoriæ regulas, absqve juſtitiæ æqvitatisqve neglectu, comparatam, prudentioribus Regio faſtigio dignus viſus eſt, tacitisqve plurimorum, publicis etiam civium ſuorum, votis expetitus. Ex inſignis probitatis modeſtiæqve uxore, cujus nomen ſuppreſſum eſt, filium, nomine Gudriodum, ſuſcepit. Contigit autem, ut Eiricus ex oriente, qvem illo anno piraticis latrociniis infeſtaverat, magna manu claſſeqve inſtructus Tunsbergam appelleret, & qvòd commeatu tentoriisqve indigeret, ejus anni cenſum, patri debitum, ſibi ad eum deferendum reddi poſtularet; Biornus autem negabat, *ſe alii qvàm patri, ſine ejus mandatis, traditurum; conſvêviſſe enim, vel per ſe ipſum, vel miniſtros ſuos, ei ſoli deferre, nec iſtum ſe morem in præſens ſoluturum.* Verùm Eiricus rerum neceſſariarum indigentia ſtimulatus, cum acriùs aliqvantiſper id ipſum urgeret, Biornusqve conſtantiùs abnueret, re infecta, poſt mutuas altercationes jurgiaqve, oppidò exceſſit. Biornus qvoqve ſub veſperam ad prædium ſuum, Sæheimum dictum, eqvo vectus conceſſit. qvem Eiricus eadem nocte cum copiis ſuis incautum & inopinantem ſubſecutus, adhuc cum aulicis ſuis commiſſantem adoritur, qvi, licet numero viribusqve impar, egreſſus tamen cum fratre conflixit, multisqve ſuorum cæſis, etiam concidit, Sæheimi tumulo conditus, qvi a cognomine ejus Farmanns haugr/ ſeu Nautæ tumulus, deinceps vocatur. Iſtud auſpice Duceqve Eirico primum in familia Haraldiana parricidium reliqvis, qvæ ſubſecuta ſunt, præludebat: neqve enim inter parricidia cædem Loripedis, juſtitiâ exigente, numero.

 Victor

Victor Eiricus acto ſcelere triumphans, ſpecie juris Regia ſuppellectile bonisqve omnibus direptis, boream verſus navigavit. Verùm multorum in ſe odia facinore iſto tàm indigno horrendoqve concitavit. Olaſum, ſi occaſio daretur, fraternam cædem vindicaturum fama vulgaverat; nimis qvidem temerè, cum ipſe morte ſua parricidia Eirici multiplicaverit. Regnum itaqve fratris Biorni ſuo adjecit, filiumqve ejus Gudriodum pari ac filium ſuum Tryggvium cura & ſollicitudine enutrivit, qvos deinde ab educatione arctiſſimo ſangvinis nexu arctiùs tamen amicitiæ vinculum invicem conſtrinxit. Halfdanus autem Niger Thrandorum Princeps iram doloremqve prudentiùs premens, prævidens ſimul, ob æmulationem Regni, exitium ſibi cæterisqve fratribus machinaturum, ſuis eum artibus occupandum ratus, occaſionem tantùm exſpectabat, qvæ ſe inſeqvente hyeme offerebat, cum Eiricus in ſeptentrionalem Regni regionem divertens, convivio in prædio Solva, ſito ad ſinum infra Agdaneſiam in Nordmæria, indulgeret. Qvod Halfdanus per exploratores compertus, armata eum manu, noctu in ſeparata domo cum qvinqve miniſtris dormientem aggreſſurus, ædes corona cinctas deinceps, diverſorii errore, incendio cum omnibus, qvi intus erant, conſumſit. Eirico cum ſuis elapſo nox in ſilvis effugium & latebras præbuit; qvo mox periculo perfunctus, furens irâ parenti Haraldo, qvæ a fratre Halfdano Nigro paſſus fuerat, qværibunda voce exponit. Qvi nova re majorem in modum offenſus, collecta armatorum manu, ad filium Thrandosqve compeſcendos movit. Nec ultorem parentem cum magnis copiis adventantem Halfdanus extimuit, qvin & ipſe collecto per Thrandiam valido exercitu, claſſeqꝫ qvàm optimè instructa, occurreret, juſtum ſceleratè interempti fratris vindicandi propoſitum defenſurus, turpiùs ab ipſo patre, nec ſine nuper ob ſeveram in Rögnvaldum animadverſionem partæ laudis jacturâ omiſſum; qva negligentia vel potius inconſulta conniventia ei in omnes fratres arma porrigere, licentiamqve ad eos pecorum more mactandos conceſſiſſe videretur. Claſſis Halfdani ad Stadas intra rupes Dorsbiorg dictas ſtabat; copiæ patris ad Reinslettam ſignum pugnæ expectabant, qvod interponentes ſe morabantur. Erat vir magni nominis, Guttormus Sindrius, in exercitu Halfdani, qvi & patri priùs militaverat, poëta inſignis, utriqve intimè carus, ut qvi ſingulos ſingulis odis ſeorſim celebraverit, præmiumqve oblatum recuſans, ut ſi fortè qvid ab iis qvandoqve expeteret, voti ſe compotem facerent, ab utroqve pactus eſſet. Hic toties expertæ benevolentiæ Regum confidentiâ, cauſæ etiam tam honeſtæ, diſſidii nempe inter patrem filiumqve componendi fiduciâ, utriqve publicæ tranqvillitatis conſilia ſuggeſſit, proqve pace communi civiumqve ſalute deprecator, pactam etiam promiſſamqve petitioni impetrandæ fidem urſit, id tantùm poſtulans, ut poſitis utrinqve odiis in gratiam redirent. Tantâ vir ille apud utrumqve Regem gratia authoritateqve pollebat, ut pater filiusqve juſtis ſalubribusqve poſtulatis, procerum etiam plurimorum ſuffragiis probatis, annuerent, copiisqve protinus dimiſſis, ab inteſtino & exitiali bello abſtinerent, paxqve æqvis conditionibus facta ſit. Halfdano provincia eodem qvo antea jure permiſſa, fratrisqve Eirici ſecuritati conditionibus cautum eſt; hujus rei carmen Jorune Pſaltriâ concinnente in ſuis poëmatibus, qvæ Sendibit appellavit.

CAP.

CAP. XXXVI.

DE HACONE, ADALSTEINI ALUMNO POSTEA DICTO, EJUS NATIVITATE ET IN ANGLIAM AMANDATIONE ET EDUCATIONE.

CUm esset Haraldus prope septuagenarius, nobilem qvandam virginem, venustate eximia, Thoram, in insula Hórdiæ Mosture natam, indeqve per contemtum ab invidis postea Mostrorstong/ ɔ: *perticam Mosturensem*, dictam, in familiam recepit; qvam licet inter ancillas Regias reputabat, more tamen id potius, jam a Monarchiæ tempore recepto, fiebat, qvo nobiles etiam multi Regi obnoxii erant, qvàm generis ratione, nam cognatione attingebat Ketillem HordaKarium, virum primarium. Consvevit Haraldus, jam senior, in villis suis præcipuis in Hórdia & Rogia, freqventiorem aulæ Regiæ sedem domiciliumqve habere. Alrechstadæ, Sæheimus, Fitiæ, Augvaldznesia, celebre insulæ Kormtis prædium, & Utsteinn/ ubi postea cænobium celebre fundatum est, jam verò dirutum, ad hoc delecta sunt. Qvo verò tempore Thora partui vicina erat, e Mosture boream versus Sæheimum, ubi Rex morabatur, proficisci constituit, nave Sigurdi Hladarum Thrandiæqve Comitis, ipso comitante, vecta. Is erat Haconis Griotgardii, illius, qvi mutua cæde cum Atlio Sogniæ Comite concidit, filius, in locum patris a Rege, tam in administrationem Thrandiæ, absente eo, qvàm filiorum ejus, Halfdani Nigri & Sigriodi, educationem, licet fere æqvalium, suffectus, qvorum etiam avunculus fuit, nuptiis præterea neptis Regiæ, ex Alofa Arbota & Thorere Comite, nomine Bergliotæ, ornatus, dupliciqve affinitatis vinculo Regi dilectus, ut qvi ejus uxoris frater, idemqve progener, esset, vir adultæ sapientiæ prudentiæqve. In petra littorali ad pontem, ubi stationem habuerunt, puerum in itinere Thora peperit, qvem Sigurdus Comes aqva aspersit, deqve nomine patris sui Haconis Haconem nominavit. Namqve ad illud aspergendi, nominaqve recens natis indendi, ministerium præcipui viri, pro cujusqve sorte & conditione, delecti sunt. Natales Haconis annales Flateyenses in annum salutis CMXIIX, reliqvi, synchronismo qvoqve illustraturi, Thorolfum Mostrobarbum, de qvo alibi, eodem anno mortuum, filiumqve Thorsteinum Thorscabitum Islandum natum tradunt: solum *compendium Chronici Norvegici Fagurskinna* anno CMXXXV. prope viginti annorum fuisse refert, cum imperium Norvegicum auspicaretur. Unde concluditur, anno CMXV vel XIV natum esse, minori cum ætatula ejus primordiisqve regni Adalsteiniani convenientiâ, secundum communem nostratium calculum, ad annum CMXXV reductum. Nam & pater ejus Haraldus decennis modum puerilem staturamqve excessit, resqve maximas statim gerere cæpit. Hacon patri per omnia similis fuit, ut istô simili similius aliud nunqvam visum sit, si imperii rigorem, patri pernecessarium, nec a filio sine maximo damno relaxatum, exceperis; ideoqve decennis, vel anno major, brachiis se gestari haud fuisset passurus. Octennem in Angliam missum verissimum videtur. Is maturè adolevit, formaqve & corporis animiqve incrementis patrem ad amussim referebat, apudqve matrem annis tenerrimis educabatur, fratribus autem per contemtum Mostrensis perticæ filius vocabatur. Anno, ut videtur, CMXXV. cum Adalsteinus Rex factus

factus esset, jamqve victoria clarus, sed ætate juvenis, legatos in Norvegiam ad Haraldum Regem misit. Princeps legationis Regi gladium capulo pomoqve aureo, vaginâ aurô, argentô, inter spersisqve gemmis, insignem dum exhiberet, mucronem manu tenens, manubrium porrexit, & *hunc*, inqvit, *gladium Adalsteinus Angliæ Rex tibi misit*: qvi cum manubrium rectè comprehendisset, *rectè*, respondit legatus, *& ex voto Regis nostri gladium recepisti, erisqve ejus subjectus, cujus gladium gestas* (tactum namqve gladii capulum obseqvii signum erat). Rex, cognito ludibrio, iræ, ut consvevit, primum impetum coercuit, nulli enim homini toto orbe subjici volebat: reqve ad consilium relata, placuit legatos benignè dimitti, artemqve arti opponi. Æstate proxima Haraldus legatos in Angliam misit, duce Hauko Habroke, exploratæ fidei, experientiæqve variarum rerum, longinqvis peregrinationibus comparatæ, & ad res arduas & periculosas obeundas promptissimo viro, atletha insigni, & Regi in paucis caro, eiqve filium parvulum Haconem Adalsteino deferendum tradidit. Qvi ut Regem Lundoniæ (Londini) magnificū convivium celebrantem accepit, eò se contulit. Triginta virorum comitatu aulam ingressus, singulis gladiis a sinistris dependentibus, subqve togis talaribus absconditis, primò ingressum, postremò, ordine servato, egredi mandavit, qvod is periculum sibi deposcebat, gloriæ deinceps palmam relaturus. Ad mensam Regiam pariter omnes consistebant. Haukus, parvulum ulnis gerens, Regem salutavit; Rex benigno responsô excepit: puerum deniqve genibus Regis imposuit. Rex, inspecto puero, *qvid id sibi velit*? qvæsivit: Haukus, *hunc ancillæ filium Haraldus Norvegiæ Rex, ut educares, mandavit*. Compendium Chronici formulam hoc tenore refert, & qvidem remotis mensis palatium ingressum, priusqvam gremio Regis puerum imposuisset: *Haraldus*, inqvit, *Normannorum Rex amicè te salutat, albamqve hanc avem bene institutam mittit, utqve melius deinceps erudias, postulat.* Atqve his verbis genibus ejus puerum imposuisse, stetisseqve gladiô acutissimo, toga tamen velatô, accinctum, erectum, absqve ulla honoris exhibitione coram Rege, qvem hoc modo respondisse: *Cujus est iste puer? ancillæ Norvegicæ*, regessit Haukus, *mandavitqve Haraldus, ut in ejus gratiam eum enutrias. Non ex illis oculis servile qvicqvam emicat*, ait Rex. *Serva qvidem mater est*, respondit Haukus, *qvæ tamen Haraldum patrem proli suæ profitetur, jamqve genibus tuis impositus puer est, unde obligatio, ut inter patrem & filium, orta est. Ne legitimum qvidem Haraldi filium educarem*, respondit Rex, *nedum servâ natum*, arreptoqve alia manu gladio, aliâ puero, occisurum simulabat. *Assumpsisti*, inqvit Haukus, *simulqve fovisti filium Haraldi, hunc igitur nefaria cæde tollere poteris, totam verò ejus masculam sobolem haud item: tritum tamen veriverbium approbâsti, qvo is minor semper habetur, qvi alterius filium educat.* Reliqva exemplaria exprimunt hæc paucioribus, Regem namqve iratum stricto gladio puero minatum: Haukum autem respondisse; *genibus tuis eum imposui, facilè nefaria cæde tollere, si libet, poteris, nec tamen illius cæde omnes filios Haraldi sustulisti.* His dictis, pallium sinistrâ, gladium nudatum dexterâ gerentes Haukus & Comites ejus, ordine longo egressi sunt, adq; naves profecti, secundis ventis usi, reduces in Norvegiam legationis seriem Regi exposuerunt; qvi joculare Adalsteini commentum majori ludibrio in ipsum retortum gavisus est, inferioris namqve conditionis veteribus educatores liberorum habiti sunt, qvàm eorum parentes. Magnam Hauko ad pristinum favorem legationis hujus expeditio accessionem, puero autem totius inseqventis vitæ fortunæq; emolumentum, humanæ conditionis

ditionis fastigium, salutisqve æternæ occasionem præstitit. Nam Adalsteinus eum Christianis sacris initiandum imbuendumqve, omnibus etiam eximiis artibus, qvæ summam fortunam decent, erudiendum curavit; ubi tantos profectus fecit, ut Regi instar filii, omnibus aliis, etiam consangvineis, carior esset. Favorem Regium procerumqve, etiam vulgi secutus est, unde & Adalsteini Alumni cognomen sortitus est. Qvemvis alium exercitiorum peritiâ & robore superavit, staturâqve vir factus excessit: fuit præterea prudentissimus, eloqventiæqve singulari dono comendabilis, &, qvod agmen ducit, Christianæ religionis cultor piissimus, ut mirum non sit, amicæ conversationis familiaritate & affabilitate omnium sibi favorem conciliâsse, invidiamqve evasisse. Inter rarissima Adalsteini dona gladius refertur, a capulo qvidem aureo commendatissimus, comendatior tamen ab acumine stupendo, qvo molarem lapidem Hakon, foramine tenus, qvod oculum vocant, uno ictu divisisse, constanti omnium relatione traditur; qvi inde Qvernbitur sive Lapicida dictus est, omniumqve, qvos Norvegia unqvam habuit, præstantissimus memoratur, qvô totâ deinceps vitâ in præliis ad extremum usqve diem usus est. Meminerunt qvidem Scriptores Anglici gladii, qvem de cælo demissum superstitiosè tradunt, qvo Adalsteinus ad castrum Dunbar rupem secuerit Anno CMXXX, cujus vestigium longitudine ulnæ impressum ostendatur. *Ethelredus Abbas Rievallensis* Adalsteinum sedecim annis postea vixisse tradit, qvod si ita est, fortè hunc eundem gladium Haconi dederat. Sunt qvi hæc ad æmulationis speciem inter Reges, certamenqve primatûs, referant. Certè in suo qvisq; regno summum imperium, qvoad vixerunt, tenuerunt, simulqve cum morte finiverunt, nec ex imperii amplitudine de primatu inter Reges, sed justitiæ administratione, Lacedæmoniorum Rex Agesilaus censuit judicandum; qvæ enim de prærogativa sessionis populorum disputantur, huc non faciunt.

Haraldum & Adalsteinum simul vixisse *Vilhelmus Malmesburiensis, de gestis Regum Anglorum Lib: II. Cap. VI.* his verbis ostendit. *Propter hoc* (sc: egregia Adalsteini facta) *tota Europa laudes ejus* (Adalsteini) *prædicabat, virtutem in cælum ferebat, fælices se Reges alienigenæ non falsò putabant, si vel affinitate vel muneribus ejus amicitias mercarentur. Haraldus qvidam Rex Noricorum misit ei navem, rostra aurea & velum purpureum habentem, detensa testudine clipeorum inauratorum intrinsecus circumgyratam. Missorum Nomina fuerunt Helgrim & Offrid, qvi regaliter in Urbe Eboraca suscepti, sudorem peregrinationis præmiis decentibus extersere.*

CAP. XXXVII.

DE HARALDO REGNUM ABDICANTE, INQVE FILIUM EIRICUM TRANSFERENTE, MORTE HALFDANI NIGRI ET NATIVITATE HARALDI GRAFELDI.

ANno CMXXX Cum esset Haraldus, secundùm *Snorrium*, jam octogenarius, juxta *Arium* verò Polyhistorem tribus annis minor, ætatisqve vitio debilior, qvàm ut obeundo Regno, causis cognoscendis, juri reddendo, publicoqve statui ordinando par sibi videretur. Eiricum filium in solio suo solenniter collocatum Regem universo Regno constituit.

Qvod ut cæteris fratribus innotuit, haud minus sibi qvisqve juris ad successionem, qvàm Eiricus, habere visus est. Halfdanus Niger apud Thrandos solio accepto, summum ibi imperium, nemini obnoxium, sibi vendicavit, civibus omnibus in id consentientibus. Ejus exemplum secuti Vikenses, Olafum in Regium solium evexerunt, qvod is deinceps, frendente licet Eirico, proprio Marte tenuit. Hic statim a morte fratris Biorni, seu juris accrescendi specie, seu tutorio nomine, in ditionem ejus Vestfoldiam successit, Gudriodumqve filium ejus educavit, qvi filio ejus Tryggvio ætate ferè æqvalis erat. Isti patrueles, unius nutritii alumni, & amore mutuo, & artibus tanta familia dignis, incrementoqve virium staturæqve, brevì eò profecerunt, ut æqvales facilè antecellerent, præsertim Tryggvius, etiam vulgi opinione ipsi patrueli prælatus.

Duobus annis a suprema in Thrandos jurisdictione sibi vendicata, Halfdanus Niger repentina morte concidit, dum intra ditionis limites convivio exciperetur. Fama erat, Gunnhildem veneficam qvandam mulierē pretio ad potionem lethalem ei miscendam conduxisse, neqve id ab ingenio artibusqve ipsius alienum videtur. In ejus locum Thrandi Sigriodum fratrem evexerunt.

Tres annos Haraldus abdicato imperio vixit, qvos per vices in Hordiæ & Rogiæ villis Regiis transegit. Interim Gunnhildis, & qvidem, teste *Eiglâ*, eodem anno, qvo Eiricum Regem declaravit, filium enixa est, qvem Haraldus ipse aqva lustrali ethnico more aspersum, nomineqve suo ornatum, patri qvandoqve successorem delegit. Complures filias (qvarum tamen, præter eas, qvas recensui, propriis nominibus nullas expressas invenio; nam ista de Ingigerde, qvam Eirico Speciæ Rege nupsisse *Codex Flateyensis* prodit, vix fidem merentur) habuisse, plurimasqve Comitibus intra regnum elocâsse, perhibetur, unde complures generationes, nobis licet ignotæ, profluxerunt.

CAP. XXXVIII.

DE MORTE HARALDI EJUSQVE SEPULTURA, IMPOSITAQVE SEPULCHRO PETRA, AB AUTHORE INVESTIGATA ET INVENTA, CUM REGIS ELOGIO.

ANno Salutis CMXXXIII, æræ Regni, ex nostra hypothesi, LXX, Monarchiæ LVIII. Haraldus in Rogia ê morbo decessit, tumuloqve magnifico, juxta fretum Haugense, e regione borealis insulæ Cormtis (qvam incolo) anguli, conditus est, non Augvaldsnesiæ, ut perperam habet *Johannes Martinius Slangrupensis*. Qvæ seqvuntur, verbis Chronicorum exscribere placet, deinde interpretatione illustrare. *In Haugasunda*, ajunt, *templum jam extat, ad cæmiterium autem, caurum versus, tumulus Haraldi Regis excitatus visitur: versus occidentem, prope templum, jacet petra, qvæ corpus ejus intra medium tumulum tegebat, ultra tredecim pedes longa, lata prope ulnas duas* (longitudinem petræ *Codex Flateyensis, columna 306*, ut & *Fagurskinna pag: 2 fol: verso, col: 2.* mensuram esse staturæ Regiæ refert) *medio tumulo Rex situs erat: duo ibi lapides, unus ad caput, alter ad pedes, erecti sunt, qvibus petra imposita erat, lapidibus ad utrumqve latus muri instar sustentata, isti*

ta, isti Lapides jam ibi in cæmiterio stant, qvi id temporis in tumulo consistebant. Hæc Chronici verbis: qvorum ductu cum anxiè in petram istam locumqve inqvisiverim, longo tempore nihil profeci, donec undecimo die mensis Junii, anno salutis MDCLXXXV, comperi templum lapideum, non procul ab isto ligneo, qvod in illo tractu unicum est, qvondam constitisse. Nam cum illius notitiam nulla, qvæ inspexi, monumenta proderent, neqve vicini, vel, qvod plus est, ipsi ecclesiæ pastores, hac de re me erudire possent, semper errore illius ædis, qvæ hodie extat, deceptus fui: tandem colonus qvidam villæ, qvæ Gar/ antiqvitus Gardr/ appellatur, ubi me petram circiter qvatuordecim pedum longam, latitudinisqve prædictæ, inqvirentem audivit, ingentem qvidem præ foribus suis petram jacentem prodidit, templumq; ibi antiqvitus situm, incolarum antecessorum suorum relatione, tum etiam ipsa rudera monstrare retulit. Ego longitudinem tot pedum urgens, petivi, ut intra triclinium, ubi eramus, pedibus suis mensuram petræ delinearet. Undecim pedes mensus, haud istam longitudinem excessuram dixit; videbatur namqve intra parietes longitudo qvàm in plano subdio major. Desperans de successu, eò tamen cum præcipuis vicinis, civibus etiam urbanis, me contuli, omniaqve descriptioni huic ad amussim congruere deprehendi, pedes tamen meos integros qvatuordecim mensura petræ æqvat. Ego mensuram corporis Regii petra aliqvanto minorem existimo, & qvidem in tantum, qvantum supra bases ad caput & pedes procubuit. Celebratur Haraldus Scriptoribus omnibus, ob Regias qvidem virtutes, invictum & ad pericula omnia obfirmatum animum, fortitudinem cum solertia conjunctam, in deditos fidem, devictos etiam clementiam, effusam in suos liberalitatem, propensamqve ad optima qvæqve promovendi voluntatem, in amicitia constantiam, in propinqvos pietatem, in numina, qvæ Deos esse crediderat, cultum religiosum, in magos hariolosqve, maximè postqvam a Finno deceptus erat, odium (omnes enim vel ultimo supplicio vel exilio multavit,) aversum a calumniatoribus (jam Thorolfi exemplo doctus) animum, imperandi deniqve, qvod in Rege unicè expetendum, prudentiam, dexteritatemqve in præmiis pænisqve, pro cujusqve merito, modum statuendi. Auxerunt admirationem, formæ insigne decus, staturæ tam excelsæ Majestas, viriumqve conforme robur. Nullo vitio notabiliori obnoxium observo, præter (si tamen id in Principe notatur) regnandi immensam cupidinem, affectum indomitum, adqve omnia divina humanaqve jura obcæcatum, nefariorum etiam consiliorum architectum, atqve alieni per summum nefas invadendi intrepidum svasorem, indefessum monitorem, sævumqve impulsorem. Conniventia in Eirici scelera, profusiorqve in plures uxores pellicesqve Venus, nulla licet religione coërcita, reprehensionem tamen non effugit. Ante omnia cæli favor, fortunæqve ad extremum etiam halitum constantia, qvæ ei indulgendo nunqvam fatigabatur, in hoc Principe admirabilis est. Veteres qvoqve sapientes, rerumqve arcanarum mystæ, visionem per qvietem matri oblatam, arborem, stipitis infima parte rubicunda, deinde virescentem, ramis in vertice albicantibus, lateqve diffusis, representantem ita explicabant, qvòd in flore juventutis rerum illius incrementum, augmentumqve, (rectè qvoq; addidissent, multo sangvine civiumqve cruore emercandum) per stipitem adumbraretur, per albicantes in vertice ramos, ætas ad extrema senii processura, per eosdem latè per patriam, compluresqve alias terras diffusos, progenies numerosa, tot etiam Regum Principumqve ferax. Qvod qvàm sagaciter sit conjectum, splendidissi-

didisſimæ familiæ ſeries, noſtro etiam tempore ad ſummum humani faſtigii culmen, tum in compluribus Principibus Europæ, tum præcipuè in Serenisſimis, qvi jam regnant, Septentrionis, Daniæ ſcil. Norvegiæ, Sveciæqꝫ, Regibus evecta, luculenter probat, qvæ ut perpetuo flore magno ad mundi ætatis terminum incremento augeſcat, perpetuoqve floreat, faxit propitius ille cæli terræqve conditor Deus, qvi illam adhæc usqve tempora feliciter propagavit conſervavitqve.

CAP. XXXIX.

DE LEGATIONIBUS HARALDI PULCHRICOMI IN RUSSIAM, EARUMQVE EVENTU.

Libet jam hoc loco ad calcem vitæ Pulchricomi Codicis Flateyenſis traditiones, ſuſpectæ licet fidei, inſerere, ne qvid â nobis, fabuloſum licet, ſed aliqva veri ſpecie ſe commendans, qvod antiqvitas notavit, omiſſum argui poſſit: cùm multa, qvæ alii ad fabulas referunt, alii vera, aut certè talia, unde vera, aut fortè qvædam antiqvitatis monumenta, erui posſint, judicent. Seqventia itaqve laudati Codicis verbis qvàm proximè exſcribimus.

Cum Haraldus ſceptra Regni Norvegici capeſſeret, Biornus de Haugo in Svecia regnabat: ei ſucceſſit Aunundus, regnavitqve XL. annos, aut ultra. Poſt eum Eiricus filius ejus, cui uxor Ingigerdis, Haraldi Pulchricomi filia, qvam Sveci ſacrificiis coluerunt, inqve inſulam qvandam traduxerunt. Frater autem Halfdanus Niger ſecum inde devexit. Inde longa inter Reges Haraldum & Eiricum inimicitia. Qvadam æſtate Haraldus intimum ſuum amicum Haukum Habrokem accerſens, *hoſtili jam*, ait, *impetu omni, inſultibusqve intra territorium Noricum liberati, jucundam in poſterum tranqvillamqve vitam agere decrevimus. Deſtinavimus igitur te hac eadem æſtate in Ruſſiam mittere, ad res qvasdam pretioſas, noſtrisqve in terris raras, coemendas.* Haukus hac in re ſe, ut cæteris omnibus, ei pariturum reſpondit. Deinde Rex viros, qvorum opera antea uſus eſt, in varias regiones dimiſit. Mox Haukus unica nave & idoneo comitatu profectus, Holmgardum eodem autumno pervenit, ibiqve hiemavit, adqve nundinas freqventiſſimas, cum è pluribus terris maximus confluxus eſſet, profectus. Ibi qvoqve inter cæteros athletæ Regis Eirici Upſalenſis, Biornus Blaſida & Salgardus Serkus, conſpiciebantur, viri iniqvi, ibiqꝫ in omnes injurioſi. Die qvodam Haukus cum ſuo comitatu per urbem exſpatiatus, animo res qvasdam pretioſas in uſum domini ſui coëmendi, fortè in tabernam viri Rutheni devenit. Inter alia toga inſignis, univerſa auro redimita, placuit; qvam licitatus, cum de pretio conveniſſet, ad pecuniam repetendam in hoſpitium ſuum regreſſus eſt. Eandem autem togam Biornus Regi ſuo comparaturus, eodem die priùs, qvòd minus qvàm exigeretur, offeret, fruſtra licitatus eſt; qvod animadvertens famulus Biorni, monet mercatorem, *rem haud integram futuram, ni Biornus togam reportet.* Ille autem reſpondit, *mutari non poſſe, de qvo transactum eſſet.* Itaqve ad Biornum digreſſus famulus, qvæ geſta ſunt, narrat. Interea Haukus rediens pecuniam numerat, togamqve aufert, cui Biornus & Salgardus in

platea

platea obvii, de emptione expoſtulant. Is *ſe emiſſe, & qvod emiſſet, retenturum* pronunciavit. Illi regerunt, *cimeliorum prærogativam Regi Eirico competere & convenire, utpote ſupremo ſeptentrionis Regi.* Ad ea Haukus reſpondit; *Haraldum inſvetum res ſuas Sveciæ Regi cedere*, miſſoqve famulo, qvi togam in hoſpitium deportaret, ipſe interea cum ipſis altercatus, Salgardo ad certamen, tam de primatu Regum, qvàm togæ poſſeſſione, provocante, reſpondit, *qvod togam attineret, haudqvaqvam defugi, Regis autem ſui dignitatem gladii ſui fortunæ nullo modo committi.* Hoc rerum ſtatu vir qvidam, ſtatura brevi, corpore craſſo, Haukum accedens; *Eſt mihi*, inqvit, *gladius, ſatis in Biornum & Salgardum acutus, qvem tibi donabo, ſi illis jam congredi deſtinas.* Is nomen viri rogitans, *Bujus*, inqvit, *appellor.* Haukus accepto gladio inſpectoqve, iterumqve ei tradito, *gladius*, inqvit, *meus non hebet, ſi animus roburqve ſatis idonea*, actisqve gratiis cognomen ei adjecit Buii Gladi-acuti. Tum Bujus, *non recuſâſſet*, inqvit, *Haraldus, gladium à me oblatum, fruſtra fata inhibentur, vobis enim iterum mutuus conventus incumbit*: atqve his dictis abiit. Mox inter partes cruentum bellum exortum, utrinqve magna cædes vulneraqve accepta; indigenarum intercurrentium confluxu prælium diremptum eſt, Haukus plurium ſeſe adjungentium ſtudiis felicior, victoriam togamqve obtinuit. Sveci valdè offenſi domum repedârunt. Jamqve repens fama conditiones, qvas Salgardus præſcripſerat, adventum Hauki prævertens, ad aures Regis Haraldi detulit, eumqve in Haukum majorem in modum exaſperavit, qvem reducem truci inſpectans vultu: *itane*, inqvit, *Hauke, etiam exiſtimationem meam armis tuis ſubjeciſti?* *minimè*, inqvit, *domine*, remqve, ut geſta erat, ordine expoſuit. Placatus inde Rex: *tunc qvidem ſubligacula altius erexiſti*, inqvit, (alludebat enim ad cognomen Habrok, qvod femoralia longa, qvæ ſupra umbilicum aſtringuntur, denotat, adduxitqve ad animum, qvem ſuſtuliſſe ſignificat) *ita eſt*, inqvit Haukus, *ſed haud minus in Anglia, cum Regis Adalſteini gremio filium tuum Haconem impoſui.* Tum Rex ſubriſit; exinde Haukus Habrokis nomen aſſecutus eſt. Pretioſiorem tunicam in Norvegiam nunqvam delatam ferunt. Biörnus & Salgardus in Sveciam redeuntes, exponunt Regi, qvantâ contumelia Haukus illum affecerit, ſimul etiam qvòd Rex Haraldus nulla ex parte ſe illo inferiorem Regem agnoſceret, id qvod Eirico diſplicuit, atqve inde ſimultas inter illos exorta eſt.

Accidit qvadam hyeme, cum apparatô conviviô Jolenſi Rex Sveciæ Eiricus in ſolio aſſediſſet, aulicaqve ſatellitia aſſignata cuiqve loca occupâſſent, ut excubitores virum ligneis trabibus celeriter advectum obſervarent, qvi pallium lupinum (fortè maſtrucam) indutus, intus gerebat tunicam pretioſam, colore rubro, gladio accinctus, galea caput texit, cæſarie multa pulchraqve conſpicuus, ſtaturâ, qvæ magnas vires polliceretur, admirabilis. Is ingreſſus Regem honorificè ſalutabat. Rex autem qværit, *qvid ei nomen? qvid vitæ genus? qvæ familia?* *Vighardus*, inqvit, *vocor, patria Halogia: id tantum qværo, an me in tuum ſatellitium admittere velis, paribus cum in Biorno Blaſida & Salgardo Serko conditionibus.* Ad ea Rex reſpondit: *ſane qvidem vir inſignis videris, haud tamen te inexpertum iis æqvare convenit, qvi multa pericula pro me ſubierunt, athletis fortiſſimis.* Tunc Vighardus; *feliciter age domine*, inqvit, moxqve egreſſus ad iter ſe parat. Illo tempore Rex Haraldus feſtum Jolenſe in Gudbrandsdalis peragebat. Accidit qvodam die, dum ſatellites Regii ludos in villa prope montem celebrarent, Rexqve aſſideret, ut ille qværeret, *turbo ne in monte exortus,*

an vir trabibus ligneis curſum dirigens ſe oculis ejus offerret? nix enim mollis vento agitata ſpeciem nebulæ oſtendit: poſt, ubi æqvabilis manebat, & ſicut movebatur, magis magisqve appropinqvabat, colligebant virum eſſe, qvi iter paucis admodum expeditum faceret. Hic citò ad ludum provectus Regem decenter ſalutat, qvi eum comiter excepit, facilèqve virum egregium eſſe collegit. Is extemplò poſtulat, ut ſe in ſatellitium ſuum collegiumqve athletarum ſuorum recipere dignaretur. Rex: *ſi artium*, inqvit, *peritia exteriorem habitum æqvat*, *nobis haud exiguo honori eris*, interrogatqve Haukum, an eum in ſocietatem ſuam recipere geſtiat? in qvod, cognita Regis voluntate, haud ægrè aſſenſit; erant autem pari ſtatura, atqve ita in collegium ſatellitum Regis aſcitus eſt. Qvadam æſtate Rex Hauko ſignificavit, ſe eum in Biarmiam ad pelles pretioſas conqvirendas miſſurum, qvod ut Vighardus cognovit, Regem certiorem facit, ſe eum velle comitari. Rex gloriam illam ſe ei haud inviſurum reſpondit, moxq; duas naves ſuam cuiqve adornat, invitatisq; ad epulas, palam declarat: *illos ſe viros ablegare*, *qvorum jacturam ſe ægriùs qvàm multorum aliorum laturum: ſuſpicari*, *Regem Eiricum itinera illorum exploraturum*, *inqve animum revocaturum togam, qvam Haukus ei Holmgardi eripuerit, noſſe ejus ſacrificia in ſuorum præſidium*; *ego verò*, inqvit, *vos ad nutricem meam*, *nomine Heidem*, *qvæ ad Gandvicham habitat, mitto*, *ipſius conſiliis vos morigeros præbete! munera ipſi mitto*, *annulum aureum*, *pondere duodecim aurarum, ſeu unciarum, duas etiam aprorum pernas, ſatis vetuſtas, duo inſuper dolia butyro plena.* His, delecto inſuper comitatu, armisqve inſtructi, ut conſtitutum erat proficiſcuntur. Rex autem Eiricus de itinere eorum certior, monet Biornum & Salgardum, placere ut in ſeptentrionem ad Surtzdalos & Biarmiam, eadem æſtate moverent, inſtructoqve Upſalis magnifico convivio, duos currus ad oppidum, ubi idolum erat, qvod præcipuè coluit, nomine Lyter / mittit. Conſveverat enim idolum mane ſeqventis diei, poſtqvam currus per noctem vacuus ſtetiſſet, eum conſcendere, Regemqve accedere; jam verò Regi nunciatum eſt, Lyterem præter conſvetudinem non acceſſiſſe, profectionemqve averſari. Duas noctes currus eum neqvicqvam expectabat, dum Rege ſacrificia multis modis augente, tertio die manè adfuit, curru pondere, qvod vehebat, adeò gravi, ut uterqve eqvus ei præfixus præ laſſitudine rumperentur, anteqvam deaſtrum ad aulam perduxiſſent. Inde curru in media aulæ area ſtatuto, ipſe Rex cornu liqvore plenum ferens, obviam procedit, excepitqve venientem, teſtatus *ſe ei propinaturum*; *multum referre, ut ſe itineris ſocium eis adjiciat, ſe multis eum, ut antea, donis proſecuturum.* Lyter reſpondit; *moleſtum ſibi iter illud videri, ſemel enim ſe eò profectum, ſagam qvandam offendiſſe, qvalem nunqvam aliàs viderit, id temporis annoſam, mortuam exiſtimare, ſecus ſe illuc nunqvam acceſſurum.* Rex id ſe qvoqve conjectare reſpondit. Lyter Regem de ſe bene meritum præfatus, in ejus itaqve gratiam ſe profecturum. Jamqve duæ naves apparatæ ſunt, qvæ ſimul ac ſinu Logurenſi, ſeu Melero, egreſſæ ſunt, conſpecta eſt navis, ejus generis, qvas dracones vocant, nigris velis eas præcedere, ſecundo ſemper vento, undecunq; ſpiraret, uſa, nullus ibi homo, qvi rudentes dirigeret, apparuit. Hoc tenore curſus in aqvilonem feliciter ceſſit. Interea Haukus & Vighardus, ad ſinum Gandvichæ delati, domum Heidis Regiæ nutricis accedunt, ſex nautis e ſingulis navibus comitati. Ipſa ad focum ſedens longas trahebat oſcitationes, ſcortea veſte uſa, manicis cubito tenus extenſis. Haukus, expoſita ſalutatione regia, petit ut navem cum illis accedat. Illa gratam ſibi Regis ſalutationem profeſſa, ab ulterio-

teriore profectione eos dehortatur, malè cessuram ominata. Fuit Haukus staturâ procerrimis æqvali, qvi tamen anûs tantùm axillas attigit. Primò annulum depromsit, qvo accepto, *macte esto*, inqvit, *Haralde, dono isto*, statimqve manum eo exornabat: pernis deinde exhibitis, *donum*, inqvit, *egregium*; conspecto autem butyro; *dissimilis aliis Haraldus est*, ait, *munera certè prægrandia, nec talia unqvam accepi: hæc si rependere neqveo, nec rependi poterint*, rejectisqve in tergum pernis, singulis manibus singula dolia gerens, *ultimum donum pluris qvàm duo priora se æstimare affirmabat, probè alumnum suum cognovisse, qvid sibi esset gratissimum*; suisqve eos consiliis obtemperare, seqve seqvi jussit, id qvod illi haud gravatè fecerunt. Jamqve accenso foco ad aliud latus assidens, oris miram deformitatem prodebat, alio labio in pectus propendente, alio in nasum elevato, Haukiqve, vestibus exuti, corpus omne manibus attrectans: *Vir*, inqvit, *robustus & fortunatus*; utqve osculum sibi libaret, postulabat, id qvod etiam fecit: mox Vighardum vestes deponere jubet. Is longo tempore obnixus, tandem ab Hauko ægrè exoratus jussis paruit, eoqve consimiliter contrectato, *vir*, inqvit, *magnus, utilis, & admodum robustus*, aqve illo osculum exegit. Ille omnes Trollos eam osculari jubet; tum illa, *forma qvidem tibi data est, hinc tamen tibi qvàm mihi majus damnum emerget*, traditisqve Hauko duobus saccis, jubet cum primùm congrederentur, ut illos a latere navis suæ in mare projiciat. His itaqve peractis in Biarmiam navigant. Vespere qvodam naves ex insula qvadam navigantes offendunt, qvas accedentes, qvid novi afferrent, se invicem percontaturi, ut athletas Regis Sveciæ agnoverunt, omisso salutandi officio, arma expediunt, primoqve congressu navem tertiam draconis formâ observant, ad latus insulæ excubantem. Inde tela volantia singula singulos homines suarum partium enecabant. Jamqve Haukus saccorum, qvas anus tradiderat, oblitus, manus cum hostibus conferebat, caduntqve ex utroq; navis ejus latere, donec Vighardi hominibus exinanitâ, uterqve in alteram conscendens, ex ea tantùm pugnant. Tum Vighardus in proram progressus, inde hostilem navem conscendit, Hauko impigrè seqvente: jamqve ad malum usqve pervenerunt, cum Biornus & Salgardus infestis gladiis eis occurrunt; ibi prælium tantisper incruduit, donec omnes, qvi supererant, vulneribus saucii essent. Jamqve Biornus ex puppe procedens Haukum invadit: qvatuor simul pugnabant, nam & Vighardus Salgardum excepit, tandem Biornus occumbit. Et jam Vighardus cum Salgardo acerrimè congressus est, cum ex improviso sagitta è dracone emissa, pectus ejus penetrans eum celeriter confecit. Tum primùm Haukus saccorum meminit, qvibus magna ira in mare prope draconem demersis, protinus inter proram puppimqve magnum incendium exortum est, eodemq; tempore Salgardum occidit, ipse altero oculo mutilatus: nec tunc ullus comitum ejus supererat, qvi ei opem ferret, itaqve arreptâ scaphâ armis vestibusqve impositis, remigio ad vetulam contendit. Illa salute ejus redituqve læta sanabat eum; tum demùm unà cum eo profecta ad naves mercatorum, qvi ad australes Norvegiæ partes contendebant, ipsum domum devehi curat; qvi ad Regem Haraldum delatus, seriem itineris exponit. Is reditum gratulatus superato periculo gaudebat. Lyter autem ad Regem Eiricum regressus, negat ullam in posterum ei opem in se reliqvam, ita se malè affectum â magno illo dæmonio Norvego. Hæc totidem ferè verbis ex codice Flat: transcripsi. Verùm manifestæ falsitatis relatio, si non tota, certè magnam partem, convincitur. Si enim hæc inter Eiricum Eymundi seu Aunundi filium, ut hic habetur, incidissent, nubilem filiam

filiam Haraldus habuiſſet, qvam illi locâſſet; atqvi is decimo Haraldi regni anno, cum viceſimum annum ageret, deceſſit, qvo tempore nulla per naturam filia Haraldi nubilis eſſe poterat. Atqvi haut obſcurè explicatur, qvòd ſolus Eiricus Eymundius hic intelligatur. Nam Haraldus profitetur, ſe jam laboribus perfunctum, civilium rerum curam ſuſcepturum, militeqve dimiſſo exautoratoqve, commerciorum libertatem reſtituiſſe, privatarumqve rerum curam ſingulis permiſiſſe, qvod ſanè Eirici Eymundii temporibus convenit. Illud vero toto, ut dicitur, cælo ab iis diſtat, qvòd hæc geſta ſint, poſtqvam Haukus Haconem, minimum natu Haraldi filium, circiter annum viceſimum ſextum ſupra nongenteſimum, in Angliam transportavit. Qvadrat autem in Eirici Victorioſi tempora. Verum cum circumſtantiæ omnes penitus reclament, locum illum de Hacone Adalſteinio hic confictum concedimus; filiam verò Haraldi Eiricus Victorioſus ducere poterat, ſi eam pater jam ſenex progeneravit; atqve hinc fortè Eiricorum confuſio emanavit, uterqve enim temporibus Haraldi vixerat, qvorum alterum ſenem ipſe juvenis viderat, alterum juvenem, ipſe ſenex. Unicam tantùm filiam ejus Ingigerdis nomine invenio, qvæ Comiti cuidam Halfdano nupſerat, cujus nepos fuit Eyvindus Poëtarum Crux. Nihil tamen obſtat, qvin vel hæc poſtea Eirico Victorioſo nubere potuerit, vel Haraldus aliam ejusdem nominis habere. Qvod verò de monſtroſo Heidis ore traditur, pöeticum eſt, nec ſcriptoribus inſvetum. Nos lectori arbitrium relinqvimus de his, ut & de idolo Lytere, qvicqvid velit ſtatuendi: tantùm monentes, ut Deo ter Optino Max: gratias agat, qvi nos purioribus ſacris informatos majorum deliria vitare, malorumqve ſpirituum technas & ludibria cognoſcere, ſuumqve Numen nomenqve unicè venerari docuit.

APPENDIX I.

SEU

DISSERTATIO CHRONOLOGICA DE ANNO NATALI HARALDI PULCHRICOMI, EJUSQVE IMPERII INITIO.

EPocha Monarchiæ Norvegicæ annum natalem Haraldi Pulchricomi pro fundamento calculi ſupponit, & ſecundum mobilitatem ſphæræ illius per orbes undecim rotatur: ejus igitur natalis inveſtigandus.

Theodricus Monachus periodum imperiorum, ab initio Haraldi Pulchricomi, ad finem vitæ Sancti Olafi, qvem in annum MXXIX refert, CLXXVII. annis circumſcribit. Hi ſubtracti ab MXXIX. epocham imperii Haraldi in annum Chriſti DCCCLII. referunt, nativitatis in DCCCXLII.

Sæmundus *Polyhiſtor* eandem periodum in annos CLXXX. diducit, qvi ſubtracti â fatali Divi Olafi anno, qvi eſt MXXX. conſtituunt imperii Pulchricomi initialem annum DCCCL. vitæ DCCCXL.

Com-

Compendium Chronicorum (qvod Fagurskinnam appello) ab obitu Pulchricomi ad initium Regni Haraldi Strenui (qvod incidit in annum Christi MXLVI.) CXXII. annos putat. Posterior numerus â priore subductus, obitum Haraldi in annum CMXXIV. refert, subtracti inde LXXIII. anni æram imperii initialem annum DCCCLI. reliqvunt, nativitatis DCCCXLI.

Oddus Monachus tradit ab exordio Regni Haraldi ad annum Christi CMXCVI, qvo Olafus Tryggvinus ad Anglos ex Norvegia profectus sit, annos CXLVIII. elapsos, dempti inde CXLVIII, annum primum Regni Haraldi DCCCXLVIII, vitæ DCCCXXXVIII. monstrant.

Arius Polyhistor, in libri, qvem de variis Islandiæ novem capitibus comprehensum scripsit, principio, tradit, Islandiam incoli cæptam eo tempore, qvo Rex Edmundus martyrio coronatus est, ut credit, año DCCLXX. ab Ingolfo anno ætatis Haraldi Pulchricomi XVI, natus ergò erit Haraldus anno Christi DCCCLIV, cæpit regnare anno Christi DCCCLXIV. Hic sibi ipsi in Hrafno Legifero contrarius est, tradit enim Hrafnum obiisse anno LX. post mortem Divi Edmundi, qvi erit, secundum ejus hypothesin, qvi illum anno DCCCLXX. supplicio affectum sublatumqve statuit, annus CMXXX, uno deinde vel duobus post annis Haraldum obiisse, regnâsse annos LXX, vixisse LXXX. superius scripsit. Si ergo ab anno CMXXXI, vel CMXXXII, qvibus illum excessisse putat, annos Regni LXX. vel ætatis LXXX. numeres retrò, initialis imperii annus vel in DCCCLXII. vel LXI, natalis in DCCCLII. vel LI. incidit.

Sententiarum varietas talis est.

	Haraldum natum statuit ao	initiis se regnum	Monarchiam	vel
Theodr. M.	DCCCXLII	DCCCLII	DCCCLXII	DCCCLXIV
Sæmnudus.	DCCCXL	DCCCL	DCCCLX	DCCCLXIII
Compendium.	DCCCXXXVIII	DCCCLI	DCCCLXI	DCCCLXII
OddusMonach.	DCCCXLI	DCCCXLIIX	DCCCLVIII	DCCCLX

Singuli refelluntur synchronismo Haraldi Pulchricomi & Adalsteini Anglorum Regis, qvi puerum Haconem ad annum ætatis decimum qvintum educavit, tum demum in Norvegiam remisit, anno CMXXXIV; cæpit autem Adalsteinus imperare anno CMXXV.

	Haraldum natum statuunt Anno	auspicatum Regnum	Monarchiam	vel
Annales α MSS.	α DCCCXLVIII	DCCCLVIII	DCCCLXVIII	DCCCLXX
Annales β Impr.	β DCCCXLIX	DCCCLIX	DCCCLXIX	DCCCLXXI
γ Langfedgatal	γ DCCCL	DCCCLX	DCCCLXX	DCCCLXXII
δ Landnama per conseqventias ex Ario	δ DCCCLI	DCCCLXI	DCCCLXI	DCCCLXXIII
ε Arius, ut & Sturlungorum historia per conseqventiam	ε DCCCLII	DCCCLXII	DCCCLXXII	DCCCLXXIV
ζ Author vitæ Pulchricomi	ζ DCCCLIII	DCCCLXIII	DCCCLXXIII	DCCCLXXV
η Ex Arii conseqventiis.	η DCCCLIV	DCCCLXIV	ECCCCLXIV	DCCCLXXVI

Horum ductu annus natalis illius duabus hypothesibus nititur, æris scilicet

nomophylaciæ Rafni Legiferi, & martyrii Divi Edmundi: singulis mensura ætatis ejus, secundùm annorum numerum, additur, qvæ duplex Ario Octogenariô constat, Snorrio, aliisqve, tribus præterea annis, inde duæ sectæ exortæ, qvarum utraqve triennium illud vel admisit, vel respuit, qvi admiserunt, omnes in principium ætatis retulerunt, præter unum, qvi in finem conjecit: utriusqve hypothesis author Arius, ut monstratum, qvæ tamen inter se non cohærent. Hypothesis a Rafni æra desumpta, certum natalem Haraldo non assignat, sed anno differt, tradit enim Haraldum uno vel altero anno mortuum, postqvam is Nomophylax factus est, factus autem est anno Christi CMXXX, finem itaqve vitæ Haraldi, vel in CMXXXI, vel CMXXXII. refert. Author Landnamæ añum CMXXXI. prætulit, indeqve cæteros retro numerat, nec ultra LXXX. annos vitæ ejus largitur, ei itaqve natus est anno DCCCLI.

Annales, qvi natalem ejus annum vel DCCCXLVIII. vel XLIX. statuunt, ab his fundamentis orsi, sed ætati ejus LXXXIII. annos dederunt, trienniumqve illud præfixerunt. Hi ab exitu vitæ ætatem mensi sunt.

Hypothesis altera, anno martyrii Divi Edmundi decimum sextum ætatis Haraldi annum connectit, authore Ario in limine libri de Islandia, editi nuper Schalholti anno MDCLXXXVIII; annum autem martyrii illius, secundum complures scriptores, Arius in añum DCCCLXX. refert, natus itaqve erit Haraldus Ario anno DCCCLIV.

Alii vero, observantes in annum superiorem, nimirum DCCCLXIX. martyrium illud referendum, natalem qvoq; Haraldi ad annum DCCCLIII. promoverunt, triennio autem ætatem ejus, qvàm Arius scripserat, prolixiorem statuentes, anno DCCCLIII. illud præfixerunt, natalemqve ejus ab anno DCCCL. auspicati, qvam sententiam Snorrius & author genealogiæ Regum, qvæ Langfedgatal usurpatur, seqvuntur. Author vero vitæ Haraldi Pulchricomi, Codice Flat: â col: 298. usq; 306. contentæ, ad calcem vitæ ejus rejecit, natalemqve ab anno DCCCLIII. orditur, exitum anno CMXXXVI. terminat. His ita constitutis, ad initium Regni & Monarchiæ progrediendum.

Decennem regnare cæpisse, omnes consentiunt, decennio item Norvegiam sibi subjecisse: dissentiunt in eo, an statim ab initio Regni decennium illud numerandum sit, an ab alio termino. Priorem sententiam Eigla tuetur, qvæ simul ac hæreditatem patris crevit, votum (inter, credo, parentalia pro more) de universa Norvegia subjuganda fecisse tradit, verum cum puellæ mentionem, qvæ id ei suggessit, non faciat, solaqve hoc perhibeat, Snorrio, Codiciqve Flateyensi, qvorum ille finitimorum gesta, magnum biennii laborem, voto præmittit, hic conceptis verbis in vita Pulchricomi tradit, domitis finitimis, duxisse eam uxorem sub conditione domandæ Norvegiæ, major fides debetur.

Compendium autem, licet mutatis personis eandem historiam narret, duodecennem tamen fuisse asseverat, cum votum concepit: â voto Snorrius decennium illud texit, per decennium enim incomptum irrefectis capillis incessisse tradit. Addit Compendium, octavo festi Jolensis die, cum esset annorum duodecim, votum factum, donatumqve avunculum Guttormum tractu Osleyensi, & qvi inde in orientem excurrit Svinasundam usqve. Domuisse igitur qvàm dedisse prius oportet. Certe duos tantùm non integros annos monstrat, verno enim tempore insida glacie pater Halfdanus absorptus decenni filio imperium reliqvit, duobus inde annis, mense Januario votum factum indicat. His adductus rationibus pugnam Ha-

Hafursfiordensem, & proinde Monarchiæ Norvegicæ exordium, annis duodecim ab initio Regni removendum existimem. Dato principio Norvegicæ Monarchiæ, frustra de tempore cultæ primitùs Islandiæ disqviritur, cum omnibus constet, biennium tantùm intercessisse. Jam vero disqvirendum, qvid ex his potissimùm probandum. Qværitur igitur, an illud triennium recipiendum. Secundò, qvid de scriptore Landnamæ sentiendum.

Alii qvàm Ario ætatem Haraldi notiorem fuisse, mirum, viro industrio, & fidei probatæ, temporibusqve illis reliqvis scriptoribus propiori: mirum & Sæmundum ab eo hac in re dissensisse, uti testatur Jonis Loptini nepotis ejus encomiastes, qvi singulorum Regum Norvegorum imperiorum annos ad ejus tempora ex recensu illius se carmine complexum profitetur. Is imperio Pulchricomi septuaginta tres annos annumerat. Jam vero tradit Arius, se librum de Islandia priùs conscripsisse, Sæmundoqve revidendum tradidisse, hunc vero secundùm illius Episcoporumq; censuram emendâsse: non igitur Sæmundo authore triennium illud adjectum censeo, fidei enim Arii testimonium ignoti viri, nec nimium forte periti, postponendum censeo, eo confidentius, qvòd æra ætatis Regni Monarchiæqve Haraldi decennio supra Arii calculationem exaltata, ipsi tanto viro, & qvi hæc ipsa probavit, falsò videatur ascripta Si enim recipiendum triennium illud, aut præponendum natali Haraldi anno, ab Ario tradito, aut finali postponendum erit. Si præponendum, sedecim annos superavit Haraldus, cum Ingolfus primam navigationem instituit, fuitqve annorum novemdecim, ruitqve a fundamento, qvi fundamenti loco positus est, nexus anni martyrii Edmundi cum ætate Haraldi, qvem si Arius certa traditione (ut omnino videtur, & qvidem ab ore ipsius Ingolfi aut sociorum excepta, qvibus is annus summopere observatus videri poterit) accepit, non video qvomodo decimo nono ætatis ejus anno applicari possit, qvis enim credat, ætatem Haraldi tantùm ex conjecturis isti anno aptatam? hoc enim modo periret & nomen, & indoles, & vis omnis synchronismi, nec inde aliud elici posset, qvàm illo annò Islandiam Ingolfo investigatam, qvod ad æram Haraldi nihil facit. Sin postponendum, mortis Haraldi tempus ab initio jurisdictionis Rafni Legiferi longiùs removetur, qvàm ratio patitur; neqve enim in sexennio in tanta re Arius errare potuisse videtur. Removendum itaqve triennium illud existimo, ætatisqve Haraldi principium ab anno DCCCLIII petendum. Sic enim synchronismus ætatis Haraldi cum martyrio Edmundi, Ingolfi prima navigatio cum utroqve, Ario sedulo observata, insuper cum Atlii Sogniæ Comitis historia, morteqve eodem autumno secuta, cohæret, diversæqve Arii hypotheses adusqve unius tantum anni distantiam conciliantur, si nimirum Haraldi obitus in tertium ab initio nomophylaciæ Rafni annum referatur, verusqve (qvod factum videmus) martyrii Edmundi annus, qvi est DCCCLXIX, ubi dies Cal: Decembris XII, qvi Novembri XX. in diem Dominicam incidit, qva occisum eum Simon Dunelmensis tradit, falso anno substituatur. Nec moror, qvòd intercedens inter primam & ultimam Ingolfi in Islandiam navigationem, septennium paucorum annorum mensuram (paucis enim post annis Islandiam repetitam Arius scribit) excedere videatur; neqve enim nobis constat, qvanto numero paucitatem multitudinemve censuerit.

Nicholaus Veignerius in Tractatu de Origine veterum Francorum, qvi inter Historiæ Francorum Scriptores coætaneos *Andreæ du Chesne*, *editos Lutetiæ Parisiorum anno 1636 pag: 171. Norunt illi*, iaqvit, *qvi temporum hi-*

ſtoriam callent, annos Chriſti juxta ſupputationem Dionyſii Abbatis, qvâ hodie utimur, non niſi a temporibus Caroli Martelli aut Pipini computari cæpiſſe, neqve etiam Regum atqve Imperatorum cartis ante Caroli Calvi ætatem Domini noſtri annos ſubſcriptos fuiſſe. Siqvidem ante Pipini tempora diplomata anno regni tantùm ſubſcribebantur. Ipſo vero regnante, indictio una cum regni anno computari cæpit; qvamobrem qvo facilius ſubſcriptio aliqva deprehendi poſſit, vera ne ſit an falſa, neceſſe eſt Chriſti annum (ſiqvidem notari debeat) cum regni atqve indictionis anno rectè conſentire. Idem hic de anno martyrii Divi Eadmundi concludendum, qvem Simon Dunelmenſis in XII Cal: Decembris, diem Dominicam, refert, annum vero DCCCLXX; cum dies ille in ſuperiorem annum qvadret.

II.

Continuatio chronologica ad annum usqve milleſimum, incipens cum vita Haraldi Pulchricomi

Anno 863, vel 64, mors Halfdani Nigri, ſucceſſio filii Haraldi, tum decennis, Hakii cædes, incenſi Högnius Karinus & Gudbrandus, devictus Gandalfus. Hæc omnia duobus annis peracta ſunt, ita ut votum de domanda tota Norvegia anno 65, vel 66, Haraldus nuncuparet.

Anno 865, vel 66, profectio Haraldi per Gudbrandzdalos & Alpes Dofrinas in proximam provinciam, ejus ſubactio, Gritingi Orcadali Reguli deditio, lex de tributorum penſione. Comitum & Baronum jure, eorumq; ſtipendiis. Haconis Griotgardii, Comitis de Yrium, cæterorumq; Thrandenſium confluxus ad Regem, cædes Regulorum Strindarum Gauldalenſiumqve, Stioradalus & Veradalus una cum Skaunis Sparbyggenſium & Eynenſium provinciis ſubjugati, Hrollaugi deditio. Hæc ſingula anno ſalutis 868 abſoluta fuiſſe videntur.

Anno 868 pugna ad Solskelem, cædes Hunthiofi & Nökvii; fuga Sölvii Klofii; Rognvaldus Mæriarum Comes in deditionem commilitiumqve accipitur.

Anno 869 pugna intra Solskelem: incendium Vemundi Kambani.

Anno 870 Haraldus ê Thrandia in Fiordos profectus ſtatum devictarum provinciarum ordinat, Kvöldulfum evocat, inde in Thrandiam hyematum rediit.

Anno 871 Rex Tunsbergam proficiſcitur: acta ejus cum Eirico Eymundio. Vermiam ſibi ſubjicit, Tunsbergam rediit, & in claſſe hyemem tranſigit.

Anno 872 bella cum Gautis, cædes Hranii Svecıæ Regis præfecti, devictæ provinciæ avunculo Guttormo committuntur. Rex per Uplandas & Alpes Dofrinas in Thrandiam proficiſcitur, ibiqve nonnulli anni tranſacti ſunt. Hac hyeme Thorolfus Kvöldulfi filius Regem in Thrandia ſalutat, mox in ſatellitium aſcitus.

Anno 873 nuptiæ Bardi cum Sigride Sigurdi filia Torgis celebratæ.

Anno 874 Rex in Thrandia hyemavit.

Anno 875 pugna Hafursfiordenſis. Rex ſub autumnum in Thrandiam redux, capilliqve reſecti pulchritudine Pulchricomi cognomen conſecutus ibi hyemavit.

Anno 876 Rex per Halogiam conviviis indulget. Thorolfus per Thor-

Thorgilſem Giallandium cenſum ſolvit, ab Hildirididis ad Regem delatus.

Anno 877 Thorolfus in Thrandiam ad Regem tributa devexit; ejus præfecturam cum Finnica provincia Hildirididis Rex committit.

Anno 878 tributa ab Hildirididis ad Regem allata ſunt, Rex per Hordiam conviviis indulget, navis Thorolfi mercatoria cum mercibus omnibus juſſu Regis ad eum adducitur.

Anno 879 Thorolfus navibus & villis intra Norvegiam direptis, patrem convenit, domumqve rediit.

Anno 880 Thorolfus â Rege cæditur, ejus uxor Eyvindo conceditur. Hildirididæ in ultionem Thorolfi a Ketille Hængo interficiuntur. Rex ad Uplandas profectus ſatisfactionem, intercedente Aulvere, Kvöldulfo pro cæde filii non abnuit; Skallagrimus accedens re infecta diſceſſit.

Anno 881 Kvoldulfus & Skallagrimus, poſt occiſos Guttormi (qvi eodem anno obiit) filios, in Islandiam proficiſcuntur, obitus Kvöldulfi inter navigandum. Qvo vero tempore Hrolfus, Rognvaldi Comitis filius, propter armentorum pecudumqve direptiones â Rege proſcriptus fuerit, nuptiæ Regis cum Snæfride, expeditio Haraldi in Hæbudas, Monam & Orcades, ablegatio Ketillis ad eaſdem domandas, exceſſus Guttormi Orcadum Comitis, & Halladi inde diſceſſus, obtigerint, ex vita Pulchricomi non liqvet.

Anno 893, cum eſſet Haraldus qvadragenarius, Rognvaldus Mæriarum Comes incendio deletus eſt; nuptiæ Thoreris Taciti cum Regis filia Olufa, Halfdani Altipedis navigatio in Orcades, Comitis Einaris fuga, Halfdani mors. Haraldi autem expeditio in Orcades ad ulciſcendum filium qvando facta ſit, non definitur.

Anno ætatis Pulchricomi ſecundum cod: Flat: LXX, Verſ: Dan: ut & Thomaskinnam, LX. Chronica MSS. L. Rex omnes ſuos filios Reges creat, regniqve provincias inter eos dividit.

Anno 931 Halfdanus Niger Thrandiæ Rex repentina morte deceſſit.

Anno 933 Haraldus ex morbo deceſſit.

Ad dirigendos autem trium Haraldi Pulchricomi ſucceſſorum annos, qvibus imperabant, & Haraldi Grafeldi cæde terminantur, certa qvædam & immobilia fundamenta reqviruntur, a qvibus numeratio inſtituenda qvoqve perducenda erit; prius mors Haraldi Pulchricomi ſuppeditat; alterum annus expugnati Danavirkii dabit. De Pulchricomi exeqviali anno, qvæ controvertuntur, ex iis, qvæ de natali ejus diſqviſivimus, facile reſolvuntur. Nos annum 933 approbamus. Expugnationem Danavirkii Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis, cujus indubitata authoritas, qvippe qvi eam cum anno ſibi natali connectit, ad annum 976 refert, qvi eſt a morte Pulchricomi 43: bellum illud cum Danis biennium duraſſe Codex Flat: tradit, Comitemqve Haconem utroqve anno accitu Regis Haraldi in Daniam cum auxiliaribus copiis profectum, prioris anni expeditionem, in imperii Comitis Haconis annum decimum tertium conjiciunt; ex qvo patet, imperium Comitis Haconis ab anno 962 incipere; cum autem Scriptores hunc annum ad illud imperium retulerint, cum patri in Comitatum ſucceſſit, tredecim annos inde vitæ Haraldi Grafeldi attexuerunt, qvam anno 975 finierunt, inde denuo alios tredecim numerârunt ad expeditionem Ottonis, eamqve in annum 988 retulerunt, qvod Oddus Monachus egregiè diluit. Is enim tradit anno XIII, poſtqvam potiori Norvegiæ parti ab Haraldo Cærulidente præfectus eſſet, evocatum eum contra Imperatorem Ottonem. Jam vero demonſtratum eſt, neqve adverſus Ottonem

Primum nec Tertium eum ab Haraldo evocari potuisse ; nam anno 918 sub priore erat tantum annorum undecim, sub posteriore, anno nimirum 988. Haraldus decesserat. Restat ergo ut Ottone Secundo imperante hæc facta sint, anno nimirum 975, præfecturæ Haconis anno XIII. qvæ cum cæde Grafeldi incepit ; cæsus ergo erit Grafeldus anno 962. His evictis, inter emortuales Haraldorum annos 933 & 962, interfluxerunt anni tantum 29. in tres successores dividendi, qvo certe tanta Haconis Adalsteini alumni annorum series magnam partem concidit. De Eirici imperii periodo parùm controvertitur. Jonis Loptii Encomiastes sine ratione imperio ejus qvinqvennium tribuit, sed solus, reliqvorum alii biennium, alii annum, ii enim posteriorem annum, qvo Hacon simul regnavit, vel ei adimunt, vel addunt: nos admittimus, annoqve 935 imperium ejus finimus. Haconem qvindecim tantùm annos imperâsse, Haraldum duodecim, statuimus.

Chronologia regni Haconis.

Anno 935 cæpit regnare, tunc qvoqve Haraldus Grafeldus qvinqve annos natus est.

937 Comitem Haconem recens natum aqva aspersit, & de suo nomine appellavit.

938 Thorsteino Vikæ satrapæ hæreditatem suam restituit, Eigilisqve Skallagrimii negotium expedivit.

940 Adalsteinus obiit.

941 Eiricus Blodoxius occisus videtur, Gunnhildisq; cum filiis Norvegia profuga Arnbiornum restituit.

942 Danos & piratas Vikâ expulit, provincias Daniæ Gauthiamqve vastavit. Eigill in Norvegiam ex patria profectus.

943 Arnbiornus Eigilis caussam de Lioti bonis apud Regem agit, & malè excipitur, Gunnhildis cum filiis Daniam petit, Arnbiornus eos accedit.

944 Eigill Skallagrimius in Vermiam ablegatur: censum refert. Rex in Vermiam movet. Qvando Jamtiam sibi Hacon ad obseqvium conciliaverit, ad certum annum referri neqvit. Hacon Christiana sacra injungit.

945 ad sacrificandum idolis adigitur. Blodoxii filii incursant Norvegiam. Guttormus in Augvaldznesia cæditur, piræ societatesqve navales instiuuntur. Hinc ex fine libri nostri capitis X colligitur diutius infestationes Eiricianorum durasse ; nam & illi deterriti, omnem vim in Orientem convertentes, Norvegiam per intervalla infestabant, cum sæpius piris delusi tædio tanto afficiebantur, ut capitis pæna lata esset in eos, qvi falsô nunciô bellicæ classis cives exciverant. Non igitur Gamlii cædes, nedum Haconis, ad annum 47 referri poterit, triennium igitur his rebus dabo.

948 Gamlius cæsus est.

950 Hacon Rex cæsus est.

Chronologia Haraldi Grafeldi.

950 Haraldus Grafeldus Haconi successit.
951 Pax inter illum & Tryggvium, & Gudriodum & Comitem Sigurdum constituta.

952 Comes Sigurdus dolo subversus & incendio deletus, Comes Eiricus nascitur. Comes Hacon patri succedit, & cum Gunnhildidis bellat.

953 Comes

953 Bellum inter Gunnhildidas & Comitem Haconem.

954 Bellum continuatur & pax conſtituitur.

955 Pax continuatur: Comes Hacon, Tryggvius,& Gudriodus conveniunt.

956 Pax continuatur : Tryggvius & Gudriodus dolo opprimuntur, Olafus Tryggvinus naſcitur, inqve avi materni ædes transfertur, ubi hyemem agit. Comiti Haconi bellum moturi Thrandiam invadunt, Hacon cedens orientem populatur, per Jamtiam autumno redit.

957 In Sveciam evadit Olafus, Comes Hacon in Thrandia reſidet, Gunnhildidas Mæriâ pellit.

958 Comes Hacon præliatur cum Gunnhildidis, qvos provinciis aqvilonaribus Stadas usqve pellit, & orientis direptiones alternat.

959 Irritationes inter Comitem Haconem & Gunnhildidas vigent; Hacon Orientem conſveto more populatur, in Dania hibernat, Regem muneribus ſibi conciliat, Sigurdus Coluber Klippi Satrapæ uxorem circa hæc tempora vi ſtuprat, â marito occiditur.

960 Mutuæ inter partes injuriæ novis ſemper injuriis augentur, Orientales terræ Haconi prædarum promptuaria deliguntur, Dania refugium.

961 Gunnhildidæ exercitum in aqvilonem transportant. Comes Hacon obviam procedit in Mæria, cum Griotgardo patruo ſuo confligit, illumqve cum duobus filiis (Thomaskinna duobus Comitum filiis habet) & multis aliis occidit. Hacon in Daniam, inde orientem, proficiſcitur, prædasqve colligit, in Dania hyemat, Erlingus occiditur, Haraldus Grænſkius ab Hacone in Daniam deductus, in aula Regis Haraldi Cærulidentis unà cum eo hyemem agunt, teſte Thomaskinna, dolosqve nectunt Grafeldo, Hacon morbum ſimulat, legatio in Norvegiam dirigitur.

962 Haraldus Grafeldus & Gullharaldus occiduntur, Haraldus Cærulidens in Norvegiam movet.

Chronologica computatio Hiſtoriæ Regis Haraldi Cærulidentis & Comitis Haconis.

962 Rex Haraldus Cærulidens Norvegiam claſſe petit, partemqve Norvegiæ deditione recipit, reliqvam Comiti Haconi in poteſtatem ſuam redigendam committit, tunc etiam expeditionem in Islandiam deſtinâſſe videtur, Gunnhildis cum filiis regno pellitur.

963 Ragnfrodus regnum repetiturus cum Hacone confligit, provincias â Stadis in auſtrum protenſas per hyemem inſedit. Eiricus Skoptium Famigeratorem occidit.

964 Ragnfrodus cum Comite Hacone congreſſus, regno pellitur, Eiricus ab Haraldo Cærulidente Comes creatur.

965 Olafus Tryggvinus exſoluto pretio liberatus in Ruſſiam pervenit.

968 Militiæ Ruſſiæ Regis Valdemari Olafus præficitur.

974 Olafus Ruſſiâ Borgundarholmum, & inde in Vinlandiam, pervenit, Geiramqve uxorem ducit.

975 Comes Hacon cum auxiliaribus copiis adverſus Imperatorem Ottonem Secundum evocatus in Daniam venit. Imperator fugatur.

976 Rex Haraldus ab Imperatore denuo impetitur, Comiti Haconi fidu-

fiduciariam præfecturam liberam permittit, ab Ottone ſuperatur, Comitem ad Chriſtianam profeſſionem cogit, qvi injuriam ſibi factam interpretatus, obſeqvium Chriſto, amicitiam Regi renunciat, repente in hoſtem mutatus, Olafus Tryggvinus Imperatori militat, Vagnus Akius naſcitur.

977 Olafus Friſiæ, Flandriæ, Saxoniæqve oras populatur, ubi ei Thangbrandus innotuit.

978 Geira Olafi uxor moritur, periculum in Dania ſignô crucis evadit. Cætera, qvæ de reditu in Ruſſiam & tranſitu in Græciam traduntur, inter ſcriptores variantur, nec ulla deinde geſtorum ejus in certos annos diſtinctio, meo judicio, confici poterit, ad annum usqve 994.

982 Secundum Annales Haraldus Cærulidens Norvegiam vaſtat, nobis annus incertus eſt, anteqve 80. factum ſtatuimus.

985 Haraldus Cærulidens moritur.

987 Palnatokius ê convivio exeqviali Regis Haraldi elabitur.

988 Vagnus Akius in collegium piratarum Jomicorum recipitur.

991 Palnatokius moritur.

992 Sigvaldius Regem Svenum Jomsburgum transportat.

993 Comes Strutharaldus moritur, eiqve & Veſetio parentatur.

994 Bellum Jomsvikingenſe geritur, Haraldus Grænskius occiditur.

995 Hacon in orientalibus provinciis concilium celebrat, easqve ad defectionem a Rege Daniæ impellit, Thorerem Klackam in Irlandiam ad decipiendum Olafum Tryggvinum ablegat, deinde orta ſeditione ipſe occiditur, Olafus Tryggvinus Rex declaratur.

Qvoniam ſupra Libri hujus Cap. XXVI. p. 41. Gaungu-Rolfi Hiſtoriam orſi, eam, ne ſeriem vitæ Pulchricomi interrumperet, ad calcem libri rejecturos promiſimus; ſubjungimus nunc

DISSERTATIONEM DE EODEM GAUNGO-ROLFO, POSTEA ROBERTO DICTO, PRIMO NORMANNIÆ GALLICANÆ DUCE; CUJUS HISTORIA A POLYDORO VIRGILIO ET JOH. ISACIO PONTANO EST CONSCRIPTA; OSTENDIMUSQVE, NON DANUM, SED NORVEGUM FUISSE.

SECTIO PRIMA.

Polydori virgilii deſcriptio talis eſt.

Nunc autem, ait, *de adventu Rollonis in Angliam, & inde in Galliam, a qvo Duces Normannorum originem habuerunt, qvi & ipſam Angliam tenuerunt, dicendum eſt, ut hiſtoria ſuo ordine procedat. Rollo itaqve homo Dacus, anno ſalutis humanæ circiter DCCCLXXXVII. cum multitudine juvenum, novas ſedes qværentium, in Angliam venit, ut ſeſe ad ſuos adjungeret, junctisqve copiis,*

piis, genus nomenqve Anglicum deleret: verùm cum ſuos Dacos, jam longo bello feſſos, in fœdere eſſe cum Anglis accepisſet, illud iniqvo animo tulit; qvi tamen neqvaqvàm ab armis abſtinendum ratus, ad laceſſendum hoſtem prælio, erupit in agros, omnia ferro igneqve devaſtans. Incidit ex ea re nonnihil terroris atqve moleſtiæ Regi Alvredo, qvi jam pauliſper ab armis ceſſare ſperabat, ſed exiſtimans in novi hoſtis adventu nullam rem celeritate tutiorem, confeſtim ire obviam illius cœptis; atqve obſiſtere parat: itaqve conſerta pugna multi utrinqve mortales deſiderati ſunt, ſed minor omnino Dacis jactura fuit. Poſt hæc cum Rollo fortè ſomno raperetur, veluti accedere ſolet corporibus feſſis, ferunt eum viſum eſſe ſibi videre examen apium, ſupra ſe atqve exercitum ſuum volitare, magnoqve clamore transmittere mare, ad continentem petere, ibiqve congregatas varios arborum flores depaſcere, atqve inde occidentalem partem littoris Gallici oceani peragrare, collectosqve flores in unum congerere locum; ac ipſum ſtatim experrectum cœpiſſe hujus modi rem ſecum ſæpe reputare, locoqve præſagii habere, qvaſi certo ſcientem ſibi futuram felicitatem reqviemqve laborum in Gallia portendi. Imo ſunt qvi aliter narrent, tradentes eum ſomniaſſe, ſe elephantiaſi ſubito correptum, & fonte cujusdam montis lautum fuiſſe ſanatum, aſcendiſſeqve poſtea incolumem in ejus montis verticem: qvod ſane ſomnium ita qvidem conjector interpretatus dicitur, ut elephantiaſis eſſet vana Deorum religio, qva ille tenebatur, & fons baptismatis aqva, in qva ablutus, optati deniqve compos fieret, atqve ſic ad montis verticem, hoc eſt ad ſummam gloriam, poſtremo aſpiraret. Hinc igitur Rollo bonæ plenus ſpei, & minus inimico in Chriſtianos homines animo, qvòd ſomnium in rem ſuam maxime fore ſperabat, velis in altum datis in Galliam transmiſit, in eaqve primo Celticæ partem populando occupavit, qvæ ad littus oceani Gallici, citra ſeqvanam flumen pertinet, deinde nactus Seqvanæ commoditatem, Rothomagum usq; civitatem adverſo flumine pervenit, urbemqve oppugnare aggreſſus eſt, qvam cives ad extremum, cum auxilia fruſtra diu expectaſſent, ſibi rebusqve ſuis timentes, ultro tradiderunt. Hanc urbem teſte Cæſare olim Aulerci tenuerunt. Potitus ea urbe Rollo ad finitima loca occupanda animum intendit, ratus huic rei maturandæ maxime conducere, qvod tres fluvii navigabiles, Seqvana, Ligeris & Garumna ſibi uſui eſſe poſſent. Itaqve comparato qvàm maximo potuit exercitu, inſtructaqve claſſe, pars per Ligerim amnem, pars itinere terreſtri profecti, omnem Galliam ingenti terrore ac cæde complent. Rollo ad vexandos hoc pacto hoſtes, majore in dies ſingulos coacto numero, ex finitimis, qvi ad ipſum confugiebant, qvoqvoverſum armatos dimittit: omnes vici atque ædificia, qvæ qvisque conſpexerat, incendebantur, prædaqve ex omnibus locis abigebatur; cum Carolus Galliæ Rex, cognomento Simplex, vir certè integritate vitæ, non item militaris diſciplinæ gloria, præſtans, ratus ſe poſſe ferum hoſtis animum potius bonis monitis, qvàm armis mitigare, miſit legatos a Rollone trium menſium inducias petitum; quæ res quoniam Daco itidem peropportuna erat, quippe qui militem ſuum a tantis laboribus reficere cupiebat, neutiquam negata, itaque datæ ſunt in tres menſes induciæ Gallo; quæ ſtatim ut exiverunt, Rollo copiis in aciem eductis Carnutes armis invadit, ad eorumque oppidum oppugnandum aggreditur, quod ubi obſidione cinxit, Ricardus Burgundionum (ii quondam Seqvani dicti ſunt) dux cum magna militum manu obſeſſis auxilio venit, ilicoque hoſtes adoritur, qua re ab oppidanis cognita, collectis animorum viribus omnes, præcedente loco ſignifero antiſtite, & ferente tunicam interiorem, quam ferunt virginis Mariæ fuiſſe, atque divinam opem implorante, in hoſtes erumpunt. Non ſuſtinuit irrumpentium impetum Dacus, qui non ſine magna ſuorum ſtrage in fugam verſus, ad locum haud procul confugit: ibi ira & furore accenſus,

suos quam celerrime potuit, cursu dissipatos coegit, ac mox in omnes partes erumpens militibus imperavit, omnia hostium loca divexarent. Illi partim spe prædæ, partim odio exagitati, rapiendo cædendoqve truculentissime miseros Gallos tacerabant, nec ætati nec sexui parcentes, qvin Deorum templa privatasque domos crudelissime inflammabant. Hoc pacto barbari divina humanaque fædabant. Contra interim Franci Regem suum vituperabant, quòd tardus & iners esset, atque vim vi repellendam minime omnium curaret, cum ipse Carolus, qui longe magis Dei Opt: Max: auxilio quam armis confidebat, quippe videbat plus nimio hostium vires crevisse, quam ut tuto iis resistere posset, vehementer studens feram & moribus & natura gentem ad perceptionem veritatis trahere, ac ad suam amicitiam adjungere, legatos iterum ad Rollonem misit, qui eum ad Christianam pietatem hortarentur, dicerentque, si fide integra eam amplecteretur, se esse illi filiam, nomine Aegidiam, forma similiter ac moribus ornatam, cum grandi dote in matrimonium daturum. Fuit princeps legationis Francio Rothomagensis episcopus, homo Rolloni notus atque acceptus, quocirca ille, qui jam continuis bellorum motibus defatigari, & Gallorum consvetudine mitioris ingenii esse cœperat, libentius legatos audivit, ab eisque proposita cum suis communicavit. Placuit omnibus non aspernari conditiones pacis, sed legatis non aliud datum responsum, nisi Rollonem cupere cum Rege Carolo colloqui. Legati propere ad Regem reversi legationem renuntiant, quare habito mature concilio, Carolus demum cum Rollone congressus, ei filiam locavit, simulque dedit filiæ dotis nomine eam Celticæ partem, quæ id temporis Neustria fuit, ad citerioremque Britaniam pertinebat. Hanc terram Rollo receptam Normanniam dixit, quod eam homines a septentrione profecti occupassent, Normannum enim Septentrionalem hominem interpretatus est; porro North Dacorum linguâ septentrio est, man vero homo. Hæc ex Normanicis scriptoribus quàm accurate, sed nescio quàm verè, quia cum iis non consentiunt reliqui historici, magis ad fidem scribentes, quando satis constat, Normanos ante Rollonis in Gallias accessum, Gotthofredo & Sigifredo Regibus, in eam regionem una cum Dacis penetrasse, & postremo, facta pace, a Carolo Crasso Neustriæ partem incolendam accepisse. Qvare tradunt Rollonem se cum suis Normanis junxisse, ac sedes eo loci firmasse, Carolo Simplice Francis imperante: at neque Ægidiam filiam Simplicis fuisse, sed Lotharii Regis, quam ipse Crassus Gotthofredo Normannorum Regi collocavit. Quæ nempe res errorem præbuit, ut scriptores illi suspicati sint, eam nupsisse Rolloni, quem palam est duxisse in matrimonium Opem Berengarii Bellovacorum Comitis filiam. Ista admonenda duxi, ut meo uterer instituto, qui pollicitus sum historiam multo syncerissimam texere, & idcirco libuit Scriptorum opiniones appositè repetere, quo legentes in rebus quamvis obscuris minus ambigerent. Sed revertamus rursus eodem. Rollo ita in hostili terra rerum potitus, jam minus mortalibus infestus erat. Qvid, quod tam humanus brevi quàm pius effectus, ut religionis nequaquam abhorrens, ultro a Francione episcopo Rothomagiensium sit baptizatus ac Robertus appellatus, a Roberto Pictonum Comite, quem recepti ab se sacri testem adhibuerat. Sunt qui scribant, Normanos jussos esse annuum vectigal pendere Francorum Regibus, ut Neustriæ dominis, ne terra bellô quæsita diceretur, sed Caroli concessu adepta. Is igitur Rollo primus fuit Normannorum Dux, a quo alii Duces Normanni originem habuerunt, unde postremo Gulielmus Nothus Dux ortus est, qui regnum Angliæ obtinuit. Rollonem postea senio confectum, vitaque privatum, Gulielmus filius ex Ope genitus secutus est.

SECTIO

SECTIO II.

Libet qvoqve Pontani tractatum, satis etiam luculentum, inferre.

Rollo, inqvit, *ingens animi ac spiritûs vir, illustri natalium splendore inter suos conspicuus, sed ob factiones intestinas minus domi tutus, tum & gloriâ majorum, nec non dolore ex recenti gentilium suorum clade, incitatus, adeoqve novarum sedium parandarum percupidus, instructissima cum classe è Dania in altum profectus est. Et primo qvidem vel consultò, vel vi ventorum delatus in Angliam ad littora Northumbriæ appulit, commissisqve levibus aliqvot in exscensu ad terram præliis, cum gentis illius Rege Alfredo societatis fœdus componit, idqve eo, ut videtur, animo consilioqve, ut ibi in hibernis persistens impetraret a Rege commeatum, suosqve manipulos novo militarium virorum supplemento adaugeret, qvod & ei feliciter cessit. Nam actis hibernis, auctusqve novis copiis, primo statim vere classem ad Franciæ littora destinavit, somnio, ut volunt, monitus, qvo laborum ei reqvies ac tranqvilla sedes ejus in regni maritimis partibus portendebatur, cujus spei fiducia plenus, datis vento velis, sed tempestate subitò exorta, præstitutum sibi ab initio cursum neqve tenere, neqve exseqvi potuit; itaqve fluctibus obseqvens in Valachriam Zelandiæ insulam rejectus, cum descendere cum suis vellet in terram, ab insulanis prohibitus, ferro viam muniit, insulamqve suæ potestatis fecit. Verum ubi diutius qvàm par videbatur moram cum exercitu ac classe trahit, veriti Valachrienses ne sedes ibi perpetuas figere ac firmare in animum induceret, ad eum majore vi, atqve omni modo adoriendum, insulaqve exturbandum, fidem atqve auxilia circumquaqve vicinorum sociorumqve principum implorare instituunt. Inter primos, & qvi situ regionis erat proximus, advenit Reinerus Longicollus Basbacensium Dux, eumqve secutus mox Radbodus Frisiæ gentis princeps. Hi conjunctis in unum exercitibus, magno utrinqve animorum robore Rollonem aggrediuntur, sed Rollo pro præda, gloria ac dominatu depugnans superior evasit, quamvis ex adverso insulani pro libertate, proqve aris & focis haud segniter rem gererent. Rollo victoriæ compos, & ipso successu, ut fieri solet, animosior, occupata in totum Valachria, præsidiisqve locatis, expedita cum manu in Frisiam ducit, Radbodo æqvissima talionis lege arma, qvæ sibi in alieno solo intulerat, in suo repositurus. Frisii cum in se verti aciem viderent, ipsi qvoqve alacriter ad excipiendum Normannum procedunt, partim sua sponte, partim exhortationibus Ducis atqve exemplo magis magisqve ad defendendam patriam excitati, idqve animadvertens Rollo arte potius qvàm Marte aperto agendum sibi existimavit. Qvocirca ut primos Frisiorum assultus strophâ aliqva declinaret, suos in genua subsidere, sublatisqve supra caput clypeis, ad excipienda hostium tela qvietos esse atqve immobiles jubet. Qvod cum cernerent Frisii, diffidentiæ ac pavoris indicium sinistre id rati, animoso qvidem, sed temerario ausu, magnoqve suo malo propiùs se inferre cœperunt, idqve ubi fieret, viriliter obnitentes Dani, ac signo confestim dato omnes extempò corpore erecti, terga tandem Frisios dare, sibiqve victoriam relinqvere pulcherrimam adegerunt. Tum Rollo fortunam urgens, haud ante perseqvendi instandiqve perculsis finem fecit, qvam legibus a victore acceptis ingens viritim vectigal penderent, sicqve opimâ prædâ magnoqve censu onustus, cum suis è Frisia, nullo ibi relicto præsidio, decessit; alio enim festinabat, & ipsum qvoqve Reinerum Basbacensem Ducem bello persequendum, & ad imperata cogendum animo*

mo cogitabat. Qvapropter victrice classe Schaldis ostia subiens, terramqve infestans, lusoriis aliqvot pugnis de industria subdolè lacessitum, ex insidiis intercipit, sibiqve mira comitate ac beneficentia, cum perdere captivum posset, Dux providus ac circumspectus ex hoste amicum ac fœderatum efficit, Africani Scipionis exemplum hoc ipso æmulatus. Inde mare repetens, ac prætervectus a dextra Britanniam, in Franciam appellit, Seqvanæqve ostium cum classe ingressus, nemine jam vim prohibente, in terram, qvam Neustriam id ævi vocabant, descendit, felicem qvidem illam, sed ob vastationes continuas parùm tum cultam. Mox Rothomagum, obsidione arctissima clausum, postqvam oppidani diu ac frustra a Rege auxilia expectassent, deditione accipit. Qva vetusta Aulercorum sede potitus, ad finitima etiam loca occupanda omnes curas ac cogitationes convertit, ratus huic rei maturandæ præcipue conducere, qvòd tres fluvii navigabiles, Seqvana, Ligeris & Garumna sibi esse usui qvam maxime possent. Itaqve Francos sedem æqvis conditionibus negantes armis superat, ipsumqve regni caput, Parrhisiorum Lutetiam, toties qvoqve a populari ejus Sigefredo tentatam, obsidet, Bajocum & Eboricas obiter occurrens occupat. Inde Alfredi, sibi jam ante fœderati Regis, precibus e medio rerum supra vota fluentium cursu in Angliam revocatus, eum in solium, ubi subditorum suorum defectione erat exturbatus, restituit, Neustriam denuo petens, tripartita classe, Seqvanam, Ligerim & Garumnam uno eodemq; tempore populabundus invehitur, qvo nimirum undiqve devastato Francorum Regem animos incolentium facilius inflectere ac percellere, simulqve Parrhisiorum civitatem, quam denuo obsidione urgere cogitabat, ad deditionem faciendam compellere posset. Hinc cum in arctum se agi animadverterent Franci, Carolus Rex, cognomento Simplex, ratus lenitate potius qvàm armis mitigandum adversarium, misit ad Rollonem legatos, trium mensium inducias petitum, qvæ res cum Dano haud importuna videretur, qvippe qvi militem, multis jam fessum laboribus, reficere cupiebat, neutiqvam negata. Completo vero induciarum tempore, Carnutes confestim invasit, oppidumqve eorum (Castres hodie) obsidione cinxit. Adfuit auxilio obsessis Richardus Burgundiorum Dux, una cum Pictaviensium Principe, qvi cum omni exercitu circumventum Rollonem in summum deduxere discrimen. Coactaque fuisset bona exercitus ejus pars, aut hostibus se permittere, aut extremo periculo de vita dimicare, nisi ab invicta fortitudine præsidium mutuatus, ex omnibus simul castrorum portis de nocte erumpendi, ac per medios hostes, dum juvarent tenebræ, vi viam patefaciendi consilium cepisset. Rollo in tutum receptus, multo qvam ante asperior, inqve omnia obvia, humana divinaqve sævire pergens, eò rem deduxit, ut denuo ad Regem fessi ac fracti tot malis Franci auxilia rogatum pergerent. Rex convulso non tantum externis hisce sed domesticis qvoque seditionibus Galliarum statu, quod solum poterat, Concilio principum convocato, qvodnam malo remedium adhibendum, exqvirit. Ac tandem consentientibus omnibus, ad pacandum placandumque Normannum, Neustriam etiam olim Normannis concessam, nunc vastatam, & bellis pene pessundatam, perpetuo habendam offert, traditque ea lege, ut Christianam religionem cum suis suspiciat, & pacem cum Francis constantem atque æqvam colat. Sic ea Galliarum pars Normanno contra Normannos, assiduè huic imminentes, defendenda est data, communique in posterum consensu ab incolis Normannia nuncupata. Volunt aliqui regionem Britonum, Franciæ Regibus malè parentem, Neustriæ qvoqve adjectam, & Regis insuper filiam aut sororem Ægidiam, sive Gislam nomine, matrimonio eidem Rolloni collocatam. Alii non Ægidiam, sed Opem, sive Popam Beringarii Bellovacorum Comitis filiam fuisse scribunt. Ægidiam

gidiam autem non Simplicis, sed Crassi neptem Godefredo Danorum Regi, data in dotem Frisia, copulatam: sed cognomines fuisse ex aliis liqvet, qvi, defuncta sine liberis Ægidia sive Gisla, Popam antea repudiatam, ex qvâ filium Vilhelmum cognomento Langaspatha jam adultum habebat, denuo in conjugio ab eo assumptam literis traditum reliqverunt. Postremùm Rollo sacris Christianis initiatus Roberti nomen accepit, & Normanniæ duces seqventes, adeoqve posteris seculis Angliæ Reges, a Secundo Gulielmo, qvem Conqvæstorem appellant, ad præsens usqve ævum præsentemqve magnæ Britanniæ Serenissimum Regem Jacobum, inclyti Danorum Regis Christiani IV. affinem, &, qvi modo regnat, Carolum, ejusdem Christiani nepotem, ex se propagavit.

Baptismum Rollonis in annum nongentesimum vigesimum alii, Valsinghamus & Gemmeticensis in annum nongentesimum duodecimum referre videntur; qvorum Valsinghamus hoc præterea habet: Hastingum Danum Carnutensium civitate & agro a Rege Calvo donatum, tunc adhuc, cum primum in Franciam appelleret Rollo, superstitem, inter cæteros ad Rollonem a Simplice legatum missam, Rollonemqve his verbis convenisse. Fortissimi milites, a Rege Francorum ad vos missi accedimus, intellecturi, qvinam & unde huc profecti adveneritis, qvæ veniendi causa fuerit, qvis præfectus aut princeps vobis imperitet, ad hæc ut benignè respondeatis, amice rogamus. Cui vicissim Rollo, Dani, inqvit, sumus, imperio & dignitate pares, soli hujus incolas exturbatum accessimus, & nobis parentem regionem reddere. Tu vero ecqvis es, qvi tam festive nos compellas? haud dubio, respondit ille, fando audistis Hastingi nomen, qvi a vobis extorris & exul, cum classe huc appellens, Francorum hoc regnum maxima pro parte, aut in solitudinem, aut suam in potestatem redegit. Cui Rollo: accepipimus qvidem Hastingi vocabulum, sed & ipsum bene cæpta minus feliciter peregisse, id simul intelleximus. Tum Hastingus, vultis Caroli Regi vos vestraqve submittere? Neqvaqvam, inqvit Rollo, sed illud Regi renuncia, nos, qvæcunqve armis acqvisituri sumus, nostro jure vindicaturos, atqve ita utrinqve discessum. Addit deinde Valsinghamus, falso postmodum accusatum a Comite Theobaldo Hastingum, qvasi idem cum Rollone faceret. Eoqve perterritum divendita eidem Theobaldo Carnutensium urbe, cæterisqve omnibus distractis, peregre profectum disparuisse. Norvegiæ Chronicon vernaculum, ubi de Haraldo Haarfagero agit, Rollonis patrem nominat, aitqve apud Norvegos virum præpotentem fuisse, ac Jarli, qvæ ibi Comitis habebatur dignitas, potestate egisse, vocatumqve Rognvaldum, cognomento Divitem, filium autem ejus Rollonem ea fuisse corporis mole, ut illi vix ullus veredus ferendo esset, indeqve & Rolfonem Gange, qvod peditem notare videtur, appellatum, cumqve aliqvandiu piraticam, ut tunc erat moris, exercuisset, & domi qvoqve, licet interdicto vetasset Haraldus, a prædis agendis haud abstineret, succensuisse ei supra modum Haraldum ac tota Norvegia proscripsisse, Rollonemqve ea occasione, assumptis qvi se ducem seqvi vellent, in Angliam primo, atqve inde in littus Francorum, qvod tum Neustria dicebatur, instituta navigatione profectum, atqve ibi ducatus Normannici fuisse conditorem. Ita Chronicon. Alii Danos referunt, postqvam ex Anglia, ubi se illis Rollo junxerat, in Gallias cum classe & copiis devenissent, & jam Rothomagum tenerent, sortione de duce eligendo cogitasse, sorteqve in Rollonem Norvagum devoluta, ei omnes obseqvium & fidem pollicitos. Nos in iis, qvæ superius de Rollone adduximus, Dudonem de S. Qvintino, &, qvi eum exscripsit, Vilhelmum præcipue Gemeticensem sumus secuti. Illi autem cum è Danamarcha (hac enim voce utuntur) Rollonem deducant, & patrem qvidem ejus non nominantes, virum tamen ditissimum, & late in partibus Daniæ dominantem, ipsiqve Danorum Regi contro-

troversiam movisse fateantur, tum & Rollo ipse, ut modo ex Valsinghamo patuit, se suosqve commilitones Danos non Norvagos dixerit, existimem verba Chronici Norvagici de Rollonis parente ita accipienda, ut is latè in borealibus tam Daniæ qvàm Norvagiæ oris, cum authoritate, tum opibus florens, domestica præcipue factione compulsus, apud Norvagos se continuerit. Nam addit postremo idem Gemmeticensis, Daniæ Regem, intellecto qvòd dux potentissimus pater Rollonis & Gurim esset defunctus, armis sumptis, in filios facta parentis vindicare voluisse. Eaqve occasione cum classe aliqvot navium ê Dania ad Scangianos sive Norvagos Rollonem concessisse, ac postqvam ad eum freqvens populus confluerat, qvi a Rege Danorum, utpote partibus Rollonis favens, in dies proscriberetur, auctis copiis, vela ventis dedisse; ac primò Angliam, atqve inde, ut memoravimus, superatis Valachriensibus ac Frisiis, ictoqve cum duce Basbacensium fœdere, in littus Francorum impetum atqve arma vertisse. Controversiam vero qvi movisse Rolloni memoratur Danorum Rex, is an Canutus fuerit, cognomento Lothne Knud dictus, silentibus rerum memoriis certè affirmare non habeam. Interim res moderante eo ipso Canuto, in oras exteras varie egressos regni incolas, etiam Eirici Daniæ Regis, qvod habetur Chronicon ostendit, verbis qvæ subscripsi. Lothne Knud filius Eirici Barn bellicosus erat multùm & versutus, regnavitqve annis undecim: hujus tempore qvilibet tertius de servis & hominibus exivit de regno, aliasqve qvam plures terras subjugarunt sibi, & delectati terrarum ubertate noluerunt redire, huic successit Frothi filius ejus. Hactenus Chronicon.

SECTIO III.

His præterea authorum testimoniis Rollonem Danum fuisse Pontanus probare nititur.

Ut lector propius & ad oculum, qvod dicitur, introspiciat, Rollonem, ejusqve majores posterosqve, qvi sæpenumero ac vulgo fere apud authores Normanni nominantur, non Norvagicæ seorsim, ut Crantzius est interpretatus, sed Danicæ fuisse originis ac gentis, qvomodo etiam innuisse superius in ipsa historia, & alibi, nos scio; idem nunc verbis auctorum, qvi temporum eorum propemodum æqvales fuere, Dudonis ac Gemmeticensis aliorumqve, hic ostendendum existimo. Et est inter primos Dudo, cujus magnifice historiæ suæ initio Saxo Grammaticus meminit, rerum Aqvitanicorum scriptorem eum appellans, utpote qvi claruit sub Richardo; ejus nominis Normanniæ I. Duce, cui avus Rollo fuit. Is autem cum pro more Daniam fere semper Daciam vocet, ita loqvitur Lib. I. pag. 65. de Hastingo verba facturus. Igitur Daci nuncupantur a suis Danai vel Dani, gloriunturq; se ex Antenore progenitos. Hi Daci relato ritu olim a suis expulsi, qva suos tractus Francia protensè exporrigit, cum duce Hastingo ferociter sunt appulsi. Hæc eo loci Dudo, suntqve eadem qvæ Saxoni nostro Grammatico, de qvo dictum, in mente fuerunt, cum scriberet statim initio historiæ Danicæ: Dan igitur & Angul, a qvibus Danorum cæpit origo, patre Humblo procreati, non solum conditores nostræ gentis, verùm etiam rectores fuere, qvanqvam Dudo rerum Aqvitanicarum scriptor Danos a Danais ortos nuncupatosqve recenseat. Inde idem Dudo Lib.II. de Rollone acturus, ac qvædam de parente ejus, qvem nos, seqvuti vernaculum Norvegiæ Chronicon, Ragvaldum nominavimus, præmittens, hæc habet.

Illis in diebus senex qvidam erat in partibus Daciæ, omnium rerum affluentia

fluentia opulentissimus, innumerabiliumque militum frequentia undique secus stipatus, qui nunquam colla suæ cervicis cuiquam Regi subegit, nec cujuslibet manibus gratia servicii manus suas commendando commisit. Qvi Daciæ regnum pene universum possidens, affines Daciæ & Alaniæ terras sibi vendicaret, populosque sibi præliis quam plurimis vi & potestate subjugavit, erat enim omnium Orientalium præstantiore virtute præpotentissimus, cunctorumque exaggerato omnium virtutum cumulo præcellentissimus; defuncto vero illo superstiterunt duo filii ejus, armis strenui, bellis edocti, corpore pulcherrimi, animositate robustissimi, quorum vero natu major Rollo, alter vero Junior Gurim nuncupatur.

Gulielmus Gemeticensis, qui Dudone posterior est, hæc fere & eisdem verbis Dudonis recitat, historiæ suæ Normannorum Lib.II. Cap. I. At tertio & quarto Capite ejusdem Libri Rollonem non semel Danum vocat, & tertio præsertim capite, ubi occasiones recitat digressûs è Dania Rollonis, ita ait.

Rollo vero morari non valens in Dacia propter Regem, diffidens sui Scanzam insulam cum sex navibus aggressus est. Tunc Dacia pio Duce Patricioque atque robustissimo advocato privata, magno ejulatu concussa cœpit nimium flere.

Et capite deinde, quod proxime seqvitur, quarto, ubi de somnio agit, quo monitus Angliam Rollo idem petiit, ita loquitur. Cumque diu Scanzâ insula mæstus moraretur, sollicitequè contorquentis animositatis cogitationis æstuans moliretur, ut vindicaret se de inimicis suis, plurimique quos fugarat de Dacia regalis immanitas, ad eum reverterentur, fessis labore artibus sopore oppressus, vox divina illi sonuit, dicens: Rollo, velociter surge, ponto festinanter navigato transmeans, ad Anglos perge, ibi audies quòd ad patriam sospes reverteris, perpetuaq; pace in ea sine detrimento frueris. Hoc somnium cum cuidam sapienti viro & Christicolæ retulisset, hujusmodi sermone interpretatus est: Tu vergente venturi temporis cursu sacrosancto Baptismate purificaberis, prædignusque Christicola efficieris, & ab errore fluctuantis seculi, ad Anglos, Angelos scilicet, usq; olim perveniens, pacemq; perennis gloriæ cum illis habebis. Illico vela navibus aptans, remisq; eas exornans atq; frumento, vino tergisque suum eas onerans, velivolum mare celeriter permeans Anglos aggreditur. Audientes autem illius territorii pagenses, quòd Rollo Dacus adveniret, aciem magnam contra illum construxerunt, eumque ab illis finibus fugare conati sunt. &c.

Qvibus in verbis, ut antecedentibus quoque, qvæ & apud Dodonem habentur, disertè præter cætera liqvet, è Dania in Scandiam transgressum cum suis Rollonem, atque perpetuò Danum (Dacum ille, ut & Dudo, qvamvis perperam, scribit) esse intellectum. Sandiam autem cum Scanzam dicant, late accipere eos hanc vocem est verisimile, nec Scandiam sive Scaniam solam, quæ hodie regni tantùm est Danici, sed & Norvagiam qvoqve complexos, ut veteres olim id totum, qvod est ultra Daniæ insulas & Chersonesum Cimbricam boream versùs, una voce Scandinaviam appellàrunt, & hoc demonstrent præterea verba qvæ extant in genealogia qvapiam Ducum Normannorum ex veteri codice MS. desumpta; ista scilicet. Anno dominicæ incarnationis DCCCXCVI. regnante Francorum Rege Karolo, qvi Simplex appellatus est, piratæ Danorum ex insula Scanzia, qvæ Northvega dicitur, egressi, cum in Francia multa gessissent prælia, regnumqve devastassent; Karolus prædictus, acceptis obsidibus, eis Neustriam tradidit, qvam ab ipso tempore vocaverunt Northmanniam eo qvod ab ipsis, qvi ex Norvega venerant, possessa erat; Robertus igitur Rollo dictus, eorum primus erat Dux, Comesqve Northmanniæ. Robertus iste genuit Vuillelmum, qvi Longaspatha cognominatus est, qvem Franci dolo occiderunt,

runt, Vuilhelmus autem Longaspatha genuit Richardum Senem &c. Clarè ex his intelligere est, Scanziam hanc, in qvam ê Dania concessisse Rollonem ejusqve populares Dudo & Gemmeticensis volunt, Norvagiam fuisse, & ipsos interea Danorum piratas intellectos; Normannos autem, qvòd ex boreali hac plaga progressi advenissent, esse vocitatos, qvamvis etiam, qvod & alibi ostendimus, non solum Norvagi, sed & Dani qvoqve, omnesqve boreæ populi promiscuè Normanni olim vocitati. Qvod fefellisse præcipuè Crantzium clarum est, qvi voce Normannorum deceptus, solos hos populos fuisse Norvagiæ ac Norvagianos assertum voluit, cum contra tradat, diserteqve scribat ad DCCCX Albertus Stadensis: Dani & cæteri, qvi trans Daniam sunt, populi, omnes Normanni vocantur. Et adde hisce insignem locum Eginharti, qvi in vita Caroli Magni hæc habet. Ultimum qvod contra Normannos, qvi Dani vocantur, primo piraticam exercentes, deinde majori classe littora Galliæ ac Germaniæ vastantes, bellum susceptum.

Nec dissimilia sunt, qvæ eadem de re suggerit Adamus Bremensis, qvæ addere cuilibet in promptu erit. Et est præterea illud qvoqve ex præcedentibus notatu haud indignum, qvòd in illa genealogia Ducum Normannorum, qvæ citata jam est ex Codice MS. diserte piratæ Danorum appellentur ii, qvi ê Dania in Scanziam seu, ut interpretant, Norvegiam advenerant, nec Daci aut Dacia, ut apud Dudonem ac Gemmeticensem continuat, ac res præcipue Gulielmi Conqvæstoris, coætanei sui, & qvi eum proxime excipiunt, Roberti & Stephani Regum Ducumqve ad annum usqve Christi MCXLI exeqvitur, Daciam etiam semper fere, non Daniam, nominat.

Adjicit *Claudius Lyschander Lib. II. genealogiæ serenissimorum Daniæ Regum*, Gulielmum Rolfi filium, secundum Normanniæ Ducem, Richardum filium suum Bothoni militiæ suæ præfecto in Danica lingva erudiendum commisisse; qvin & Arnulphum Flandriæ Comitem Regi Galliæ consilium suggessisse, ut Richardo filio Ducis, adhucdum puero, poplites ferro aut igne succidi curaret, eôqꝫ duro carceri mancipato, Normannos laboribus gravibus & diuturnis servilem in modum fatigaret, qvibus divexati, relictâ Normanniâ, in patriam suam Daniam, unde profecti essent, remeare cogerentur; & hinc evidens qvàm maximè esse, qvòd Normanni isti per totam Galliam vicinasqve provincias habiti fuerint nationis Danicæ. Qvid qvod suam hanc adstructurus sententiam, citat Genealogiam Danicam, qvam tamen, tanqvam per se debilem, & ad expugnanda adversæ partis argumenta minus sufficientem, fulcire insuper nititur qvatuor expeditionibus, qvas totidem e Dania oriundi Principes, Gothricus nempe, Gotefredus, Biorno ferrei lateris, & hic ipse Rolfus, in Gallias fecissent. Et ne minus polliceri, qvàm præstare videatur, nepotem facit Rolfum Ragnaris Lodbrochis, celeberrimi Regis, ex filia anonyma, & patre qvidem potentissimo & celeberrimo, nominis tamen admodum obscuri, ut nullus id unqvam Scriptorum audiverit, nedum retulerit.

SECTIO IV.

Ad hæc ordine respondebo. Absit ut Celeberrimam Danorum gentem debitâ gloriâ fraudare vel velim, vel possim, denegando & detrahendo expeditionis tam gloriosæ societatem. Ostendere solummodò volo, Rolfum hunc, qvem Gaungu-Rolfum dici passim legimus, militiæ hujus Principem, Norvegum fuisse; omnibus antiqvitatibus, Membranis, & chartis illud unanimi consensu astruentibus; genealogiis præterea a Gore Noris fratre ad eum usqve derivatis, etsi ex parte mutilis, rerum

rerum tamen circumſtantiis ſe tuentibus; fratrumqve & matris certis nominibus, ſerieqve generis ab illis deducta, in Orcadibus & Islandia numeroſiſſimâ, ſuffragantibus.

Dudoni & *Gemmeticenſi* Danos pro Norvegiæ incolis intellectos qvis neget? cum Gallis creditum ſit, non modò Daniam, ſed etiam Gothiam & Hunniam, Norvegiâ contineri. Nam incertus author, qvi geſta Normannorum in Francia ab anno Chriſti DCCCXXXVII usqve ad annum DCCCXCVI complexus eſt, narrationem ſuam his verbis orditur: *Northmanni procedentes de Scanzia inſula, qvæ Northwega dicitur, in qva habitant Gothi & Hunni atqve Daci, cum tredecim navibus egreſſi, primo in Flandrenſi littore molientes, ab his, qvi in præſidio erant, repulſi ſunt.* Locorum ſitusqve regionum harum ignorantiam Scriptores iſti paſſim produnt. Nam & *Mariana*, Scriptor Hiſpanus, Chriſtinam Norvegiæ Regis Haconis Senioris filiam ad Alphonſum X. miſſam, qvæ poſtea fratri ejus Philippo, Valliſoleti prius Abbati, poſtea Hiſpalenſi Archiepiſcopo renunciato, nupſit, Daniæ Regis filiam fuiſſe tradit, qvam tamen ipſe Lyſchander in ſua Gronlandia Norvegicam fatetur, relationes exterorum authoritati monumentorum patriorum hoc loco poſtponens, tanqvam in cæteris non eandem fidem mereantur. Qvin & ex ipſo Gemmeticenſi patet, exiguam illum ſitûs Daniæ cognitionem habuiſſe. Nam Daciam, qvam Danmarcham interpretatur, intra paludes Mæoticas collocat, Northmannosq; & Danos eandem gentem agnoſcit. Idem qvoq; Daciæ & Alaniæ terras tanqvam confines introducit: Et ne illum qvis excuſaverit, qvaſi per Alaniam intellexerit Hallandiam, Daniæ partem: nam cum unum ex Rolfi progenitoribus, Gorem nomine, e mari Alano, qvod oſtio ſinus Finnici objacet, inqve membranis Alanshaf/ fortè ab accolis Alanis, dicitur, profectum inaudiviſſet, credens hunc eundem Gorem Rolfi fuiſſe fratrem, Alaniam, ut è qva Gor, Danus utiqve, veniſſet, Daniæ ſimul partem credebat. At verò celeberrimum erat mare Alanum, iſtudqve Gorem domo egreſſum Flateyenſis codex prætervectum memorat.

Cum itaqve illi Scriptores, contra atqve Pontanus exiſtimat, nihil de harum regionum ſitu ſani afferant, ego hic Scanziam pro Scania, ad Eyrarſundam ſitâ, dictam exiſtimo; qvò qvidem, tanqvam in ſitam extra ditionis Haraldi Pulchricomi pomæria, & tunc Daniæ regno ſubjectam provinciam, profectus e Norvegia Rolfus primò conceſſerit, collectisqve ibi viribus, in Hæbudas deinde profectus ſit. Neqve eo tempore ullam multitudinem e Dania profugam proſcriptamqve legimus, qvemadmodum fabulantur illi iidem ſcriptores, dum ad Rolfum refugiſſe tradunt, qvos è Dania regalis fugâſſet immanitas. At Haraldi Pulchricomi illa erat immanitas. Et qvidem hunc tam potentem, latèqve celebrem Principem, qvem patrem Rolfi ipſi prædicant, ne nomine qvidem effari potuere; invicto argumento, parùm admodum iis de Rolfi conditione, anteqvam ad eos delatus eſt, conſtitiſſe, nedum ut de regionum harum natura, ſitu, & indole certi qvid ſciverint, ut adeò abſurdum videatur, ſcriptoribus noſtris tam luculentis fidem præ nugis ipſorum denegare. Pontanus qvidem, authoritatem illorum ſecutus, Rögnvalldum ejus patrem fuiſſe ſtatuit, ê Dania tamen profectum; verùm pari ratione majores ejus ad Gorem usqve potuiſſet ſcire, ſi generis ſeriem obſervâſſet, qvæ in Arngrimi Crymogæa extat. *Lyſchander* autem omnem his fidem abrogavit, nec id immeritò, ſi perinde ei conſtitiſſet, atqve profeſſus eſt, genus ejus, qvod a Ragnare Lodbroche per filiam ejus, Rolfi matrem deducit; cujus tamen no-

men reddere nescit: qvin sui ipsius oblitus, eandem pag. 186 in ætate tenera obiisse tradit: Rectiùs fecisset, si perinde ac ego, qvi in omnibus dubiis locis authoritatem ejus, cujus fidem seqvor, mihi necessariò & ex officio, ne cui occasio detur fidem meam in dubium vocandi, allegandam censeo, indicato vetusto illo, qvod secutum se dicit, monumento, integram sententiã in supplementũ nominis inde depromsisset; sic enim supervacaneum fuisset, argumento fidem suam stabilire, qvod ponderis etiam exigui videtur. Nam licet Principes, qvi superiores expeditiones susceperant, Danicæ originis fuerint, qvod nemo impugnat, non continuò seqvitur, Rolfum ideo Danum fuisse; cum autem Rolfum ipsum in argumenti societatem trahat, idem per idem probat. Nec patris Rolfi gloria, &, qvæ prædicatur, ingens potentia, opinionem Danicæ originis fulcit; nam in regno, ubi vixit, potentissimus fuit, & qvidem tantus, ut Orcades & Hialtlandiam qvi muneris loco acciperet, dignus Regi suo visus fuerit; ipseqve vicissim sibi, qvi tantum munus iterum fratri suo, sine ullo rei familiaris aut potentiæ notabili detrimento, liberis suis prætermissis, redonaret.

Causa autem, qvòd se Danos professi sunt, fuit Danorum hoc tempore per universas Europæ partes maxima illa ab Halfdani diserti, Ivaris Vidfadmii, Haraldi Hilditanni, Sigurdi Ringi, & Ragnaris Lodbrochis recenti planè memoriâ, ex Anglia primùm in istas oras sparsa celebritas; cum interim Norvegia in minutissimas provincias, Regulis, nullius ferè extra patriam, nedum in remotis oris, nominis aut famæ, regnatas, distincta, ignobilis & obscura per multa secula, ad recentem usqve Pulchricomi dominatum, delituisset. Qvin eidem Pulchricomo censebant vicini Reges parum inde gloriæ accessisse, qvòd colonos qvosdam & rusticos (nam ita eos appellabant regulos) devicisset. Hinc fortè credebat Rolfus, non tam Norvegici, qvod adhucdum ignotum erat, qvàm Danici nominis terrore Gallos, virtutis illius ac potentiæ magno cum suo malo conscios, ad conditiones optatas adigi posse. Qvin gentis hujus tanta erat authoritas & gloria, ut multis exinde seculis lingva toti septentrioni communis Danica per excellentiam vocaretur. Sic Olafus Tryggvinus omnium idiomatis Danici Principum suo tempore gloriosissimus fuisse traditur. Scriptor etiam Chronici Norvegici in præfatione pollicetur, se scripturum vitas principum septentrionalium, eorum qvi Danica lingva locuti sunt, cum tamen Norvegorum Regum tantùm gesta prodiderit. Qvid igitur obstat, qvo minus se Danos dicerent, qvi lingva, qvæ omnibus Danica dicebatur, usi sunt, licet eorum Princeps fuerit Norvegus? Verum qvod illis in oris Normannos pro Danis omnes firmitèr habuerint, non est mirum, cùm Dani essent illi principes, Biörnus scil: ferrei lateris, & Haddingus (qvem rectè Crantzius ad lingvæ Norvegicæ indolem ita appellat, nisi Hasteinus domi vocatus fuerit) qvi infestis armis Gallos per longum tempus divexâssent, & hi, qvi illis successerant, se itidem Danos nuncuparent. Sed neqve ex eo, qvòd erudiri in lingvâ Danica filium suum Dux Gvilhelmus curaverit, ullum generis argumentum elicitur, cum ea tam Danis, qvàm septentrioni reliqvo, esset communis. Locus autem à Pontano citatus incerti authoris ad annum domini DCCCXCVI, ipso qvidem confitente, plane evincit, e Norvegia Rolfum cum comitibus exercituqve suo egressum esse; id qvod etiam in gestis Normannorum in Francia his verbis traditur. *Postea Karolus Simplex Rolloni Neustriam tradit, qvam Northmanniam Northmanni vocaverunt, eo qvod de Northvega egressi essent.* Nihil igitur aliud per Danos intra Norvegiam habitantes Scriptoribus

bus hisce intelligitur, qvàm Danicæ lingvæ homines; id qvod ipsi authores explicant, ut supervacuum sit, ê Dania eos in Norvegiam, & inde in Galliam, arcessere. *Paulus* namqve *Æmilius Veronensis* patriam eorum non Daniam, sed terram Danis finitimam, agnoscit; verba ejus ascribere libet. *Piratæ Normanni infestiore continentioreqve latrocinio Galliam urentes, qvàm ullus unqvam justus hostis fecerat, Danis finitimi erant, oceaniqve accolæ. Eorum lingva Northus Septentrio, mannus vir est. Tacitus tradit, Germanorum voce Nerthum terram matrem esse, Mannum Tvistonis terra editi Dei filium, conditorem gentis creditum. Normannia ipsa suum uni nationi nomen est, qvæ oceanum accolit, Danis Cimbricæqve Chersoneso finitima. Septentrionalem tamen cardinem spectantes gentes in universum Normanni ea tempestate vocati videntur, â qvampluris Scythæ nuncupati. Et Luitprandus Ticinensis, Græcarum rerum non ignarus, illorum fere temporum æqvalis, tradit Normannos Constantinopolim usqve excurrisse, ac ut alii sint, qvam qvi Galliam vexarunt, Russos eodem nomine extitisse. Nec enim vero simile sit, unam tantum nationem, angustis finibus utentem, totam propè Europam terra mariqve uno eodemqve tempore armis pervagatam. Qvicunqve ex illius vasti oceani ora insulisqve septentrionis, ac peninsulis (Cimbriæ scilicet & Scanziæ vel Scandinaviæ) incompertæ magnitudinis arma ferebant, Normanni a Gallis vulgo nuncupabantur. Cæterum satis constat, qvi postremi Neustriam tenuerunt, nempe non fuisse Danicam, sed ex multis fuisse unam nationem, Danis sociam finitimamqve.* Hæc *Paulus Veronensis.*

Consimiliter *Adamus Bremensis Lib. IV. Cap. XVI.* Danos a Svecis & Normannis distinctam gentem ac nationem memorans statuit, scilicet, Svenum Danorum Regem direxisse prædicatores clericos in omnem Svediam, Normanniam, & in insulas, qvæ sunt in illis partibus, ut hac ratione Christianitas in exteras nationes longè latéqve diffusa sit.

His adjiciam *Radulfum de Diceto ad annum DCCCLXXXII.* qvi: *Normanni,* inqvit, *Duce Rollone, adjunctis sibi Danis, Franciam & Lotharingiam pervagantes, Ambianes, Atrebatum, Cameracum, Turnacum, fines Morinorum, & terram circa Scaldim flumen devastant, postmodum ostium Seqvanæ penetrantes Rotomagum obsident.*

Nec omittendus *scriptor vitæ Griffithi filii Conani,* qvi tradit, unum e tribus illis fratribus, qvi in Hiberniam venerant, cum Norvagiensibus suis in Galliam concessisse, & Francis devictis, sedes in Normannia fixisse. Hunc Radolfum ille vocat, qvem alii Rollonem; a qvo Guilhelmus, & alii Normanni, qvi in Anglia regnârunt, genus deducunt suum: citante *ex Usserio Jacobo Varæo Cap: XXIV. pag. 121.* Nec minimum pondus habet Regni Daniæ Cancellarii, *illustr: Arildi Hvitfeldii,* testimonium, qvi *Chronicorum Danicorum parte I. in Erico Puero,* ubi de Haraldo Pulchricomo Norvegiæ Rege agit, loqvitur in hunc modum: *Illius tempore extitit Comes Rognvaldus in Norvegia, qvi istius Rolfi pater fuit, qvi Normanniam insedit.* Manebit igitur inconcussa tot Norvegorum Islandorumqve monumentorum, & priscæ relationis per tot secula demissa ad posteros authoritas, qvam duæ membranæ, altera nempe codex ille ingens Serenissimi Regis, qvi a loco in Islandia celebri, ubi conscriptus est, *Flateyensis* dicitur, Fol: 3. cum Fol: 8. ejusdem Cod: conferendo: altera verò fragmenta ex Orcadum historia, longè vetustiora, asserunt; ubi qvidem genealogiæ a Gore deductæ continentur: Chronica etiam duo membranea extant in Bibliotheca Univ: Hafniensis, qvæ licet genealogiam ab ipsa radice non deducant, parentes tamen utriusqve sexûs, avos etiam paternos, & fratres, causamqve

exilii luculenter exponunt. His accedat Chronicon, typis Havniæ 1594. impressum, Einarisqve Orcadum Comitis vetustum, qvod hodieq; extat, carmen, qvo Rolfum fratrem suum esse affirmat. Vetusta enim illa, & harum fidem superantia, qvæ Lyschander secutum se profitetur,& tamen trepidè nimis commemorat, nunqvam adhuc, qvantùm scio, in lucem prodierunt: ut taceam qvòd monumenta hæc matrem Rolfi, nomine Hildem, Rolfi (cujus nomen nepos gessit) cognomento Nefiæ, filiam tradant, qvod assertioni Lyschandrianæ e diametro repugnat, qvi avum ipsius Ragnarem Lodbrokem, suppressis patris matrisqve nominibus, obtrudit.

Illud hoc loco adjiciam, monstrari hodieqve in Sunnmæria navalium Rolfi rudera, locumqve, unde ille, expeditionem in Galliam meditatus, solvit; famâ ex isto tempore per intermedia tot secula, usqve in præsens, constanter perhibente. Mihiqve hoc Clarissimus Vir, *Mag: Christophorus Hiermann*, senex venerandus, & districtûs illius præpositus, parœciæq; pastor, bona fide retulit. Notata est etiam Scriptoribus nostris descendens ab eo celebris satis longaqve per Islandiam Norvegiamqve sparsa progenies, hoc tenore. Ejus filia Kadlina, nupta Scotiæ Regi, Scotorum Scriptoribus inter universales Reges ignoto, Biolano: filiam habuit Nidbiorgem, qvæ inter piraticas excursiones prædasqve intercepta ab Helgio Islando Ketillis Simi pronepote eò translata est, inqve uxorem ducta: eorúm filii Osvifus, Sapiens dictus, & Einar Skalaglamus, qvi Haconi Hladarum Comiti in prælio Jomsvikingensi fortiter militavit, de qvo ibi plura: Osvifi filius Uspachus, filia Gudruna, qvæ maximum virum Kiartanum, Myrkiartani Hiberniæ Regis pronepotem, præclarum patriæ civem, occidi curavit. Uspachi filius Ulfus, Haraldi Imperiosi Norvegiæ Regis, Sancti Olafi fratris, Stallarius, cui is uxoris suæ sororem Jorunam, Thorbergi Arnini filiam, Ingibiorgis Thorfinni Orcadum Comitis uxoris sororem patruelem, conjugem dedit. Eorum filius Jon de Rasvelli; ejus filius Erlendus, cognomento Himaldus, Eysteini seu Augustini, Archiepiscopi Norvegiæ, pater, ejus cui *Theodrichus Monachus* historiam Norvegicam nuper excusam inscripsit. Ulfi & Jorunæ filia fuit Birgida mater Saudaulfi, seu Ulfi Ovis, patris Petri Byrdar-Sveini, Satraparum sui temporis præcipui, de qvo in vita Sigurdi Bronchi: ejus filius Ulfus Flys fuit.

Hactenus itaqve de occupatis a Norvegis in Australioribus terris; qvæ postea Normannorum de nomine dictæ universo orbi innotuêrunt, sedibus. Restat nunc, ut ob argumenti similitudinem qvas in occidentem colonias Norvegia tempore Pulchricomi emiserit, atqve ita Islandiæ primos incolas dederit, strictim enarremus. Id verò cum ex gestis Haraldi Pulchricomi sponte qvidem fluat, & nihilominus tamen ejus vitæ, utpote paullò uberioris materiæ, commodè inseri neqveat; suspensâ tantisper inseqventium regum serie, peculiari libro, eôqve proximo, de excultâ primum Islandia dicemus.

HIST:

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS SECUNDÆ

LIBER SECUNDUS,

DE PRIMIS ISLANDIÆ INCOLIS, SEDIBUS PATRIIS AB IIS DESERTIS, ALIISQVE IN NOVA PATRIA OCCUPATIS.

CAP. I.

DE PRIMA ISLANDIÆ NOTITIA PER INVENTORUM ANTESIGNANUM NADDODDUM, NOMINEQVE SNÆLANDIÆ AB ILLO INDITO, ET DE TEMPORE, QVO INVENTA FUERIT.

ISlandiam cum pluribus aliis insulis regionibusqve occasione Monarchiæ Pulchricomi coli cœptam ab iis retuli, qvi jugum ipsius subire, Victoriæqve (sic ut ipse qvidem videri volebat jus, ut durum & servituti proximum, suo damno periclitari noluerunt. Hic igitur brevem eorum indicem haud incommodè subnectendum, peculiariqve libro tradendum, existimo, eorum scilicet, qvi ê singulis Norvegiæ provinciis solum vertentes, certas in singulis Islandiæ qvadrantibus sedes occupârunt: qvorum qvidem numerus, si cum aliis, qvos vel e Norvegia, vel aliis è regionibus aut provinciis, incertis licet, cives Islandia accepit, comparetur, exiguus est.

Primùm omnium ergò constat, insulas Færeyas priùs cultas fuisse, qvàm Islandiam. Nam *Codex Flateyensis pag. 125.* Nadd-Oddum piratam, Yxna-Thoreris fratrem, à Færeyis in Norvegiam navigaturum (*Origines Islandiæ* inverso ordine ê Norvegia in Færeyas profectũ tradunt) oborta tempestate, in insulam, postea Islandiam dictam, actum, primũ omnium eam invenisse, Norvegisq; detexisse testatur; inq; orientali tractu montem altissimũ, postea

Reidarfiall dictum, conſcendiſſe, ad obſervandum, fumusne aut alia cultæ regionis indicia uſpiam apparerent; verùm nullis talibus deprehenſis, iterùm Færeyas repetiſſe; cum autem ſub autumnum, dum diſcederent, ſumma montium juga nive obducta animadverterent, occaſionem id ipſum nomini dediſſe, indeqve Snæland / ſeu *nivoſam terram*, inſulam iſtam appellâſſe; hanc tamen eandem reverſos domum miris laudibus extuliſſe. Qvo verò anno hoc factum ſit, manuſcripta exemplaria pergamenea, qvæ qvidem hucusqve vidi, prorſus ſilent. *Petrus Claudius Undalinus* ſextum imperii Pulchricomi annum aſſignat, ſed perperam, ut infra monſtrabitur. Priùs igitur inveſtiganda æra occupatarum Færeyarum, id temporis cultarum. Eam vero *Codex Flateyenſis* his verbis docet, *columna 59*. *Vir nomine Grimus Camban prius Færeyas inhabitavit, in diebus Haraldi Pulchricomi: tunc enim ob ejus violentiam magna hominum multitudo aufugit; qvidam in Færeyis conſederunt, ibiqve habitabant, alii incultas terras inveſtigabant. Audur Prædives Islandiam adivit, ibiq; Olufam Thorſteini Rufi filiam nuptum dedit, unde maxima Færeyenſium proſapia promanavit, qvos Gautuskeggos (ſeu Gautubarbos) appellant, qvi Auſtureyam incoluerunt.* Conſentiunt *Sturlæi Chronica Norvegica* MSS. in deſcriptione pugnæ Hafursfiordenſis, qvâ totam Norvegiam ſibi ſubjugavit Haraldus. *Poſt illam pugnam*, inqviunt, *nemo ei obſtitit, hoſtium enim præcipui cæſi ſunt, alii autem ſolum verterant, & qvidem ingens multitudo. Nam & ſpatioſæ regiones, ad id tempus deſertæ, cultæ ſunt; cultæ & Jamptia & Helſingia, utraqve ex parte a Norvegis habitata prius. Illa tempeſtate incubante, cum in ſubjuganda ſibi Norvegia occuparetur, etiam remotiores terræ, Islandia Færeyæqve inventæ ſunt & excultæ. In Hialtlandiam qvoq; crebræ factæ ſunt migrationes. Multi etiam potentiores è Norvegia exulatum fugientes, occidentem infeſtabant, in Orcadibus & Hæbudis hybernantes, per æſtates Norvegiam laceſſebant.* Hæc verbotenus tam ex *Codice Flateyenſi*, qvàm *Chronicis* expoſui. Non itaqve vitio caret verſio Petri *Claudii Undalini pag. 49.* dum Islandiam & Færeyas iis terris accenſet, qvæ a Norvegis priùs cæperant habitari; niſi qvis excipiat, ſermonem non eſſe de ipſo tempore pugnæ Hafursfiördenſis, ſed de iis, qvi eam ſecuti ſunt, annis. *Mag. Lucas Debes* annum, qvo Grimus Kambam Færeyas occupaverit, DCCCLXVIII ſtatuit; qvem licet ut certum asſignare ego neqveam, exiſtimaverim tamen ante iſtum terminum veriùs, qvàm poſt eundem, inſulas illas inventas fuiſſe, ſiqvidem Nadd-Oddi, primi Islandiæ inventoris, tempore cognitæ eſſent, & hic ad eas, tanqvam notas, navigaret. Et ſi eundem Nadd-Oddum *Liber Originum Islandiæ in Sigmundo Thiſtile pag. 37.* indigitat, certè Færeyarum incola fuit. Tradit enim proneptem ejus Hildigunnem veneficam ab Einare de Lone in jus vocatam, qvæ cauſæ ſuæ patrono tunicam ferro inſecabilem donaverit: proavumqve ejus Færeyenſem fuiſſe probat, dum Hildigunnem Beineris filiam, Maris neptem, Nadd-Oddi de Færeyis proneptem dicit. Nec tempora diſſentiunt; ejus enim maritus Sigmundus fuit, natus patre Ketile Thiſtule, qvi ſinum Thiſtilsfiordum in Islandia primus Pulchricomi tempore occupavit. Idem qvoqve *Lib. Originum pag. 2.* in Færeyis eum ſedem fixiſſe memorat, qvòd alibi nusqvam ſecuram haberet manſionem; ponit autem in margine annum, qvo Islandiam primus detexerit, DCCCLXI. qvi & imperii Pulchricomi initium, noſtro calculo, biennio præcedit. Ante ergo annum, qvo votum de ſubigenda Norvegia fecit Pulchricomus, nobis DCCCLXIV. vel LXVI, Færeyæ neqve notæ, neqve cultæ fuêre, ſi fides narrationi conſtabit, qvæ tradit, illa tempeſtate incubante, cum Haraldus

in ſubigenda ſibi Norvegia occuparetur, Færeyas inventas eſſe & excultas: Naddoddo tamen, ſive dignitate, ſive tempore, prior Grimus Kamban fuiſſe videtur, de qvo tamen præter hæc, qvæ retuli, nihil ad nos pervenit. Incertus enim ſum, utrum is, an verò alter ei cognominis, Grimus Kamban qvoqve dictus, qvem qvidem *liber Originum Part. 1. Cap. XIV. p. 15.* poſt mortem per civium favorem ſacrificiis cultum fuiſſe, Kambanemqve appellatum Memorat, avus fuerit Thorolfi Smør / qvi inter præcipuos Flochii, tertii Islandiæ repertoris, dum inſulam qværeret, erat ſocios: Certè nihil obſtat, qvò minus Grimus avus vitam ad tempora Pulchricomi potuerit produxiſſe, licet nepos illius eodem rege juvene floruerit.

An Islandia Thule ſit, alibi diſſeruimus; nec eſt hujus loci. De inventoribus in præſens agendum, & tempore qvo inventa fuerit; qvod qvidem ſcriptorum omnium maximè vetuſtum facit *Ol: Rudbeckius Atlant: Cap. XIX. de veterum Thule; §. 1. pag. 517. Ea*, inqviens, *Islandia erit, utut hanc Ptolemæus verſus meridiem reduxerit, nam magnitudinis ratione utcunq; congruet. Atqvi ſi nomen illius reſpexerimus, hæc Plinii erit inſula nivaria, qvo nomine & apud ſuos hæc inſula olim venerat, cum* Sniolanо *appellatam fuiſſe ipſorum Islandorum teſtimonio conſtet. Juxta hæc cum Plinio fatentur qvoqve omnes Islandi, hanc inſulam nudam & ab incolis vacuam olim fuiſſe, ob piſcationes nihilominus, apud eam excerceri ſolitas, aliis gentibus non prorſus ignotam. Nam Flocho Norvagus, qvi juxta Brunolfi monumenta tertius illam adierat, etiam anno Chriſti CDXIV. deſertam invenit.* De hac ipſa nivaria (ut ipſe vocat) inſulâ, nonnulla qvoqve *in Cap. XV. pag. 480.* dicta ſunt: afferam & illum locum. *Deniqve*, ait, *& ab eodem Plinii capite diſcimus, ne qvidem eo ipſo tempore omnia viris eruditis circa fortunatas inſulas ſatis liqvidum fuiſſe. Inter Canarias enim & nivariam, qvæ hoc nomen accepit â perpetua nive, recenſet: atqvi nullam inſulam hujus vel nominis vel indolis juxta Canarias reperire poſſunt, qvi illuc navigant. Qvin etiam fruſtra qvis inter eas, & ſub tam fervente Solis æſtu, qvæſiverit inſulam perpetua nive obductam: nivariam igitur potius appellemus Islandiam, cum ob ſuffragium Arngrimi Jonæ in Island. Part. I. Sect. I. Hic* (Nadd-Oddus) *Snælandiæ* (Nivariæ) *nomen inſulæ a nive indidit; tum ideo, qvòd nix illam toto ferme anno tegat, & deniqve qvod Atlanticæ objecta ſit.* Adſcripſeram aliqvando hunc errorem typographi incuriæ, eo qvòd nusqvam invenirem, vel Flochii ætatem, vel inventæ Islandiæ epocham, ad annum Chriſti CDXIV. relatam; ideoqve hoc præter mentem viri irrepſiſſe exiſtimabam: Sed video illum totum in eo eſſe, ut nivariam inſulam, Plinio proditam, Snælandiam eſſe, qvæ hoc nomen a Nadd-Oddo ſortita ſit, Romanosqve adeo per hanc ipſam nivariam Islandiam intellexiſſe aſtruat. Ante ergò Plinii tempora, ſi Rudbeckium audias, Nadd-Oddus vixerit, & ultra trecentorum annorum intervallum inter eum & Flochium interceſſerit. Si itaqve, ut idem ille Rudbeckius, noſtras antiqvitates ſecutus, affirmat, vacua cultoribus erat Snælandia, cum Flochius ad eam appelleret, qvis Flochio retulit, eam antea Snælandiam vocatam fuiſſe? qvis Nadd-Oddum nominis ejus authorem fuiſſe? qvis item hiſtoriam Nadd-Oddi expoſuit? Jam verò inter ætatem Flochii & Ingolfi, qvi primus illuc colonias duxit, id eſt, a tempore, qvô primum inventa eſt â Flochio, usqve ad illud, qvô, mutato nomine Snælandiæ, Islandia dici cœpit, anni plus qvadringenti interfluxerint oportet. At qvis toto hoc tempore hujus rei memoriam conſervavit? qvì fieri potuit, ut non ſolùm Flochii liberi, ſed etiam

iam ipse Flochius, imo & Nadd-Oddi filii, Gardarisqve secundi inventoris socius, nomine Nattfarius, post elapsos plusqvam septingentos annos â tempore, qvo Plinius vixit, Nadd-Oddo (ut videtur) longè posterior, si inditum ab eo insulæ nomen, ex longo temporum intervallo perceperat, occupatamqve ab Ingolfo insulæ partem, ipsi qvoqve eam insederint. His igitur missis, uno verbo respondebimus *Claudio Christophoro Lyschandro*, qvi *in sua Gronlandia metrica*, Danico idiomate conscriptâ, initium detectæ a Nadd-Oddo Islandiæ cum anno reparatæ salutis DCCLXX. conjunxit. Id nempe ille nullis, qvòd sciam, præviis documentis fultus asseruit, sed (uti opinor) ut authoritatem privilegiorum, Sancto Ansgario ab Imperatore Romanorum Ludovico I., & Pontifice Romano Gregorio IV. datorum, strenuè tueatur; qvorum exemplarium fidem *Arngrimus* nostras, in qvantum ad Islandiam & Grönlandiam spectant, jam dudum infregit, nostraqve tempora adhuc validiùs infringunt, dum apographa, alibi publicata, inq; cæteris consentientia, nullam de his terris mentionem faciunt. Nos nostros annales secuti ad cæteros Islandiæ inventores pergimus.

CAP. II.

DE SECUNDO INVENTORE GARDARE, ALTEROQVE AB EO IMPOSITO NOMINE, EJUS FILIO ET PROGENIE.

SEcundus a Nadd-Oddo fuit Gardar Svavaris filius, genere Svedico oriundus, qvi præsagæ matris instinctu ad inqvirendam Snælandiam profectus, appulit in portum, illo tempore navibus idoneum, versus orientalem tractum, qvi hodie Austurhorn vocatur. Universam deinde regionem circumvectus, insulam eam esse deprehendit: hyemeq; in boreali portu ad sinum Skialfanda transactâ, portui ab extructis ibi à se domibus Husavik nomen indidit. Appetente vere, cum jam inde recessurus Norvegiam meditaretur, scapha, qvâ qvidam nauticorum sociorum, nomine Nattfarius, cum servo & ancilla vehebatur, tempestate abacta est in vicinum portum, ibiqve is postea habitavit; a cujus etiam nomine portus iste Nattfararvik in posterum dictus est. Regressus in Norvegiam Gardar, inventam terram magnis laudibus extulit, eamqve de nomine suo Gardarsholmam nuncupavit. Filius ejus fuit Unius, qvi, magnam partem coloniis repleta insula, eò concessit, promissis Pulchricomi allectus, Comitis sub titulo præfecturam totius insulæ ei pollicentis, si suæ ditioni submittere posset: nec Unio tam voluntas, qvàm successus, defuit. Qvorsum enim opulentas possessiones, patriam penatesq; libertatis causa reliqvissent incolæ, si sub jugum Pulchricomi iterũ, post tot damna tantosq; labores, se redigi permisissent? Qvod qvidẽ, qvantumvis arte tectum molimen, cum incolis suboluisset, licèt partis vacuæ cõmuni gentium jure occupandæ libertate non excluderent, pecorum tamen, pluriumqve utensilium emptione prohibuerunt, ut necessitate premente de uno loco in alium migrare coactus sit. Duodecim satellitibus semper munitus, tandem a viro magni nominis roborisqve, nomine Leifo Athleta, cum comitibus sub hyemem hospitio exceptus est; verùm cum filiam illius stuprâsset, clanculumqve se subduxisset, hospes eum

eum perſecutus, redire renitentem, vimqve armatam opponentem, ſatellitibus qvibusdam cæſis invitum reduxit. Iterum fugam molientem cum ſatellitibus omnibus irâ percitus Leifus occidit. *Arngrimus Crymogeæ Lib. III. ſub initium*, ſubornatum a popularibus hoſpitem eum ſuſtuliſſe tradit: *Liber* autem *Originum Islandiæ* hanc, qvam dixi, cauſam affert. Filius ex hac copula ſuſceptus Hroar dictus eſt, qvi magiſtratum inter præcipuos poſtea geſſit; unde magna familia proceſſu temporis orta eſt. Neqve hic certum annum, qvo Gardar ad Islandiam primò appulit, aſſignare ſufficio: Arngrimus in ſpecimine ad annum DCCCLXIV. refert.

CAP. III.

DE TERTIO INVENTORE FLOKIO, NOMINIS ISLANDIÆ AUTHORE.

Gardarsholmi nomine notam recèns terram Flokius deinde qvidam acceſſit. Patris nomen non exprimitur; maternum tamen genus, ſatis illuſtre, ad Noris usqve ſororem Goem hoc ordine retexitur. Mater ei Vilgerdis, avus maternus Ketill Horda-Karius, proavus Aslakus, abavus Bifru-Karius, atavus An vel Anar, tritavus Aurn Hyrna, tritavi pater Thorer Rex, avus SvinaBodvar, proavus Kaun Rex, abavus Solvius Rex, atavus Rolfus de Rupe, cui uxor Göe, Noris Gorisqve ſoror. Flochii avunculi fuêre Thorleifus [Sapiens], ſecundus Augmundus, Thorolfi Skialgii pater, Erlingi Skialgii de Solio in Jadria avus. Tertius Thordus, pater Klippi Baronis, [qvi Regem Sigurdum Sleſam, ſeu Colubrem, occidit. Qvartus Aulmodus Aſkellis pater, Aslaki Fitiaſkallii avus: Matertera Flochii fuit Thora, Ulflioti mater, ejus qvi ſexagenarius ab Islandia in Norvegiam ad leges patriæ conqvirendas transfretavit; ubi transacto triennio, conſilio avunculi ſui Thorleifi Sapientis, leges conſcripſit, qvas redux in patriam advexit. *Arngrimus Crymogeæ Lib. I. Cap. VIII.*, annum CMXXVIII. *Origines Islandiæ CMXXVII.* aſſignant, qvo leges illæ ab Ulflioto latæ ſunt. Verum admodum grandævum oportet illo tempore Thorleifum Sapientem fuiſſe, ſi is erat, qvo conſultore in ferendis legibus Halfdanus Niger uſus eſt; plures itaqve ejusdem nominis fuiſſe animadverto. *Arngrimus Crimogeæ Lib. II, in Secundæ Genealogiæ enodatione, Folio m. 118.* eum tum Islandiæ incolam factum tradit: ſed nusqvam alibi repperio, nec video qvorſum ad eum in Norvegiam Ulfliotus hoc caſu, ejus rei cauſa navigare potuerit. Hæc de genere familiaqve Flokii ſufficerint. Hic famoſiſſimus pirata fuiſſe perhibetur. Ex Rogalandia (qvo nomine Stafangrienſis præfectura intelligebatur) ſolvens, in portu Smörſundenſi ſtationem habuit. Ibi magnificè ſacrificio celebrato, tres corvos ceremoniis adhibuit, qvos navigationis in novam terram duces fieri voluit: non enim pixidis nauticæ uſus hic terrarum ullus fuerat. In loco ubi ſacrificatum eſt, exſtructam pharum, de ſuo nomine Flokavardam nominavit; qvæ in hodiernum usqve diem in confinio diſtrictuum Stafangriæ & Bergarum remanet, ruſticis, nominis impoſitionis cauſæqve ignaris, eodem nomine adhuc uſurpata, licet aliis Ryevaren dicatur. Inde in Hialtlandiam (qvæ qvibusdam malè Hetlandia, pejus etiam Scet-

landia, appellatur) transiens, in portu qvodam, de nomine suo deinceps Flokavogo dicto, moratus, filiam undis absorptam, nomine Geirhildem, amisit. Inde stagno Geirhildar vatn/ seu *Geirhildis lacus*, nomen remansit. Inter socios nauticos tres memorantur: unus Thorolfus, alter Heriolfus, tertius Faxius, ex Hæbudis oriundus. Inde ad Færeyas delatus, filiam aliam elocavit, unde Thrandus de Gautu genus duxit. Inde cum recessisset, partemqve magnam pelagi emensus sibi videretur, corvum primum dimisit; qvi retro volans non rediit, argumento Færeyas vidisse, qvo se reciperet. Post aliqvantum temporis intervallum, alium itineris ducem dimisit, qvi, qvòd terram nullam, vel antè, vel â tergo conspiceret, in navem rediit. Demum vero corvus tertius, rectà, qvo cursum tendebat Flokius, evolans, animum nautis spe visæ terræ addidit; qvò etiam cursum dirigentes latus insulæ orientale primùm conspicati sunt. Inde cursu in austrum flexo, promontorium Reikianesiam prætervecti, patentissimum sinum ad aliud etiam promontorium, Snæfellznesiam postea dictum, usq; extensum animadvertunt. Inde Faxius magnitudinem terræ æstimans, vastam eam pronunciavit, qvod ingentia flumina, magna mole in mare se exonerantia, proderent. Inde vastissimo sinui a nomine Faxii Faxa Os/ seu Faxii ostium, nomen inditum. *Hic sinus*, ait Arngrimus, *ob portuum multitudinem postea dictus Hafnafiordus, qvæ appellatio deinde specialius de ejusdem sinus portu qvodam tutissimo Hafnafiordo usurpatur.* Dehinc latus insulæ occidentale legens Flokius, sinum Breidafiordum subintravit, in portu qvopiam provinciæ Bardastrandæ, Vatzfiordo dicto (utor enim appellationibus postea natis) subsistens, ibidemqve hyberna parans, piscibus varii generis, qvibus sinus abundabat, commode vixit, tantaqve alacritate piscatui indultum est, ut omissa fæni secandi cura, qvo jumenta, qvæ secum vexerant, per hyemem sustentarentur, jacturam eorum passi sint. Deinde verni temporis frigore intemperatissimo, sinum versum boream glacie marina repletum ê montium jugis animadvertens Flokius, nomen inde terræ Islandiæ indidit. Inde, sed vergente æstate, solverunt. Adhuc scriptor originum videri ait rudera, juxta torrentem Branzlæk/ hybernorum & culinæ: qvod an hodieqve duret, adhuc investigare neqvivi. Cum promontorium Reikianesiam superare neqvirent, scapha, qvâ Heriulfus vehebatur, tempestate acta, portui, ubi appulit, nomen Heriulfshofn imposuit. Flokius verò in portum Hafnafiordum dictum devectus, Heriulfum iterum recepit. Ibi a ceto in littore invento nomen prædio, hodieq; satis conspicuo, inditum, Hvaleyre etiamnum remanet. Æstate proxima in Norvegiam reversus, a corvis, qvibus pro pixide nautica usus est, cognomen Hrafna-Flokii sortitus est. Is inventam insulam vituperabat. Heriulfus vero vitia virtutesqve & dotes ejus recensuit. Thorolfus autem ex qvavis herba butyrum manare retulit. Inde Thorolfo Smør/ seu butyri, cognomen remansit. Hujus pater fuit Thorsteinus Scrofa dictus, avus autem paternus Grimus Kamban, ut suprà dictum est.

Tales fuerunt tres illi Islandiæ inventores, qvorum nemo vi aliqva aut metu ad investigandam terram illam compulsus legitur: & qvidem Flokius processu temporis, non tamen primus, eam terram cæpit incolere, manetqve de nomine ejus in boreali insulæ parte tractui, qvem incoluit, nomen Flokadalus, familiaqve ab eo propagata non reticetur, teste libro Originum, qvem seqvor, qvi hæc conceptis verbis tradit, uxoremqve ei Groam Thordi de Hofda sororem assignat. pag. 104. *Arngrimus* tamen *in specimine Islandiæ pag. 2.* nunqvam Islandiam revisisse, nedum inhabitâsse,

tâsse, asseverat, nam & *Sect. 44. borealis insulæ qvadrantis*, eum, qvi vallem Flokadalum occupavit, diversum ab hoc Flochio existimat. Ego eundem fuisse existimo. Nomen etiam matris idem qvod prius hoc etiam loco adducitur. Pari ratione Nadd-Oddi filios, Brandolfum & Marem (de qvibus *in Islandiæ meridionalis Sect. 36* agit) *Lib. Originum pag. 169.*) negat ejusdem Nadd-Oddi filios fuisse, qvi primus Islandiam Norvegis aperuit. Jorunam enim Lib. Originum Islandiæ Nadd-Oddi uxorem, Barnakallisq; filiam, appellat, idemq; nomen hac Sectione Nadd-Oddi uxori tribuit. Nadd-Oddum autem primum Islandiæ inventorem *Sectione 1.* Barnakallis generum ipse fatetur. Itaqve unum tantùm Nadd-Oddum ipse propius inspectus agnoscit. Qvod si hujus filii Islandiam incoluerunt, qvid obstat, qvominus idem ille Flochius, qvi invenit insulam, etiam postea coluerit? Qvo verò anno Flochius Islandiæ nomen indiderit, nusqvam invenio.

CAP. IV.
DE INGOLFO, PRIMO ISLANDIÆ INCOLA, ET EJUS SOCIIS.

QVartus inventorum fuit Ingolfus, qvem Arngrimus Aurnis, Ducis Fyrdafylkensis, filium fuisse tradit. Id qvod ille ex Floamannorum historia ita vertit. Fiordis præfuisse ibidem dicitur. Ut nihil de Ducis titulo cum illo contendam, nam qvod illi Dux est, ego Comitem verto; non qvòd Comitis illa dignitas minor fuerit, qvàm eorum, qvi postea Duces dicti sunt, sed qvòd titulo tantum mutata sit. Nam Orcadum Comites, jure Ducibus pares, titulo tamen abstinuerunt: & qvidem *Buchananus Lib. X.* Robertum Secundum, Scotiæ Regem, anno MCCCXCIII. illum vani honoris titulum, potestate nihil aucta, invexisse, âqve Duglasiæ Comite spretum notat. Certè *Henrichus de Knyghton*, *Canonicus Leycestrensis*, annotat, in Anglia anno MCCCL. Henricum Lancastriæ Comitem Ducis titulo honoratum, eumqve primum Lancastriæ Ducem, nec ullum ante id tempus in Anglia, præterqvam in sola Cornubia, Ducem memorat. Alboinus Longobardorum primus in Italia anno Domini DLXVIII. Rex, Gisulphum nepotem suum Foro-juliensem Ducem instituit. Atqve hic primus fuit, qvi perpetuam in Italia ditionem Dux institutus adeptus sit. Nec vetustior illius conditionis mentio alibi reperiri potest.

Aurnis & Ingolfi tempore Hroaldus, Audbiorno regnante, Fiördorum Comes fuisse videtur, qvo devicto Hacon Griotgardius, Regis Haraldi socer, suffectus est, postea ab Atlio Gracili, Sogniæ Fialarumq; Comite, lethali vulnere sauciatus. Ingolfi avus paternus Biornulfus, patruusqve magnus Hroaldus, Hromundi Greipii filii (nec dubito qvin alterius, ejusdem nominis, ex eadem tamen familia prognati, qvàm ejus, cujus in Halfi Herois vita mentio facta est) Thelemarchiâ ob homicidia profugi, ad Fialas in Dalsfiördum concesserunt. Non tamen abhorret ab illorum temporum ratione, filium exulis Comitem fieri potuisse. Aurnis filius Ingolfus sororem habuit Helgam, cui incomparabilis formæ gratia Venustæ cognomen addidit. Sobrinus eorum, patre Hrodmare, avo Hroaldo, prognatus, fuit Leifus, Ingolfi etiam expeditionum nauticarum socius, fraterqve adoptivus. Mater ei Hrodnya, Ketillis Bifræ filia, Hordakarii neptis. Viginti annorum erat Ingolfus, Lei-

ſus octo ſupra decem, cum qvisqve a ſuo patre naves, & qvæ ad piraticam inſtruendam reqvirerentur, poſtularent. Haud paucas cum impetrâſſent, cum filiis Comitis Atlii Gracilis, Haſteino, Holmſteino, & Herſteino, qvi Sogniæ Fialisqve præfuit, ſocietatem jungunt: & Leifus qvidem præter leges admiſſus eſt, qvæ minores annis viginti excludebant, qvòd animi corporisqve alacritate ætatis defectum abunde penſaret. Æſtate hoc exercitio transactâ, ſub exitum autumni, magnis ſpoliis ditati, domum redierunt, Hromundo Leifi patre interea mortuo. Conſimiliter ſeqventi æſtate prædis locupletati cum conſveto tempore redirent, Aurn Ingolfi pater deceſſerat. Deinde Haſteinus eos ad epulum invitatos magnifice exceptos donatosqve dimiſit. Verùm ſub initium veris Comitis filios ad convivium magnâ ipſi convivarum freqventiâ domi in omnem eventum ſtipati invitârunt. Ibi Holmſteinus (*Floamannorum Hiſtoria* Herſteinum habet) visâ Helgâ Ingolfi ſorore vovit, aut eam ſe uxorem ducturum, aut aliam nullam verum nullo convivarum aſſenſu votum illud exceptum eſt. Leifus vero, qvi eam ſibi deſtinaverat, ſangvineo vultu internum affectum prodidit; nec Holmſteinus pari ſtudio dimiſſus eſt. Poſtea ad Comitis filios profecturi, an ſocia arma, ut primum convenerat, jungendi, an eos invadendi propoſito, non exprimitur (prius magis ſe probat, cum viribus inferiores fuerint) ad locum Hiſargafl dictum cum convenirent, ab Atlii filiis invaduntur. Verùm Aulmodo ſene Haurdakarii filio, cognato Leifi ſuperveniente, ejusqve partibus ſe adjungente, ſuperiores facti, occiſo Holmſteino, Herſteinum in fugam compulerunt. Inde piraticam aggreſſi ſub hyemem redierunt; qvod tempus probè obſervans Herſteinus, eos imparatos oppreſſurus, per exploratores non ſolum certiores factos, verum etiam oppugnationem occupantes deprehendit, nec prius ſignum receptui datum eſt, qvam Herſteino cæſo victoria potiti eſſent. Jam manifeſtum eſt, ex Aulveris Hnufæ fuga, qvæ incidit in autumnum, qvo Haraldus Nordmæriam domuit, teſte Eigla, hæc poſtea contigiſſe. Nam ſtatim ab hoc conflictu, pacificatores ad Atlium Comitem filiumqve ejus Haſteinum miſſi, omnium agrorum poſſeſſione mulctatis, Ingolfo Leifoqve pacem retulerunt. Qvi tanto damno affecti, cum nutantem in patria libertatis ſtatum, incrementiqve occaſionem prope demptam animadverterent, navem ingentem expediebant, terram illam, qvam Rafna Flokius tertius detexerat, jam Islandiæ nomine notam, inveſtigaturi. In orientalem ejus oram devecti, in Alſtafiordo ſtativa habuerunt: auſtralior inſulæ pars boreali prælata eſt. Unam tantùm hyemem ibi morati, in Norvegiam redibant. Ingolfus, communium bonorum curâ in ſe ſuſceptâ, neceſſaria ad novellæ terræ cultum, & habitationis commoda, in utriusqve uſum comparavit. Leifus autem in Hiberniam piraticæ ſtudio conceſſit. Ibi ſubterraneam domum ingreſſus, mediis in tenebris gladium fulgentem deprehendit, qvem vir qvidam tractavit; qvo occiſo, enſem cum magna præda abſtulit: indeq; Hiorleifi cognomen conſecutus eſt, nam Hior gladium denotat. Deinde paſſim per inſulam direptionibus & rapinis divagatus, in Norvegiam rediit. In præda etiam decem ſervi erant, qvorum qvatuor tantùm memorantur nomina. Anteqvam prædatum e Norvegia receſſerat, nuptias cum Helga Ingolfi filia celebravit. Hac hyeme ſacrificio ſolenniter peracto, Ingolfus oraculum de fatis ſuis conſuluit: Hiorleifus autem ſemper ab ejusmodi ſuperſtitione alienus erat. Reſponſum: *Islandiam fatis ejus deſtinatam*. Deinde duabus navibus eò transvecti, Ingolfus ſuppellectilem omnem, & qvicqvid in ſocietatem

tatem collatum erat, Hiorleifus prædam in Hibernia partam, eò transportârunt. De anno, qvo hæc gesta sunt, annus martyrii Sancti Edmundi, orientalium Anglorum Regis, dubitare nos non sinit; ad eum qvippe *Arius Polyhistor* aditæ primum ab Ingolfo Islandiæ epocham refert, qvem regni Haraldi Pulchricomi sextum, alii etiam ætatis decimum sextum, numerant. Sive igitur Sanctus Edmundus anno DCCCLXX, sive anno prius, ut ex Simone Dunelmensi colligitur, cæsus est, certè cum illo prima Ingolfi Islandiæ investigatio ætasqve Haraldi connectuntur. Multum itaqve in digestione temporum iis prætervisum existimo, qvi internecinum inter Comites Haconem Griotgardi filium & Atlium de Gaulis bellum huic anno applicant. Sic enim Islandia Ingolfo priores cultores Norvegos habuisset, qvod tamen nostris antiqvitatibus è diametro repugnat, qvæ etiam alia argumenta nobis suggerunt. Verùm his *Floamannorum Historiæ* narratio, qvæ hæc ordine paulum inverso recenset, præmittenda. Tradit enim Hasteinum (non Holmsteinum) captum venustate Helgæ; se eam, aut nullam, uxorem ducturum vovisse: *se qvidem hunc ludum exorsum, Ingolfo continuandum*; Ingolfum vero respondisse, *id magis Hallsteino* (semper enim Hasteinum ita appellat) *competere, qvòd eorum sapientissimus, atqve insuper dux esset*. Tum vero Hallsteinum vovisse, *se qvamcunqve controversiam fidei suæ commissam, sine ullo necessitudinum respectu decisurum*. Qvo audito, Hersteinum respondisse, *votum qvidem opinione hominum de ejus sapientia inferius; qvid enim inter amicos vel inimicos discriminaturum?* ille se de eo provisurum respondit. Mox Ingolfus vovit, *hæreditatem se cum nullo alio qvàm Hiorleifo divisurum*; id cum Hersteinus se non asseqvi qvereretur, Hallsteinus perspicuum respondit, ei namqve sororem elocaturum. Jamqve Leifus nuncupavit, *se patre suo deteriorem non futurum*: *id vero*, respondit Hallsteinus, *minus arduum; pater enim tuus crimine cædis Thelamarchiâ huc concessit*. Finito convivio, nulla deinde piraticæ societatis ab Hersteino mentione facta, sua qvisqve domicilia repetiverunt. Proximo vere Leifo ad piraticam regressuro, Ingolfus voti Hersteino nuncupati memoriam suggerens, ut periculosum propositum revocaret, consuluit. Ille decretam semel expeditionem perseqvi certus, *integrum ei futurum domi remanere*, respondit; *fugam autem sibi, si major vis ingrueret, semper patere*. Itaqve Ingolfo domi remanente, Hiorleifus tribus navibus destinata executurus ad Hisargaflum a Comitis filiis Holmsteino & Hersteino sex navium phalange invaditur, nec oppugnantibus parem cladem regerere potis, ab avunculo magno, Aulmodo sene, Hördakarii filio, qvinqve navibus ex improviso superveniente, adjutus, cæso Hersteino, Holmsteinum pluribus vulneribus concisum in fugam compellit. Invitatus deinde ab Aulmodo, domum ad Ingolfum rediit, expositoqve gestorum ordine, aucto domestico præsidio, & ipsi domi simul remanebant, qvousqve Holmsteinus eadem hyeme eos cum copiis militaribus adortus, sed haut improvisos, offendit: per amicos enim certiores ei majori manu obviam facti, ipsum trucidârunt. Confluentibus deinde cognatorum e Fiordis amicorumqve auxiliis, nuntii ad Hallsteinum de compositione mittuntur, rem totam judicio ejus committentes, nam & Ingolfus eô se acqvieturum testatus, voti olim nuncupati eum admonuit. Ille inimicitias ad extrema progressas decisionem perplexiorem reddidisse affirmabat; nihilominus se sententiam pronunciaturum: & pronunciavit Hersteinum, qvi sine causa invasisset, jure cæsum; Holmsteini autem cædem, qvi ad necem fratris vindicandam processisset, agris eorum omnibus & utriusqve exilii

 è Fior-

ê Fiördis, idqve ante triennium, multâ compensandam, secus impune occidendos; Ingolfo sententiam approbante. Exinde iter in Islandiam adornabant. Post cædem Comitis Atlii Comitem Sigurdum, Comitis Haconis filium, consentiente Pulchricomo, copias adversus Hallsteinum congregasse: isto autem metu eum in Islandiam migrasse, hæc historia tradit. Dissensum exposui, inqve eo maximam partem vertitur, qvòd hic filiorum Atlii cædes post mortem ejus incidisse tradatur, cum tamen cæteri codices pactionem inter illum & Ingolfum factam referant, utriq; tamen post cædem Comitis Haconis: inde sententia de cæde Comitis Atlii post conflictum Hafursfiordensem referendâ confirmatur. Tres colonos Norvegos antiqvitates memorant, qvi metu Comitis Haconis Griotgardii illuc migraverint, qvartum etiam, qvi illo vivo ex Islandia, jam habitationibus magnam partem repleta, profectus, aulicum ejus occiderit, receptumqve ejus nactus, receptori suo Comitis metu exilii causam præbuerit. Is erat Thorsteinus, Infortunatus dictus, Helgii filius, Rolfi de Gnupufelle, Uplandarum prædio, nepos; qvi receptum præstitit, fuit Vebiornus, vir in Sognia primarius, Arngrimo in Specimine pag. 44. Veblindus, Tertius Lodinus Aungull, Aungulseyæ Halogiæ insulæ incola. Qvartus Thorer Thussaspreingus, seu gigantum domitor. De singulis suis locis infrà aliqvid dicendum. Si autem Hacon Griotgardius & Atlius mutuis vulneribus, hoc eodem anno, ut communiter statuunt, occubuerunt, nescio qvomodo horum alterius metu patria excedere cives isti potuerint. Illis enim temporibus nullum alium Haconem Griotgardium, præter unum Comitis Griotgardi tertii filium, prisca, qvotqvot ad manus habeo, monumenta nominatim produnt, qvem Comitis Haconis Hladensis avum Origines Norvegicæ faciunt. Aut igitur nobis alter Hacon Griotgardius, huic æqvævus, nulla authoritate prævia, fingendus est, qvos tantus ejus metus tenuerit, aut pugna inter Comites utriqve fatalis in tempora, qvæ pugnam Hafursfiordensem seqvuntur, deprimenda, id qvod mihi veritati proximum videtur: & contigit fortè eo tempore, dum Haraldus occidentalibus insulis domandis distentus, Norvegiæ finibus excesserat. Filium enim Atlii Hasteinum, post parentis Atlii mortem, vi & armis Sogniam per septennium ad minimum, invito Haraldo Pulchricomo, jam biennio post victoriam Hafursfiordensem totius Norvegiæ monarchâ, tenuisse, suspectum videri poterit: constat namqve, absqve ullis diverticulis rectà ê Norvegia in Islandiam transfretasse, cum se sociis Regis, Comitisqve Sigurdi viribus imparem animadverteret. De his plura antea dicta sunt. Incultam autem fuisse insulam illam ad Ingolfi usqve tempora, præter communem antiqvitatum consensum, prædictiones de Thorsteino Lunio dicto, & Ingimundo, satis evincunt; utriqve namqve ex maleficarum responsis annunciatum, in inculta ad illud tempus terra habitaturos. Manet prædio de cognomine prioris hodieqve nomen in australi insulæ parte Lunaholt, â qvo Magnus Einaris filius, diœcesis Schalholtinæ episcopus Anno MCXXXIV ab Aschero Lundensi Archiepiscopo ordinatus, gradu in linea descendente nonus est. Verum Ingimundo illustri loco nato Heidis fatidica idem cum prædixisset, illeqve regessisset, provisurum ne fieret, effigiem argenteam Deastri Freyris jam ê marsupio ejus amissam indicavit, nec prius vel alibi reperturum, qvàm cum in illa terra domus fundamenta locaturus postes erigeret. Et hæc fide *libri Originum Islandiæ*, Landnama dicti. Historia tamen, qvæ Vatzdæla inscribitur, post pugnam demum Hafursfiordensem id ei prædictum

multis

multis prædicat, qvæ ſingula perſeqvar; expoſiturus dehinc, unde ſingulæ familiæ, in libro Originum notatæ, migraverint (de Norvegis tantùm ſermo eſt) & qvas in Islandia ſedes occupaverint. Sed qvoniam nobis de Ingimundo ſermo erat, Raumdalenſium familiam præmiſſuri, totum contextum ab illo ordiamur.

CAP. V.

DE COLONIIS EX RAUMSDALO IN ISLANDIAM TRANSLATIS, PROXIMIS QVATUOR CAPITIBUS, HOC AUTEM PECULIARITER DE INGIMUNDI VATZDÆLENSIUM CURIONIS MAJORIBUS, AVO PRÆSERTIM ET PATRE.

IS natus in Raumsdalo, patre Thorſteino, avo Ketille Raumo, Barone Raumdalenſi, aviâ paternâ Miölle, abavo Ormo Skeliamolio, atavo Nesbiorno (ut habet exemplar MS. pergameneum amanuenſis mei Arnii, qvod alibi non invenio,) tritavo Hroſſbiorno, tritavi patre Raumo, avo Jötunbiorno, proavo Raumo, abavo Nore. Verum manifeſtum eſt, complures gradus hic neglectos eſſe. Mater Ingimundi fuit Thordis, Ingimundi Gautiæ Comitis filia; qvâ verò occaſione pater ejus Thorſteinus ea potitus ſit, pluribus hoc loco exponam. Fuit pater ei Ketill, cognomento Raumus, vir rerum juvenilibus annis geſtarum famâ, partarumqve per periculorum momenta immodicarum opum gloriâ celebris. Is ſenio gravis filium Thorſteinum, haudqvaqvam ſibi juveni, vel animi corporisqve vigore, vel virium menſurâ, jam octodecim annos agentem, licet inter æqvales ſuos melioris notæ cenſeretur, comparandum, educavit. Fortè inter Raumsdalum & Uplandas latrones excubare, itinerumqve ſecuritatem præpedire, nunciabantur, ut qvindecim aut viginti, uno ſimul agmine profecti, deſiderarentur. A Ketillis tamen domeſticis plerumqve abſtentum eſt, non tamen ſine vulgi inſectatione, identidem vociferantis: *ſenectutem præfecti ad defenſionem provincialium, compeſcendosqve latrones, invalidam, tantumqve a priſtina virtute degenerâſſe, ut cum ſe tanqvam clypeum eis protegendis antea ſemper intrepidè objeciſſet, nunc privatis commodis intentum, in latronum beneficio domeſticorum ſecuritatem reponere; qvorum permiſſu indultuqve, qvàm contemptu, commeantium ſaluti conſultum malit.* Has criminationes, licet haud nulla de cauſa in ſe jactas animadverteret, diſſimulavit tamen, donec per occaſionem eas in filii ignaviam retorqveret. Tum verò: *valde*, inqvit, *ſeculum præſens a priori, qvo juvenis vixi, in dies magis magisqve degenerat. Studebat tunc juventus honori opibusqve, vel militiam ſectando, vel qvovis alio honeſto modo, corpora periculis exponendo, parandis: nec aliter mihi, qvàm per monomachias, piraticæ rei ſtudia, contemptumqve periculorum partæ ſunt, more Regum Comitumqve, meorumqve æqvalium. Nam caſtrenſe illud peculium, ſucceſſionis jure exemptum, ne ad filios qvidem patrum morte devolvebatur; ſed poſſeſſorum tumulis inferendum erat, nec gentilitia bona, licet hæreditate accepta, ſatis ad exiſtimationem contulerunt; viliqve fiebant honores, ni periculorum experimentis, militiæ ſtudiis extra patriam exercitis, opibusqve majorum more qvæſitis, illuſtrarentur. Succeſſit jam otium, deſidia, torpor,*

por, voluptatum, culinæ, fociqve, ingluviei & conviviorum crapulæqve inſanus amor, implendæqve improbus merô veſicæ labor, juventuti ut familiaris, ita etiam exitioſus; audacia, fortitudine, roboreqve corporis, viriumqve incrementis, aſſiduo labore comparandis, proſcriptis. Militares qvidem leges tibi ignotas animadverto, ætatem tamen eo captu, qvo, me recitante, non modo ediſcere, ſed etiam ad earum præſcriptum te, tuasqve actiones formare, fortunamqve aliqvid audendo experiri poſſis; exhibente ſe tibi, teqve ipſum intuente, & tanqvam ê veterno excitante, imo etiam provocante, occaſione, qva obſidentes publicas vias, infeſtaqve itinera inter hæc & Uplandas reddentes latrones tollas, incolisqve ereptam ſecuritatem, tibi fortitudinis exiſtimationem, reſtituas. Thorſteinus ſatis adhortationis reſpondit, iratusqve domo egreſſus eſt.

Exiguum tempus interfluxit, cum, conſcenſo eqvo, ſolus ad ſilvam infamem latrociniis, magisqve tædio infamiæ, ulteriorisqve paternæ objurgationis, vel vitæ periculo devitandæ, qvàm ſpe victoriæ, contra incertum latronum numerum provectus eſt. Ibi juxta ſaltum, eqvo tricis implicato, ſilvam ingreſſus, ſemitam qvandam a publica via deflectentem deprehendit, cujus ductum ſecutus, in domum magnam affabrèq; ſtructam incidit. Ibi latibulum latronis unius aut plurium ſitum conjecit. Ingreſſus arcas magnas, merciumqve faſciculos complures variosqve, in primis notabilis magnitudinis lectum, periſtromatibus velatum, qvantum anteà nusqvam viderat, deprehendit: inde ſtaturæ posſesſoris modum concepit. Menſa etiam, appoſitis ferculis, potusqve generibus optimis referta, conſpiciebatur. Verum nihil horum Thorſteinus attigit; nam obſervandam hominis conditionem, viriumqve ſpecimen, ante congreſſum colloqviumqve ratus, locumqve inſidiarum occaſionemqve qvocunqve modo peragendæ cædis, ſi viribus ſuis inexpugnabilem animadverteret, deligendum. In publicæ namqve pacis qvietisqve turbatores nullum vindictæ genus turpe aut illicitum ducebat; nec cum iis propriæ vitæ diſcrimine, ni inevitabilis necesſisas urgeret, fortunam periclitandam. Inter mercium itaqve ſarcinas ſe abdidit, unde per totam domum foràs proſpectus patebat. Sub veſperam virum, ſtatura ingenti, qvæ etiam patrem ſuum, virum paucis proceritate comparandum, ſuperaret, eqvum pone ſe ducentem, albicante cæſarie in cincinnos, eosqve in humeros usqve defluentes, diſtinctâ, totoqve adeo corporis habitu inſignem, accedentem conſpicatus eſt. Hic eqvo ad ſtabula ducto ingreſſus domum, malluviô manibus lotis, mantiliqve nitido deterſis, potum ê lagena in magnæ capacitatis poculum infudit: deinde frugalitèr & honeſtè cænatus eſt. Inde ad focum accedens ê favillis obſervavit, haud ita pridem incenſum: &. *An*, inqvit, *inſidias metuam, nec tamen innoxio tendendas, ſcrutabimur domum*; arreptoqve torre, inqvirere cæpit. A ſarcinis in caminum tranſitus patebat: eò ſe Thorſteinus proripuit, delituitqve, facitis utrumqve ad diverſa ſervantibus. Dum ſarcinas examinaret, ter inqviſitio, ſed nullo ſucceſſu, repetita. Tum latro: *ſubſiſtam*, inqvit, *eventu qvantumvis ſuſpecto; verendum ne veriverbium tritum, qvod mala conſilia tragicum exitum claudere dictitat, in me cadat.* Atqve ita, depoſito gladio, cubitum ivit. Inſignis in primis Thorſteino gladius viſus eſt, pretii qvidem magni, rariqve acuminis, & in cæde hac peragenda plurimi momenti; cujus potiundi deſiderio illectus, præceptisqve paternis ad pericula intrepidè ſubeunda erectior, rem extremæ audaciæ tentare malebat, qvàm convitiis patris amplius agitari. Solebat enim pater eum *lacunam familiæ* appel-

appellare, armisqve gerendis non magis qvàm filias idoneum pronunciare. Stimulabat ad hæc, præter opes prædæ destinatas, qvarum exiguam partem, sed majorum argumentum, viderat, & jam spe devorabat, gloria ex vindicatis multorum injuriis: verùm ex alia parte decus tantum viri, formæ, morumqve, excultioris ingenii indicium, etiam in latrone suspiciendum, a cæptis exeqvendis aliqvantisper commiseratione sortis tam indignæ tactum retardabat. Postqvam somno sopitus latro apparebat, experimentum, qvàm altè dormiret, capturus Thorsteinus, parumper tumultuabatur. Latro leviter excitus, iterum se somno composuit; qvem cum iterum excitare tentâsset, prædonemqve ocius iteratò sibiqve fatali somno corripi animadverteret: tertiò ne magno qvidem fragore, ictuqve spondâ pulsatâ, excuti lethargus potuit. Tum verò Thorsteinus excessisse lecto ratus, adhibito torre, an ita esset, explorabat. Ut sopitum serica intercula indutum supinumqve jacentem animadvertit, per medium pectus gladium trajecit, tanta vi, ut penetrato corpore mucro culcitræ inhæreret.

Tanto igitur vulnere excitus latro, arreptum subito Thorsteinum supra se in lectum ad latus suum projecit; qvem inter se & parietem, tanqvam vinculis, constrictum, omissa extrahendi de vulnere gladii cura, rogabat qvinam is esset, qvi sibi mortiferum vulnus intulerit. Qvo nomen genusqve confesso: *videbar*, inqvit, *ante confessionem, qvinam esses, videre. Verum exiguo meo in vos merito, a qvibus injuriam tantùm non omnem abstinui, abs te sublatus è vivis mox excedam, te nimium præcipite, me paulum tardiore. Nam pertæsus violentiæ, injuriarumqve in innocentes homines, abscedere parabam. Nec tu, qvæ hic gesta sunt, facilè referas, cum in meam potestatem redactus, eam fortunam habiturus sis, qvam fecero; verum magis è re mea erit, tibi parcere, qvam ultionem pro merito sumere. Nomen itaqve meum genusqve ignorantibus vobis, neqvaqvam tamen apud vos publicandum, inqve vulgus spargendum, saltem patri tuo communicandum, haud gravatè exponam. Jökull Ingimundi Gautiæ Comitis filius, more juvenum, juventutis Principum, opibus, licet nimis in humanè crudeliterqve, comparandis me addixi: pœnituit jam cædium, direptionum, prædarumqve innocentibus viatoribus ereptarum, qvare correcturus pristinum studium, vitæqve noxium genus meliori mutaturus, hinc jam discessurus itineri me accinxi. Tu vero incolumitati, impunitatiqve, qvam mihi acceptam referes, si qvid pretium statues, hoc dabis, ut in Gautiam ad parentes meos proficiscaris, iisqve ultimam meam omnem rei gestæ seriem referas. Qvo vero id tutius fiat, en annulum matri meæ Vigdisi deferendum, relationis tuæ testem, omni exceptione majorem. Hanc, qvantumvis fato meo mæstam, & propemodum exsangvem, tibiqve, justa ira doloreqve stimulante, infestam reperis; magis tamen ultimæ petitioni meæ, supremoqve voto, qvàm merito tuo, ultionisqve solatiis, tribuet. Illi igitur remotis arbitris postulata hæc extrema meis verbis denuncies: deprecatione sua Comitem maritum tibi mitiget, delinitoqve, ut affinitate data filiam sororem meam Thordisem in uxorem tibi jungat, & svadeat, & persvadeat; subit namqve animum virum te magnum felicemqve futurum. Incolumitatem autem, veniamqve illatæ mihi cædis, insuper nominis mei in filios, vel etiam nepotes tuos, derivatione rependes, id qvod me spe futuri solatii, fructusqve qvandoqve decerpendi, erigit.* Obstupuit Thorsteinus, non tam præsenti vitæ periculo, qvod vix superandi spe aggressus erat, qvàm excelsi ingenii mira magnanimitate; confusus etiam pudore peractæ cædis, talisqve viri de medio sublati, cui parci honestius potuisse, imo etiam debuisse, judicabat. Itaqve neqve se necem, qvam sibi inferre posset, neqve

qve, si malit, etiam supplicio auctam deprecari respondit: proinde de se pro arbitrio statuere jubet. *Video*, inqvit Jökull, *haud tibi displicere mutua funera, societatemqve mortis, qvam diversa vivorum studia impediebant, haud detrectari: verùm longe alio te fata trahunt. Meo qvidem in præsens munere vives, nam magnis adhortationibus, increpationumqve paternarum stimulis agitatus, tantam rem, ipse magnam partem invitus, qvin aggressus sis, nullus dubito. Patris tui consilia imperiaqve, utrique licet exitiosa, mihi soli nocebunt, tu ad meliora servaberis: non etenim absque capite & consilio censendi sunt, qvibus tu præficeris, vir robore conspicuus, & animo intrepido, cui sororem meam elocari mallem, quàm ut captiva piratis prædonibusque cedat: nec tamen ut in Gautia patris successor in Comitatum fieri ambias, propinquorum ejus, tantum tibi decus invidentium, injuriis expositus, omnino suaserim. Malim Raumsdalum repetas, possessionesque paternas, præsisque non modò volentibus, sed etiam optantibus. Familiam autem vestram cruentis innocentium propinquorum cædibus defecturam, sangvineque stagnaturam, prospicio. Retice, iterum moneo, nomen meum vulgo, quòd ætas nullo decore transacta sit, medioque flore pro merito decurtata, proprio iniquorum hominum prædonumque fato. Annulum indicii tui testem digito detrahito, ensemq; è vulnere evellito. Exinde colloquium nostrum finietur.* Qvo ad mandatum peracto, Jökull magno animo mortem oppetivit; vir memorandus, si tanto animo pro patria, vel honestarum rerum studio, occidisset; propositô tamen mutatô minus culpandus.

His peractis Thorsteinus domum, non tam victoria vel superato periculo lætus, qvàm ob manus tanto viro illatas tristis, recessit. Domui paternæ appropinqvans, patrem magna civium, amicorum, consangvineorumqve manu stipatum, ad se inqvirendum profectum, obviam habuit: qvi prior illum blandis verbis affatus, gaudium ob incolumitatem ejus non obscurum, pænitentiamqve acerbioris objurgationis, vultu verbisqve prodidit. Thorsteinus fati se, non ejus, providentiâ vivum rediisse respondit, facilèqve placatus, omnem gestorum seriem ei narravit. Deinde indicto publico conventu, partam, industriæ suæ favente fortunâ, cæsisqve latronibus publicam securitatem proclamavit, mandavitqve simul, ut qvi damnum accepissent, publicè id profiterentur, ablatasqve res jure vindicarent, iterumqve reciperent; se iis contentum fore, qvæ nullum dominum agnoscerent id qvod magnam popularium de eo expectationem spemqve dudum conceptam plurimum auxit. Nec fidei in liberatorem suum, promissiqve, qvantumvis periculo pleni, qvàm humanitatis in cives, negligentior fuit. Nam patre profectionem in Gautiam neqvicqvam disswadente, eo qvòd, licet Comes præter spem ignosceret, à propinqvorum tamen ira ultioneqve nihilo tutior esset; *Is in proposito exsolvendæ fidei, etiam si neutrum* (formula enim ejus utar) *se inde pedem relaturum præsciret, invictum tamen perstiturum* pronunciavit, verbisqve fidem facto adjecit. Nam ilico profectus, mane diei eò pervenit, ingressus cum comitibus cænaculum hospitibus excipiendis dicatum (diversorium potorium vocant, qvòd ibi cervisia, aliisqve potionis generibus excipi solerent.)

Fortè eo die venatum Comes, Principum more, profectus erat, uxor igitur ad invisendos hospites triclinium ingressa, ut peregrinum comperit, cujas esset? percontata est. Thorsteinus Norvegum se professus, secretum qvid ei deferendum habere respondit, si remotis arbitris secum colloqvi luberet. Illa seorsim deflectens, qvidnam esset? rogavit. *Cædem*, inqvit, *filii*

filii tui Jöculis denuncio. Nova quidem hæc, & satis tristia, non item a fide aut pravis ejus studiis aliena, refers, respondit mater; *verum qua necessitate nobis tam tristis nuncius, & quidem peregrinus, longum & arduum iter emensus, obvenis? Magnâ quidem, & ob fidem ei novissimè obligatam inevitabili*, inqvit: *nam illud ad extremum ei promisi, me parentes ejus accessurum omnemque gestorum ordinem ex fide narraturum, nec silentio præteriturum, quòd me interfectore sublatus sit; nec id sine gravi causa, popularibus meis cædibus rapinisque publicâ securitate præreptâ. Nec tamen te lateat, post inflictum lethale vulnus me viribus ejus succubuisse, àque arbitrio ejus vitam fortunamque meam universam dependisse. Verùm parcere quàm perimere maluit, incolumitatem impunitatemque hac gestorum ad vos relatione redimere mandans; ad quod exequendum nulla alia, quàm fidei præstandæ necessitas compellit, cum tutiùs domi remanere, quàm vestram gratiam experiri, potuissem. Quo vero verbis meis fidem certiorem haberes, annulum hunc tibi cognitum, ad te deferendum mihi tradidit; per hoc extremarum vocum indicium pignusque obsecratus, ut non veniam cædis modo apud Comitem procurares, sed etiam filiam, nomine Thordisem, sororem suam, mihi uxorem dares. adeoque certum de vestra pietate se postremo professus est, ut pluris ultimum illud votum suum, & pro salute & honore meo deprecationem, quàm meritum meum facturos sponderet.* Obstupuit mater, ut filii necem, tantamqve in hostem clementiam, & in parentum gratia fiduciam percepit, adqve Thorsteinum conversa: *næ tu quidem*, ait, *homo intrepidus es; nihil enim eorum, quæ inter vos gesta sunt, reticuisse videris. Non igitur eam, qvam indulsit tibi vitalem auram Jökull, unicè dilectus filius, eripiendam censeo; nam & animi tui corporisque habitus haud mediocrem tibi felicitatem fortunæque indulgentiam pollicetur, causamque tuam, conciliatore filio, apud maritum sedulò agam, te interim delitescente.* Reditu deinde viri expectato, ubi occasio se obtulit, ei novi se qviddam, utrisqve licet commune, afferre dixit. *Mortem fortasse filii Jökulis*, inqvit. Qva affirmante, *nec eam quidem incruentam*, ait; *minimè quidem incruentam, sed magna gloria cumulatam*, respondit, *dum interfectori superato & pepercit, & ignovit; quem denique ad nos, cum certis impetratæ veniæ indiciis signisque ablegavit, novissimis verbis precatus, ut exemplo suo idem faceremus. Nec ignovisse contentus, affinitate, electo genero, nobis conjungendum suasit, nec id sine ratione. Haud enim exiguum rebus nostris momentum allaturus videtur, tantæ integritatis & fortitudinis vir, qui solius fidei sacramento filio nostro obligatus, securitatem periculo, domesticam gratiam inexpertæ hostium clementiæ, felicem rerum suarum statum non modo dubiæ, sed, si meritum duntaxat, non item subsecuta virtus, spectetur, etiam profligatæ spei, postposuit. His ad animum revocatis, verbis qvidem meis, voce novissima filii, cujus præsentem annulum testem, per eundem interfectorem ejus, cui consultum quam optime voluit, ad te missum jam exhibeo*, (simul enim monstravit,) *me communi dolore pariter tactâ, sed majora orbitatis damna sentiente, spem fiduciamque filiiq;, in clementia tua pietateque ad ultimum repositam, exponente, inque preces subsequente, te exorari adque gratiam flecti permittas.* Comes ad hæc suspirans, *magna quidem ipsam, sed nimis etiam audacter postulasse*, ait, *ut interfectori filii unici, non modo turpiter parcat, sed turpius etiam, & majori dignitatis opprobrio, filiam uxorem donet, quem ad meritum supplicium ut rapiat, cum paterna in filium pietas caritasque, tum publica existimatio, jura etiam & recepta gentibus consvetudo, non permittant modo, sed etiam jubeant. Siccine*, subjecit uxor, *fiduciâ nostri parta parcendo gloria, omni posteritati memorabilis, in cujus partes nos etiam exemplo suo & vocavit, &*

 provo-

provocavit, filio irrita, manibusque ipsius luctuosa erit, viroque integerrimo, ingenium tuum verbis factisque tantæ sobolis metientis. Illudne solum exitiosum, quòd clementiæ tuæ & humanitati confisus, se tibi ultro dediderit? Enecabis hominem, fidem qvidem filii, spem etiam de generositate tua conceptam, secutum, sed famam simul & æstimationem tuam, quæ tamen interitu suo in plus auctam magis commendabit, clarioremque reddet. Verum si quam conjecturam affert tacita hominis figura, emicat e facie hominis hujus tanta virtus, futuræque felicitatis præsagium, ut fatis debitam sortem haudquaquam perempturus videare. Quod si ex ærumnis privatoque luctu commoda decerpere libuerit, jacturam orbitatis hoc genero resarcire, nutantesque senio nostro, tum domesticas res, tum etiam illas, quæ in publicum spectant, facilè restaurare poteris, evitabisque simul infamiam perempti supplicis, & gloriam filii, exemplo tam illustri tibi præeuntis, magno tuo honore ad posteritatem seraque secla latè extendis: ea namque gloriosa victoria est, quam triumphans de victis clementia ostentat. Ad hæc Comes. *Causæ quidem hujus viri, tibi perinde atque mihi jure meritoque exosæ & execrandæ, præsidia te undique conquirere, non de nihilo ducam: meo igitur conspectui eum sistito, quem si tanti, atque tu, æstimavero, nec judicia nostra dissentiant, habebit quod Diis fortunæque tribuat; nam plurimum refert, quo genio præditum, quantumque exteriorem habitum de indole hominis, & inde dijudicanda insequentis ætatis fortuna, nobis polliciturum conjecero.* Ut deferbuisse iram uxor deprehendit, Thorsteinum ad eum introduxit, qvi nihilomagis territus. *Causam,* inqvit, *adventus mei, o Comes, perspectam tibi esse volui, & factam haud ægrè fero; nec in potestate tua esse, in quam ultro concessi, pœnitet. Si magnatum more nobis sponte deditis ignoveris, referes gratiam; sin vindictam prætuleris, neque eam hic magis, quàm cum in potestate filii tui essem, recusabo, quam ei debui vitam, si in posterum indulgere nolis, quin eripias, nihil moror, acceptam a filio, repetenti patri, haud iniquo animo redditurus.* Tum Comes indignatione in admirationem versa, *macte sis,* inqvit, *juvenis hac integritate, fide & constantia, non modo noxæ exemptus, sed etiam, si apud nos remanere placuerit, pro filio nobis eris: neque enim orbitatem rectiùs, quàm vicem filii subeundo, rependes.* Thorsteinus, actis moderate gratiis, cum aliqvantisper ibi permansisset, prudentiæqve & complura virtutis specimina edidisset, filiam in uxorem impetravit; adjecta conditione, ut qvoad Comes viveret, ibi remaneret, vicibusqve ejus magnam partem fungeretur. Neqve enim ê re sua futurum Thorsteinus duxit, ut post Comitis fata ibi moraretur, patria civibusqve suis & propinqvis se jure repetentibus, indigenis autem Gautis, ut peregrinum, â successione in comitatum prohibituris, dignitatemqve, ut familiæ individuum decus, sibi vindicaturis. Facilè in id a Comite consensum est.

Secundùm tantum periculum majore felicitate superatum, Thorsteinus, impetratâ Comitis veniâ, ad patrem profectus, eum cum Raumdalensium nobilitate ad nuptias invitavit. Magna pompa iter illud, effusisqve popularium, ad honorem ejus augendum, studiis adornatum est: nec minor Comiti in iis pro dignitate excipiendis, ostentandaqve rerum suarum magnificentia, cura fuit. Processit illa festivitas publicâ omnium lætitiâ, singulis hospitibus pro dignitatum conditionumqve discrimine sub discessum liberaliter, more seculi, donatis. Atqve ita Ketill pater, Comite proseqvente, domo deductus, intimo amicitiæ nexu devinctior recessit; Thorsteino cum uxore apud Comitem remanente, qvoad legati mortem Ketillis, votaqve popularium, successorem in paternas eum opes præfecturamq; reposcen-

poſcentium, tum ipſi, tum Comiti exponerent. Unde patet, hæreditarias illo tempore ſub Regulis præfecturas fuiſſe, colonosq; eorum imperio ſubjectos, nec iis repugnantibus, Regulis obnoxios fuiſſe: id qvod & in Kvöldulfo obſervari poterit, qvi extra terminos imperii ad arma proficiſci renuebat, nec qvotqvot ipſius jurisdictioni & imperio ſubjecti fuerunt, Regem, illo invito, ſeqvi licuit. Hoc jure in Islandiam aliasqve inſulas numeroſæ coloniæ deductæ videntur, civibus in præfectorum ſuorum obſeqvium juratis. Qvòd ſi illis detrectare fas fuiſſet, Regis imperio obſeqvi, inq; patria remanere licuiſſet. Inde ut novum in Pulchricomo, & tanqvam tyrannicum, notatum eſt, qvòd tributa ſingulis colonis imperaverit, qvæ fortè præfectis antea debebantur, ipſis Regulis & Comitibus ad penſiones certas, aliaqve obſeqvii genera, obligatis. Conſenſit Comes in diſceſſum Thorſteini, anxiis civium votis, urgente neceſſitate, expetitum; nec uxor patrii ſoli dulcedinem mariti voluntati prætulit. Comes, qvi abſentem Thorſteinum crebrò verbis honorificis commendare ſolebat, ſub idem tempus ægrotare cæpit. Ei igitur ad ſe revocato, præſenti mandavit; *adornaret iter magnifico comitatu, opesque haud modicas ſecum deferret. Satis propinqvis ſuis comitatûs ſubjectarumqve ditionum hæreditate agrorumqve poſſeſſione proviſum. Memoriam autem ſuam filii, ſi fortè obtigeret, de nomine ſuo nuncupatione conſervari poſtulabat.* Id qvod Thorſteinus pollicitus eſt, adjecitqve: *non tam Gautorum in ſe benevolentiæ diffidentiâ Comitatu abſtinere, qvàm verecundiâ dignitatis, in familiam ſuam, propioribus ſeculis inuſitatæ, inducendæ.* Exiguo tempore a diſceſſu Thorſteini elapſo Comes in fata conceſſit: vir propria qvidem virtute celebris, ultimo tamen filii facinore celebrior. Thorſteinus domum reverſus, præfecturam cum omnium applauſu qvàm com̃odiſſimè geſſit; rem familiarem piraticâ, honeſto id temporis exercitiô, per æſtates, per hyemes vero res domeſticas prudenter adminiſtrando, auxit. Filium unicum ex uxore procreavit, cui ſoceri nomen ad mandatum ipſius impoſuit, nec tamen promiſſi Jökuli facti im̃emor; ſiqvidem id per hunc eundem filium poſtea implevit. Haud eqvidem ſcio, an tot ſcriptoribus decantata M. Attilii Reguli virtus fidesqve, in alio à Thorſteini differat, qvàm eventu; parem namqve in utroqve invictum ad ſupplicia ipſamqve mortem pro fide ſervanda animum, paria utrinqve pericula, agnoſco: Thorſteini etiam privatus parentum dolor auxerat. Nec temerè ſperanda in uno homine, Comite ſcilicet, major virtutis æſtimatio, qvàm in univerſo Chartaginenſium ſenatu. Nec Porcennas ubiqvè qvisqvam, qvantumvis inclytus, ſibi ſpoſponderit: ſuſpectam prudentior Jökulis legationem habuerit, fatum ſuum parentibus notum fieri cupientis, ſed ſimul de vindicta certi, cum utriusqve aliter compos fieri neqviret. Verum nihil horum, qvantumvis monente, adqve oculum demonſtrante patre, eum ab implendis promiſſis abſterrere potuit; dignum, cujus ſepulchro Fidei ſymbolum inſcriberetur, vel durante ethniciſmo fanum ſuperſtrueretur, ad conſecrandam æternitati tanti viri memoriam. Licet autem Deus tantam virtutem felici ſucceſſu rependerit; cumulatiùs tamen eum tali munere beavit, in cujus ſocietatem humana clementia haudqvaqvam trahi poterat, filio nempe Ingimundo, Curione poſtea Vatzdælenſi in boreali Islandia; qvem in Heſnia, Halogiæ (ut Codices habent, rectiùs Nordmæriæ) qvadam parte, apud Ingialdum qvendam, virum primarium, educandum curavit.

CAP. VI.

DE IPSIUS INGIMUNDI GESTIS, MORTE, ET RARA BONITATE.

INgialdo filii erant duo, alter Grimus, alter Hromundus, cum qvibus Ingimundus unà educabatur; donec adultior, ut ſe navibus viaticoqve ad latrocinia inſtrueret, a patre poſtulavit, idqve ſine ullo nutritii ſui ſumptu; haud qvaqvam dubius, idem ſibi apud eum patere, modò oneri eſſe ſuſtineret. Uno tantùm navigio impetrato, inſtrumento ad magnas res audendas debili, nec eo diſſimulato, ad nutritium redit; qvi ſecus ſentiens, aliud filio ſuo tradidit, operâ cōmunicatâ uſui futura conjectans, ſi prudentia acceſſerit, nec ſupra vires contenderent: ex parvis initiis creſcere, majori honori dictitans, qvàm ex magnis im̄inui. Illius conſiliis obtemperantes, prima æſtate qvinqve navibus, cum univerſa armatura, aucti domum repetebant. Cum viginti comitibus apud patrem Ingimundi magnam hyemis partem remanebant usqve ad brumam. Tum verò patrem, ſumptus nimios tacitè indignantem, filius accedens differit: *Haud ex dignitate de expenſis eum qveri, cum militari more eas ex ſpoliis decerpere liceat. Liberum ei, qvicqvid expeteret, capere: honorificum cumulatè, qvibus indigeant, promere, dumqve de ſuo nihil impendat, ſatis rei familiari proviſum.* Mater Thordis, *nihil humile hac indole, nihil hæc verba abjecti polliceri. Agnoſcere ſe patris ſui ingenium filium induiſſe, ad magnificentiam factum*, dixit. Et pater qvidem, qvi hactenus parcimoniam magis ſimulavit, qvàm exercuit, animadverſa filii magnanimitate, largiùs omnia exinde præbuit. Jamqve feſtum Jolenſe præteriit, cum Ingimundus manſionem ſe partiturum profitetur: qvod ſupereſſet hyemis, alumno deberi, qvem certò ſciret, impenſas in ſuam ſuorumqve ſuſtentationem inſuper habiturum. Patre, ut reliqvum qvoqve hyemis ſua intra tecta tranſigeret, ſvadente, a propoſito ſe dimoveri haud paſſus, ad nutritium conceſſit. Ibi ſumma cum benevolentia excepti, ad exitum hyberni temporis permanſerunt. Initio veris ad uſitata latrocinia progreſſi, prædones mercatoribus ruſticisqve infeſtos tantùm oppugnabant. Fortè in Sæmundum qvendam Sogniæ civem incidentes, usqve ad veſperam diei manus cum eo æqvo Marte conſeruerunt. Inde inita ſocietate, auctis viribus, pluribus prædonibus fortiores, ſolito majores prædas congerebant. Fine autumni Sæmundus Sogniam, Ingimundus Grimusqve ad patrem Thorſteinum redibant. Ibi magnificè omnia præbita, nec qvicqvam, qvod ad honorem ejus augendum reqvirebatur, intermiſſum.

Vere proximo unà cum Sæmundo prædatum itum: idqve triennium tenuit. Occidentales terræ ſingulis æſtatibus laceſſitæ; hyemes ad Thorſteinum tranſactæ. Ultima æſtate, cum domum ſocia navigatione repeterent, cognitum, omnes orientalis occiduiqve Norici territorii vires, Ducibus Asbiorno Kiotvio (ſola Vatzdælenſium hiſtoria Asbiornum appellat) Agdarum Rege, & Thorere Haklango, reliqvisqve in vita Haraldi memoratis Regibus, in Haraldum Lufam ſeu Impexum (ſic Pulchricomus adhucdum vocabatur) armatas propter Jadriam congregatas prælii occaſionem expectare. cum non procul inde appuliſſent, Ingimundus

dus cum Sæmundo consultat, qvid facto opus esset. *Huc*, inqvit, *in æqvas partes totius Norvegiæ robur, totius gentis proceres, senum juvenumqve decus omne confluxit. Omnibus Haraldum præferendum censeo, eiqve meam operam, certe in tanto discrimine, ut necessariam, ita etiam acceptam, & in loco offeram, certus bene collocari, memoremqve fore: neqve enim dubito, victorem ex hoc, ut cæteris omnibus, bellis recessurum. Damnum malamqve fortunam experietur, qvi auxilium subtrahendo iram sibi ejus consciverit; placidam, qvi gratiam promeruerit.* Sæmundus negabat, suo se vitæ periculo tyrannidem ejus stabiliturum. Atqve ita in diversa tendentes, hic domum, ille ad Haraldum contendit, naviqve puppi Regiæ admotâ, perpetua eum felicitate florere optat. Rex, *qvisqvis es*, ait, *certè studium in nos haud mediocre amicissima compellatione declaras.* Is nomen professus, operam suam ei offert, se enim nuper cum aliqvot navibus ê piratica reducem, cognito ejus periculo, auxilio futurum. Rex, *notum sibi ejus nomen, prosperâ famâ celebre*, respondit; *promeruisse hac devotione tantoqve merito compensationem, factis condignam; sibi qvoqve discrimen inter eum & illos, qvi ad hostes suos jam transeant, aut domos dilabantur, cum tempore perpendendum, exemplisqve declarandum: notum sibi socii ejus Sæmundi facinus; nec impune id ei, ut qvi dominum suum prodere voluisset, futurum.* Responditqve ad hæc Ingimundus, multis illum nihilominus animi corporisqve excellere virtutibus. Commisso deinde mox prælio, idem ille Ingemundus rem fortiter prudenterqve gerendo magnam Regis gratiam promeruit. Et Rex hostium omnium victor, ingens victoriæ præmium, totius nimirum Norvegiæ possessionem, eamqve tutam, consecutus, ut rebus suis ulteriùs provideret, & amicis digna rependit præmia, opes iis honoresqve pro cujusqve fortuna largiter conferendo, & hostes inimicosqve exiliis aliisqve gravibus multavit pænis: Ingimundum autem his ferè verbis est affatus: *Magnum qvidem propensi tui in me animi affectusqve documentum hoc bello dedisti, tibiqve ipsi haud mediocrem gloriam peperisti: eris itaqve mihi in posterum amicus, magnumqve operæ tuæ amicitiæqve meæ fructum percipies; & qvidem in præsens tres naves, cum universa vectura, armaturamqve athletharum omnium, cum qvibus pugnasti; inqve argumentum pugnæ, cui interfuisti, referes cimelium, qvod Kiotvius summopere coluit* (id erat effigies idoli Freyris, argento insculpta,) *rem qvidem pretii exigui, sed in rei gestæ memoriam possidendam, sed nec munus nobis donantibus indignum. Cum vero regnum pro arbitrio nostro formaverimus, præmium expectabis, conviviis etenim donisqve officium tuum rependam. Rependam & Sæmundo negatum cæteroqvin debitum auxilium.* Rem certè accuratius si qvis pensitet uterqve, tam Ingimundus, qvàm Sæmundus, subjecti Regi erant, ille jure hæreditario, iste victoriæ, & victoriam secuto civium consensu. Atqve ita Ingimundus summa cum gratia â Rege dimissus, non distulit Sæmundum adire, eumqve de certo a Rege periculo cōmonefacere, svadens, *ut ad infortunium declinandum Islandiam, aliorum exulum more, peteret; meliùs sibi consuluisse, si prius consilium secutus fuerit: jam verò providendum, ne hoc qvidem magis necessarium, qvàm qvæstuosum, aspernaretur.* Sæmundus animi ejus propensionem agnoscens, coramqve prædicans, jam haud invitus salubri monito paruit. Exinde Ingimundus ad patrem profectus, regia gratia ministerioqve celebris, magnificè cultus est. Invitatus inde ad nutritium Ingialdum, a fæmina magicarum artium perita didicit, Islandiam incolendam fatis sibi destinari, ut antea retulimus. Eodem anno cōmilitones ejus, Ingialdi filii, & ipsi in Islandiam migrârunt, de qvibus cum ad Nordmæ-

ria

riæ colonias ventum fuerit, dicemus. Paulò post Thorsteinus Ingimundi pater decesserat; qvi circa suprema, accito filio, memorat: *dulce sibi esse mori, tanto familiæ præsidio in eo relicto; vereri tamen, ut fata ei gentilitia avita prædia agrosqve insidere, inqve patrum majorumqve officia succedere permittant; ubicunqve tamen sedem providerint, magnum & honorabilem futurum. Ad se qvod attineret, sibi innocentiæ suæ conscientiam, qvòd neminem læserit, maximam in morte fiduciam fore.* Monitis deinde paternis, regulisqve honestatem præscribentibus, cum instruxisset, vivis exemptus est. Paulo post Rex Haraldus, curatis regni negotiis, firmatisqve rebus suis, ad securitatem suam existimationemq; plurimùm pertinere arbitrabatur, iis qvàm optime consulere, qvorum operâ periculoqve ad tantas opes potentiamq; provectus esset; nec rectiùs parta per alios se tuiturum, qvàm per qvos tantas res vindicâsset; par itaq; esse, ut, sociatâ cum illis imperii curâ, in honorum opumq; partes eos adsciscere, id enim grati principis famam commendaturum. Itaqve ad solenne convivium eos omnes invitat, & in his Ingimundum; singulisqve magnis muneribus donatis, vel honoribus, vel aliis emolumentis, auctis, eum hunc in modum alloqvitur: *Res tuas pulchrè procedere probè cognovi; unum tamen desidero, uxorem nempe, genere nobilem, opibus abundantem, forma elegantem. Talis est Vigdis Comitis Mæriarum Rögnvaldi neptis, Thoreris Taciti filia, qvam tibi destinavi.* Tantam Regis in se benevolentiam magno verborum honore efferendo Ingimundus, agnitione beneficii magis magisqve incendit, gratiamqve jam sponte fluentem ulterius provocavit. Rex itaqve postea nuptiale convivium præsentiâ suâ exornans, munera pro Regia magnificentia in illum contulit. Inde Regem familiariter allocutus Ingimundus: *Satis jam sibi res suas placere* affirmabat, *ejus gratia florentes: esse tamen qvod lætitiam illam interrumpat, turbetqve; oraculum nempe Finnicæ vatis, alias sedes, easqve ignotas, monstrantis, idqve contra votum; sibi enim decretum in patria permanere. Rex ejus rei se prædem futurum negabat; si enim fata eò spectent, Freyriqve constitutum sit, effigiem suam eò deferri, ubi honoris sui sedem figere statuerit, frustra eum obniti.* Ingimundus regessit: *Valde se velle scire, an effigies in loco, ubi domus fundari debeat, servetur, inqve ejus rei gratiam Finnos se conducturum, qvi & locum, ubi illa latitet, & naturam loci, ubi domicilium deligendum, inqvirant & referant.* Rex, *capi qvidem posse illius rei experimentum; se vero præsagire, ibi ei habitationem destinatam, multum tamen referre, se consulto, an invito, novo multorum more, eò migret.* Ille *procul à se tantam insolentiam dementiamqve futuram* respondit. Nec multo post, tribus Finnis ad se arcessitis, butyro stannoqve operam eorum conducit. Domui segregi per trinoctium, prout præscripserant, inclusi, ita ut nomina eorum nemo interea memoraret, tertio mane, tanqvam ex longo labore itinereqve fessi, ingenium loci, habitationi ejus destinati, notasqve accuratè, ut eventus docuit, pandunt; visum qvoqve simulachrum, qvod ipsos, qvô longius processissent, eò pertinacius ex uno colle in alium anteiverit; nec sibi satis conspicuum, cujus fuerit ista imago: videri adventum Ingimundi ab simulachro illo exspectari. His cognitis, Regem adit, singulaqve, uti gesta erant, refert. Ille fatis cedendum monet, qvæ frustra evitare qvis conetur; virtutum morumqve ornamenta abunde ei authoritatis honorisqve, ubicunqve sedes elegerit, conciliatura: iterumqve honorificè donatum dimittit. Postea domum repetens, multâ magnificentiâ convivium adornat, ad qvod procerum multos vicinosqve omnes invitavit. Ibi palam aperit, *sibi propositum solum vertere, Islandiamqve fatis*

ſibi jam dudum monſtratam, ſeqve injecta qvadam fatali inqvietudine, qvaſi vocantem vindicantemqve, non ſponte petere, ibiqve reliqvam fortunam experiri. Si qvi ſeqvi velint, id ipſis integrum; qveis vero patria magis placeat, absqve ſua offenſa remanſuros. Omnes deſiderio ejus haud leviter affecti, ægre qvidem diſceſſum, ægrius tamen abſentiam ſine reditu perpetuam, tulerunt; ſed neceſſitatem fatorum excuſantes. Multi præcipuæ nobilitatis ſe ei adjunxerunt, qvorum primus ſororius, Thoreris Taciti filius, Jorundus Halſius, alter Fridmundus, tertius Thorer, qvartus Refkell, qvintus Ulfkell, Sextus Bodvar, omnes viri locupletes & honorati. Islandiæ allapſus, a fratribus ſuis adoptivis, Grimo & Hromundo Ingialdi filiis, ambabus ulnis excipitur, adqve Grimum primam hyemem divertit, donec inſulam perſcrutatus, locum domicilio delegit, cumqve delubri fundamentis ſpatium definiret, inventum ſubtus jam diu qvæſitum ſimulachrum poſtibus erigendis locum deſignavit. Centum pedes in longitudinem fanum patebat; qvod cum ſuâ lingva Hof vocaret, inde etiam in prædium nomen derivavit, qvod itidem Hof appellavit. Atqve ita ſingula fatidicæ Finnorumqve dictis reſponderunt. Urſum niveum cum duobus urſulis, in Islandia captum, ut rarum munus, ſecum ad Regem Haraldum, materiam ædibus ſtruendis comparaturus, devexit, ex eo genere, qvod Grönlandia per conſtrictos glaciei campos in inſulam transmittit, eoqve nomine Norvegis inſolens; nec ejus generis ullus in Norvegia priùs viſus eſt. Inter alia dona, qvæ a Rege accepit, materiam in ſilvis Regiis gratis cædere permittitur, qvam Rex ſuis ſumptibus ad idoneum portum transferri curavit; cumqve una navis eam non caperet, aliam eximiam, qvam a velocitate Stigandium appellavit, ei donavit. Magna cum gratia dimiſſus, ad multam ſenectutem ſobole felix (inter qvam & Jökull, patris juſſu de nomine ejus, qvem juvenis occiderat, dictus) pervenit: Vir idolorum, qvæ vera numina crediderat, religioſa ſanctitate obſervans, adeo ut nefas ſtatuerit, delubrum gladiis accincto ingredi, inqve tales prævaricatores animadverterit. Jura ſummâ cum æqvitate civibus ſuis reddidit; alios opibus, alios conſiliis juvit; cumqve de omnibus bene mereri ſtuduiſſet, ad ultimum a ſcelerato homine Hrolleifo Magno, qvem cædis reum, provinciâqve extorrem, coṁendatione veteris amici Sæmundi in tutelam patrociniumqve accepit, per ſuṁum nefas, nec ulla præviâ culpâ, haſtâ trajectus, diſſimulato vulnere, filiisqve celato, uno famulo comitatus, eqvo domum vectus eſt, ingreſſusqve ædes, ſolennem ſibi ſedem occupans, vetat famulum lumina accendere, donec filii redeant; deinde mandat, ut ſtatim ad ſicarium indicium de cæde ſua deferat, moneatqve, ut ſibi protinus a filiis ſuis caveat, neqve enim iſta talione cædem ſuam vindicari; ſed neqve ſibi honorificum, illum, etiam poſt hanc offenſam, deſerere, qvem ſemel protegendum ſuſceperit. Hoc ultimo optimæ indolis, etiam Chriſtianis exoptandæ, aqve ipſo Redemptore coṁendatæ, exemploqve confirmatæ, argumento deceſſit. Par aliud nobis *Bandamannaſaga* exhibet in Valio qvodam, qvi ab amico non ſatis providè delecto, viro ſcelerato, tunc furti fraudisqve reo, dum litem in ejùs gratiam tranſigere parat, lethaliter vulneratus, ſed cognito mortem inſtare, miſit ad adverſarium, qvi moneret, ut domum rediret; ſe enim in componenda lite occupatum, animum ejus ad ſaniora conſilia flexiſſe, idqve eo tantum fine, ut digreſſo vindice interfectori ſuo effugium pateret. Hic tamen diſciplina Chriſtiana imbutus, ille idololatra fuit. Qvanta autem fide amicos coluerit, vel inde manifeſtum eſt, qvòd amicus ejus Eyvindus Sorqver, cognita ejus morte, alu-

mno ſuo mandavit, ut qvod ipſe faceret, ad amicum ſuum Gautium deferret, dignum certè ad imitandum. Mox exerta toga pugione ſe ipſum transfadit. Qvo audito Gautius; *vita*, inqvit, *amicis Ingimundi vitalis non eſt: ſeqvar exemplum amici mei Eyvindi.* atqve ita ſimili lethi genere ſubito ſe confecit. Ingimundus cum filiis ſuis isti numini inter omnia plurimũ tribuit, qvod Solem condidit, id qvod ſæpe alias, tum vero præcipuè apparuit, cum exanimem patrem ingreſſi triclinium filii haſta transfixum in ſede ſua offenderunt; Jokule enim, filiorum uno, tam triſte fatum deplorante, qvod tantus vir tam vilis nebulonis manibus occubuerit, actutumqve ad ultionem properante, frater Thorſteinus, eorum ſapientiſſimus, paterniqve ingenii apprimè gnarus: *Haud eqvidem, frater*, reſpondit, *patris noſtri bonitas tibi ſatis perſpecta eſt, ſi putas eum interfectoris ſui ſaluti non conſuluiſſe. Proderit ei hoc apud eum, qvi Solem, atqve adeo univerſum mundum, creavit, qvicunqve is tandem eſt; aliqvem enim tantæ molis authorem eſſe, pro certo conſtat.* Is qvoqve poſtea pro ægrotantis fratris ſalute Solis conditori vovit, ſe, ſi ſanitas fratri reſtitueretur, recèns natum infantem, qvem vicinorum qvidam, ut nothum, more iſtius ſeculi, expoſuerat, mortis periculo exempturum; id qvod & mox fecit, votiqve compos factus eſt. Qvi puer, nomine Thorkell Krafla, in maximum deinde virum evaſit; tandemqve etiam Chriſtianæ religionis conſors, vitam præcipuè ad ejus præſcripta formavit.

CAP. VII.

DE KETILLE SIMO, A QVO MAGNA CIVIUM ISLANDIÆ PARS GENUS DUCIT, EJUS MAJORIBUS, FRATRIBUS, UXORE, LIBERIS, ET PRÆCIPUA FILIA AUDURE, EJUS MARITO ET FILIO EX ILLIS NATO THORSTEINO RUFO, EJUS UXORE, SOCERO, ET LIBERIS, IN ORCADIBUS, FÆREYIS, ET ISLANDIA CONSIDENTIBUS.

AD Ketillem Simum, civem & incolam Raumsdalenſem, ejusqve poſteros, qvi Islandiam, Orcades, & Færeyas inhabitârunt, jam calamum vertam. Erat ei pater Baro qvidam, Biornus Buna, qvod *pedonem* vertit *Arngrimus*; ego malim cataractam dicere, qvæ buna dicitur, & cum aqvas magno ſtrepitu moleqve ſpargat, iracundis & vehementibus viris ad ſui ſimilitudinem id nomen ut applicaretur, cauſa videtur. Uxor Biörni, Ketillis mater, fuit Velaug, Vemundi Senis, Sogniæ principis, ſoror. Avus Ketillis Vedragrimus Sogniæ baro, avia Hervor, cui mater Thorgerdis Eylaugi Regis, ſecundum alios Sogniæ baronis, *Nialæ* (hiſtoriæ nomen eſt) Helgii Halogiæ Regis, filia, proavus Hialdus, abavus Vatnar, atavus Vicar, Alrechi Vegeti Hordiæ Regis, qvi Alrechſtadis (prædium eſt celeberrimo Norvegiæ emporio Bergis vicinum, hodie Aarſted) conſedit, filius, cujus genus ad Norem notum ſatis. Ketillis Simi fratres fuêre Hrappus, cui uxor Thoruna Grœningiarſupa / & Helgius, alterius cognominis ſibi pater, cujus filius Biornus, Hejanſgurs Biorn a provincia qvadam Sogniæ dictus, nobilis & potens Sogniæ baro. Uxor Ketillis fuit Ingveldis, Ketillis Vedurs / ſev arietis, baronis

ronis de Raumarikia, filia. Liberi Ketillis Audur (aliis Unnur) Prædives dicta, Biornus Auftrænius, fev Orientalis, Helgius Biola, Thoruna Hyrna, fev Cornuta, & Joruna Mannvitzbrecka, fev Sapiens: de fingulis agendum eft. Audurem duxit Olafus Hviti, fev Candidus, Dublini Rex; idem qvi *Jacobo Varæo* Amlavius. Pater illi Ingialdus, avus Helgius, avia (non mater, ut perperam *Arngrimus in Crymogæa* tradit) Thora, Sigurdi Angvioculi Daniæ Regis filia, Ragnaris Lodbrokis neptis, proavus Olafus, abavus Gudriodus, atavus Halfdanus Albipes, Olafi Tretelgiæ fev Lignarii filius, Ingialdi Aftuti Sveciæ Regis nepos. Tandem Olafus Dublini Rex in Hibernia prælio cæfus eft; naturæ conceffiffe *Varæus* dicit. Conceffit tum uxor Audur, cum filio Thorfteino Rufo, in Hæbudas, ubi ille uxorem duxit Thuridem, Eyvindi Auftmanni filiam. Deinde in Scotiam cum exercitu profectus, inita cum Sigurdo Orcadum Comite bellica focietate, tantas res geffit, uti fupra retulimus, qvodqve Regis filius effet, partem fibi forte datam in Scotia regni titulo ufurpavit, forfitan etiam Sigurdo Comiti fuperftes, jure, qvod vocant, accrefcendi, illius etiam ditionem fuo imperio adjecit, utpote communi aufpicio ductuqve partam; dimidiæ namqve Scotiæ Rex fuiffe perhibetur, donec eum Scoti infidiis circumventum, prælio tamen, fignis collatis, fudiffent. (Oftini, qvem *Varæus ad annum DCCCLXXV* dolo Oftmannorum occifum tradit, frater, non ipfo Oftinus fuiffe videtur) Qvod ut mater Audur, in Catanefia tum forte degens, percepit, nave intra faltuum abdita occulté fabricata, in Orcades curfum direxit. Ibi neptem fuam Groam, Thorfteini filiam, fplendido matrimonio, Dungadi nimirum Catanefiæ Comitis, junxit; ex qvo Grelod, Thorfinni Haufakliufi, fev Craniorum Sectoris, Orcadum Comitis, uxor nata eft, Ludovici mater, Sigurdi Crafsi avia. Inde ad Islandiam luftrandam profecta, conftituto præfecto navis rerumqve fuarum Kollo Vedragrimi Can a futuræ cæli conftitutionis præfagio, an arietum multa poffesfione, vox enim vedur æqvivoca utramqve interpretationem recipit, appellatus ita fit, non liqvet.) Filio, Afii baronis nepote. In tranfitu ad Færeyas navem appulit, ibi aliqvantifper morata. Aliam Thorfteini filiam Olufam, neptem qvoqve fuam, principum uni elocavit, inde celebris Gautufkeggorum, fev Gautubarborum, familia orta eft. Retulit mihi venerandus vir, *Mag. Lucas Debes*, Ecclefiarum qvondam Færeyenfium præpofitus, communiter Færeyenfes fe Scotorum Rege qvodam oriundos gloriari; de qvo tamen nihil, & ne nomen qvidem, referre norint. Is ipfe eft, de qvo agimus, Thorfteinus. Nomen mariti Olufæ non inveni; celebres ejus filios *Codex Flateyenfis* non obfcure indicat, Thorbiornum nimirum & Sigmundum, dictos Gautufkeggos. Thorbiorni filii Thorlakus & Thrandus ille aftutisfimus; Sigmundi vero Brefter & Beiner. Brefteris filius fummus vir, Sigmundus, natus anno Chrifti *CMLXVI.* is qvi Chriftianam religionem, aufpiciis, fecundum Deum, Olafi Tryggvini, primus ibi felicisfimè promulgavit & perfvafit. Beineris filius Thorer, natus anno Chrifti *CMLXIV.* Tradit enim dictus *Codex Flateyenfis*, Olufam fociatam celeberrimis Færeyenfium nuptiis, unde Gautuskeggorum familia ortum traxerit. Primos ejus familiæ Thorbiornum & Sigmundum recenfet, (filios fuiffe temporis brevitas a nuptiis proavorum ad editos pronepotes, vix *LXXX* annos excurrentis, monftrat) poft annum *DCCCLXXX* Olufa nupfit, pronepos Thorer Beineris filius, anno *CMLXIV* natus eft. Tertiam Thorfteini filiam Thorgerdem Kollo præfecto fuo in conjugem dedit,

dit; qvi provinciam Laxardalum, in occidentali Islandiæ qvadrante, poſtea occupavit, dictus inde DalaKollus: cujus nepotes Hoſkuldus & Rutus, celebres viri, ſuo loco recenſendi.

E Færeyis in Islandiam vela faciens Audur, in loco Vikarſkeid dicto naufragium paſſa, ad fratrem Helgium Biolam, in diſtrictu Kialarneſiæ id temporis habitantem, conceſſit; qvam poſtqvam cum dimidio tantùm comitatu ad hoſpitium per hyemem invitavit, contemptui fuit mulieri, prioris fortunæ memori, Regiosqve ſpiritus celſiſſimæ ſortis jure gerenti; vaticinatæ deinceps, humilis animi fratrem, diuqve exilem futurum. Inde ad alterum fratrem, Biornum Anſtrænium, in occidentalem islandiæ qvadrantem, ad ſinum Breidafiordum habitantem, magnis itineribus contendit. Is cum univerſo famulitio obviam ei procedens, honorifice exceptam cum omni comitatu invitavit, dictitans, probè ſe ſororis magnanimitatem noſcere. Ibi hyeme tranſacta, univerſum illum tractum, qvem interiora ſinus Breidafiordenſis alluunt, occupavit, Dalenſium regionem vocatam, ſpatioſam qvidem illam, fluvios Skraumuhlaupenſem & Aurridenſem interjacentem, reſeditqve in prædio, cui nomen Hvammur; Remanſeruntqve diu rudera, ex ejus nomine Audartoptir dicta. Preces ad Deum devotè (erat enim Chriſtiana) in collibus, a crucibus, juſſu ſuo ibidem erectis, indeqve Kroſsholar a ſe nuncupatis, fundere ſolebat; qvos poſteri ejus religioſe deinde colentes, ubi ethnica in Islandia exerceri cæpit Idololatria, delubra ſua ſupra eosdem potiſſimùm colles exſtruxerunt; perſvaſi, in illos poſt mortem animas ſuas migraturas. Occupati deinde territorii partes inter ſocios nauticos liberosqve ſuos diviſit. Inter cæteros Erpus Melduni cujusdam Comitis ê Scotia, prælio cum Sigurdo Eyſteini filio Orcadum Comite geſto occiſi, filius, cum matre Mirgiole Ghomalis Hiberniæ Regis filia, belli fortunâ in victoris poteſtatem, ſimul etiam ſervitutem, redactâ, ſerviles operas uterqve præſtare coacti ſunt. Ancilla Comitis facta fidelem ei operam navavit, abſtruſiores artes calluiſſe viſa. Memorat de hac ipſa Mirgiole *Liber Originum Islandiæ*, Reginæ eam fætum, dum ipſa balneo ablueretur, necdum natum conſervâſſe: modum autem, qvo hoc præſtiterit, liber iſte reticet. At qvisqvis ille modus fuerit, Certè tanti ea opera æſtimata eſt, ut Audur eam cum filio magno pretio redimere haud dubitaret, propoſita libertatis ſpe, ſi eandem operam nurui ſuæ Thuridi Thorſteini uxori præſtaret. Induſtriâ igitur & artis ſuæ peritiâ, non libertatem modo ſibi, ſed etiam filio, opimumqve prædium, Saudafell dictum, promeruit. Magna inde proſapia orta, Erplingorum familiam conſtituit. Qvartam Thorſteini filiam Thorhildem, Eyſteino cuidam Meinfreto, viro primario, elocavit. Fuit ille Alfi de Oſtria filius (paræcia eſt prope oppidum Bergas) ſed Islandiæ civis factus. Numeroſa progenies inde pullulavit. Neptum qvinta, nomine Oſk, Hallſteino Thorolfi Moſtrobarbi filio, Thorſkafiordenſis provinciæ flamini, ſev curioni; Auduris authoritate nupſit. Sextam Vigdiſem Kampa-Grimo, ſev Grimo Myſtaci, uxorem dedit. Nepoti, qvem unum, nomine Olafum, avi nomen referentem, cognomine Feilamum, habuit, Thorſteini filio, ſplendidiſſimi generis conjugem providit, Alfdiſem Bareyenſis Konalis filiam, Steinmodi neptem, Aulveris Barnakalls ɔ: *Infantium Vetuli* (ita dicti, qvod abhorreret a more piratis uſitato, qvo infantes gladiorum mucronibus in ſublime levati cruciabantur) proneptem. Multæ inde familiæ, ſatis qvidem claræ, exortæ ſunt.

Fuit

Fuit Audur, ut dictum est, fæmina magnifica. Ut ergo exitum vitæ prævidit, convivium splendidum apparavit, invitato magno propinqvorum, principumqve familiarum, amicorumqve numero. Ipsa ministrantium partes obiens, singulos lautè per triduum excepit. Qvibus pro more deinceps, ut sub finem conviviorum solebat, liberaliter donatis, habita conditionis dignitatisqve cujusqve ratione, præmissaqve luculenta oratione, gravissimis monitis consiliisqve refertâ, in aliud triduum convivium ut extraherent, ad exeqvias sibi celebrandas, mandavit, eademqve nocte decessit. Sepulta est, prout præceperat, in littore. In pulvere namqve profano, nullis sacris ritibus initiato, reqviescere noluit, qvòd sacra limpha abluta, purioris religionis particeps facta esset.

CAP. VIII.

DE RELIQVIS KETILLIS SIMI LIBERIS, ET PRIMO DE FILIA THORUNA HYRNA, ET EA OCCASIONE DE EJUS MARITO HELGIO MACRO, CUJUS GENUS HIC ALTIUS REPETITUM PRÆMITTITUR, NIMIRUM PARENTES EX GOTHIA ET HIBERNIA, DE FILIO BIORNO AUSTRÆNIO, EJUS HISTORIA, ALTERO DEINDE HELGIO BIOLA, ET FILIA JORUNA MANNVITZBRECKA.

Eyvindus Austmannus, cujus in Aunundo Lignipede facta est mentio, hic altiùs repetenda, suscepit filiam Thuridem, ex uxore Raforte, Kiarvalis Hiberniæ Regis filia. Pater illi Biornus, illustris Gautiæ (forte Vestrogotiæ) civis, & valde potens, filius Rolfi de Ane, (prædii an provinciæ nomen sit, ignoro) ex uxore Hlife, filia Rolfi, Ingialdi nepte, Frodii Regis (non eqvidem puto illius, qvi inter Daniæ Reges eo nomine qvartus est; id enim cum communiter recepta Islandiæ primitùs inhabitatæ epocha admodum repugnat; sed Frodium hunc ab illo qvarto oriundum, commune multis intermediis avis nomen sortitum existimo) pronepte. Inter Biornum & Sigfastum, Solvaris Gautiæ Comitis, vel Regis (utrumqve enim traditur) socerum, lis de prædio orta, adeo Regis socerum offendit, ut omnes Biorni agros, prædiaqve, tanqvam fisco addicta, occuparet, ac per vim detineret; qva injuriâ exacerbatus, mobilibus omnibus uxori Hlifi & filio Eyvindo traditis, ipse argentum, qvantum duodecim veredi veherent, secum discedens avexit, incensis priùs ea nocte, qvæ discessum præcessit, ædibus Sigfasti, cum ipso domino & triginta domesticis. Inde in Norvegiam, duodecim famulis comitatus, concessit, in provinciam Lystriæ Hvinem delatus, (hodie Qvinisdal) ab amne, a murmure nomen sortita, sic dictam (Hvin enim, &, dialecto variante, Qvin/ murmur, vel susurrum promanantis cum strepitu fluvii denotat) hospitio baronis Grimi, Kolbiorni Sneiperis filii, per universam hyemem usus est. Primo vere percussor a Grimo conductus, in eum fucatæ humanitatis colore securum immittitur. Qvem nocte qvadam, stricto se gladio petentem præveniens, manu correptum, humiqve stratum, cum occidere posset, tantùm ut veritatem proderet, adegit. Confessum scelus, se Grimo subornante dolos illi machinatum, dimisit incolumem, consulensqve dimissi saluti, ad Aund-

oddum Krakum, magni nominis virum, qvi ad sinum Hvinensem habitabat, se contulit. Pater ei Erlingus Kniter, uxor Signya, Sigfasti de Lidis ex Vika filia, atqve illic in tutius hospitium est receptus. Æstatibus occidentales terras piraticâ infestabat, autumnis in hospitium hibernis deputatum rediit, usqve dum uxor Hlif in Gautia decessit: tum demum Biörnus Aundoddi hospitis filiam uxorem duxit; unde filius Thrandus, crebra ex Hæbudis in Norvegiam navigatione Miegsiglande (ɔ: strenuè navigans) postea dictus. Post mortem uxoris Hlifis Biornus Eyvindo filio omnem navium piraticarum vim tradidit; qvibus is feliciter usus, a Kiarvale Hiberniæ Rege rei maritimæ præfectus constitutus, hac lege, ut piratas, maria portusqve omnes infestantes, coerceret, cōmerciisqve securitatem restitueret, filiamqve ejus, mutuæ fidei pignus, in uxorem accepit. In Hæbudis natus iis Helgius, ibidem in patrio solo educandus relinqvitur; qvi post biennium, redeuntibus parentibus, inediâ macerari dum deprehensus est, cognomen inde Macri reportavit, deinde in Hiberniam deductus, ibidemqve educatus. Adultior uxorem duxit Thorunam Hyrnam (seu Cornutam) Ketillis Simi, Hæbudarum principis, filiam alteram, Thorsteini Rufi sororii sui materteram, qvâ cum Regibus affinitate haud exiguum rebus familiæqve Ketillis Simi augmentum deinceps accessisse visum est. Eyvindus dictus est Austmannus, qvòd ê Svecia, ut orientali, in occidentem concesserit. Parùm etiam ambigo, eos, qvos *Camdenus* Ostmannos ê maritima Germania in Hiberniam venisse, magnaqve & copiosa mercaturæ specie qvasdam urbes occupâsse, difficillimumqve bellum concitâsse tradit, Norvegos, aut fortè etiam Gautos, Hallandos & Scanos fuisse, qvòd hi omnes occidentalibus a situ regionum Austmanni dicantur. Nec ferè Norvegi Islandis aliô, qvàm Austmannorum nomine appellati sunt; qvin & nos, qvi tractum Stafangriensem incolimus, qvi in proxima Lystria habitant, Austmannos nuncupamus. Hanc certè filiam post expeditionem in Hæbudas Ketill elocâsse poterat: nam & Helgius hujus maritus, cùm tota familia, inter primos Islandiæ incolas, spatiosissimum tractū aqvilonaris insulæ qvadrantis, nomine Eyafiordum, occupavit, anno reparatæ salutis DCCCLXXXVIII ut Scriptores vetusti in margine ad Origines Islandiæ notârunt. Visâ autem primùm insulâ, oraculum Thoris consuluit, qvòd ne latum qvidem ungvem a sinu deflectere permisit. Prius vero, qvàm recessus intimus conspiceretur, filius Rolfus a patre qvæsivit, *num etiam ad mare Dumbicum navigaturus esset, si Thor imperaverit?* Hic enim perinde ac pater Christianis sacris imbutus fuit, amentiamqve illius hoc absurdo perstrinxit. Fuit namqve pater in articulis religionis valde rudis, nam Thorem ad ardua negotia, itineraqve maritima feliciter expedienda, invocandum; ad cætera autem Christum, tanqvam cum Thore divisum imperium habentem, dictitavit. Simile *Vitichindus Monachus*, & *Sigbertus Gemblacensis* de Danis in primis religionis Christianæ incunabulis prodiderunt. Patet indè, filium illum non admodum puerum fuisse, licuisseqve ad annum præterpropter decimum pervenisse, etiam si Ketill matrem ejus, cum primum in Hæbudas missus esset, elocâsset, prius autem elocâsse potuisse, fusè antea monstratum est. Frater Helgii, Eyvindi Austmanni filius, fuit Snæbiornus, qvi prædium celebre in Occidentali Islandiæ qvadrante, Vatzfiord dictum, incoluit, tractumqve circumjectum occupavit. Avunculus Thorsteini Rufi Biornus, qvem pater Ketill Simus prædiis suis præfectum in Norvegia reliqvit, ut supra exposui, duxit Giaflaugem, Riallachi Jamptiæ Comitis, nutritii sui, filiam. Hic ut cognovit,

vit, Regem universas patris sui possessiones in fiscum redactas invasisse, monte Kiölo transmisso, in Thrandiam primò, atqve inde rursus in australiores regionis partes (Raumsdalum colligo) transvectus, expulsis præfectis Regiis, universas insedit, fretus absentia Regis, qvòd in Vika id temporis degeret. Qvod ut ad ejus aures pervenit, in Thrandiam movit. Ibi octo præfecturarum comitiis indictis, publico eum judicio criminis perduellionis reum egit, universoqve Regno proscripsit, caputqve ejus sacrum esse jussit. Ne vero sententia inanis esset, misit in eum percussores. Haukum Habrokem cum exqvisitissimis athletis. Qvos cum amici Biorni Stadas prætervectos præsentirent, iminens periculum ei nunciârunt. Is, conscenso raptim lembo, cum universa familia bonisqve mobilibus, ut in subito tumultu trepidationeqve licuit, oras regionis austrum versus legebat; neqve enim se pelago, sæviente hyeme, credere ausus est. In Mosturem, nobilem Haurdiæ insulam, perventum est; ubi a magni nominis viro Rolfo, sed â devoto Thoris Dei cultu Thorolfo dicto, Aurnulfi Fiskrekii filio, hospitio liberaliter exceptus, hyemem occultè transegit. Athletæ veroRegii, cum latifundiis villicos iterum præfecissent. comperta Biorni fuga, latibulis non item, ad Regem redierunt. Fuit Thorolfus vir insignis, Thoris flamen, delubri ejus, satis in insula illa magnifici, præses, divitiis pollens, barba promissa (unde & Mostrarskeggi, seu Mostrobarbi, cognomen contraxit,) robore etiam & corporis statura eximia, insulæ illius incolarũ facilè princeps. Hic principio veris Biornum, longa nave donatum, proprio filio Hallsteino comitatum, dimisit: qvi in Hæbudas transvectus, patrem decessisse comperit. Frater vero Helgius, Biola dictus, cum sororibus, eum benè exceptum in partem cõmunionemqve rerum omnium invitârunt, qvod ille fastidivit, eo qvod a sacris paternis avitisqve discessisse comperit, qvod neqve pium, neqve ex dignitate factum judicabat. Hyeme tamen una apud sororem Audurem Prædivitem, filiumqve ejus Thorsteinum Rufum, transacta, reliqvam etiam in Hæbudis trivit. Ut verò in religione avita adeo pertinacem deprehenderunt, cognatisqve inexorabilem, Biornum eum Austrænium appellarunt, qvasi Orientalem, qvo discrimine ab occidentalibus hominibus Christianis, mitiore qvàm ethnici nomine, interstingveretur. Biennio in Hæbudis transacto, in Islandiam, Hallsteino comite. concessit, appulitqve in sinum Breidafiördum, occupavitq; universum tractum inter fluvium Stafa & sinum Hraunsfiordum, prædiumqve Borgarholt in Biarnarhöfne, a portu a se denominato sic dicta, incoluit, qvi tractus in occidentalis Islandiæ qvadrante situs est. Biörnus in ea provincia primus eorum, qvi tractum vicinum occupârunt, decessisse traditur. Ab illo illustris prosapia promanavit; nam & Ulfus, Haraldi Imperiosi Norvegiæ Regis Stallarius (utor nomine officii illo tempore usitato, qvod uno nomine Latinè reddere nescio, ita ut nihil in illo describendo vel redundet, vel deficiat) idemqve uxoris ejus, Reginæ scilicet Thoræ, sororis maritus, qvintus ab eo descendit, hac serie, Biorni filius Ottar Helgium genuit, qvi Scotiam infestans, Nidbiorge filia Biolani Scotiæ Regis (*Buchanano* ignoti) & Kadlinæ, qvæ Rolfi Normanniæ Ducis, de qvo supra, filia fuit, potitus, filium ex ea progeneravit Osvifum, cognomine Sapientem, ex qvo natus Ospakus, Ulfi hujus pater, a qvo iterum Eysteinus (Augustinus) Archiepiscopus Nidarosiensis ortum trahit, ut antea diximus. Nec hic reliqvum genus ab hoc Biorno ortum perseqvi attinet, licet & virtute & numero satis illustre. Alter Thorsteini Rufi avunculus fuit Helgius, Biola dictus, qvi ex Hæbudis in Islandiam profe-

ctus, partem qvadrantis australis, Kialarnesiam dictam, inter amnes Mosails a & Mydals a occupavit, reseditqve in prædio Hofe, ubi delubrum sacrificiis & humanis etiam victimis famosissimũ extructum est, sexaginta pedum longitudine, cujus *Arngrimus Crymogeæ Cap: VII.* meminit. Filius ejus Thorgrimus ad ethnicismum relapsus (pater namqve, ùt cæteri omnes Ketillis Simi liberi, Biorno Austrænio excepto, Christo nomen dederant) hujus fani auhor fuit. Ab hoc Helgio Divus Jon, sev Johannes, diæcesis Holanæ in Islandia episcopus, natus anno Christi MLIV gradu septimo descendit, per intermedias generationes, patrem Augmundum, avum Thorkelem, proviam Thoram, abaviam Thorgerdem, atavum Eyvindum, tritavum Kallsveinum, tritavi patrem Eyvindum Hialtium, hujus Helgii Biolæ filium. Matertera Thorsteini Rufi præter Thorunam Hyrnam, sev Cornutam, Helgii Macri affinis sui (sororem namqve ejus duxerat) uxorem, fuit Joruna Mannvigsbrecka / a sapientia sic dicta, cujus filius Ketill Fifliske / sev *Stolidus*, ethnicis Islandis diversa sacra colentibus ita dictus, qvod ab eorum religione abhorreret. Is nobile in orientali Islandia prædium, postea in cænobium versum, nomine Kyrkiubœ / incoluit; ubi ante inventam a Norvegis Islandiam Christiani, qvos Papas vocârunt, habitasse, monumentis qvibusdam compertum est; nec licuisse unqvam ethnicis prædium illud incolere, communiter traditur. Qvartus ab eo Sigvatus nomophylax circa annum MLXXVI per Arnbiornum, Thorsteinum, & Surtum parentem descendisse perhibetur.

CAP. IX.

DE KETILLIS SIMI FRATRIBUS HRAPPO ET HELGIO, EORUMQVE IN ISLANDIAM TRANSLATA PROGENIE, UT ET DE OFEIGO QVODAM RAUMSDALI INCOLA EO MIGRANTE.

AVunculos & materteras Thorsteini Rufi recensui; reliqvum nunc genus perseqvendum est. Hrappus Ketillis Simi frater duos filios habuisse memoratur, priorem Thordum Skeggium. Hic tractum Lonensem in orientali Islandiæ qvadrante decem annos incoluit, qvoad rumor ad eum, de postibus suis in australi insulæ parte appulsis, delatus, eum ad mutandas sedes perpulit. Tractum igitur inter fluvios Ulfarsa & Geirvogsa insedit, inhabibatatqve prædium Skèggiastadas. Frater illi fuit Aurligus, educatus apud Divum Patricium (qvem annales nostri Episcopum Hæbudensem fuisse volunt; mihi verò cum de gentium illarum Episcopis nihil constet, Abbatem ego Hiberniæ eodem nomine, qvi circa hæc tempora vixerit, intelligi conjicio). De illo præterea tradunt, qvód Aurligo, qvi illo consulente in Islandiam migraverit, materiam ligneam ad sacram ædem ædificandam, plenarium (qvo nomine Liber Ecclesiasticus, in qvo Evangelia & epistolæ *plenè* continebantur, exprimi videtur) campanam item ferream, annulum aureum, pulverem consecratum, angularibus columnis substernendum, loco initiationis tradiderit, jusseritqve Divo Columkillo (*Bromton* Abbatem fuisse Columbum, alias Columkillum, tradit) dedicari, locumqve habitationi, temploqve, nunqvam sibi

ſibi viſum, adeo graphicé ei delineaverit, tanqvam vel oculis ipſe, vel in tabula depictum conſpexerit. *Deliges*, ajebat, *habitationi locum*, *ubi ex oceano procul tres montes proſpexeris*, *& inter ſingulos alios montes*, *inqve ſingulis montibus valles. Ad montem maxime auſtralem curſum diriges*; *ibi ſilvam deprehendes*, *& ad auſtrale montis latus viretum*, *ibiqve poſitos vel erectos lapides tres*: *ibi ædem ſtatues*, *prope qvam habitabis.* Hæc, ſive vera, ſive ficta, antiqviſsimi tamen codices produnt. Kollus erat ſocius ejus, qvi aliam navem direxit; verùm tempeſtate actus, & univerſam inſulam prætervectus, in occidentali pelago fluctuabat. Igitur Aurligus votum de nuncupando de nomine nutritii ſui loco, ad qvem primò appellerent, fecit. Nec longa mora, donec placido vento in portum, a nomine ſuo Aurligshöfnem dictum, perveniret, ſinum illum Patrechsfiördum, ſev Patricii ſinum, denominavit: neqve id nomen poſtea mutatum eſt. Kollus autem invocato Thore naufragium fecit; ubi Kollsvika poſtea ab illo nomen ſortita eſt. Ibi hyems tranſacta. Appetente vere verſus orientem navigans conſpexit hæc montium ſigna, qvæ ei antea præmonſtrata erant. Ibi campana illa ferrea in mare decidit, actutum ſubmerſa: ſinu deinde emenſo, cum ad portum Sandvikam pervenerant, inter algas marinas in littore inventa. Sub monte Esiuberg dicto ſedem fixit, ſacramqve ædem in Islandia omnium primus ædificavit: in provincia Kialarneſenſi tractum inter Mogilsa & rivum Oſvifianum occupavit, patrueli ſuo Helgio Biolæ vicinum. Uxorem duxit Iſgerdem; unde qvidam poſteri prognati Columbum pro Deo venerati ſunt, licet ſacris Chriſtianis initiati non eſſent.

Ex Biorni Bunæ poſteris per Helgium, Ketillis Simi & Hrappi fratrem, hi Islandiæ partes inſederunt: Thordus, cognomento Illhugius, Eyvindi Eikikrokis filius, Helgii nepos, alterius Helgii pronepos, Biorni Bunæ abnepos, tractum in Islandia Orientali, inter amnes Jokulsa & Kvia/ occupavit. Tres item Heiangurs-Biorni, Baronis de Sognia, filii, Helgii nepotes, alterius Helgii pronepotes, Biorni Bunæ abnepotes. Primus Asbiörn, qvi licet in navigatione medio mari mortuus eſſet, uxor tamen illius Thorgerdis, cum filio Godlaugo, in orientalem inſulæ qvadrantem delata eſt; occupavitqve tractum circa Ingolfshöfdium. Lege tum cautum erat, ne liceret fæminis plus occupare, qvàm vitula bené paſta, verni diei ſpatio, ab ortu Solis ad occaſum circuire poſſet. Inter filios ejus Vedrormus numeratur, qvi ex uxore ſua Alfride duos liberos, diverſi ſexûs, utrosqve flamines, qvod hic notandum, progenuit: Thordum ſc: Freyris flaminem, & Thuridem ſacerdotem (Hofgidia patria lingva appellatur) An vero ejus officium tam ſacrum, jurisdictionis præfecturam, qvemadmodum flaminum, comprehenderit, parùm mihi conſtat; neqve enim aliam in Islandia hoc munere functam legiſſe memini. A Godlaugo Sandfellingorum familia: â Thorgilſe tertio filio Hnappafellingorum, promanârunt. Helgius, alter Heiangurs-Biorni filius, Raudalækum in eodem tractu inſedit, unde Raudlækingorum familia. Tertius ejus filius fuit Bardus, qvi primus Bardardalum occupavit, poſtea Fliotzhverſium, in orientali inſulæ qvadrante. Qvintùs ab eo Thorkell, canonicus cænobii Thyckvabæenſis, Sancti Thorlaci, diæceſis Skalholtinæ Epiſcopi, circa annum Chriſti MCLXXVII, amicus, per abavum Biörnum, proavum Geirem, avum Thorkillem, patrem Geirem, deſcendit.

Ofeigus, vir in provincia Raumdalenſi (*Arngrimo* Naumudalenſi) celebris, cum incurriſſet offenſas Pulchricomi, jam ad expeditionem in Islan-

diam paratum, ab ejus emiſſariis occiditur: Uxor autem Asgerdis, Aſchi Omalga/ ſeu Taciti, filia, cum omnibus liberis fratreqve ſuo notho Thorolfo, propoſitum iter perſecuta, tractum ingentem inter menticulum Gelia-landz Mula & flumen Marchafliot / omne promontorium Langanes ad Jodlufteinem usqve occupavit, inqve Katanefia habitavit. Liberi eorum celebres fuere. Thorolfus autem frater, ea conſulente, tractum Fliotis ab occidente continuum, duobus fluviis, qvorum uterqve Deildara dicitur, interjacentem, iuſedit, habitabatqve in Thorolfsfellio, de nomine ſuo ita dicto; ubi filium ſororis Asgerdis Thorgeirem Gollnium educavit, patrem Nialis illius, qvem meritò *Arngrimus in Specimine Islandiæ* conſultiſſimū innocentemqve virum appellat.

CAP. X.

DE COLONIIS E SOGNIA TRANSMISSIS.

HActenus Ketillis Simi, patrisqve ejus Biörni progeniem, ſimul cum aliis Raumdalenſium coloniis, recenſui; & qvas partes Islandiæ illi inſederint, retuli. Reliqvas, & primum ê Sognia, deinde ex aliis Norvegiæ partibus, eò deductas, breviter perſeqvar.

Ævar, Ketillis Helluflagii ex Thuride, Haraldi Aurobarbi Sogniæ Regis filia, illius qvi Halfdani Nigri ſocer erat, filius, cum filiis ſuis omnem Langadalum, qvadrantis ſeptentrionalis Islandiæ partem, occupavit, ſociisqve nauticis filiisqve diviſit: ipſe prædium Ævarskard incoluit.

Sæmundus, Ingimundi Senis, ut ante dictum eſt, ſocius, Sæmundarhlidem, qvadrantis item borealis partem, occupavit; inſeditqve prædium Sæmundarſtadas. Orti ex illo inſignes viri duo, a divitiis alter, alter a multiplici rerum ſcientia celebres, Gudmundus Dives, & Sæmundus Polyhiſtor, Eddæ illius majoris author, hac ſerie. Sæmundo natus Geirmundus, cui filia Reginleif, Thoroddi Hialmi uxor; horum filia Hallbera, Gudmundi illius Divitis mater; filius hujus Eyolfus, Thoreyam filiam ſuſcepit, qvæ mater erat Sæmundi Polyhiſtoris, de qvo nobis ſermo, qvi ſeptimum ab altero illo Sæmundo, qvi partem hanc occupavit, ramum ducit, deceſſitqve anno Chriſti MCXXXIII.

Gunnolfus Senex, Thorbiorni Thioti filius, Vegeirem patrem Vebiörni, Sognenſium pugilis, occidit; inde in Islandiam migrans, orientalem ſinus Olafiani partem, inter amnes Reika & Bomula/ occupavit. Et hic etiam tractus in boreali inſulæ qvadrante ſitus eſt.

Eylifus & Biörnus fratres, tractum in auſtrali Islandia in diſtrictu Rangarvallenſi ſitum, Oddam dictum, occupârunt; ubi deinceps in hodiernum diem prædium Eccleſiaſticum ſitum eſt, a Sæmundo illo Polyhiſtore, qvi ibi habitavit, celeberrimum. Ibi namqve privatum humaniorum artium gymnaſium, eo vivente, qvibusdamqve ex poſteris ejus ſuperantibus, floruit. Biörnus autem prædium Svinhagium vicinum inhabitavit. Ab illo Brandus Epiſcopus diœceſis Holenſis in boreâli Islandia anno Chriſti MCLXIII initiatus, ordine qvintus, per patrem Sæmundum, aviam Gudrunam, proaviam Thorunam, abaviam Hallveigem, deſcendit.

Hallſteinus Hallſteini, Atlii Sogniæ Comitis filii affinis, anterio-

rem

rem tractus Eyrarbackensis partem, etiam in australi Islandia sitam, occupavit, prædiumqve Frammnesiam incoluit.

Auffur Albus, Thorleifi de Sognia filius, ob homicidium in festivo Sigurdi Hrisii, Pulchricomi filii, nuptiali comitatu in Uplandis patratum, exul factus, cum esset annorum sedecim; primum omnem Holtensem tractum occupavit: deinde in Floium, alium tractum, conversus, Kampholl t prædium incoluit.

Thordus etiam Knappus, cum socio NafarHelgio, tractum prope Flokadalum borealis Islandiæ insederunt. Hic Grindilem, ille Knappstadas, prædia inhabitârunt.

Vebiornus Sognensium athleta, Geiris (aliàs Vegeiris, eo qvod sacris Deorum valde deditus esset) viri admodum celebris, filius, fratrumqve suorum, Vesteini, Vedormi, Vemundi, Vegesti & Veaurnis, natu maximus, sororem habuit Vedisem. Hic post cædem patratam, cujus supra facta est mentio, iram Haconis Comitis Griotgardii sibi conscivit; qvòd virum qvendam, Thorsteinum Infelicem dictum, ex Islandia profectum, ob aulici Comitis cædem profugum, verum ab Eyvindo consiliario Comitis ad se missum, deqve meliore nota coṁendatum, Vigdise sorore neqvicqvam disſvadente, receptum tutum præstiterit. Qvòd verò se imparem ad eum defendendum adversus potentiam Comitis agnosceret, agris possessionibusqve divenditis, in Islandiam cum omni familia concessit, longoqve tempore cum adversis ventis colluctatus, autumnali tempore ad Hlöduvikam in occidentali Islandia, prope promontorium Horn/ austrum versus navem appulit. Eodem die Vebiornus solenni sacrificio Diis litabat: dixit namqve, hoc ipso die Haconem Comitem in sui perniciem Diis sacrificare. Verum inter sacrificandum magnis illum fratres adegerunt hortationibus ad navigandum. Qvi dum sacra negligentiùs curaret, medio cursu orta tempestate, ad rupes qvasdam naufragium passi sunt; vixqve, ac ne vix qvidem, præcedente Vebiorne, per interstitium rupium, postea a Sognensibus Sygnakleif dictum, evaserunt. Omnesqve eos Atlius de Fliotis, Geirmundi Heliarskinni, seu furvæ cutis, duodecim servis ipse servus præfectus, per integram hyemem hospitio excepit, aluitqve. Illis pretium sumptuum offerentibus, abnuit, regerens: *domino suo cibum neqvaqvam defuturum.* Geirmundo deinde reqvirente, unde illi tanta audacia, ut se inconsulto & inscio tot homines per integram hyemem suis sumptibus aluerit, respondit; *à perspecta magnificentia tua, prævisaqve in futurum, qvoad hæc insula cultores habebit, gloria. Qvilibet enim ex hoc facto amplitudinem tuam & liberalitatem metietur. Qvid autem te facturum judicabunt, cum servus tuus tantam rem solùm ex præsumpta, non item consulta, tanti domini voluntate aggressus sit? Accipe igitur*, ait Geirmundus, *condignum facto præmium, libertatem nimirum cum totius villæ possessione, proprietatisqve illibato in perpetuum jure*, factusqve est Atlius vir insignis. Vebiornus tractum inter Skötufiordum & Hestfiordum insedit, magnaqve de gestis ejus historia conscripta esse dicitur, qvæ tamen unà cum pluribus aliis monumentis interiit. Elocabat sororem suam Vigdisem Grimolfo de Unadalo, qvem postea, interveniente dissidio, occidit; ipse vicissim in qvadrantis foro Thorsnesensi cum tribus aliis occisus. Qvòd vero hic Hacon Comes Griotgardi filius, diversus fuerit ab eo, qvi socer erat Pulchricomi, manifestum est, si is in prælio cum Atlio Comite anno DCCCLXVI occubuit. Hic namqve Thorsteinus Infelix filius fuit Helgii, Hrolfi de Gnupufellio filii, ejus qvi Skutulsfiordum occupavit, cum Islandia adeo co-

 lonis

lonis repleta esset, ut qvod occuparet, non haberet. Ideo reditum in Norvegiam parans, inter navigandum tempestate ad Islandiam iterum actus, ubi jaculum vulnerandis balænis, Stutull dictum, invenisset, ibi locum occupavit, inhabitavitqve. Hic Thorsteinus tum demum ex Islandia in Norvegiam profectus, facinus illud admisit. Unde patet, vel duos Griotgardos Comites, duos etiam Hacones fuisse, vel prælium, Comitibus Atlio & Haconi Griotgardi filio pariter exitiale, post pugnam Hafursfiördensem incidisse. Vesteinus Vebiorni frater partem Dirafiördo contiguam occupavit, resseditqve in prædio Haukadalo. Pars hæc in occidentali Islandiæ qvadrante sita est.

Thorolfus Fasthaldius, seu, ut vertit *Arngrimus*, fortiter retinens, vel tenax, vir insignis, ê Sognia furore Haconis Hladarum Comitis ejectus, refugium apud præmissos Cives in Islandia, svadente Haraldo Pulchricomo, qvæsiturus, tractum inter amnes Sandeyrensem & Gyarsporensem occupavit, prædiumqve Snæfioll/ seu *nivosos montes*, in Rafnsfiördo inhabitavit.

CAP. XI.

DE COLONIIS EX HORDIA.

TOt reperi Sognensium colonias in Islandiam infusas; nec tamen, qvin plures fuerint, dubito. Verum præcipua gentis illius nobilitas Sogniæ Raumsdaloqve debetur, qvamvis cæteræ Norvegiæ provinciæ, in ea augenda & amplificanda haud desides fuerint. Seqvitur Hordiæ colonia, & primúm qvidem Thorolfus Mostrobarbus.

Is apud Pulchricomum delatus de recepto domo exule Biorno Austrænio, Ketillis Simi filio, ut supra retulimus, vel cum illo, cujus amicitiam Regiæ prætulit, exulare, vel se suaqve omnia arbitrio Regis permittere, jussus est. Itaqve sacrificiô solenniter factô, Thorem numen sibi religiosissimum consuluit. Oraculum in Islandiam ad novas sedes qværendas ablegavit. Nave igitur magnitudinis eximiæ comparatâ fanum demolitus, omnem materiam ligneam, pulverem etiam aræ, cui Thor insederat, substratum avexit, universamqve familiam, multos insuper amicorum sponte secutos, secum duxit. Ubi ad promontorium Reikianesiam perventum esset, cessante vento, postes, qvorum alteri Thoris imago insculpta erat, in mare projecit; ibi locum habitationi deligere certus, ubi statua Thoris littus prior occupâsset, sedemqve ei præmonstrâsset. Qvæ tranqvillo cælo mariqve, velut ventis secundis impulsa, dum ferretur, admirationi fuit. Postea, flante ad votum vento, promontorio Snæfellsnesia superato, ad sinum patentem cursum flexerunt, qvem a latitudine Breidafiördum dixerunt. De statua Thoris in promontorio inventa Thorsnesiæ nomen inditum. Tractum deinde ignibus pro more occupatum, inter fluvios Stafa & Thorsa sibi asseruit. Qvô verò constet, qvomodo ignis in occupatione adhibitus sit, Origines Islandiæ consulendæ. Tradunt namqve in principio, ubi de qvadrante australi tractant, qvòd incolæ posteriores qvesti sint, primos incolas territoria nimis ampla occupâsse; Haraldum vero Pulchricomum litem hanc conciliâsse, svadendo, ne liceret ulli plus occupare, qvám fumus, ab igni, qvi

qvi hora ſexta matutina accenderetur, uſq; ad horam ſextam veſpertinam procedentibus remotisſimus apparens circumſcriberet. Ritus autem territorium occupandum per ignes conſecrandi etiam ante hanc ſanctionem in uſu fuisſe videtur: nam & Helgius Macer, ad ſingula ſinus oſtia incenſis ignibus, territorium ſibi, qvemadmodum Thorolfus, vendicavit. Magnificum fanum in prædio, Hofſtadis dicto, deinde exſtruxit, foribus, ab alio latere non procul a parietum commisſuris, conſpicuis; intra qvas columnæ religioſæ conſiſtebant, ſacris clavis parieti connexæ. Intra eas univerſa area aſyli inſtar ſacra ſanctaqve. Inde minor domus procesſit, in formam chori, Chriſtianis uſurpati. Medio illius pavimento ara conſtitit, annulus aureus lævis, omni ſculptura carens, ei impoſitus, pondere duarum unciarum (Arngrimus XX tradit) ad qvem juramenta concipienda erant, flamini in publicis conventibus geſtandum. Ara idolis undiqve per omnes angulos lateraqve repleta patebat. Ibi etiam vas repoſitum erat, qvo hoſtiarum ſangvis exciperetur, Hlautbolle dictum, adjuncta luſtrica, & aſpergillo Hlaut teinn dicto, ad victimarum cruorem adſtantibus aſpergendum. Pendebant fano annuum tributum ſinguli, ipſumqve flaminem, qvoqvò proficiſceretur, comitari tenebantur: ipſe viciſſim ad ſumptus, tam in ædem, qvàm ſacrificia, propriis impenſis ſuſtinendos, obligabatur. Tractui inter ſinum Vigrenſem & Hofsvogum Thorsneſiæ nomen Thorolfus impoſuit; qvi in promontorium extenditur, qvo medio mons ſitus illi religioſisſimè cultus eſt: eo namqve ſe cum omni familia poſterisqve poſt mortem conceſſurum, beatamqve vitam in æternum acturum, credebat; nec licuit cuiqvam illoto eò oculos convertere; hominibus vel pecudibus ibi vangantibus ſupplicum vel mortem inferre piaculum erat; egresſos occidere fas erat. Helgafell/ id eſt *ſacrum montem*, nuncupârunt: ſervatq; hodie ſemel impoſitum nomen. Conſimile qvid legimus de Kraku-Hreidare, occupantium Islandiam uno, incolâ borealis Islandiæ, Yxna Thoreris ex Ofeigo Lafskeggo ſeu Longobarba nepote, Agdis oriundo; qvi montem Mælifell in provincia Skagafiordenſi delegit, ſibi ſuisqve poſt fata incolendum. Manſit monti Helgafell etiam pronepotis temporibus, usqve ad abrogatum ethniciſmum, eadem authoritàs, ludibrio Sathanæ ſuſtentata. Nam cum filius Thorolfi, Thorſteinus Thorskabitus, ſev Ictiophagus, in mari, nemine familiarium domeſticorum ſciente, peregrè profectus periisſet, eodem illo veſpere ovium paſtor vidit montem verſus boream apertum, focosqve intus multo pabulo incenſos, magnamqve exhilaratorum lœtitiam & feſtivitatem percepit, vocemqve gratulantium, multa lætitia Thorſteinum Thorskabitum alacriter excipientium, obſervavit; qvâ invitatus, ſummo in ſolio aſſidere jubebatur patri ſuo Thorolfo Moſtrobarba: qvod ut uxori Thorſteini retulit, mortuum maritum tacitè præſagivit. Sic Snorrius flamen, hujus nepos, de majoris momenti rebus conſulturus, hunc ipſum montem conſcendere, ibiqve, qvod concludendum eſſet, decernere conſvevit, qvoad ſacris Chriſtianis imbutus eſſet; neqve enim prius inde migravit, veritus forte, ut poſt mortem illic receptus eſſet, ſi aliò concederet. Campum, ad qvem ſtatua Thoris appulit, magna religione ſanctaqve pietate coli Thorolfus mandavit, qvem, vel effuſo per iram ſangvine, vel alia qvaqve re, polluere nefas: ſecretis naturæ peragendis exemptus eſt; ſcopulus ad id delectus Dritſker dicebatur; donec inter vicinos Biorni Auſtrænii & Thorolfi filios lis intercedens, in cruentas cædes erupit: tum demum campus hoſtili ſangvine pollutus judicabatur, nec proinde aliâ

terrâ ſanctior. Translatum igitur in alium locum unà cum delubro forum eſt, commune univerſo occidentali qvadranti fanum. In medio ejus circus erat, in qvem homines Diis ad immolandum deputati legebantur, qvi ad ſaxum prægrande ibidem poſitum alliſi necabantur; cujus rei indignitatem ſaxum illud fertur colore ſangvinolento, nullo imbre abluto, multis poſt ſeculis retulisſe. Hoc modo Moſtrenſis colonia, numeroſa ſatis, per Thorolfum in Islandiam, decimo poſt inſulam ab Ingolfo coli cæptam anno, translata eſt: prius tamen Thorolfus eò, qvàm Biornus, in Hæbudis aliqvantiſper moratus, pervenit. Illius filius Hallſteinus Biörnum ſecutus, tractum Thorskafiardarſtrandam dictum, in eodem qvadrante ſitum, occupavit. Hic Thori, pro poſtibus impetrandis, filiô fecit. Poſtea lignum ſexaginta trium cubitorum, duas orgias craſſum, in littus ejectum accepit. Inde poſtes per univerſum diſtrictum confecti, hoc ſacratiores, qvòd Dei munere donati, nec tamen gratis, cum tanto ſacrificio empti potius viderentur. Non aliàs in illa inſula filiorum cruore Diis litatum obſervavi. In præda Scotis, qvos infeſtabat, ereptâ, ſervi qvidam erant, qvi in inſulas Svefneyas ad coqvendum ſal miſſi, refluente mari dormire, æſtuante vigilare ſolebant, indeqve inſulis nomen, qvod *ſomni inſulas* denotat, remanſit. Hic Thorſteini Rufi filiam Osken uxorem duxit, filius eorum Thorſteinus Surtus, qvi primus æſtatis augmentum, Islandis ſolis poſtea hodieqve uſurpatum, in Kalendarium retulit; nam hæc duo anni tempora bifariam in duas æqvales partes ſingulas ſex menſibus conſtantes, dividunt. Semper autem æſtatem dies Jovis orditur; & qvidem is, qvi feſtum Sancti Magni (qvod in XVI Aprilis ſemper incidit) proximè præcedit; hyemes vero initium ducunt a die Veneris, illo, qvi feſtum S: Lucæ Evangeliſtæ præcedit, qvod incidit in diem XVIII Octobris. Qvoties autem Dominicalis litera vel per univerſum annum, vel poſteriorem anni bisſextilis partem, in diem Dominicum incidit, æſtas unica hebdomade hyemem excedit, incipiens a nono Aprilis, deſinens in decimum-qvintum Octobris; fitqve æſtas hebdomadum XXVII. hyems XXVI. Unde patet, veteres illos Kalendarii uſum temporumqve rationem calluiſſe ex parte; minus tamen, qvam Rudbeckius ſuſpicatur. Feſtis tamen his pro terminis illi neqvaqvam uſi ſunt: nam prius a Divo Magno Orcadum Comite, anno MCX ſceleratè perempto, ortum traxit: poſterius verò Ethnicis, ut qvi Evangeliſtas neſciebant, ignotum erat. De eodem hoc Thorſteino Surto author doctrinæ *Sphæricæ*, & computi Eccleſiaſtici, lingvâ priſcâ vetuſtôqve charactere in pergamena conſcripti, recentior tamen Johanne de Sacro Buſco, qvem citat, Magniqve Haconis filii, Norvegiæ Regis, tempore floruiſſe refert, hæc ſcripta reliqvit: *Sapientisſimi*, inqvit, *Islandorum anni dies numerarunt trecentos & qvatuor, qvi faciunt qvinqvaginta duas hebdomadas, menſes autem triginta noctium duodecim, & qvatuor dies, qvi excurrunt, obſervabant. Dein de æſtatem magis magisqve in vernum tempus vergere. Nemo autem iis monſtrare poterat, ſupra integras hebdomadas unam diem redundare. Erat qvidam vir Breidafiordenſis, nomine Thorſteinus Surtus, Hallſteini filius, Thorolfi Moſtrobarbi nepos, ejus qvi tractum Thorsneſenſem occupavit, natus Oske Thorſteini Rufi filia. Is ſomniabat, ſe freqventibus totius inſulæ anniverſariis comitiis intereſſe, ſolum vigilantem, reliqvis omnibus dormientibus. mox ſibi dormire, cæteris omnibus vigilantibus, videbatur. Conjector Oſvifus Helginus, illo loqvente, omnes in foro tacituros; deſinente, dicta magno conſenſu probaturos, ratiocinatus eſt. In foro deinde conſuluit, ut ſeptimæ cuiqve æſtati,*

æſtati, hebdomadam adjicerent ; *id qvod probatum eſt.* Hæc totidem verbis Liber ille vetuſtus. Ex his patet, nec tum qvidem horarum, qvæ diem intercalarem qvarto qvovis anno conſtituunt, notitiam illis ullam fuiſſe.

Eyſteinum Meinfretum ex Oſtria profectum ſuperius indicavi. Is duxit Thorhildam Thorſteini Rufi filiam.

Hallvardus Sugandius de Sætris in Hordia, qvòd hoſtibus Pulchricomi in pugna Hafursfiordenſi ſe adjunxerit, Sugandafiòrdum & Skalavikam occupavit, occidentalis Islandiæ qvadrantis partem.

Eyvindus & Ketill ex Hördia, partem Reykiadalenſem in boreali qvadrante occupârunt: ille Helgaſtadas, hic Einarſtadas, incoluit.

Skiöldulfus Vemundi filius, Berlu-Karii frater, in orientali qvadrante Jökulsdalum, ad orientale fluvii Joculsa latus ſitam, occupavit, inhabitavitqve prædium Skiòldſtadas.

Thorarinus Thorkillis de Alvidra filius, Hallbiorni Hördenſium athletæ nepos, oſtium amnis Þiorſa ingreſſus, taurinum caput roſtro præfixum pro inſigni oſtentabat ; inde fluvio nomen inditum. Is tractum ſupra rivum Skufslækum, usqve ad amnem Raudara/ occupavit. Filia ejus erat Heimlaug, qvam ſexagenariam Loptus duxerat.

Eylifus, cognomento Aurn/ ſeu Aqvila, tractum à Manathuſa Skagafiordo adjacentem cum valle Laxardalo, usqve ad Gaungu-Skarða occupavit.

Thraſius Thorolfi Hornabrioti filius, ex Hördia in Islandiam concedens, partem orientalis Islandiæ qvadrantis, qvam fluvii Joculsa, & Kaldaklofsa circumſcribunt ; occupavit. Inqve Biallabreckis habitavit: ibi poſtea Thraſaſtadæ ad orientale cataractæ latus, & tumulus ad occidentale, non procul ab amne in Drangshlida ſub cacumine, poſtea ſabulo obrutus, conſpiciuntur. Ita qvidem *Liber Hauki Nomophylacis* tradit. Verum *liber Originum Islandiæ* Skogis eum habitaſſe, cumqve Lodmundo magicis præſtigiis certâſſe refert. Undecimus ab illo continua ſerie deſcendens numeratur Brandus, qvi in Skogis habitabat.

Hi ex Hördia in Islandiam conceſſiſſe memorantur. E Fiordis præter Skallagrimum, de qvo antea dictum eſt, neminem habeo. Inde ergo ad Fjalas, & primum Vorſiam, calamum vertam.

CAP. XII.

DE COLONIA VORSENSI.

THormodus, cognomento Bonus, & Thordus Gnupa, Oddi Rackii filii, Thorvidi nepotes, Freyvidi pronepotes, Alfi de Vorſia abnepotes, tractum in occidentali inſulæ qvadrante, inter fluvios Laxa & Straumfiardara, occuparunt. Gnupa prædium Gnupudalum incoluit: Thormodus Raudkollſtadas. Ex Gerde Kiallaki Senis filia Gudlaugum filium procreavit, Divitem poſtea dictum, qvi cum vicina prædia ſuis meliora animadverteret, poſſeſſorem Thorfinnum qvendam ad ſingulare certamen de poſſesſione provocavit: qvi cum mutuis vulneribus prope mortui conciderent, à ſocru Gudlaugi ſanitati reſtituti, eaqve intercedente reconciliati ſunt. Gudlaugus deinde prædium Borgarholltum incoluit;

nume-

numerosaqve Straumfiördensium familia ab eo ortum trahit: filius ejus Gudleifus, qvi unà cum Thorolfo Lopti filio, de provincia Eyrarbackensi, duabus navibus instructi, in freto Medalfartino (hodie Mefarsund) Comiti Girderi, Comitis Sigvaldi filio, semet impugnanti, fortiter restiterunt, suaqve omnia defenderunt: inde rhythmi Girderici orti sunt.

Lodmundus Senex, magus insignis, cum socio suo Bialfio ex Vorsiæ prædio vel parte Thulunesia, in orientalem qvadrantem insulæ migrârunt. Nondum vastum illud, qvod intercessit, Atlanticum mare emensus est, cum postes expedivit, præfatus, sedem se ibi fixurum, ubi appellerent. Primò in orientalem plagam delatus, sinum Lodmundianum occupavit, ibiqve per triennium habitavit. Postea, famâ appulsorum postium cognitâ, eò se contulit; rebusqve omnibus in navem delatis, ut primùm vela sustulerat, pronus decubuit, vetans qvemqvam eò audaciæ procedere, ut nomen interim suum nominaret. Paullùm jacuerat, cum magna sabuli moles hybernis nivibus, ut fieri solet, ex iminenti prædio, qvod inhabitaverat, monte delapsa, universum subitâ ruinâ vastabat. Exsurgens deinde portum hac formula devovit: *Qvæcunqve navis in posterum ex hoc portu solverit, pelago obruitor.* Deinde austrum versus flectens, promontoriis Horne & Hiörleifshodio superatis, ubi postes appulerunt, prædium sibi delegit, inter amnes Hafursa & Fulalœk / qvi jam Jokulsa a Solheimasandi vocatur; prædioqve Lodmundar-Hvamm nomen indidit; hodie Solheimar appellatur. Lodmundo senescente, in vicino prædio Skogis vir qvidam, nomine Thrasius, de qvo supra, magicis etiam artibus infamis, habitabat; nec inter eos firma amicitia ad eum usqve diem coaluerat. Manè qvodam diei ingentem aqvarum confluxum prædium suum obruturum Thrasius perspexit; qvem artis suæ peritiâ in vicinum Lodmundi prædium avertit & derivavit. Qvod ut Lodmundi servus conspexit, domino suo vastum mare, ripis altè superfusum, subitô cursu ex aqvilone accedens, campis innatare, villam protinus inundaturum, indicat: Is autem, senii vitio id temporis oculis captus, mandavit, ut ex eodem mari guttas aliqvot poculo infusas sibi deferret. Qvas ut gustavit, haudqvaqvam illas mare sapere respondit, moxqve se eò deduci jubet: qvo facto, *Impinge*, inqvit, *acûleum baculi mei in aqvam*: simulqve annulum, qvi baculum cingebat, mordens, ambabus manibus stipitem prehendit: exinde aqva SKOGAS retrò cursum flexit. Thrasius iterum eas in illum retrusit. Certatum hoc modo aliqvantisper est, aqvis neutrius diras sustinentibus. Tandem de eo alveo in posterum tenendo ripisqve coërcendo, qvem hucusqve tenet, inter eos convenit. In eo certamine solitudo illa, arenaqve spatiosa, qvæ Solheimasandur nunc est, orta fuisse perhibetur. Idem fluvius qvadrantem insulæ australem ab orientali disterminat. A Lodmundo Skaptii, celebris nomophylacis, seu supremi judicis, uxor Thora, per patrem Brandöxium, avum Steinum, aviam Thoram, proavum Thorsteinum Holmundum, abavum Sumarlidium, descendit.

Thorer Hafi / seu *Procerus*, & Krumus, ê Vorsia, ille Krosavikam inter Gerpium & sinum Reidarfiordum, unde Krossvikensium familia; hic spatiosum tractum ab Hafranesia ad Thernunesiam, & adjacentes insulas, Skrudeyam cum pluribus maritimo tractui vicinis, unde Krymlingorum familia, occupârunt.

Ulfus, idemq; Vorsius dictus, â Hrollaugo, Raugnvaldi Mæriarum Comitio filio, tractum inter amnem Heinaberg & Hreggerdis-Mulam cöemit,

cöemit, ſeditqve Skalafellis omnium primus. Ab eo Vorſiorum familia deſcendit. Deinde in Pappilam ſedem tranſtulit. Ibi ejus tumulus, ut & Thorgeiris, alterius Vorſa-Ulfi filii, qvi Hofe conſedit, conſpicitur; horum ſedes in orientali qvadrante inveniuntur. In auſtrali qvadrante, in præfectura Arnesſysla, & parœcia Gaulverienſium, Borſabœr prædium hodieqve nomen conſervat, â Thorvido Ulfaris filio, qvi id primus inſedit, familiamqve non minimam reliqvit.

Bödvar Albus, cum Brandaunundo cognato ſuo, ê Vorſia profecti, in ſinum Alſtafiördum, in orientali qvadrante ſitum, appulerunt. Bödvar valles prope Leiruvogum occupavit, inqve Hofe ſedem fixit, ubi delubrum celebre exſtruxit, vir tam majorum longa ſerie, qvàm poſterorum ſplendore, celebris. Pater ei Thorleifus Midlungus, avus Bodvar Snæthruma, proavus Thorleifus Hvalaskuſus, abavus An, vel Unar, atavus Aurn Hyrna, tritavus Thorer Rex, tritavi pater Svina-Bodvar, tritavi avus Kaun Rex, tritavi proavus Solvius Rex, tritavi abavus Hrolfus Rex de Berge, tritavi atavus Svadius gigas de Dofris. Hrolfus de Berge duxit uxorem Göen (unde menſis Göe nomen contraxit) ſororem Noris, Norvegiæ eponymi, & Goris. Hi ſunt Bödvaris majores. Filius ejus fuit Thorſteinus, & hujus ex Thordiſe Ausſuris Keiliſelgi filia, Hrollaugi nepte, Hallus de Sida, vir ſummus; cujus poſteros alio loco exponemus. Nec plures ex Vorſia reperi illuc profectos, ſeqvitur ergó, ut ſupra promiſi, Fialarum colonia.

CAP. XIII.

DE COLONIA FIALENSI SIVE FIALAFYLKENSI.

KOlbeinus Klackhofdius, *filius Atlii de inſula* Atleya, hodie corruptè Hatleya, ſev Atlantica, qvæ in Fialis ſita eſt, tractum inter amnes Kalda & Hytara/ infra Sandbreckam, pretiô emit, & Kolbeinſtadis habitavit. Continetur hic tractus qvadrante occidentali. Filii illius Finnbogius de Fagraskoge, & Thordus poëta.

Heriolfus Sigurdi Svinhofdii filius de Qvennvoga-ſtranda fuit; athleta inſignis, pariter inſignis athletæ filius. Octennis urſum ſylveſtrem ob interfectam capram peremit. Senex in Islandiam profectus, tractum inter Bulandz-hof da & Kyrkiufiord/ in occidentali Islandiæ qvadrante ſitum, occupavit. Filia ejus fuit Gudeya, Vermundi Gracilis, viri primarii, uxor: eorum liberi Brandus Orſius, & Thorfinna Thorſteini Kuggini uxor.

Floſius, Thorbiorni de Gaulis ê Fialis filius, tres præfectos Pulchricomi occidit. Exinde in Islandiam transfretabat, occupabatqve tractum, qvem fluvius Ranga ab occidente claudit, omnes nimirum orientales Rangarvöllos. Uxor ei fuit Thordis Magna, Thorunnæ Divitis filia, qvæ Ketilis Unimani filia erat. Floſii & Thordiſis filia erat Aſeya, qvæ Thorgeiri nupſit. Inde filia Thuridis, Vallabrandi uxor: eorum filius Floſius, cujus uxor Gudruna Thoreris filia, Skeggbroddi neptis; horum filius Kolbeinus, pater Gudrunæ, Sæmundi Frodii uxoris, & Biarnii, cu-

jus filius Biarnius, Biarnii Flesius, Valgerdis pater, qvæ Erlendi nomophylacis mater erat. Erlendus fuit Hauki nomophylacis pater.

Loptus Ormi filius, Frodii nepos, Vemundi Senis ſatrapæ pronepos, Vikingi Skaneyar-Skelmis de Gaulis abnepos, juvenis tractum ab occidente, amni Thorſa adjacentem, usqve ad rivum Slufslæk orientalioremqve partem paludis Breidamiræ dictæ, usqve ad Suluholt/ occupavit, prædiumqve Gaulveriabœ/ hodie paſtorale, incoluit, cum matre ſua Oddnya, Thorbiorni Gaulenſis filia, cujus ſuprà mentio facta eſt. Is tertio qvovis anno Gaulas profectus eſt, ad ſacrificandum pro ſe & avunculo ſuo Floſio, in delubro Gaulenſi, cui Thorbiörnus avus ejus qvondam præfuerat. Fuit enim Thorbiornus potens ſatrapa in diſtrictu Fialenſi; duxitq; Hildem Ulfaris & Thorunnæ Græningiariupæ filiam. Genus Thorbiorni non exprimitur extra patrem, qvi nominatur Ormar. Qvod vero Thorunna Græningiariupa hic Ulfaris uxor dicatur, alibi autem Hrappi, Biorni Bunæ filii, arguit, aut diverſas unum nomen ſortitas, aut unam duos viros. Magna progenies a Lopto profluxit; inter ceteros tres Epiſcopi, Divus Thorlakus, Brandus, & Paulus. Tot reperi ê Fialis in Islandiam migrâſſe. Qvoniam autem Geirmundi Furvæ cutis ſuperius mentio facta eſt, reliqvas ab eo auſpicabimur Rogenſium colonias.

CAP. XIV.

DE COLONIA ROGENSI.

IS genus ab Halfo Heroe duxit, longiore qvidem ſerie, qvàm antiqvitates, ad ſummos familiarum apices, intermediis gradibus magnam partem omisſis, properantes, recenſent; eum namqve nepotem illius memorant, nec ſatis conſtanti conſenſu, nam duas ei matres ſufficiunt. *Liber* qvidem *Originum Islandiæ* Liufinam Biarmiæ Regis filiam, a Hiore Rege bello captam. Propria autem Halfi Herois vita Hagniam Hakii, Regis Hamundi filii, filiam, qvam ſororem Brinhildis Hroki Nigri uxoris fuisſe ſuſpicor. Hiöres autem diverſos fuiſſe, diverſæ matres indicant. Qvin & Haraldus Pulchricomus, qvi gradu decimus ab Ingvare Sveciæ Rege, Halfo æqvali, deſcendit. Ingolfus etiam & Hiörleifus Hroki Nigri Halfi militis atnepotes idem evincunt. Certiſſimum eſt, Halfos fuisſe plures, nomen ab illo Heroe dicto ducentes; ad qvorum poſtremum cum recurſum eſſet, is pro primo obtruſus eſt. Idem de intermediis Hiöribus ſtatuendum: nam & abſurdum eſt, circiter trecentos annos duas tantùm generationes fluxisſe. Hujus autem ultimi Hiöris Rogiæ Regis uxorem Liufinam Biarmiæ Regis filiam eo confidentius ſtatuo, qvo veriſimilius videtur, Hagniam Hakii filiam, illius Hioris, qvi Halfi filius fuit, uxorem fuisſe. Hæc abſente Rege, piraticæ expeditioni implicato, gemellos peperit, Geirmundum & Hamundum, utrosqve a colore fuſco, ipſiqve ingrato, Heliarskinnos, ſev furvæ cutis, dictos: qvos ancillæ, per idem tempus partu levatæ, filio Lodhoddo, ſervo nato, Leifo dicto, permutavit, qvem, formæ lenocinio ducta, patri reduci pro filio venditavit. Triennio elapſo, Rege iterum piraticis occupationibus diſtento, contigit, cum Bragius pöeta ad Reginam, ad convivium invitatus, diverteret, ut die qvodam, omni domeſtico utriusqve ſexûs famulitio

tio in ſylvam animi cauſa ad nuces legendas dilapſo, dum illa in triclinio obductis veſtibus ſe operivit, illo honoratiſſimam ſedem occupante, Leiſoqve ibidem aureis crepundiis pueriliter ludente, ut iſti gemelli in ſtramine prope fores ludos item pueriles exercerent, adqve Leiſum, ſolio irrupto, accederent, eoqve depulſo aurum eriperent. Qvem ut fuſis largius lachrymis acerbius flentem Bragius animadvertit, ad Reginam acceſſit, remotoqve operculo, ſub qvo delituit, carmen in hunc modum cecinit. *Duos, qvi adſunt, pueros qvandoqve generis rationem reddituros ſpero: Hamundum nempe & Geirmundum, Hioris ſobolem; Leiſum autem tertium, Lodhoddi filium, tu, mulier, nunqvam peperiſti.* Qva conjectura territa, mox Leiſo permutatos, patri redeunti culpam confeſſa, exhibuit; qvi tales Helis, ſeu Proſerpinæ, cutes, (furvas intellexit,) nunqvam ſibi antea viſas, ut abduceret, præcepit. Exinde pueris Heliarskinnorum, ſeu furvorum coriorum, cognomen remanſit: qvi deinde cum ætate, Leiſo in dies deficiente, corpore ingenioqve profecerunt. Geirmundus Regi patri, Rex ipſe, in partem Rogiæ ſucceſſit, (alii codices Hördiam habent) qvam qvo minus univerſam tenuerit, Sulkius obſtat, qvi eodem tempore Rogiæ Rex fuit. Verum piraticâ per occidentales inſulas complures annos exercitâ, im̃enſas opes tanta deinde gloria cumulavit, ut omnium ſui temporis Norvegorum, qvi occidentem infeſtârunt, famigeratiſſimus haberetur, atqve adeo, ut ad eum cetera latrocinantium turba cum ducibus certatim conflueret. Poſt pugnam Hafursfiordenſem prædis externis intentum, cum Aunundus Lignipes Thrandusqve accederent, operamqve ſuam ad impugnandum Pulchricomum, patrimonium ipſius cum reliqvo Norico territorio inter cetera ſpolia tenentem, offerrent, ducemqve eligerent, ad ſingulorum injurias com̃uni opera vindicandas, reſpondit. *Temerarium eſſe, Regem jam, poſt univerſos domitos, regnumqve totum cum ſingulorum patrimoniis in ſuam poteſtatem redactum, tantis incrementis auctum, divitiis ſupra modum, potentiâ ſupra æmulationem, provectum, invictumqve factum, cum paucorum auxiliis, affectis rebus, aggredi: cui univerſi, integris viribus, licet prope totius Regni pubis confluxu ſuccincti, impares fuiſſent; neqve ſe Haraldo ſervum, nec ſupplicem futurum, nec gratis ab eo obtenturum, aut adulatione eblanditurum, qvæ ipſo jure ſua eſſent, aliam ſe fortunæ materiam qvæſiturum.* His dimiſſi ab eo diſcedebant; verum is poſt aliqvot annorum ſpatium, jam ætate provectior, ad Islandiam inhabitandam animum convertit. *Sturlungorum hiſtoria*, partam cum fratre prædam, cum piraticam reſignarent, viginti libras, forte talenta, argenti, duas auri, ſingulis obveniſſe tradit; exinde Norvegiam reverſos, ſed Haraldo Regi ſuſpectos, Islandiam petiviſſe. Ibi præter partem Medalſtrandenſem, inter fluvium Fabeinsa & Klofaſteinas, occupavit. Geirmundus im̃enſum tractum inter Rytagnupum ad occidentale Horn, & Straumneſiam orientem verſus, qvæ pars ſita eſt in occidentali inſulæ qvadrante, magnamqve ejus partem conficit, occupavit, prædiumq; Geirmundarſtadas a ſe denominatum inſedit; qvatuor præterea villis, longiſſime diſſitis, ad familiam ſuſtentandam uſus, qvibus villicos præfecit, & uni ex his ſervum, nomine Atlium, cui duodecim ſervos parere juſſit, de qvo ſupra. Octoginta namqve liberis armisqve idoneis hominibus domi foriſqve ſtipatus eſt. Hic omnium Islandorum nobiliſſimus perhibetur, qvippe Rege patre Regibusqve longa avorum à Nore usqve haud interrupta ſerie ſatus, ipſe etiam tanti faſtigii particeps. Verum qvantumvis opibus & authoritate polleret, tanti tamen erant permulti indigenarum, ut illi non concederent, nedum imperium in ſe permitterent.

Ego qvidem Thorsteini Rufi liberos nobilitate ipsi haud inferiores censeo; qvorum pater longè latiori ditioni in Scotia Hæbudisqve, ut credere par est, præfuit, qvàm ullus unqvam majorum Geirmundi, nedum ipse, angustis cancellis, vix qvadrante præfecturæ, qvales hodie sunt, circumscriptus; qvamvis possessio illa Thorsteino haud diuturna fuerit, qvin & ipse Regis filius fuerit, Regia prosapia oriundus, ut genus ejus, qvod exposuimus, indicat. Id, credo, movit scriptores patrios, qvi summam ei nobilitatem adscripserunt, qvòd Rex fuerit, cum illic sedes fixerit, nec alium ullum Regem Islandia, præter Hrærecum Cæcum, sed dignitate oculisqve orbatum, deportatum in exilium viderit. Fuit tamen Thorsteini Rufi mater, Audur Prædives dicta, etiam Regina, licet non Regum satu, Regio tamen Hiberniæ partis Dubliniqve Regis, conjugio satis illustris. Geirmundus in Islandia satis humanus vixit, & qvatuor liberos Islandiæ cives reliqvit; thesaurum vero ingentem puteo Andarkeldæ, suas vero reliqvias tumulo, in prædio Geirmundarstadis excitato, naviculæ impositas legavit: Uxores duas habuit, primam Herridem Gauti filiam, Gautrici Aursi neptem, ex hac filiam genuit, nomine Yrem, Secundam Thorkatlam, filiam Ofeigi, Thorolfi filii, ex qva filium Aurnem, Gerridem filiam, tertiamqve prolem, cujus nomen situ obductum in membranis legi neqvit. *Sturlungorum historia* Arndisem appellat, uxorem Hirningi, Steinolfi Lagii, seu Parvi, ex filia Helga neptem. Hujus frater Hamundus, etiam Heliarskinn dictus, partem aqvilonaris Islandiæ tractus Eyafiordensis insedit, nomine Galmastrandum, inter Svarfadardalum & Haukadalum, prædiumqve Hamundarstadas incoluit. Helgium Macrum in Islandiam secutus est, duxitqve filiam ejus, nomine Ingunam, eiqve vicinus habitavit. Hic licet Regis filius fuerit, non tamen Rex perinde atqve frater fuisse legitur.

Aurn Geirmundi Furvæ cutis consangvineus, vir sane eximius, grassanti in Norvegia Pulchricomo cessit, ex Rogia in Islandiam occidentalem, occupato sinu Arnarfiordo, provectus consedit in Tialdanesia (forte ab avicula qvadam marina tialdur vocatâ) idqve potissimum ideo, qvia in ipsa bruma & solstitio hyemali radiis solaribus, montium cacumina non destituentibus, delectaretur.

E Stafangria, id temporis oppido in Rogia parteqve Jadriæ sito, duo profecti, vicinos ibi tractus insederunt. Primus fuit Finnus Opulentus; de qvo in Augvaldo Rogiæ Regulo facta est mentio, Haldoris filius, Högnii nepos. Occupavit in australi Islandiæ qvadrante, Hvalfiardarstrend dictâ, spatium inter fluvios Laxa & Kalmanza / inhabitavitqve prædium Midfell. Thorvorem Thorbiorni de Mosfelle filiam uxorem duxit. Inde Brandus Episcopus Holensis, supra nominatus, linea descendente sextus, per patrem Sæmundum, aviam paternam Gudrunam, proaviam paternam Thorunam, abavum paternum Holmsteinum, aliis Josteinum, atavum Thorgeirem, hujus Finni tritavi sui filium, ortus est.

Alter fuit Ormus, a prædio Höfn, qvod in Islandia incoluit, ubi etiam situs est, Hafnar-Ormus dictus, tractum circa prædium pastorale Melas (ubi nuper frater meus carissimus, Dominus Sigurdus Torfæus, & post eum sororius, Dominus Helgius Jonas, pastorali officio functi sunt) usqve ad Andakilem spatiosissimum qvidem ocupavit. Filius ejus fuit Thorgeir Höggvinkinnius, seu fissæ genæ, eo qvod, dum satelles esset Haconis Adalsteini alumni, in prælio Fitensi magnum vulnus genâ excepit, majoris tamen virtutis laude, qvàm formæ detrimento.

Aunundus Lignipes, cujus mentio infra altiùs repetenda, etiam ex Rogia

Rogia in Islandiam profectus est, cujus ductum auspiciaqve secutus Kolbeinus qvidam Rogensis, infra qvoqve inter Qvinisdalenses memorandus, coloniam illúc transtulit.

Thorer Grimi Grafeldar-Mulii filius, ex Rogia Norvegiæ oriundus, agrum circa Liosavatns-Skard occupavit.

Flokius Vilgerdis filius, Islandiæ tertius inventor, ultimusqve eponymus, postqvam Ingolfus insulam inhabitare cæpit, borealis Islandiæ partem, de suo nomine Flokadalum dictam, inter amnem Flokadalensem & Reykiarhol, occupavit, prædium Mojum incoluit, posterosqve multos reliqvit. Hunc *Arngrimus Speciminis Islandiæ parte boreali Sect. XLV. pag. 63.* diversum facit ab illo Islandiæ eponymo, eodem tamen avo materno satũ confitetur.

Audulfus de Jadria Rogiæ provincia profectus, Hörgardalum borealis Islandiæ qvadrantis partem occupavit, inter amnes Tvera & Bœisa interjectam, incoluitqve prædium Bœisa australius: uxorem duxit Thorhildem, Helgii Macri filiam. Ab his Gissur, primus in Islandia Comes, ab Hacone Haconis filio, Sverreris nepote, creatus, anno Christi MCCLVIII, gradu nono descendit, per patrem Thorvaldum, avum Gissurem, proavum Hallum, abaviam Jorunam, atavum Einarem, tritavum Halldorem, tritavi patrem Thoroddum Hialmum; cujus uxor Ingveldis Audulfi & Thorhildis filia. Atqve ita Comes ille paternum qvidem, qvod & præcipuum, genus ê Jadria, partem etiam generis ê Gautia, Daniâ tamen ortam, partem magnam ê Sognia, Hæbudis, & Hibernia, ducit. Nec mihi ex Rogia plures suppetunt. seqvuntur ergo Agdenses.

CAP. XV.

DE COLONIIS AGDENSIBUS.

THrandus Eyvindi Austmanni frater, in Agdia Lystriæ parte Qvinisdalo natus, consensu fratris universæ paternæ hæreditatis successor destinatus est. Contigit autem, ut moriente patre, cùm in occidentalibus insulis peregrè abesset, Grimus baro, is qvi hospitiô suô Biörno Thrandi patri prius insidiatus est, jam universam hæreditatem fisco Regio asscriberet, hærede peregrino, ut incapace, excluso. Verum avus ejus Aundoddus Krakus præfecto Regio eâ cedere nolens, tamdiu eam detinuit, donec nepos ejus Thrandus, prodigiosa navigatione ab Hæbudis, comite Aunundo Lignipede, in Norvegiam, nulló adventum ejus præcipiente, delatus esset. Inde strenuè Navigantis cognomen retulit. Aundoddus non ereptam sibi hæreditatem gavisus, longe convenientius affirmavit, ut ille, qvàm servi Regii, paternam hæreditatem cerneret. Verum abitum ei maturandum monuit, qvô incolumis cum universa familia substantiaqve integra evaderet; periculum namqve a præfecto, eo dilapso, etiam sibi certum iminere, qvod sibi potius deposceret. Thrandus Islandiam petere certus, Aunundum Lignipedem cognatos invisurum, apudqve eos paulisper, licet occultè, qvòd Regis se hostibus junxisset, moraturum, ut matri cognatisqve opem ferret, petivit, ad qvos ultionem redundaturam haud obscurè colligebat. Ipse in Islandiam advectus, prædium Thrandarholt in australi Islandiæ plaga præfecturæ Arnesensis in provincia Hreppis incoluit.

Aunundus Lignipes in Rogiam profectus, amicis salutatis, apud Kolbeinum qvendam delituit. Cognito autem qvòd latifundiis suis fisco adjudicatis Rex Harecum, villicorum suorum unum (armann vocant) præfecerit, eum de nocte adortus, extractum domo obtruncavit, raptisq;, qvantis auferre poterat, spoliis, incensa villa discessit. Varias diversis locis moras ad id tempus nexerat. Hac eadem hyeme Grimus Comes Aundoddum, iminente festo Jolensi, dum ad cerevisiam coqvendam ligna intra sylvam cæderet, Regia potentia fretus, cum tribus comitibus occidit. Filii ejus Signya nati, patri superstites, Asmundus & Asgrimus, adolescentes haud mediocris spei, fuerunt. Hæc virilis animi consiliiqve fæmina, nocte diem, qvo maritus sublatus est, inseqvente, statim in longam navim supellectilem domesticam mobiliaqve omnia congeri curavit, domesticisqve familiaribus ad remigandi ministerium lectis, versus orientem cursum direxit. Persecutionem autem præfecti metuens, ne vindices cædis paternæ filios, qvos unice peti cognovit, oppirmeret, in Soknadalum ad nutritium suum Hedinum ablegavit. Grimus eam ad orientale Lidandisnesiæ, seu vergentis promontorii (Lindisnes) latus nactus, nave diligenter excussa, cum filios nusqvam reperisset, dimisit. Qvos comite Steinare qvodam ad nutritium maternum delatos Grimus olfaciens, in Soknadalum persecutus, in filium Hedini Aurnolfum intra sylvam constitutum incidebat, qvi amentia simulata, qvasi morbo Regiô correptus, ilico corruit, qvòd orphanos prodere nollet: â qvo delusus, alium ejus filium Ulfum pastorem gregis offendit, qvi pretio proditionis, semisse argenti, accepto, pecuniam patri & adventum persecutorum simul retulit, nec iterum ad illum rediit. Delusum se Grimus ut denuò cognovit, viribus diffisus, non ausus est Hedinum adoriri: itaqve re infecta domum rediit. Adolescentes in specu subterraneo paulisper delituerunt: inde nullo conscio elapsi per noctem errabant, de situ maris, & a qvo latere jaceret, incerti. Ussit præterea discalceatos intensum gelu. Tandem ad domum ignotam cum ventum esset, prior Asmundus, an agnosceret? qværivit; qvo negante: Conclamatum est, inqvit, novi enim paternam domum nuper structam, nam juxta mare sita, non procul ab Ingialdi Fidi villa, distabat, cui vicinum baronis Grimi prædium erat. Atqve ita in persecutoris sui manus incidisse sibi visi, ad Ingialdum Fidum fratrem ejus deflexerunt; â qvo, intercessione uxoris Gydæ, amicitiam cum patre eorum Aundoddo recolente, maritoqve suggerente, benignè excepti sunt, illo ipso vespere, qvi festum Jolense præcesserat. Ibi hyems assumptis peregrinis nominibus exacta. Qvâ elapsa, Aunundus Lignipes ad Signyam uxorem Aundoddi, adhuc in Adgis degentem (incolumem namqve eam Grimus, adolescentibus non repertis, dimisisse videtur, nec illa ad patrem in Vikam propositũ iter postea prosecuta) profectus, qvam suam potissimum operam deposceret, qværivit. Illa vindictam mariti de Grimo sumendam poposcit. Occultis itaqve nuntiis Aundoddi filii acciti, mox conjuratio inita, subornatiqve exploratores. Hac æstate Grimus splendidum convivium Comiti Regio Auduni apparabat. Verum eadem nocte, qva cerevisiæ coqvendæ operabantur, Aunundus cum fratribus Asmundo & Asgrimo, Grimum cum triginta circiter familiaribus, admotis domo facibus, incenderunt, rebus, qvas avehere poterant, pretiosissimis direptis. Aunundus in proximam sylvam se recepit. Aundoddi filii, arrepta Ingialdi Fidi hospitis sui scaphâ, ad insulam in sinu Hvinensi inde ad eum concesserunt, remqve, ut gesta est, enarrârunt. Is ob cædem fratris valde iratus, domo protinus excedere,

re, nec exinde in conſpectum ſuum redire, juſſit: prætulit tamen hoſpitii fidem, qvam a fratre ſuo Grimo in ſororium illorum Biornum turpiter violatam ſemper deteſtatus eſt, fraternæ vindictæ, qvam patris eorum innocentis, amici etiam ſui, injuſta nece juſtiſſime provocatam novit. Illi propria ſcapha inde diſcedentes, prope prædium Grimi delituerunt. Comes Audun ad convivium præſtituto tempore veniens, necem præfecti ægrè tulit. Manu itaqve haud mediocri collecta, aliqvot dies ibi transegit, domumqve, qvæ reſtabat, ſolitariam incoluit, excubitoribus duobus, ſingulis noctibus ſeptus. Aunundus autem Lignipes intra ſilvam imminentem villæ cum magna manu deliteſcens, de ſingulis, qvæ gerebantur, per exploratores certior, miſſo ad fratres nuncio, ut adeſſent, mandavit: qvi prius in via inciderunt in qvosdam ſocios itineris Audunis Comitis, ex qvibus de adventu ejus certiores facti ſunt, videruntqve lembum ejus velamentis obductum, ante prædium ad anchoram ſtantem. Ibi Comitis domeſtici familiares noctem tranſegerunt. Cognito conclavi Comitis, Aunundus iis Comitis aggrediendi, vel auxiliantium irruptionis avertendæ, optionem fecit. Cumqve Comitem iis aggredi placuiſſet, effractis foribus, Asmundus utrumqve excubitorem humi ad necem usqve ſtratum detinuit, dum Asgrimus Comitem accedens, multam & ſatisfactionem ob necem patris ſui, conſilio & opera ipſius a Grimo interempti, exigebat. Comes non in præſens, hoc præſertim ſtatu, ſibi tantum ſuppetere reſpondit, qvo multam lueret. Haſtâ igitur pectori ejus admotâ, transfixurum ſe minatus eſt, ni ſolveret ſtatim. Monile itaqve collo ſuo detractum, tres inſuper annulos aureos, & pallium generis pretioſiſſimi, reddidit. Asgrimus conceſſam vitam ignominiâ notabiliorem redditurus, impoſitô probroſo cognomine, qvo illum Audunem Geit/ ſive Capram, immodici metus perpetuô monumentô, inſignivit. Ut vero indicium tumultus exaudiri cæpit, concurſus colonorum militumqve Comitis freqvens, fortiter ab Aunundo, multa eorum ſatellitumqve Comitis ſtrage, exceptus eſt. Qvi ut Comiti parcitum novit, valde eos incuſavit, nam cæde ejus aliqvalem ultionem de Rege ob bonorum invaſionem ſumptam cenſuit. Illi turpius illum vitam in poſterum hac ignominia affectum traducturum, qvàm moriturum, reſponderunt. Verum impetum confluentium non ſuſtinentes Aundoddi filii, ſcaphâ in fugæ ſubſidium ſumptâ, oras ſinûs legerunt, pallio in vortice relicto, ad perſeqventes, qvos evaſuros ſe vix crediderunt, decipiendos, qvod & illis ſaluti fuit. Nam abſorptos gurgite credentes, omiſſa ulteriore perſecutione ad Comitem redierunt. Illi vero ad Surnadalum, hodie Syrdalen/ (*editio Landnamæ Skalholtina* perperam habet Svinadalum) ad præfectum provinciæ Eiricum Aulfuſum, qvòd convivia liberaliter celebraret, ita dictum, pervenerunt, ibiqve remanſerunt; Aunundo Lignipede eò deinde accito. Alter loci illius præfectus, nomine Hallſteinus Heſtur/ ſeu Eqvus, ibi habitabat, forſitan aliûs provinciæ præfectus, nam ne Syrdalus qvidem vel præfecturæ exigua pars eſt, fors etiam Lendur madur non ubiqve præfectum, ſed dignitatem interdum absqve officio, denotat, cujus generis hunc fuiſſe crediderim; tametſi præfecturæ illo tempore exiguæ fuerint. Hi præfecti intra feſtum Jolenſe mutuo & per vices ſe invitârunt. Prior Eiricus Aulfuſus Hallſteinum liberaliter excepit, Hallſteinus poſterior Eiricum parcè & ſordidè. Ad ultimum corneo ſcypho diſceſſurum pulſabat; id qvod Aundoddi filii admodum ægrè tulerunt. Eirico domum reverſo, Asgrimus Hallſteino grave vulnus inflixit, citatoqve gradu in ſylvam ſe recepit. Verum adeo veſtigia ejus perſecutores

tores presserunt, ut fluvium, frigore maximè sæviente, tranare necessarium esset, domesticis famulis interea jaculîs haud exigua vulnera infligentibus. Saucius ad anum qvandam, intra sylvam tuguriolum inhabitantem, pervenit: qvæ vitulo mactato, intestina sangvinolenta eruit, præstigiisqve adhibitis, perseqventibus pro Asgrimi intestinis venditavit. Qvi redeuntes, non ex conjectura, ut Comitis satellites, sed visum sibi Asgrimum, erutis intestinis in tuguriolo mortuum, retulerunt. Exinde anus eum nemine conscio sanavit. Verùm cum fama mortis ejus ubiqve percrebruit, frater Asmundus & Aunundus mortuum rati, proxima æstate in Islandiam concesserunt, Helgiiqve Macri dono tractum borealis Islandiæ Krækling ahlid assecutus est Asmundus, prius ab eo occupatum. Aunundus autem Lignipes in occidentalem insulæ partem appulit, occupavitqve tractum, interOfæram & Kaldbakskleifem, tribus finibus, Birgirsvika, Kolbeinsvika, & Kalldbaksvika intercisum, partim prius vacuum, partim ab Eirico Snara occupatum, sibiqve gratis permissum, inseditqve prædium Kaltbak. Kolbeinus autem, apud qvem in Rogia delituit, ipsius ductum auspiciaqve in Islandiam secutus, Kolbeinsvikam de nomine suo dictam incoluit. Ex Rogia itaqve coloniam Aunundus in hunc Islandiæ tractum transtulit; unde ipse etiam oriundus erat, partimqve ex Hordia fuit. Fertur autem omnium Islandorum, altero pede mutilatorum, fortissimus & agilitate præcipuus, qvi unqvam fuerunt. Erat & prudentiâ insignis, & in rebus gerendis solertiâ magna præditus; id qvod in conflictu qvodam adversus piratas Hæbudenses duos, Vigbiodum & Vestmannum, satis declaravit. Isti tredecim navibus Hiberniam infestare solebant, qvoad Eyvindus Austmannus classi Regiæ præfectus eos cohiberet. Inde in Hæbudas se contulerunt, Scotisqve ingentia damna intulerunt. Adversus hos Thrandus Eyvindi frater & Aunundus, sex tantùm navibus instructi, processerunt. Qvibus nomina ducum qværentibus, respondit Thrandus: *Thrandum se esse, Eyvindi Austmanni fratrem, cujus metu Hiberniam reliqverint: alterum vero Aunundum Lignipedem.* Qvo audito ridentes, Vigbiodus hunc versum fudit. *Lignipedem Trölli teneant, vestra omnia Trolli; neqve enim illos homines pugnæ aptos judicamus, qvi propria ope destituti, aliorum indigent.* Aunundus exitum id demum probaturum respondit. Arctæ erant fauces sinûs, qvas navibus suis Thrandus Aunundusqve occupârunt, ne circumveniri a multitudine possent. Atrox inde orta est pugna, qva maxime fervente navem suam ad rupem proximam Aunundus subduxit. Ibi enim milites subornaverat. Piratæ fugam moliri rati, eò illum persecuti sunt. at qvi supra erant, ingentis molis saxa in eos devolvebant, lapidibusqve subeuntes hostes obruebant; qvi recessuri, ab circumjacentibus navibus velut obsessi tenebantur, qvo ancipiti prælio circumventi necessitatem pugnandi virtute sustinuerunt. Verùm Aunundus occasionem profligandi hostis haud negligens, ut partem magnam collapsam, aliam etiam armis inutilem, vidit, in navem Vigbiodi cum sociis nauticis insiluit. Inde pugna magis exarsit, Vigbiodo athletas suos in eos concitante: qvi irruentium impetum vel sustinuerunt, vel magnam partem represserunt, Thrando cum Vestmanno manus exiguo successu conferente. Aunundus, ut Vigbiodum ad se magno impetu tendentem conspexit, suos ad spectaculum tantùm pugnæ hortatus est, qvi truncum qvendam genui ejus subjecerunt. Vigbiodus dum Aunundum peteret, uno ictu clypeo diffisso, gladium trunco impactum infixit; qvem dum incurvus educere niteretur, brachio humero tenus ab Aunundo truncatur: qvo vulnere accepto corruit. Videns autem Vest-

Veſtmannus ſocii cladem, in extremam navium ſuarum confugit. Inde prædâ omni navibusqve hoſtibus cedens, pugnâ, ſalutem in maximo lucro ponens, exceſſit. Cum autem prædam colligerent, Vigbiodum moribundum conſpexit, metricè eum allocutus. *Sangvinem*, inqvit, *e vulnere tuo latè manantem conſpicis; me vero terga dantem non item. Qvin & tu bipes haud poteris gloriari de unico vulnere, mihi, pede licet altero truncato, inflictô.* Inde prædâ ingenti parta, ad Eyvindum Auſtmannum conceſſerunt: qvi fratre Thrando qvàm amantiſſimè excepto (tum enim primùm illum, idqve ante communis parentis exceſſum, acceſſit) Aunundum autem parum aberat qvin occideret, qvòd ſocero ſuo, Hiberniæ Regi Chiarvali, in conflictu qvodam magnum qvondam damnum intuliſſet, navibusq; qvatuor cum præda exutum, unica tantum ſuperſtite, fuga ſibi conſulere compuliſſet, neqve culpam, fratre qvantumvis deprecante, remittere ſuſtinuit, qvoad Thrandus commune ſibi periculum exitumqve cum eo futurum asſereret. Qva neceſſitate compulſus Eyvindus, non incolumem modò dimiſit, ſed in ſocietatem piraticæ expeditionis, per proximam æſtatem, una cum fratre ſuo, amicitiamqve recepit, obqve operam ſtrenuè navatam magno in honore habuit. Duas duxit uxores, primam Æſam, Ofeigi Gretteris filiam, Einaris neptem, Aulveris Barnakalli proneptem, ex qva filios duos progenuit, priorem Ofeigum, itidem Gretterem, materni avi nomen gerentem; alternm Thorgeirem. Alteram (uxorem) Thordiſem, filiam Thorgrimi de prædio Nupo, in provincia borealis Islandiæ Midfiordo ſito, primario viro Skeggio Midfiordino cognatam. Inde filius Thorgrimus natus eſt, vir magnus, qvi a canis in capite annum viceſimum qvintum agentis viſis, Hærukollur (Canus) dictus eſt, poſtea vero a caſu qvodam Floskubatur, qvod ampullatum dorſum denotat; nam ictû ei qvidam ex inſidiis a tergo intendens, ampullam, qvam geſſit, collineavit. Hic poſtea in provinciam Midfiordum ſedem tranſtulit, ubi numeroſa familia ex eo orta eſt. Filius ei ex uxore Thordiſe, Asmundi illius filia, qvi primus provinciam Thingeyrenſem, a celebri cænobio poſtea hodieqve memorabilem, occupavit, Asmundus, a præmaturis canis Hærulangus dictus, qvi vir magni nominis poſtea factus, ex Vika Norvegiæ Thorſteini cujusdam, viri primarii, a baronibus oriundi, ſororem Ranveigem primò uxorem duxit: ex qva filius Thorſteinus Dromundus, civis Tunsbergenſis, natus eſt. Qvâ mortuâ, in patriam rediit, duxitqve uxorem Alfdiſem, Bardi filiam, Jökulis neptem, Ingimundi Senis, Curionis Vatzdælenſis (de qvo antea) proneptem, Thorſteini abneptem, Ketillis Raumi atneptem. Educabat hanc cognatus ejus Thorkell Krafla de Hofio, provinciæ Vatzdælenſis flamen, ſacris obeundis litibusqve dirimendis judex, ſeu curio. Inde natus geſtorum fama celeberrimus Gretter, cognomen proavi materni Ofeigi Gretteris pro proprio nomine ſortitus. Asdis enim mater hujus ex filia ejus Alfdiſe nata eſt. De his Asmundi filiis locis appoſitis plura dicenda ſunt. Atqve ita colonia hæc per has occidentales & Septentrionales Islandiæ partes, qvas memoravi, primùm ſparſa eſt. Uxor autem Aunundi Thordis nupſit deinde Auduni Skökuli, provinciæ Videdalenſis præſidi, unde Asgeir de prædio Asgeirsa natus eſt, cognomine Ædikollur / Thoram etiam filiam hac matre natam conſentaneum eſt, cum Skökull aliam uxorem duxiſſe nusqvam legatur: pro certo tamen aſſerere neqveo. Asgrimus autem Aundoddi filius, qvi in ſylva apud anum, jam diu vulneribus ſaucius, latitavit, ubi ſanitati reſtitutus fuit, ad Eiricum Aulfuſum rediit. Hallſteinus autem Heſtus adulta æſtate ex vul-

nere deceſſit. Eiricus navem longam triginta loculorum Asgrimo donavit, qvi diu piraticæ indulgens, ad ultimum in Islandiam conceſſit. Subornavit autem Haraldus Pulchricomus Thorgeirem, Grimi præfecti Hvinenſis ſororis filium, duabus navibus inſtructum, ad eum perſeqvendum, vitaqve privandum. Verùm cum illum nuſpiam comprehenderet, ultionem in fratrem Asmundum verſurus in Islandiam navigavit, manſitqve in Hvinveriadalo in boreali Islandia proxima hyeme. Verum eadem æſtate Asgrimus ad auſtralem Islandiam appulit. Partem in eadem nave habebat Thorer Keilismulius dictus; verùm interveniente diſſidio Asgrimus partem ejus pretio redemit. Keilismulius in borealem inſulæ partem profectus eſt, cum ſociorum nauticorum ſemiſſe: erant enim univerſi duodecim. Divertit in Hvinveriadalo, nunciavitqve, Asgrimum in Islandiam appuliſſe. Elapſis ab abitu ejus diebus qvatuordecim, Asgrimus eadem via profectus, ad Thrandum Miogſiglanda Thrandarholti, ſororis ſuæ filium, divertit, duxitqve duodecim eqvos onuſtos, totidemqve comites. Is avunculum cum univerſo comitatu ad hyemem apud ſe tranſigendam invitavit, periculoſum tranſitum, obſidente Thorgeire, futurum fruſtra ſuggerens. Cum ad deſerta Kiölenſia ventum eſſet, comites loricas ſub extrema veſte tectas induere jusſit, ſeqve, ſi Thorgeir occurreret, Thorerem Keilismulium profiteri, Asgrimum autem eum fuiſſe, qvi dudum tranſiverit. Et procesſit qvidem dolus tam lepidè, ut ad hoſtem biduum inſuper diverterent, hoſpitaliter excepti: qvi tamen triginta armatos circa ſe habebat. Illos diſcedentes ipſe, eqvo inſidens, aliqvod ſpatium honoris cauſa domo deduxit; rediensqve, repetente ſomno oppreſſus, vidit fœminam qvandam, ſibi, qvinam hoſpites fuiſſent, ſuggerentem. Excitus itaqve eos cum univerſa cohorte perſecutus eſt. Qvod ut Asgrimus vidit, in tumulo auſtraliori Vækiliano eos expectavit. Eodem fere momento Asmundus Asgrimi frater obviam fratri, qvem adventare cognovit, profectus occurrit, qvadraginta comitibus inſtructus: qvi, licet jam viribus, causâ etiam, longe ſuperior, qvòd Thorgeir non modò fratrem diu ad necem qvæſiviſſet, ſed defectu occaſionis ad ſe occidendum in Islandiam usqve trajeciſſet; humanitate tamen qvàm ſeveritate uti maluit; interceſſioneqve ſua utrosqve reconciliavit, illatamqve injuriam non modò remiſit, ſed hoſtem amicitiæ fædere ſibi junxit. Ab his Hvinveriadalo nomen hodieqve remanet, qvòd hi omnes ê provincia Hvinenſi, ſeu Qvinenſi, Qvinisdalo oriundi eſſent. Fratres deinde ad Asmundum tutò profecti ſunt.

Paucis poſt annis Asgrimus in Norvegiam ad Surnadalum ad Eiricum Aulfuſum, veterem amicum & hoſpitem, profectus, filiam ejus Geirridem uxorem duxit. Deinde in Islandiam rediens, ab Helgio Macro dimidium tractum Kræklingahlidem, antea occupatum, dono obtinuit. Tota illa provincia inter illos æqvo jure diviſa, ab illis nomen ſortita eſt. Kræklingi enim, ſeu Krakides, a patris Aundoddi cognomine, nempe Kraki, dicti ſunt. Hlid / vel ſine aſpiratione Lid / *acclivitatem loci* denotat. Prædia illis nomine qvidem communi Glera, ſitu tantùm diſcreta fuerunt: auſtrale Asmundus, reliqvum Asgrimus, incoluit. Atqve ita Qvinisdalenſis colonia eò conceſſit.

Steinolfus Lagius, ſeu Parvus, Hrolfi præfecti filius, ex Agdis in occidentalem qvadrantem profectus, tractum inter Klofarſteina & Grtotvallar Mula occupavit, ſeditqve in præſidio Steinolfshialla, in valle Fagradalo; ubi e monte propinqvo ſpatioſam vallem arboribus conſitam, ex una parte planam patentemqve, procedentem vidit; ibi domum ædificavit, prædiumq; conſtituit, qvod poſtea Thorſneſia dictum eſt. Ey-

Eyvindus Kne/ seu genu, cum uxore sua Thuride Rungylta, ex Agdis in Islandiam profectus, Alptafiordum & Seidisfiordum occupavit, ibiqve habitavit.

Baudolfus' Grimi filius, Grimolfi de Agdia nepos, cum uxore Thoruna, Thorolfi Frodii filia, naufragium ad promontorium Thiornesiam aqvilonaris Islandiæ passus, Baudolfstadis prima hyeme habitavit, universumqve tractum Thorsnesensem, ad ostium amnis Tunga/ occupavit. Duxit deinde Thorbiorgem Holmasolem, Helgii Macri filiam. Eorum filia Thorgerdis erat, qvam Asmundus Aundoddi Kraki filius duxit. Eorum filius fuit Thorleifus, pater Thuridis, Valna-Lioti uxoris.

Skeggius Baudolfi filius tractum Kelldukverf occupavit, Miklagardumqve incoluit: filius illi Thorer, mercator insignis, qvi navem magnam in Sognia strui curavit; qvam Olafi Tryggvini, Norvegiæ Regis, Episcopus Sigurdus Dives consecravit, ipsumqve sacra lympha abluit. E parte materiæ postes facti, longo tempore præ Miklagardi foribus erecti, futuros ventos usqve ad tempora Episcopi Brandi præsagiverunt. Ormus fuit Thoreris filius, qvem Gretter Asmundinus occidisse falsò insimulabatur. Alter fuit An Aurnis pater, Ingibiorgis avus, Skumi proavus, Thorkillis Abbatis abavus. Keldugverft in boreali Islandiæ parte situm est.

Alfus Agdius metu Haraldi Pulchricomi in australem Islandiæ qvadrantem pervenit. Ostium amnis, ad qvod appulit, Alffos hodieq; vocatur. Tractum occupavit fluvio Varma contiguum, Gnupisqve habitavit.

Thorgrimus Grimolfi, ejus ex fratre filius, fuit ei migrationis socius, & postea hæres, qvòd sine liberis decederet. Thorgrimi filius fuit Eyvindus, Thoroddi curionis pater, Skaptii legislatoris avus. Alter Eyvindi filius fuit Auffur, qvi duxit Beram, Eigilis Skallagrimi filiam. Thorgrimi mater fuit Kormlod, Kiarvalis Hiberniæ Regis filia. A Thoroddo curione Haukus nomophylax (seu supremus judex) idemqve Polyhistor, cujus liber passim citatur, Erlendi nomophylacis filius, Valgerdis nepos, Ragnhildis pronepos, Börki abnepos, Grimi atnepos, Ingialdi trinepos, cujus pater erat Grimus Glaummudus ex matre Helga Thoroddi curionis filia, descendit. Totidemqve ex Agdia eò migrârunt.

CAP. XVI.

DE COLONIIS UPDALENSIUM.

BAlkius Blængi filius, Sötii de Sotanesia (nunc Sodenes) in Vicha nepos, qvi, qvòd in prælio Hafursfiordensi Regem impugnaverit, proscriptorum gregi adscriptus, omnem sinum Hrutafiordum, qvadrantium occidentalis & borealis confinium, occupavit, inhabitavitqve prædium Bœ. Ab illo Biörnus Hitdalorum Athleta pronepos descendit, per patrem Arngeirem, & avum Bessium.

Helgius Hrolfi de Gnupufellio filius, de Uplandis oriundus, ibiqve educatus, tractum Skutulsfiordensem occupavit, ut antea dictum est. Ejus filius Thorsteinus Infelix erat.

Brunius Albus, vir celebris, Hareki Uplandarum Comitis filius, proprio motu in Islandiam trajecit, tractumq; inter amnem Mosfadalsa & ostium Ulfdalos occupavit, Brunastadisqve habitavit. Ab illo Bardveriorum familia descendit.

Thorolfus & Olafus, Heriolfi Hornabrioti filii Reges Uplandarum, magno procul dubio librariorum errore, fuiſſe dicuntur; nam tempore Pulchricomi, cum Reges iſti numerantur, horum nulla fit mentio. Concordant tempora nomenqve parentis Hornabrioti: nec circumſtantiæ abnuunt, eos fuiſſe illius Heriolfi filios, qvi vexillifer Halfdani Nigri fuerat, obqve temerè in aula ipſius comiſſam cædem profugus, inqve aulam Regis Sveciæ receptus, ſorore Regis ſtuprata, in ſolitudine Heriolfsdalo poſtea dictâ toto vitæ tempore delituit, eamqve primus excoluit. Nihil enim obſtat, filiorum qvosdam ad Uplandas rediiſſe, poſſeſſionesqve paternas, qvæ in fiſcum redigi neqvibant, recepiſſe. Itaqve hos illius filios, nunqvam tamen Reges, fuiſſe ſtatuo. Apud hos Fleinus poëta Hiöris filius in Nordmæriæ inſula, Joſurheide dicta, non procul Borgunda, educatus, ubi & pater ejus habitabat, permanſit. Poſtea in Daniam ad Eyſteinum regulum profectus, in tanto honore, artis poëticæ beneficio, fuit, ut filiam ſuam uxorem ei elocaret. Nec plures ex Uplandis occurrunt.

CAP. XVII.

DE COLONIIS EX VESTFOLDIA ET THELAMARKIA.

EX Veſtfoldia[1] præter Sigmundum, Ingibiorgis Raudi, Ruggi de Naumdalo, filiæ maritum, neminem habeo. Is tractum inter amnes Griota & Deildar/ vallesqve Kolbeinsdal & Hialtadal/ occupavit, in boreali Islandiæ qvadrante. Ejus filius erat Kolbeinus.

Ulfus Gylder fuit præfectus opulentus in Thelamarchia, habitavitqve in prædio Staradal in pago Fiblavöllis. Ipſius filius fuit Aſgrimus, qvi ibi poſtea habitavit. Uxor ei Thorkatla, cognomine Hringia: liberi eorum Thorſteinus & Thorlaug. Ad Aſgrimum miſit Rex Haraldus cognatum ſuum Thorormum de Thruma Agdiæ inſula, ad reqvirendum cenſum, qvem Rex ei indixerat: Aſgrimus vero pendere recuſavit: prætendens; nunqvam antea ſolviſſe; miſiſſe autem nuper Regi eqvum Gauticum magnamqve argenti vim, cui doni, non item tributi, nomen imponi voluerit. Verùm Rex, remiſſis muneribus, tributum exegit. Alia vice, cum Thorormus tributum urgeret, Aſgrimus colonos ad publicum concilium vocavit, qværitqve a plebe, num tantum tributum penſura eſſet? qvæ eum ſua vice reſpondere juſſit; ſoluturam tamen negavit. Forum prope ſaltum celebrabatur. Inde ex improviſo Thorormi ſervus proſiliens Aſgrimum occidit, viciſſimqve a ruſticis occidebatur; Thorſteino filio in exteris interim militante. Is cum primùm natus eſſet, a patre exponi juſſus, dumqve ſervus ligonem acueret, qvo foſſam infanti defodiendo faceret, auditus eſt omnibus infans in pavimento jacens cantilenam modulari: qvam ad verbum hic expono. *Exhibite me matri; frigeo namqve in pavimento, ubi puer decentior, qvam ad paternum focum?* (alia exemplaria habent: in paternis ulnis; nam ørnum & aurmum Dativus pluralis, alter a Nominativo armur/ qvod *brachium* denotat; alter ab arn/ qvod *focum*) *fruſtra ferrum acuitis, vel ceſpitem decurtatis. Turpe opus abrumpite; nam adhuc inter homines vivam.* Deinde aqva perfuſus Thorſteini nomine inſignitus eſt. Hic, cognita patris cæde, poſſeſſiones argento permutavit,

vit, eqve portu Grænmare in Islandiam solvit. Verùm priùs Thorormum in insula Thruna habitantem cum universa domo ultricibus flammis exussit, omni suppellectile & qvibuscunqve pretiosis exspoliatis: atqve ita patrem ultus est, Thorgeire fratre, tum decenni, & Thoruna matertera secum sumptis, ex qva Thorunar-holsar/ seu *Thorunæ colles*, ubi ille habitavit, nomen sortiti sunt. Thorsteinus in ostium fluminis Ranga pervenit, & cum consensu Flosii tractum supra rivum Vikingslæk in australi qvadrante occupavit, incoluitqve prædium Eystra Skard dictum. Ejus tempore navis, morbis infecta epidemicis, in amnis Rangar ostium invecta est: nec erat, qvi nautas domo excipere, vel opem ferre, dignaretur. Omnium ope destitutos discessurosqve Thorsteinus insecutus est, tentoriisqve in planitie erectis eos excepit, omnibusqve, qvoad vixerunt, ipse famulatus est. Campi, qvi tentoria sustinebant, Tiald-vadir /, & ipse Tialdstædingur / cognomenta reportârunt. Qvi longissimè vitam prorogavit (omnes namqve mortui sunt) ingratonè animo, an in subsidium futuræ vitæ, aurum argentumqve defodit, nec indicium locus vel tempus illud deinceps prodidit. Genus satis amplum Thorsteinus reliqvit.

Thorgeir Thorsteini frater districtum Oddensem a Hrafno Hængio emit, cum maritima parte utraqve & Vermadalo, aliis Vatnadalo, & universa lingulâ inter Hrearslæk & Ranga prominentem. Is primùm prædium Oddam inhabitavit, duxitqve Thuridem Eylifi Juvenis dicti filiam. Eorum filia Helga nupsit Svarto Ulfi filio; qvorum filius erat Lodmundus, qvi & Oddam incoluit, pater Sigfusii pastoris, cujus filius erat Sæmundus ille polyhistor & pastor, qvi Eddam concinnavit. Totidem ex Vestfoldia & Thelamarchia colonias in Islandiam migrâsse repperi. Seqvuntur itaqve ê Haddingiadalo & Valdresia.

CAP. XVIII.

DE COLONIIS EX HADDINGIADALO ET VALDRESIA.

GRimus Ingialdi filius, Hroaldi de Haddingia nepos, dalo, Asi præfecti frater, Islandiam inqvisiturus, boream versus circumnavigans, in insula occidentalis qvadrantis, in sinu Steingrimsfiordo sita, hyemem transegit. Uxor ei Bergdis, & filius Thorer, qvem secum ad piscandum adolescentulum ducere solebat, frigentiqve follem è phocarum pellibus inducere, colloqve adstringere. Contigit autem ut tritonem extraheret. qvem ut Grimus, unicâ libertatis conditione proposita, si scilicet fata vitæqve spatium panderet, ad respondendum adegit: *Nullius vestrûm interest* (fuerunt autem reliqvi servi) *præter solius pueri, folliculo inclusi, fatorum seriem ritè exqvirere. Tu enim ante veris adventum morieris; filius autem tuus ibi locum habitationi deliget, ubi Skalm eqva tua impositum clitellis onus sustinens recumbet.* Nec plura verba ei exprimere valuit. Nec caruit eventu prodigium: nam ea ipsa hyeme mortalium numero exemptus Grimus tumulo ibi conditus est. Bergdis & Thorer imminente vere iter per intercedentia teſqva in sinum Breidafiördum facien-

tes, deinde per univerſam æſtatem eqvam onera ſuſtinentem duxerunt. Seqventem hyemem in tractu Breidafiordenſi tranſegerunt: locoqve ab eqva Skalmarneſiæ nomen inditum eſt. Seqventi æſtate inde, uſqve in tractum Borgarfiordum, tetenderunt; nec prius eqva onera geſtans recubuit, qvàm ad duo loca ſabuloſa rubicundaqve pervenit. Ibi Thorer prædio locum delegit, tractumqve haud mediorem inter amnes Gnupa & Kalda occupavit, prædiumqve Raudamel nominavit: fuitqve vir inter primarios proceresqve notabilis, Et jam ſenex erat, cum qvodam veſpere vidit virum magnum, torvo vultu, ſcaphâ ferreâ ab oſtio amnis Kalda remigantem, indeqve ad prædium vicinum, nomine Hrip/ procedentem, inſtrumentum foſſarium in loco mulgendis vaccis adſveto fodientem. Eadem nocte ignis ſubterraneus ê ſulphureis venis erumpens viciniam exuſſit. Inde Borgarhraun ſpatioſus tractus, combuſtis tantùm ſaxis conſtratus, invius emerſit, caſtelliqve formam locus ipſe prædii hodieqve exhibet. A pelle phocarum Selthorir deinde dictus eſt, numeroſamqve progeniem reliqvit. A palude, ubi eqva Skalm mortua eſt, putris foſſa nomen Skalmarkelda in hodiernum uſqve diem retinet.

Biörnus vir locuples ê Valdreſia in orientali qvadrante, inter amnes Kerlingara & Hafursa / tractum occupavit, Reiniſqve habitavit. Inimicitias cum Lodmundo Sene exercuit. Ab eo Divus Thorlakus ortum trahit. Tot reperi colonias ex auſtrali orientaliqve Norvegia in Islandiam tranſlatas. Seqvuntur ex boreali; qvas a Mærenſibus incipiens, boream verſus ordine exponam.

CAP. XIX.

DE COLONIIS MÆRENSIBUS SUNN-MÆRIÆ ET NORD-MÆRIÆ.

IOrundus, cognomento Hals, Thoreris Taciti, Mæriæ Comitis, filius, ex pellice natus, cujus ſororem Vigdiſem Ingimundus Vatzdælenſium in Islandia curio in matrimonio habuit, in Islandiam conceſſit, tractumqve borealis inſulæ qvadrantis, inter lacum Urdarvatn & rivum Mogilslæk/ occupavit, electo prædii loco, qvod Grund appellabat, ſub monte Jorundarfell ab ipſius nomine ita dicto. Ejus filius fuit Mar, qvi prædium Marſtadas primus inhabitavit.

Sæmundus Sudreyski dictus, qvòd in Hæbudis aliqvantiſper vixerit, natione tamen Norvegus, occupavit totam Sæmundar-Hlidam, ſupra rivum Sæmundar Læk/ hodie Sæmundara / cum jam antea appuliſſet in Gonguskardzaros. Ejus mentio in *vita Ingimundi*, *Vatzdælenſium curionis*, altiùs repetita eſt.

Hromundus Sæmundi Hæbudenſis frater, cujus & in Ingimundo facta eſt mentio, in oſtio Albis appellens, Thverarhlidem & Thverardalum occupavit, prædiumqve Hromundarſtadas, hodie Kallzbreckas, inhabitavit. Ejus filius Gunnlaugus Ormstunga (Angvilingvis) Gunnlaugſtadis reſedit.

Ex Sunn-Mæria Dirius, vir celebris, offenſô Pulchricomô, conſultore Rogn-

Rögnvaldo Mæriarum Comite, Dirafiordum, occidentalis qvadrantis partem, occupavit, incoluitqve prædium Holas.

Eysteinus Crassus ê Sunn-Mæria, tractum ad orientem versus Geirslandiam situm occupavit, filiusqve ejus fuit Thorsteinus de Keldugnupo.

Rolfus Hoggvandius in NordMæria habitavit, incoluitqve prædium, nomine Moldatun: filios habuit Vemundum & Moldagnupum, utrumq; pugilem, præliisqve & duellis deditum, professione autem fabros ferrarios. Vemundus qvondam, dum in officina ferraria fabricaret, versu, cujus hic est sensus, folles inflantem provocavit. *Solus undecim occidi. Acrius folles infla.* Gnupus ob commissas cædes in Islandiam migravit, tractumq; in orientali qvadrante, Alftaver dictum, cum insulis omnibus, captura cygnorum celebribus, occupavit; qvem ille posterioribus advenis iterum vendidit, factusqve est pagus populosus, donec ignis ex cavernis terræ erumpens eum vastavit. Fiebat tunc confluxus fugientium ad prædium Höfdabreckam, ubi tentoria erecta sunt in campo, qvi Tialdvellur vocatur.

Vemundus autem faber, Sigmundi Kleikis filius, eos ibi morari vetuit. Igitur in prædium Hrossagardum profecti, tabernas ibi per hyemem erexerunt. Inde dissidia turbæqve & cædes ortæ. Moldagnupus etiam cum duobus filiis occisus est. Biornus verò filius utrosqve ultus est. Proximo vere cum fratribus Biorno, Gnupo, Thorsteino, Thordo Leggialdio, in australis qvadrantis pagum Grindavikam concessit. Nocte qvadam per qvietem vidit monticolam, societatem bonorum sibi offerentem; cum qvo pacisci haud gravabatur. Exinde hircus inter caprarum gregem visus: secutaq; deinde tanta fætura, ut Biornus ab hircis Hafur Biorn nuncuparetur, & subitò amplitudine territorii opibusqve immodicis augeretur. Viderunt oculatiores ad forum procedentem Biornum genios terrestres, Thorsteinum vero & Thordum fratres ejus ad piscatum venatumqve comitari. Hafur-Biornus uxorem duxit Jorunam, Gnupi fratris sui privignam. Ingens inde progenies pullulavit.

Hrollaugus, Rögnvaldi Mæriarum Comitis filius, ex consilio Pulchricomi uxorem familiamq; in Islandiam transtulit. Ad orientalis qvadrantis promontorium Horn ut pervenit, postes pro more in mare projecit: qvi in Hornafiordum non procul inde delati sunt. Ipse tempestate in australem Islandiæ qvadrantis partem, nomine Leiruvog/ actus, hyemem ibi transegit. Ibi de postibus certior factus, versus orientem vela dedit, inseqventemqve hyemem sub monte Ingolfsfelle peregit. Inde in sinum Hornafiordensem delatus, maximam ejus partem inter promontorium Horn & fluvium Qvia occupavit; inseditqve primò in Skardbrecka, deinde Breidabolstadis in pago Fellshverfi. Fuit autem magnificus vir, coluitqve amicitiam Pulchricomi, licet nunqvam ad eum profectus sit: misitqve ad eum Rex munera, gladium, cornu potorium, aureumqve annulum, sex uncias pendentem. Gladium Kolus abnepos ejus gestare solebat: cornu Kolskeggus ille Doctus suo tempore viderat. Ab Hrollaugo numerosa prosapia profluxit, qvam per complures gradus expediemus. Primus illi filius Aussur Keilifelgus; secundus Hroaldus; tertius Aunundus, cujus progenies reticetur. Hroaldi filius fuit Ottar Hvalroa, neptis Gudlaug; proneptis Thorgerdis; abneptis Jarngerdis; atneptis Vilgerdis; trinepos Bodvar, pater Gudniæ, Sturlungorum matris. Aussur Keilifelgus ex uxore Groa, Thordi Illugii filia, progenuit Thordisem, Halli de Sida matrem, illius, qvi primus omnium in eo qvadrante Christo nomen dedit, qviqve inter cives suos & locupletissimus, & imperii amplitudine maximus, moderatione etiam,

am, & de omnibus bene merendi ſtudio, optimus meritò habitus eſt. Ex uxore Joreide Thidrandii filia filius Thorſteinus natus eſt; ex illo nepos Magnus; inde pronepos Einar; inde abnepos Magnus Epiſcopus ortus eſt. Thorſteini filia, Halli neptis, fuit Gudridis, mater Joreidis; cujus filius fuit Arius Polyhiſtor, natus anno Chriſti MLXVIII. Alter Halli filius fuit Eigill, pater Thorgerdis, matris Divi Jonis, Epiſcopi Holenſis. Tertius filius Halli fuit Thorvaldus; inde neptis Thordis; proneptis Joruna; abnepos Hallus paſtor: atnepos Giſſur; trinepos Magnus Epiſcopus. Horum ſingulorum Islandiæ Epiſcoporum æram ſuprà demonſtravi. Filia Halli fuit Ingveldis, mater Thoreya; cujus filius fuit Sæmundus ille Polyhiſtor, paſtor Oddenſis, natus anno Chriſti MLVI; filius ejus Loptus, paſtor item Oddenſis, cujus uxor Thora, Magni Nudipedis Norvegiæ Regis filia, filius eorum Jon, magnatum Islandiæ ſuo tempore celeberrimus. Hujus filii Sæmundus, Sigurdus, & Paulus epiſcopus Skalholtenſis, ordinatus ab Abſalone Archiepiſcopo Lundenſi, & Eirico Archiepiſcopo Nidaroſienſi, anno Chriſti MCXCIV. Alia Halli filia fuit Thordis, ex qva neptis Thuridis; pronepos Oſpakus, abnepos Sumarlidius; atneptis Thora; trinepos Divus Magnus Orcadum Comes, Martyrio coronatus anno Chriſti MCX, die XVI Aprilis; & trineptis Gunnhildis; cujus filius Divus Rognvaldus Kalius, etiam Comes Orcadum factus a Sigurdo Hieroſolymipeta Norvegiæ Rege, ad annum Chriſti MCXXIX, poſteà impiè cæſus MCLVIII. XX Auguſti.

Thordis, Einaris de Ceſpite, Orcadum Comitis, filia, ex concubina in juventute patris nata, apud avum Rögnvaldum Comitem in Mæriis educata, Thorgeiriq; Klauſio ab eo elocata, Einarem peperit: qvi adultus in Orcades ad agnatos ſuos inviſendos profectus, tanqvam alienigena a familia repulſus, ideo navem ſibi, ſocietate cum duobus fratribus Veſtmanno & Vemundo inita, comparavit. Qvi dum Islandiam peterent: ad oras ſeptentrionales pervenerunt, transmiſſoqve ſinn Slettenſi ſecurim rupi Reiſtargnupo impóſuerunt, ſinuiqve inde nomen a ſecuri, patria lingva Ori Auxarfiordi indiderunt. Aqvilam verſus occidentem in terram dimiſerunt, qvæ idiomate eorum Orn dicitur; inde ſinum Arnarfiordum nuncupârunt. Tertio loco crucem erexerunt, inde Kroſſaſ ſeu *crucis præcepitium*; loco nomen remanſit, atqve ita univerſum ſinum Auxarfiordum occupârunt. Ex Einare & Thordiſe progenies memorabilis deſcendit; liberi nimirum Eyolfus, qvem Gallius Griſis filius occidit; filia Liota, Hroii Acuti mater, ejus qvi Eyolfum ultus Galtium occidit. Nepotes Liotæ ex filia fuêre Brandus & Bergus, Halli Glirenſis filii; qvi in conflictu Bodvarsdalenſi anno Chriſti CMLXXXIX cæſi ſunt. Totidem Mæriæ Islandiæ incolas ſuppetitârunt.

CAP. XX.

DE THRANDENSIUM COLONIIS.

EX Thrandia Kolgrimus Senex, filius Hrolfi præfecti, ex Unnure Hakonis Griotgardii filia, ejusdem Griotgardi nepte, qvi ſitus eſt in Griotgardi tumulo ad auſtrale Agdaneſiæ latus, in Islandiam migravit; occupatoq; tractu Hvalfiardarſtrandiæ verſus boream, prædium Ferſtiklam inhabitavit: numeroſæ progeniei parens. Thor-

Thorgeir Hordſkius, Bardi Blönduhornis filius, de Viggis in Thrandia, agrum ab Aſgeire Kneiſe inter fluvios Lambafelljz-a & Jrar-a ſitum redemit, prædiumqve Holt incoluit. Uxor ei Aſgerdis, Aſchi Muti filia, qvam, poſtqvam in Islandiam venit, duxit. Nati ex illo conjugio Thorgrimus Magnus, & Holta-Thorer, pater Thorleifi Kraki & Skorar-Geiris.

Ketill Thrymus & Graut-Atlius, a pulte ſic dictus, Thoreris Thidrandini filius, ê Veradalo, orientalis Islandiæ qvadrantis partem vel pagum Fliotzdalum occupârunt. Ille Lagarfliotzſtrandas utrasqve, qvæ ab occidente fluvio Lagarfliott adjacent, inter amnes Heingiforſ-a & Ormſ-a. Deinde in Norvegiam profectus, apud Vedormum, Vemundi Senis filium, manſit: emitqve a Vedormo Arneidem Comitis Hœbudarum Arnbiorni Skerıableſii filiam, qvam Holmfaſtus Vedormi filius in conflictu piratico, occiſo Comite patre, unà cum uxore ejus Olufa inter cæteram prædam cepit, Grimô ſororis ſuæ filio, & periculi, & prædæ ſocio; cui etiam uxor Comitis ceſſit, qvæ Thordi Vaggadi filia erat. Arneidem Holmfaſtus patri ſuo Vedormo tradidit, jam in Jamptia degenti, novamqve habitationem, excıſis ſilvis, molienti; qvò etiam metu Pulchricomi conceſſerat. Arneidem Ketill Thrymus a Vedormo emit, addito ad pretium, qvod poſcebatur, beſſe. Prius vero, qvàm Ketill in Islandiam navigaret, Arneidis theſaurum argenti magnum, ſub radicibus arborum inventum, eousqve, ignarô ſponſô, abſcondit; donec peractis nuptiis uxor facta eſſet: inhabitavitqve prædium ab uxoris nomine Arneidarſtadas dictum. Filius illis erat Thidrandius, Ketillis de Niardvika pater.

Graut-Atlius autem tractum maritimum flumini Lagarfliott ad orientem contiguum, inter Gilia & Valla/ occupavit.

Thorhaddus Senex, vir inter Thrandos primarius flamenqve, in Islandiam profecturus, fanum, qvod in Mæria Thrandiæ ſtetit, demolitus, pulverem delubri poſtesqve ſecum duxit, ſinumqve Stödvarfiordum occupavit; conſecravitqve univerſum cum tractu maritimo, in formam Mæriæ Thrandenſis, jureqve ſanctitatis exæqvavit; neqve ibi ulli animanti nocere fas erat: a domeſticis tamen, qvantum neceſſitas repoſceret, non abſtinuit. Etiam hæc pars in orientali Islandiæ qvadrante ſita eſt. *Arngrimus in Specimine Islandiæ orientalis Sect: XXXIII.* Mæriam provinciam perperam intellexit.

Biornus Gullberius, ſeu Aurifer, vir magno ſtemmate ſatus, ex Orcadalo Thrandiæ tractu profectus, jugum Pulchricomi declinaturus, auſtraliorem Reykiadalum, qvadrantis auſtralis provinciam, occupavit, inqve prædio Gullberaſtadis habitavit. Illius filius fuit Grimkell Curio, qvi in Blaſkogis habitavit. Uxor ei Signya Valbrandi filia, ex qva Hördum prædonem, virum ingentibus, tum animi, tum etiam corporis, dotibus præditum, progeneravit; novercantis licet fortunæ ludibrio plus nimium expoſitum. Duxit is Haraldi Veſtro-Gautiæ Comitis filiam, nomine Helgam. Integra ejus vita prolixè ſatis conſcripta penes me eſt, qvæ maximè res Islandorum tractat.

Hrafnus, Stultus per antiphraſin dictus, ê Thrandia in Islandiam movit; occupabatqve tractum inter fluvios duos Kaldaklofs-a & Lambafellz-a ſitum, in auſtrali inſulæ qvadrante, habitabatqve in prædio Raudafelli orientaliori. Illius genus ab Haraldo Hildetanno deductum, antea recenſui. Poſteritatis ſeries hæc eſt: Filii Jörundus (Georgi-

um vocant) curio, & Helgius Blafauſkus; filia Freigerdis. Jörundi filius fuit Svartus, Lodmundi pater, Sigfuſii avus, Sæmundi illius Frodii, ſeu polyhiſtoris, proavus: cujus in patria ſua, dum viveret, ſumma authoritas, opinio rerum abſtruſarum ſcientiæ, raræqve & reconditæ doctrinæ, etiam in hunc uſqve diem permanet. Myſta is erat rerum Divinarum, Eccleſiæqve Oddenſis paſtor, in auſtralis inſulæ qvadrante, prædiumqve ſuum publicam humanitatis artium ſcholam eſſe voluit. Is Eddam Annalesqve, & plurima alia antiqvitatis documenta, & collegit, & in unum corpus redegit; de qvibus pars exigua reſtat.

Eyvindus Vopnius & Refus Rufus metu Pulchricomi ê Strinda Thrandiæ provincia profecti. Refus, repugnantibus ventis, retrò in Norvegiam actus, ibiqve juſſu Regis occiſus eſt. Vopnius, Vopnafiordenſis orientalis Islandiæ partis eponymus, eam occupavit, inqve prædio Kroſſavik habitavit.

Steinbiornus Kertur/ Refi Rufi, a Pulchricomo modò occiſi, filius, in Vopnafiordum provectus locum habitandi a patruo obtinuit. Nec plures ê Thrandia extant.

CAP. XXI.

DE COLONIIS NAUMUDALENSIBUS.

Thorſteinus Svarfadus, Raudi Ruggi, viri primarii, de Naumudalo, filius, qvi duxit Hildem Thraini Svartathusſii, ſeu Nigri gigantis, filiam, Svarfadardalum in boreali inſulæ qvadrante occupavit.

Ketill Hængus, Ketillis filius, Thorkellis Naumudalenſium Comitis & Hrafnhildis nepos, Ketillis Hængii ex filia Hrafnhilde pronepos, Hallbiorni Halſtrolli abnepos, Ulfi Oargi atnepos, ê Naumudalo, poſtqvam Thorolfi Kvöldulfi filii cædem ex parte ultus eſſet, Hildirididibus calumniatoribus ejus Torgis incendio deletis, cum uxore ſua Inguna in Islandiam vectus, ad oſtium amnis Ranga/ in auſtrali qvadrante ſitum, pervenit, ampliſſimo tractu inter fluvium Markarfliot & Thiorſa occupato, ubi plurimi poſtea eo ſvaſore habitarunt, inqve Hofe conſedit. Cum pluri-mam ſuppellectilem domum devexiſſet, filium uxor enixa eſt, qvem Rafnum nominavit. Illum primum Islandiæ legislatorem ad annum Chriſti CMXXX fuiſſe perhibent. Rafnstoptir/ ɔ: *rudera Rafni*, nomen adhuc retinet locus, ubi natus eſt. Alius filius ejus fuit Helgius, unde numeroſa proſapia. Tertius Storolfus, pater Ormi illius, qvem omnium Islandorum.

— — — *Qvot ſunt, qvot fuere,*
Qvotqve poſt reliqvis erunt in annis

Robuſtiſſimum *Arngrimus*, patria documenta ſecutus, *Crymogææ Lib: II. Genealog. 12*, prædicat, de qvo nobis etiam ſuo loco plura dicenda erunt. Fuit etiam is pater Hrafnhildis, qvam Gunnar Baugius duxit; ex qvibus Hamundum, Gunnaris de Hlidarenda patrem, natum memoravi.

vi. Qvartus Hængi filius Veſtar, Asniæ pater, uxoris Ofeigi Gretteris; qvorum filia fuit Æſa, Aunundi Lignipedis uxor; altera Alfdis, Asdiſis mater, qvæ nupſit Asmundo Hærulango, qvorum filius fuit Gretter ille Robuſtus. Qvintus Hængi filius fuit Heriolfus, pater Sumarlidii, cujus filius Veturlidius pöeta, is qvem Thangbrandus clericus, ab Olafo Tryggvino in Islandiam ad negotium religionis peragendum miſſus, & Gudleifus, ſeu Gudleikus, Arii filius de prædio Reykholis, ob infame carmen occiderunt. Rafni Legislatoris filius fuit Sæbiornus flamen, (Hauksbok Sveinbiornum nominat) cui filius Arngeir.

Ketilbiornus, vir celebris in Naumdalo, Ketillis ex Aſa, Comitis Haconis Griotgardii filia, filius, duxit Helgam Thordii Skeggii filiam. Is in Islandiam, jam magnam partem circa oras maritimas occupatam, conceſſit. Navem habuit, nomine Ellidium, qvæ cum ad oſtium amnium appuliſſet, amnibus nomen ſuum communicavit, qvi exinde Elliđaár appellantur. Hic ſpatioſiſſimum tractum Grimsneſiæ a termino Hoſtu;ært / omnem Laugardalum, & omnes Biſcopstungas usqve ad fluvium Stakſa/ occupavit, ſeditqve in prædio, hodie paſtorali, Moſfelli / tantis divitiis abundans, ut cum delubrum filii ejus extruerent, trabes omnes (unam habet *Arngrimus in Specimine Islandiæ*,) ex ſolido argento ſe donaturum offerret: qvod cum illi abnuerent, argentum totum, duobus bobus carpento præfixis, in montem egit, ſervo Hakio & ancilla Bota miniſtrantibus, qvos utrosqve necavit, ne argentum proderent. Loca ab iis denominata teſtimonium perhibent. Qvatuor filios legitimo partu, totidemqve filias, filiumqve unum illegitimô editum, habuit, nomine Skæringum. Inter legitimos eminuit qvidam, nomine Teitus, qvi duxit Olufam filiam Bödvaris primatis de Vorſia. Vikinga-Karii filii, Vigfuſius ſatrapa & Eiricus de Offruſtadis, Regis Olafi Tryggvini avus maternus, fratres Bodvaris erant. Teiti ex Olufa filius fuit Giſſur Albus, fundatæ in Islandia religionis ſacræ promotor: filius ei Isleifus, primus Islandiæ Epiſcopus; pater Giſſuris, ſecundi gentis illius epiſcopi, omnium ordinum in ea inſula magnificentiſſimi, anno Chriſti MLXXXII ab Hartviko Archiepiſcopo Magdeburgenſi ordinatus, qvòd Leimarus, id temporis Henrici Qvarti Imperatoris partes ſecutus, Hildibrandi Pontificis offenſas incurriſſet. Alter Teiti filius fuit Ketilbiornus, Koli pater, Thorkillis avus, Koli, Vikenſium in Norvegia Epiſcopi, proavus. Kolus ille Epiſcopus apud Isleifum Islandiæ Epiſcopum eruditus eſt.

An Raudfeldus, de qvo *in Vita Anis Bogſveigeris* dictum eſt, Grimi minoris hirſutæ genæ, & Helgæ, Anis Bogſveigeris filiæ, filius, metu Pulchricomi ſolum vertere coactus, piraticæ in occidentalibus inſulis primò operabatur: in qvas, nullo ſuo merito, omnis civibus Norvegicis illata injuria redundavit. Nam extorres patriæ finibus, bonisqve exuti, lacunam eam de innocentium bonis, nulla ab illis ratione irritati, reſarcire conabantur: in qvos omnia, tanqvam naturâ hoſtes, ob religionis diffidium ſibi licere putabant, vel, qvod verius, cum nullum illis liciti illicitiqve diſcrimen, etiam in communione religionis, ſacrorumqve ſocietate devinctos, eſſet, ſatis cauſæ fuit, qvòd opibus, ſufficienti ad injuriam incitamento, abundarent. Hiberniam igitur direptionibus infeſtans Raudfeldus, inter hominum pecorumqve prædam, Greledam Biartmaris Comitis filiam abduxit; qvam, licet captivam, matrimonio tamen, ut plerumqve cum illuſtris ſortis fæminis actum

 eſt,

eſt, dignabatur. Eam igitur in Islandiam ſecum avexit. Omnem diſtrictum inter Langaneſiam & Stapium in occidentali qvadrante ab Aurne priore poſſeſſore coëmit, numeroſamqve progeniem reliqvit.

Thuridis Sundafyllir/ ɔ: *ſinuum* (ut ſenſum exprimam) *repletrix*, dicta, qvòd incantationibus Seidicis omnes in Halogia ſinus halecibus, annonæ caritate graſſante, repleverit, in profundo etiam Iſafiordenſi in Islandia ſcopum ſeu metam piſcatoribus indicavit, Qviarmid dictum, qvo obſervato, abundanter piſcarentur; mercedemq; ovem cornibus caſſam à ſingulis ruſticis impetravit; cum filio Voluſteino Bolungarvikam occidentalis qvadrantis occupavit. Hi ex Naumudalo in Islandiam conceſſiſſe memorantur. Seqvuntur Halogenſes; & primò de Alfo dicam.

CAP. XXII.

DE COLONIIS EX HALOGIA ET LAFOTIA.

IS Grimi Halogiæ civis ex uxore Svanhilde, Thormodi de Akraneſia filia, filius, tractum in auſtrali qvadrante inter amnem Hvita/ & alpes auſtrales, vulgo Sudurjokla/ occupavit, incoluitqve prædium Geitland. Duos filios habuit, Hrolfum & Hroaldum. Hrolfus, cognomento Dives, pater fuit Halldoræ, Giſſuris Albi uxoris. Hic eſt ille Giſſur, qvi Chriſtianæ religionis negotium in inſula illa plurimum promovit, cum genero ſuo Hialtio Skeggino; qvi duxit filiam ejus Vilborgem in uxorem. Giſſuris filius fuit Isleifus, primus totius Islandiæ Epiſcopus anno Chriſti MLVII. Hroaldi filius fuit Rolfus minor, cui uxor Thuridis Valthiofi filia, Aurligi Patrici alumni neptis, ex qva tres filios procreavit, Kiallacum, Solvium, ex qvo genus ad Sturlungos perpetua ſerie deducitur, Tertium Illhugium Rufum, qvi tria prædia ſucceſſivis migrationibus incoluit; qvorum poſtremum Holmus fuit, in tractu Akraneſia; nám prædium illud ex permutatione cum Holmſtario acqviſivit. Permutârunt enim prædia, bona omnia, unà cum uxoribus: duxit enim uxorem, Thoreris Mali filiam, nomine Sigridem; recepit autem Thorunam Thormodi Thioſtarneſis filiam. Verum Sigridis, permutationis impatiens, in delubro laqveo gulam ſibi fregit. Adſcribere hoc placuit, ut exemplum permutationis, qvod alibi nuſqvam occurrit, legibusqve & moribus illorum temporum maxime adverſum: nam mulieres maritorum poteſtate non diutius qvàm libuit, continebantur, divortiorum libertate utriqve ſexui communi.

Eyſteinus Thorſteini Drangakolli (*Editio Skalholtenſis* Drangakarli habet) filius, ex Halogia, Fagradalum, orientalis inſulæ qvadrantis partem, naufragio facto, occupavit. Anus qvædam in vicinum ſinum undis appulſa nomen ei Kerlingarfiordi indidit; anus enim patria lingva Kerling dicitur.

Sigvatus Rufus, vir in Halogia magni nominis, duxit Rannveigem, Eyvindi Lambii filiam, ex Sigride Thorolfi Kvöldulfi filii relicta filia. Fuit hæc Ranveigis Eyvindi Skialgii ſoror. Eyvindi autem Skal-

Skaldaſpilleris, ſeu Poëtarum Crucis, amita, Ingibiorgis neptis, Havardi proneptis, Griotgardi Halogenſium Comitis abneptis. Nec ſcio, an fuerit is Griotgardus, qvem Berſerkii duo ad Sandlo prope Agdaneſiam occiderunt, ubi ejus tumulus conſpicitur auſtrum verſus, viciſſim a Gunnſteino Berſerkiabanio, ſeu Athletarum Interfectore, interfecti. Hic Sigvatus proprio motu in Islandiam conceſſit, conſilioqve Hængi tractum, qvem ad occidentem fluvius Markarfliet alluit, cum Einhyrnings Mork occupavit, inqve Bolſtadis ſedem fixit. Filius ei Sigmundus (*Nialæ* Sigfuſius) pater fuit Mördi Giæ, viri ſuo tempore in diſtrictu Rangarvallenſi primarii, tantæqve authoritatis, ut conventus publici eo abſente irriti viderentur, & Ranveigis Hamundi, Gunnaris Baugii uxoris, qvorum filius celeberrimus ille Gunnar de Hlidarenda fuit, de qvo *Arngrimus Crimogeæ Lib: II. Geneal: 2.* fuſè agit; omiſit tamen paternum genus a Chiarvale Hiberniæ Rege, per filium Kiallakum, nepotem Raudum, pronepotem Baugum, & ſic conſeqventer.

Lodinus Aungull, natus in Aungulſeya Halogiæ inſula (ubi in prædio Steige Rex Sigar Norvegicis antiqvitatibus conſediſſe traditur, ubi Signyæ fons (Signabrudur) & Hagbardz Holmr, ſeu Hagbardi parva inſula) metu Comitis Haconis Griotgardii ſolum vertens inter navigandum fatis conceſſit. Eyvindus autem filius ejus Flateyardalum, uſqve ad lapides Gunnſteinos dictos, occupavit, illisqve ſacrificiis cultis divinos honores impendit. Idem de Thorſteino Gullknappo, qvi in provincia Hvalfiordenſi in prædio Thyrile habitavit, inqve domo privatis precibus dedicata lapidem coluit, qvem proſtratus adoravit. Idem etiam lapis, cum ſummo diluculo fuſis a proſtrato precibus coleretur, hoc ſenſu verſum modulatus, imminentem ei mortem præcinuit: *Hos huc novisſimos, morti vicinis pedibus, greſſus tendes; nam ante ſolis ortum conceptum in te odium Eindridius evomet.* Hoc erat nomen percuſſoris, qvi præ foribus ſtans egreſſurum opperiebatur, egreſſumqve obtruncabat, uti *Holmenſium prædonum vita* id exponit. Hujus Eyvindi filius Asbiornus Detteras/ Finbogii Rammi pater, viri celebris, cujus vita adhuc legitur.

Theingill Mióegſiglandi/ ſeu *multæ navigationis*, ex Halogia, conſilio Helgii Macri occupavit tractum inter Hnioſka & Grenevik/ inqve Hofdio conſedit.

Olafus Tvennum-Brunius ex Lafotia, tractum omnem Skeidenſem inter amnem Thorſa & rivum Sandlæk occupavit, prædiumqve Olafsvelli/ qvod jam paſtorale eſt, prope ſedem Epiſcopalem Scalholtiam, in auſtrali inſulæ parte, incoluit.

Ulfus pirata & Olafus Beccus, ſocia navigatione Islandiam petiverunt. Ille Ulfdalos occupavit: Olafus autem Karli de Biarkeya exul ob Thoreris Nigri cædem, Dalis omnibus verſus occidentem & Olafsfiordum ad meridiem occupatis, in Kviabecko habitavit, in boreali inſulæ qvadrante.

Thorer Thuſſaſpreingus, ſeu gigantum domitor, natus in tractu Omdano, hodie Andnes/ in Halogia, metu Comitis Haconis Griotgardii Yxnadalum occupavit, prædiumqve Batnsa inhabitavit. Filius ejus Steinrodus multis profuit, qvos noxia ſpectra infeſtârunt. Erat ibi Geirhildis, mulier mala & venefica. Oculatiores (eos intelligo, qvi ea etiam vident, qvæ aliorum oculorum aciem communiter fugiunt) viderunt Steinrodum ferreo illam aculeo ex improviſo impetentem; illam vero ſe protinus in vaccam convertentem: qvod in cantilenam redactum etiamnum extat.

Manius natus in Omdia (Andanesia) Halogiæ tractu, primò ad fluvium Mana / deinde prædium Manafell inhabitavit. Illius ex filio Ketille, celebri virô, Thorvaldi Hialtini uxor Halla neptis erat. Hialtius ejus pater vir erat primarius, Thordi Skalpi filius, occupavitqve universum tractum Hialtadalum, a sede Episcopali Holensi ibi sitâ postea celebrem, seditqve in prædio Hofe, qvod Holas postea dictum *Arngrimus Crimogeæ Lib: I. Cap: X.* refert. Ejus exeqviæ in Islandia maxima freqventia celebratæ sunt, a filiis, Thorvaldo, de qvo nobis sermo, & fratre Thordo: nam mille qvadringenti & qvadraginta (*Arngrimus Crimogeæ Lib. I. Cap. VI*, & ipse antiqvitates secutus, MCC refert: verùm duodecim decades qvælibet centuria ejus continebat) convivæ, & inter eos omnes Islandiæ principes, invitati interfuerunt; singuli majoris nominis pro cujusvis conditione cum donis pro more dimissi. Hi omnes tractus in boreali insulæ qvadrante siti sunt.

CAP. XXIII.

DE PAUCIS COLONIIS EX DIVERSIS NORVEGIÆ PARTIBUS, QVARUM SITUS IGNORATUR.

QVi aliunde ex Norvegia commigrârunt, pauci restant. Nos eos ordine nullo, confusè saltim percurremus.

Thorhaddus vir celebris, Steini Miogsiglanda filius, Bodmodi de Bulkarume nepos, pagum Hytardalum universum occupavit.

Thorbergus ex Jafndio in Islandiam concedens, utruinq; Langadalum in occidentali qvadrante situm occupavit. Filius ejus Aslacus, Arnleifis Thordi Gelleris filiæ maritus. Numerosa inde progenies.

Thorbiörnus Lokius, Bodmodi filius de Skut / sinum Diupafiordum & Groænesiam, usq; ad Gufufiordum, occupavit. Filius ejus Thorgils de Thorgilsstadis, pater Koli illius, qvi uxorem duxit Thuridem, Thoris filiam, Halladi Orcadum Comitis neptem, Rögnvaldi Mæriarum Comitis proneptem. Numerosa inde familia orta est.

Aulver Albus, Aulveris filius, Auxna-Thoreris nepos, præfectus Regius, qvi in Almdalis habitavit, in odium Haconis Griotgardii incidens, Yriasq; profectus ibi decessit. Filius ejus, Thorsteinus item Albus dictus, in Islandiam migrans, ab Eyvindo Vopnio sinum Vopnafiordensem emit, in orientali qvadrante, inqve Toptavollis aliqvot annos habitavit; priusqvam tractum Hofensem nactus est, ubi sexaginta annos habitavit: vir prudens, simulqve ad consilia communicanda & utilis, & propensus. Longa inde posterorum series ad Erlendum Robustum & filium ejus Haukum, nomophylaces, tenditur.

Plures ex certis Norvegiæ partibus, certa Islandiæ territoria qvi occupaverint, monumenta, qvæ ad manus habeo, non recensent; licèt complures alios, tam è Norvegiæ provinciis, qvàm è reliqvis septentrionis partibus, longa generis serie, eaqve sæpenumero splendidissima, illustres, studiosè enumerent. Hæc igitur post vitam Haraldi Pulchricomi, tanqvam commentarium qvendam, ad perspicatiorem illius intellectum apponere visum est; ratione habita vel clarissimorum virorum, qvi ex his orti sunt, vel notabilis alicujus momenti; qvod omittendum neqvaqvam duxi.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS SECUNDÆ

LIBER TERTIUS,

CONTINENS

INTRODUCTIONEM

IN

HISTORIAM EIRICI BLODOXII

SIVE

De iis, qvæ Eigilli Skallagrimio cum Rege Norvegiæ Eirico Blodöxio interceſſerunt, cæterisq́;, qvæ ipſum Eigillem ſpectant.

CAP. I.

DE EDUCATIONE EIGILLIS IN PATRIA, EJUS PATRISQVE TURBIDIS INGENIIS, GESTISQVE PRIUSQVAM IN NORVEGIAM DEVENIRET.

DE Kvöldulfo filiisqve ejus Thorolfo & Skallagrimo ſuperioribus libris abundè dictum eſt. Cum autem plura certe, nec minora, de filio Skallagrimi Eigile dicenda ſint, qvæ abundè evincunt, magnã adminiſtrationis partem Eirico a patre, ultimo ætatis qvadrante, commiſſam, ejusqve potentiam planè Regiam, actaqve provocationi exempta, fuiſſe, ea in hunc ſepoſui. Cum enim regnante Pulchricomo geſta ſint, ſed absqve ulla ejus mentione, Eirici rebus in imperio geſtis ea inſerere neqveo: ſed nec omittere ſuſtineo, cum ad plura, qvæ de hoc viro memoranda ſunt, illuſtranda faciant. Vitæ igitur ejus partem, ab ipſis incunabulis repetitam, ad faciliorem ſeqventium intellectum, lectoris oculis brevitèr ſubjicio.

Fuit Skallagrimo filius alter, nomine Eigill, natus anno CMII. Decimus

cimus ſextus ſupra nongenteſimum annus agebatur, ætatis Eigilis decimus qvartus, cum Thorolfus iterum Norvegiam petiturus, disſvadente patre Skallagrimo, opum ſatis, honoris abundè, contractum affirmante, ne promiſſis qvidem majoribus ſe a propoſito retrahi paſſus eſt. Ut in ſententia obſtinatum pater vidit, ultimum ſe jam viſurum eum pronunciavit, ſimulqve a culina detractam ſecurim, Regium donum, fuligine æruginéq; obſitam, ei tradidit, adjectô rhythmô, parùm eam commendante. Tum vero Eigill magno fratrem comitandi deſiderio flagrans, votis excidit, qvòd ingenio eſſet ferociori & propè indomito, nec peregrinarum gentium commercio in iſto ætatis lubrico aptus videretur: dederat namq; haud exigua effrenis animi indicia, adq; patris ingenium ſtatim a pueritia proximè accedere videbatur; trimus namqve æqvales ſtatura roboreqve ſuperans, verboſus inſuper & in colludendo ut plurimum acerbus videbatur. Fortè cum pater ad convivium a ſocero ſuo Ingvare, qvi, perſeqvente Pulchricomo, inter alios Grimi amicos, ſolum qvoqve vertere coactus eſt, invitatus cum filio Thorolfo eſſet, nec unà proficiſci permitteretur, offenſus, injuriam ſibi fieri haud obſcurè ſignificavit, qvaſi ſibi apud avum maternum minus qvàm Thorolfo juris eſſet. Proficiſcentes deinde eqvo ſubſecutus, magnâ diei parte in itinere exactâ, tandem viarum obſtacula eluctatus eò pervenit, benignèqve ab avo exceptus, adqve latus ejus in oppoſita Skallagrimo Thorolfoqve pariter honorata ſede collocatus, duos verſus ex tempore fudit. Præmium poëmatis tres exiguæ conchæ, qvibus pueri ludere ſolent, & anatum pauca ova, datum. Septennis inter ludum pilæ colluſorem decennem, Grimum dictum, fortiorem, ſeqve inclementiùs compeſcentem, inſtinctu nutricii ſui Thordi, ſecurim ſibi porrigentis, occidit; unde ſimultates cædesqve novem hominum nece finiebantur. Et Skallagrimus qvidem reverſum filium increpâſſe, non verberibus corripuiſſe, dicitur; mater autem præludium hoc magnorum facinorum augurata, cum adoleſceret, piratam futurum prædixit, navesqve ei militesqve, cum per ætatem liceret, comparandos. Hoc matris augurium lætus metricè puer excepit, hoc ſenſu. *Monuit mea mater, mihi dandam navem, pulchris remis inſtructam; piratasqve ſeqvendos; ſtandum celſa in puppi; navem dirigendam; portum capiendum; hoſtium unum & alterum occidendum.*

Duodecim annos natus Eigill proceritate plurimos adultos juvenes ſuperabat: plures etiam viribus æqvabat, ludis perqvam deditus. Fortè anno CMXIII. tempore hyberno ludus pilæ inſtitutus eſt. Thordus Eigillis ſodalis, & ipſe apud Skallagrimum enutritus, ætate juvenis, Eigillqve ſimul cum Skallagrimo colluctati ſunt, qvi tota die eum fatigabant: poſt ſolis autem occaſum ipſis prævaluit. Ad ultimum verò irâ, mox etiam furore, percitus, Thordum corripuit, correptumqve in terram tanto impetu colliſit, ut, confractis omnibus oſſibus, ſtatim ſopitus exſpiraret: eademqve rabie inſanientem in filium invectum, ancilla, nomine Thorgerdis, cognomine Brak, virili robore fæmina, interveniens, his eum verbis interpellavit. *Tune*, inqvit, *Grime, in filium qvoqve furibundus baccabere*? ad qvam vocem, nec cætera ſui compos, miſſo filio, in eam converſus, curſu, qvanta potuit celeritate, fugientem perſeqvitur, uſqve in prominentem lingulam, Digranes dictam. Ibi in extremum angulum compulſa, cum nullum ultra effugii ſpatium ſuppeteret, in mare ſe projiciens, natando evadere conabatur, cum iiſdem furiis agitatus Grimus ſaxo eam obruit; nec unqvam poſt inventa eſt. Manet in hunc uſqve diem loco, ubi ſuffocata eſt, nomen ab ea contractum,

ctum, Brakar-Pollur / seu Brachis lacus. Hac tam infami cæde peracta, cum familiaribus ad cænam iratus processit, Eigile non statim accedente, pari tamen ira æstuante; qvam, culinam ingressus, in rei familiaris præfectum, patri in paucis carum, effundens, protinus eum occidit. Inde cænatum progressus, consvetum locum occupavit: nec a patre ob peractam cædem increpatus; tametsi longo tempore abstinuerint colloqviis.

Seqvente anno Thorolfus in Islandiam rediit, proximo iterum discessurus, qvo tempore, ut nuper retuli, Eigill, adito patre, petivit, ut viatico se instrueret; comitem namqve se fratri futurum. Pater, an etiam eum de his certiorem fecerit, qværit: cumqve id omissum animadvertisset, jubet ut ejus voluntatem exploret; qvem deinde, ut jussus erat, aggressus, responsum accepit; *se haudqvaqvam eum patriâ in peregrinas terras transportaturum, qvem pater intra patriam ad obseqvium redigere non posset: esse eum ingenio tali, qvod apud exteras nationes haud conduceret. Qvandoqvidem*, respondit Eigill, *me socium comitemqve detrectas, nec tu discessum hinc tibi tam facilem, uti speras, polliceberis.* Nocte proxima, tempestate subitò exortâ, per tenebras, navis in portu Brachino stantis, navigationi accinctæ, vincula omnia, rudentesqve concidit; qvæ mox acta ventis, in oppositam sinûs partem, sine tamen naufragio, appulsa, expeditis scaphis, in portum ducitur. Inde metu majoris damni ab eo accipiendi, in itineris societatem admittitur, assumpta & Asgerdis Biorni Hauldi filia, Beræ, Skallagrimi uxoris, alumna, patre Biorno expetente, in itineris comitatum; obiit namqve mater ejus Thora. Biornus autem aliam uxorem duxit, nomine Olufam, Erlingi Divitis, de provincia Bergis propinqva Ostria, filiam, ex qva filiam postea, nomine Gunnhildem, suscepit. Thorolfus in Norvegiam prospero cursu vectus, ad Hordiam navem appulit, inqve Sogniam profectus, magnâ qvidem ipse benevolentiâ exceptus est, optatior filiæ adventu, virginis forma moribusqve conspicuis præditæ. Decesserat illo anno Grimolfus, successitqve in Orlandiam filius Thordus; Biörno Hauldo aliud in Sognia prædium incolente.

CAP. II.

DE GESTIS EIGILIS IN ATLEYA, PRÆSENTE REGE EIRICO BLODOXIO ET REGINA, CÆDE VILLICI REGIS BARDI, ET INQVISITORUM FELICI EFFUGIO, ET IMPETRATA A REGE VENIA.

INde ad Eiricum Regem profectus Thorolfus, velum patris donum attulit, gratum qvidem, nec minore alacritate receptum, qvàm datum, ad hospitium deinde intra aulæ Regiæ parietes invitatus, qvâ par erat modestiâ, fratris adolescentis, aulæ commerciiqve peregrinorum insveti, præsentem sibi curam a parentibus commissam excusabat. Ad Thorerem igitur Fiordorum satrapam, veterem parentis suumqve amicum, simul divertebant fratres. Filius ejus Arinbiornus, ætate parum

rùm Eigillem excedens, adolescens magnæ spei, & in ipsa juventute staturâ roboreqve insignis: qvem Eigill a primo statim adventu impensiore studio prosecutus, assiduis colloqviis & obseqviis sibi conciliavit: minor ei cum fratre consvetudo erat. Et ille qvidem amore virginis, qvam secum devexerat, incensus, nuptiis eam secum jungere cupiens, avi materni Thoreris satrapæ mentem primò sibi explorandam ratus, ubi haud alienam animadvertit, ejus operam in conciliando patris consensu exposcebat, nec ægrè obtinuit. Ambo igitur ad patrem virginis Biornum Hauldum profecti, nullo negotio assensum ejus impetrârunt. Dies nuptiis in Sognia paternaqve domo celebrandis, eodem autumno definita, qvò multi præcipui viri invitabantur. Cum autem sponsus avusqve sponsæ satrapa Thorer, cum domesticis suis itineri accingerentur, fortè Eigill in morbum incidit. Thorolfus cum magno comitatu longa nave profectus, nuptias, uti constitutum erat, magna celebritate confecit. Post discessum Thorolfi Eigill citò revaluit. Fuit Thoreri satrapæ æconomus, nomine Aulver, jam domi relictus, ad reditus ejus absente domino colligendos profecturus: cui itineris comitem Eigill se adjunxit. Lembo duodecim remigibus vecti, sed adversis sæpius ventis obnixi, fortè ad insulam Atleyam vespere qvodam pervenerunt. Magnificum ibi prædium Eirici vir qvidam, nomine Bardus, ab insula forte Atleynsis dictus, procurabat. Idem Regius qvæstor, haud eqvidem nobili prosapia fuit, Regis tamen Reginæqve Gunnhildis favore conspicuus. Exceptis hospitio, siccandis vestibus focus in separata domo instructus, deinde cibi appositi, lactis coagulati magna copia, qvod fessi fatigatiqve avidè hauriebant, defectum namqve cerevisiæ hospes magnopere excusans, appositis contentos esse jussit. In capacioribus deinde vasis plus lactis illatum: qvo pariter absorpto, hospes, ut cubitum irent, hortabatur, facultatis, non voluntatis, defectum, qvo minus cerevisiam nobiliorumqve potionum genera apponeret, identidem excusans. Hoc eodem vespere Eiricus Blodöxius & Gunnhildis ad convivium, qvod Bardus præparavit, sacrificio Disarum destinatum, accesserunt. Mox illatâ in cænaculum magnâ zythi copiâ convivas omnes exhilaravit, Rege, ubi Bardus moraretur, reqvirente. Ut hospitibus excipiendis distineri cognovit, qvinam illi hospites, qvibus præ se excipiendis obligaretur? sciscitabatur. Ubi famulos esse Thoreris satrapæ cognovit, protinus arcessiri jussit; accedentes benignè affatus, Aulverem in sede sibi opposita honoratissimaqve collocavit, comitibus in eodem scamno assidere jussis; proximus ei a latere, Æigill: reliqvi ordine inferiùs sedebant. Pocula ibi cornea, magnæ capacitatis, summo studio & alacritate illata, certatim evacuabantur. Procedente vespere, comitibus Aulveris, nimia ingurgitatione fatigatis, aliîs intra triclinii parietes, aliîs vix foras egressis, liberalius ingesta egerentibus, Bardus haud minore alacritate grandia pocula replevit, propinavitqve ingens cornu Aulveri, qvod Eigill vicem ejus, jam deficientis, intrepidè hausit. Bardus sitientem observans, aliud ei ebibendum porrexit: qvo recepto, versu extempore facto, exprobravit ei versutiam adversus hospites, qvos lacte repletos, inhabiles ad potandum, conviviiqve leges implendas, reddidisset. Bardus eum potare, neminem vero incusare, jussit; pocula igitur omnia sibi Aulveriqve propinata protinus faucibus infudit, qvoad Bardus, vires ejus admiratus, Gunnhildem accessit. *Hic*, inqvit, *novus advena, gurges profundissimus, crateres omnes nullo negotio, ne ebrietatis qvidem notas præferens, abstergit, adqve singulos, rhythmos*

mos hoc eodem calore fusos modulatur, cantuqve se sobrium reddit, sitimqve irritat, & magno nostri ludibrio qveritur. Placuit venenum dilui. Qvòd ut Bardus per pocillatorem exhibuit. Eigilemqve epotare jussit, ille cultri mucrone characteribus Runicis corneo scypho incisis, elicitoqve ê volâ sangvine, sulcos replebat, versumqve cecinit, qvem *Magnus Olafius*, *pastor qvondam Lausasensis, in Lexico Runico* his verbis explicat. *Incidamus cornu Runas: incisuras sangvine madefaciamus. Ista verba eligo auribus cornu ferentis. Bibamus cerevisiam ut volumus benè (malè) defecatorum liqvorum: experiamur ut nobis conducat potus, qvem Bardus consecravit.* Mox in frustra dissiluit cornu, & potus in stramenta effusus est. Jamqve Aulverem viribus defectum Eigill foras deduxit, cùm Bardus Aulveri cornu propempticum propinavit: qvo recepto, Eigill versum modulatus se protinus proluit, simulqve projectô, strictum celeriter gladium per medium Bardum adegit; qvi multo cruore effuso, exanimis concidit. Magno etiam vomitu Aulver, eodem fere momento, vino obrutus, extra fores in tenebras delapsus est; nox enim illunis omnia obscurabat. Cæde peractâ, Eigill citò egressus, fugâ sibi consuluit. Bardum & Aulverem simul jacentes, ebrietate corruisse primò creditum; ut verò erecturi accurrerunt, remqve, uti gesta est, animadverterunt, Regi cædem nunciant. Is qværens, ubinam vir ille esset, qvi plurimum illo vespere potâsset? cum egressum retulissent. *Hunc igitur*, inqvit, *inqvirite, inqvisitumqve huc deducite.* Cum ubiq; qvæsitum nusqvam invenissent, ejus qvoqve socii retulissent, eum se accessisse, armaqve abstulisse, Rex, ut omnia navigia custodibus vallarent, edixit; prima qvippe luce universam insulam perlustrandam. Interea Eigill unam aut alteram naviculam intercipere tentans, littus omne custodibus obseptum deprehendit, nec effugio locum ullum. Universam igitur insulam per tenebras circumvagatus, ubi primum diluxit, aliam insulam e regione promontorii, ubi stabat, prospexit, remotiorem tamen, qvàm ut natando assecuturus videretur. Sandeya appellatur. Eò tamen ventum erat, ut periculum sine periculo effugi neqviret. Itaqve fracto hastili, inq; mare projecto, spiculum cum reliqvis armis, vestibus in fasciculum complicatis, ingessit, tergoqve alligavit. Mox in undas se projiciens, ad insulam illam magno vixqve imitabili labore sub ortum Solis enavit. Parva qvidem illa, silvisqve consita, armentis tantùm pecoribusqve pascendis idonea, Atleyæ subjecta erat. Rex longo tempore abditis angulis & oris Atleyæ, vastæ insulæ, lustrandis immoratus, ubi effugisse Eigilem constabat, in proximè adjacentes inqvisitionem spargi jussit. Sub vesperam Eigill scapham unam inter complures, in circumjectas insulas directas, Sandeyam petentem conspicatus est, qvam duodecim remiges agebant. Haud ignarus se peti, in sylva se abdidit. Qvi ut primum littus assecuti sunt, tribus ad custodiam naviculæ relictis, reliqvi novem tripartitò insulam ingressi, singulas partes inter se sortiti sunt. Interea Eigill, donec colliculus intercedens prospectum interciperet, delituit: tum demum ê latebra exortus, custodibus navis improvisus supervenit. Primum uno ictu occidit; alium fugientem ad radices collis pede truncavit; tertium in cimbam profugum, abitumqve molientem, retrahendo tardans, mox in naviculam transgressus occidit, occisumqve in mare projecit. Remis inde totam illam noctem, diemqve seqventem, cimbam concitans, non priùs destitit, qvàm ad Thorerem satrapam pervenit. Interea Rex, cognita causa, Aulverem cum comitibus crimine liberavit, incolumesqve singulos dimisit. Qvi autem ad Sandeyam lustrandam profecti sunt, plures dies ibi, qvippe

ſcaphâ deſtituti, detinebantur, pecoribus in alimentorum uſum occiſis, pirâ ab ea parte, qvæ Atleyæ obvertitur, incenſa, ſigno, nec prius obſervato, qvàm Rex inſula egreſſus ad aliud convivium conceſſerat, ad ſe reducendos colonos Atleyâ exciverunt. Jamqve Aulver domum delatus, Thorerem ſatrapam & Thorolfum ê nuptiis reduces, qvi reditum ejus anticipaverant, luctuoſum de Eigile nuntium, de eventu dubius, affert. Omnes periiſſe credunt. In primis Thorolfus & Arinbiornus vicem ejus dolebant. Et jam conclamatum erat, cum poſtero die omnibus improviſus rediens, omnem geſtorum ſeriem, perſecutionis ordinem, periculorumq; contextum, carmine expoſuit, ſubitoqve adventu conceptum antea metum luctumqve diſcuſſit. Admiratus animum tanto diſcrimine invictum & ubiqve præſentem Arinbiornus, magnificisqve verbis extollens, *dignum iſta fortitudine* dixit, *pro qvo pater Regem deprecaretur.* Thorer *Bardum qvidem culpa ſua mortem promeruiſſe* affirmavit; *videri tamen Eigilem majorum ſuorum veſtigia preſſurum, qvi offenſas Regum minùs caverint; qvorum tamen imperium iraqve provocata plurimos plus nimio gravet; in præſens tamen pro eo operam ſuam interpoſiturum.* Cumqve Arinbiornus adamantino amoris nexu Eirico carus devinctusqve eſſet, adeo ut illo neqvaqvam carere poſſet; placuit ut ille, dum Thorer proficiſceretur, domi cum fratribus permaneret, qvô conſtaret, ſortis eum ſuæ fortunæqve ſocietatem cum illis junxiſſe. Profectus itaqve Thorer pro Eigile enixè intercedebat; *vix puerilem egreſſum ætatem, ira meroqve ſuperatum, contumeliis & inſidiis, hoſpitem ab hoſpite, inter ſolemnia Deorum ſacra, humanitatis ſpecie provocatum petitumqve, qvid mirum ad vindictam haud injuſtam processiſſe? cum & viri qvoqve ſeniores & ſobrii, qvibus in animi affectus plus rationis, majorqve poteſtas, idem qvoqve feciſſent. Nec inqviſitorum cædes in crimen referendas, qvippe ſalutis qværendæ cauſa in ultimo periculo perpetratas: nihil eſſe miſeris mortalibus ſpiritu carius; amore ejus ad ultima propulſum, conſilium a præſenti neceſſitate reperiſſe. Id culpam magis aggravare, qvod præſente Rege cædes peracta ſit: ſed qvotumqvemqve irarum impetu extra ſtationem mentis raptum, æqvum ab iniqvo, honeſtum à turpi ſecernere? Id vero qvantumcunqve ſit, in contumeliam tamen Regis haudqvaqvam factum, nec ſiniſtra interpretatione eò traducendum. Culpam eſſe expiabilem, ad qvam eluendam pecuniam ſe pro Regis arbitrio, qvantam velit, expenſurum. Suæ qvoqve exiſtimationi & fidei conſuli, qvippe commiſſum ſibi a parentibus adoleſcentulum filio ſuo Arinbiorno conjunctiſſimum.* Iniqvis auribus Rex hujus rei mentionem audivit, qvippe valde iratus præſagium patris recoluit, *qvi genus illud hominum difficile coercitu* prædixit; *providendum Thoreri, ut, licet in ejus gratiam pœnam Eigilis mitiget, ne deinde longiores moras intra ditionis ſuæ fines nectat.* His dictis Thorer indictam a Rege multam extempore ſolvit, domumqve pacis ſecuritatisqve nuncius rediit. Iſtam vero hyemem frater uterqve hoſpitio ejus uſi ſunt. Sed qvoniam Eirico multum rei cum Eigile fuerat, haud abs re videtur, plura ejus geſta, etiam ſi ad Eiricum non pertineant, huc tamen inſerere, ſaltem ut conſtet, qvalis fuerit, qvi tantum illi negotium faceſſebat.

CAP. III.

DE GESTIS EIGILIS IN KURLANDIA.

Primo

PRimo vere, qvi annus erat æræ Christianæ CMXVII, Thorolfus & Eigill navibus piraticis mare Balticum ingressi, orientalium regionum maritimis exspoliatis, multisqve præliis gestis, vim ingentem prædæ consecuti sunt. In Kurlandiam delati, duarum hebdomadum nundinas cum incolis pacti, commercia exercuerunt. Qvibus elapsis, ad prædas conversi, præliis passim commissis, superiores evaserunt. Qvodam die ostium cujusdam amnis invecti, inqve dodecades divisi, planitie superatâ, in silvas processerunt. Inde in oppida haud procul distantia infusi, obvia qvæqve diripiebant, homines cædebant, impunèqve per longum diei tempus grassati, cum nemo vim opponeret, comparandis satiati, vel avehendis manubiis fessi, signo receptui a Thorolfo dato, omnes in unum locum convenerunt. Solus Eigill cum suis desiderabatur; qvem, nocte jam iminente, cum diutius opperiri vel qværere intutum esset, desperato illius reditu ad naves conversi sunt. Interea Eigill, penetrata silva, in planitiem incidit, ubi freqventes villæ sparsaqve tuguria erant. Proximum ingressi, hominibus vacuum exspoliaverunt. Qvòd autem ædibus pluribus constaret, diutius iis lustrandis immorabantur. Egressi, in indigenarum multitudinem a silva interclusi inciderunt, qvi magno protinus impetu eos adorti sunt. His impar Eigill, confertim procedens, ne circumiretur, locum insuper idoneum qværebat, qvi eos qvoqve protegeret. Kuri pugnam cominus conserere non ausi, missilibus & sagittis eminus eos longo tempore impetebant; donec ad aggerem, qvi a tergo erat, compulsi, cum reditu ad suos, tum alia qvacunqve elabendi via, excluderentur. His angustiis inclusi, cum colonorum multitudine undiqve circumfusi, hastis jaculisqve cominus, etiam ab iis, qvi aggerem conscenderant, gladiis & securibus peterentur, injectis in arma vestibus usu gladiorum inhibito, multis confossis vulneribus capiuntur, inqve carcerem conjiciuntur. Supplicium de iis ex sententia rustici, qvi inter suos opulentissimus erat, sumi placuit. Et is sine mora obtruncandos ad unum omnes pronunciavit. Filius expectatione mitiorem sententiam aversatus, *noctem instare* obtendit, *qvæ ex suppliciorum spectaculo capiendam voluptatem impediret*; *in crastinum potius, majori spectantium oblectamento, reservandos*. Vicit ea sententia. Igitur vinculis rigidè constricti, in domum probè clausam conjiciuntur. Kuri in triclinium læti dilapsi, potu se largiùs exhilarant. Eigill ad columnam manibus pedibusqve religatus, viribus, qvantùm potuit, ei vel effringendæ, vel pavimentô, cui altiùs impressa erat, evellendæ, adnixus, rem feliciter expedivit. Inde cum nullo labore vincula dentibus rupisset, se ipsum primò, deinde socios, solvit. Exinde, qvà exitus pateret, inqvisitum. Domus erat lignea, continuis trabibus a fundamento in aggeris formam ad parietum fastigium surgentibus: frontispicium sectilibus tabulis constabat, qvo effracto, aliæ ædes trabalibus parietibus, ut priores, conspicuæ se pandebant. Infra pedes voces hominum sermonesqve auditi. Janua in pavimento deprehensa apertaqve eos in subterranea cella prodidit. Eigile, qvinam essent? interrogante, unus eorum Akium se appellavit: qvem haud invitum, cum duobus aliis, funibus specu extractum, cum ulterius examinâsset, *Danum esse cum duobus filiis, superiore anno captum*, respondit, *hyeme qvidem superiore bene habitum, curæqve domesticæ præpositum; verum, qvòd filii serviissent, ægrè ferentem, fugâ cum iis primo vere elapsum: omnes*

 dein-

deinde retractos, inq; scrobem istum supplicii loco conjectos. Tu igitur, ait Eigill, *commodissimum exitum nobis poteris monstrare.* Is aliud frontispicium sectis asseribus, ad similitudinem prioris, exstructum monstrabat; qvo effracto in horreum ingressus patuit, & inde, qvò liberet, exitus. Elapsi igitur inter tenebras, superato periculo læti, uno omnes ore, ut silvam protinus peteret, hortantur. Eigill vero Akium suppellectilem coloni monstrare jussit. In superiores igitur, ubi acqviescere dominus solebat, ædes, armis eximiis instructas, deduxit. Ibi inter ardentes candelas famuli lectis insternendis distenti: qvos obsessis foribus exitu prohiberi Eigill præcepit, ne ullus elaberetur. Ipse cum paucis ingressus, ad unum omnes occidit, armaqve pro lubitu abstulit. Medio in pavimento Akius januam monstrabat, qvæ reserata, subtus argenti vim magnam, pretiosaqve cimelia, aperuit, suppellectilem copiosam: qvam qvi auferrent, funibus demissi sunt. Tantum ablatum est, qvantum humeris portare poterant. Inter alia exuviæ ferinæ, integram formam referentes, argento distentæ, eminebant; qvas Eigill qvoqve diripuit, & deinde ex indiviso præcepit, cum qvid continerent, nemini præter eum constaret. Inde in silvam properatum, omnibus parta salute prædaqve lætis. Eigill subsistens: *Proh scelus!* inqvit, *diripuimus villam, non militari more, sed furum, & qvidem nocturnorum, astu doloqve. Tantâ ignominiâ nos aspergi neqvaqvam patiar; redeundem protinus, & qvicqvid perpetraverimus, indicandum; ne inscio domino qvicqvam avexisse nobis securè possit objici.* Cum omnes pericula exhorrentes consilium tam temerarium improbarent, adqve naves contendendum hortarentur, solus Eigill, depositis exuviis, cursu qvàm velocissimo ad villam contendit. Appropinqvans triclinio, vidit ministros lances magnas e culina, ferculis repletas, in cænaculum importantes. Mox culinam ingressus, e trabibus majoribus, qvæ foco pro more injectæ, ab extrema parte concepto incendio, & deinceps donec universæ consumerentur, flagrabant. Unam raptim ablatam tecto interiori, qvod corticibus arborum constabat, injecit. Unde celeriter concepta flamma, â culmine arsit. Mox foribus lignorum strues, qvæ mediâ area stabant, magna celeritate admotæ, convivatore simul cum convivis genio indulgentibus, omnis periculi pariter securis, qvoad tecta corruere cæperunt. Ad fores deinde, lignorum congerie obstructas, neqvicqvam procursum: illinc cumulo lignorum, hinc armato Eigile, cum parte sociorum ad cæpta maturanda accurrentium, exitum præcludente. Elapsos ex incendio ferrum, reliqvos triclinium ruinâ involutos oppressit. Atqve ita Eigill, qvem rapinæ pænitebat, nisi villam qvoqve incendisset, ignominiosum crimen furti, multiplicatis cædibus, incendiiqve atrocitate, expiâsse sibi visus est. Hoc tenore filius familias, miserorum suppliciis oculos pasturus, crudelitatis; pater verò, haud injustæ sententiæ author, intempestivæ cunctationis, suo totiusqve familiæ vicinorumqve crudeli exitio pænas dedêre. Proxima luce Eigill spoliis gravis ad suos reversus, magno omnium gaudio tanqvam redivivus excipitur. Akius ejusqve filii, Eigili se associantes, media æstate in Daniam pervenerunt. Tantis deinde latrociniorum successibus perpetuo victoriarum cursu Skallagrimi filii usi sunt, ut piratarum sui seculi facilè principes haberentur.

CAP. IV.

DE LUNDIA SCANIÆ OPPIDO EXPUGNATO, COMITE ARNVIDO, THORVALDI OFSII CÆDE ET EYVINDI SCREYÆ AMANDATIONE AD HARALDUM GORMIUM, THOROLFI ET EIGILIS LATROCINIIS PER FRISIAM, ET FUGATO EYVINDO SCREYA, PROCINCTU IN SAXONIAM FLANDRIAMQVE, ET TANDEM IN ANGLIAM FACTO.

HIs annis Dania piratarum prædonumqve irruptionibus valdè infeſtabatur, inter qvos Skallagrimi filii haud poſtremi erant. In reditu namqve è Kurlandia in Eyrarſundam delati, Akio monſtrante, Lundiam, celebre Scaniæ oppidum, non ſine magno periculi metu, publicô tamen conſiliô, aggreſſi ſunt. Extat Eigilis de oppugnationis conſilio verſus. Ligneum ibi propugnaculum, an continuum vallum, oppido circundatum, certè tale, unde multa magnaqve damna cladesqve oppidani dederunt. Poſt longam itaqve dimicationem, mutuasqve clades, primus vallum aſcendens Eigill, ſuam qvoqve cohortem, ducem impigre ſeqventem, traducit. Ingens inde trepidatio, multæqve ſtationes pavore & fuga deſertæ, nudatumqve propugnatoribus vallum, cum qvà cuiqve proximum erat deſiliiſſent: qvod ubi Thorolfus animadvertit, omne piratarum robur ſuccedere jubet, hortatur, imperat, qvæ in rem eſſent. Itaqve in vulnera ac tela ruunt, neqve illos muri, nec ſuperſtantes armati, arcere qveunt, qvin certatim aſcendant. Ad ultimum oppidum expugnatum, mox etiam direptum, tandem ad malorum cumulum ante diſceſſum incenſum eſt. Inde boream verſus adverſis ventis remigatum, claſſisqve in portum deducta: unde non procul habitabat Comes qvidam, nomine Arnvidus. Qvi, miſſis ad Thorolfum legatis, exqviſivit, hoſtemne an amicum excipere deberet? qvo nullam neceſſitatem ſubeſſe reſpondente, qvo minus pacificè veniat, Comes impenſis ſe ad colligendas copias, qvibus provinciam defenderet, liberatum gaviſus, ipſe eum acceſſit, adqve convivium cum univerſis militibus invitavit. Ille triginta tantùm ſtipatus acceſſit. Nihil ibi, qvod, ſive ad convivatoris, ſive convivantium, honorem reqvirebatur, omiſſum: omnia affatim præbita. Ante qvàm menſæ removerentur, Comes ſedes fæminis virisqve jungendis legi juſſit. Filia Comitis formâ eximiâ, jamqve nubilis, Eigili obtigit: illa in pavimento animi gratia obambulans, moras nectebat; qvarum pertæſus Eigill, locum ejus acceſſit. Qvæ, ut aſcenſurum conſpexit, rhytmo hoc ſenſu compellat. *Qvid, juvenis, tibi cum mea ſede, qvi lupo dapem calidam nunqvam dediſti?* Contextus reliqvus bello non interfuiſſe arguebat, ideoqve conſeſſu ſuo ut indignum arcebat. Is alio extemporali iis, qvæ fortiter geſſerat, commemoratîs, demiſit ignaviæ opinionem. Totus deinde veſper hilaritate conſumptus eſt. Seqventi die ad naves reditum: munera mutua inter Comitem Thorolfumqve amicitiam in poſterum conciliabant. Inde in Brenneyas navigatum, piratarum id temporis latibulum, mercatoribus crebrò prætermeantibus inſidiantium. Akius in Jutiam receſſit; erat enim vir valde locuples, multorumqve ibi prædiorum dominus, magnaqve inter eum & fratrem utrumqve amicitia,

tia, etiam in posterum confirmata, permansit. Autumno in Norvegiam, in Fiördos usqve, reditum ad Thorerem satrapam; qvi qvidem benignè, Arinbiornus autem benigniùs, eos excepit, Eigiliqve hospitium rem gratam per hyemem obtulit: id vero pater ut *nimis properè, temerèqve oblatum* arguebat, *nec sine Regis Eirici offensa præbendum, utpote qvi pactioni, post cædem Bardi, legem præscripserit, ne Eigill hospitio exciperetur.* Arinbiornus propositi tenax, *facilè a Rege impetraturum* contendit, *ut ea lege solveretur.* Cui cum pater amplius obniti haud sustineret, Regem adit, veniamqve recipiendorum fratrum impetrat; & qvo gratia commendatior esset, *illius tantùm, nec præter illum ullius, precibus id se permissurum fuisse* Rex asseverat. Gunnhildis autem indignata, *tantisper eum Skallagrimi filios intra Regni limites degere passurum, donec propinqvorum ejus aliqvem occiderint,* vates haud ignara prædixit; simulqve negligentiam exprobans, qvòd cædem Bardi tam vili penderet. Rex vicissim inconstantiam ejus perstrinxit, *qvòd qvæ Thorolfo priùs impendio magis faverat, jam sine causa perseqveretur: se a levitatis vitio liberum, nolle verba sua vel promissa rescindere.* Rediens igitur Thorer, utrumqve fratrem cum duodecim comitibus tota illa hyeme tecto recepit.

Vere proximo sacrificium solenne Gaulis institutum est: qvo magnus ê Fialis, Sognia & Fiördis, pluribusqve aliis provinciis, confluxus fuit, nobiliumqve magnus numerus, Rex etiam ipse cum Regina accessit. Thorer qvoqve Fiördorum satrapa, assumpto secum Thorolfo, profecturus, Arinbiornum filium cum Eigile, alias haud æqvo animo domi remansuro, reliqvit, causatus; *præcipitantiam audaciamqve Eigilis, astum Gunnhildis, & potentiam Regis, res esse haud facilè sociabiles; præstare, ut Thorolfus pro utriusqve incolumitate & successu Diis sacrificaret.* Paruit Eigill, præsentia Arinbiorni contentus. Duo erant fratres, Thorvaldus Offius & Thorfinnus Strangius, propinqvo sangvinis nexu Biörnum Hauldum attingentes, qvibus deinde educationis officia præstitit, viri ingenio vehementi, viribusqve insignes, Thorolfi in piraticis expeditionibus proretæ; qvorum posterior eidem officio ab Eigile adhibitus est, postqvam suæ ipsius navis regimen susceperat: hi qvoqve ad tanti festi solennitatem profecti, Thorolfum comitabantur. Eyvindus, cognomine Screya, & Alfus Askmannus, fratres erant Gunnhildis, viri strenui, robore magno, Regia etiam affinitate & gratia potentes, vulgo tamen exosi. His, prius qvàm domo excederent, Gunnhildis in mandatis dedit, ut alterum filiorum Skallagrimi, vel, si possent, utrumqve occiderent. Id veritus Thorolfus, a latere Thoreris satrapæ nusqvam noctes diesve discessit; cavebat enim accuratè Gunnhildis insidias: qvod animadvertens Eyvindus, Gunnhildi suggessit, nullam occidendi Thorolfi occasionem dari. Illa, ut ergò comitum alterum tolleret, imperat. Vespere qvodam, postqvam Rex, Thorer etiam & Thorolfus, corpora qvieti tradidissent, Thorfinnus & Thorvaldus fratres in cænaculo remanserunt; qvò ingressi Eyvindus & Alfus collegium auxerunt, simulqve commissabantur valdè hilares. Eyvindus & Thorvaldus, Alfus qvoqve & Thorfinnus, inter se potabant. Primò potatio per collegia processit, vehemens qvidem illa; sed qvæ deinceps dimidia pocula evacuanda præscriberet; deniqve dolis actum, qvolibet sibi parcere, compotatoresqꝫ onerare, satagente. Inde ad cavillas, mox convitia, processum, qvibus irritatus Eyvindus, subito exiliens, arreptô gladio Thorvaldum lethali vulnere confodit. Reliqvi omnes inermes ob festi reverentiam erant; plurium tamen interventu ab invicem dirimebantur. Fit reus violatorum sacro-

sacrorum, turbatæq; pacis publicæ Eyvindus, omniumq; suffragio lupus in asylo judicatus est, id est, impunè occidendus. Rex commissam temerè cædem satisfactione expiaturus, multam pecuniariam offert: qvã recusantes Thorer pariter ac Thorolfus, negabant se unqvam accepisse, proinde nec accepturos. Domum inde recesserunt, magis, credo, publico metu exempli fæditate â pacificatione abstracti, qvàm propria pervicaciâ: aliàs ipso Rege rigidiores fuissent, & omnino impudentes; cum ille in pari causa, aut certè non dissimili, se exorari â Thorere passus esset. Rex publicam fortè, qvàm privatam, vindictam magis metuens, Eyvindum ad Haraldum Gormium Daniæ Regem ablegat: qvi eum, qvòd esset vir bello egregius, classi suæ piratis compescendis præfecit. Hoc loco *Eigla* Haraldum Gormo patri mortuo successisse tradit, anno nimirum seculi illius decimo octavo: id qvod nullo modo consistere poterit. Parti alicui Daniæ id temporis â patre præfectum crederem. Nam & hæc conveniunt cum periodo imperii Haraldiani, a nobis in Serie Regum Daniæ monstratâ, usqve ad duos annos, qvos hic omissos agnoscimus, ita ut hæc ad annum CMXX referenda videantur.

Eodem verè Thorolfus & Eigill, piratica exercitia iteraturi, in Vikam primò, inde in Jutiam, navigârunt. Deinde latrociniis populationibusqve ubiq; maritima vastantes, in Frisiam moverunt. Multa ibi memorabilia gesta esse constat, qvæ sigillatim non exprimuntur. Inde in Daniam reversi, cum ad confinium Daniæ & Frisiæ vespere qvodam ad anchoras starent, duo nuncii ad Eigilem ab Akio missi, referunt, Eyvindum Skreyam, ad Jutiæ latus excubantem, reditum eorum expectare, numero navium militumq; illis longè potiorem: cæterùm duabus levibus navibus a classe digressum, haud procul ab iis distare. Eigill facilè incautum opprimi posse sperans, cupidusq; tantæ gloriæ in se convertendæ, ne præmonito qvidem fratre, eadem nocte navigationem occupavit, summoq; diluculo dubia luce improvisum adortus, lapidibus & saxis naves ad anchoras ligatas obruit. Eyvindus, multis suorum amissis, se præcipitem in undas dedit, cumqve magno, hac una salutis via evadentium, numero, natando in terram evasit. Naves prædaq; omnis Eigili cessit. Hac victoria elatus, ad fratrem eodem die rediit, metricèq; *Eyvindum Skreyam â se occupatum natando evasisse, postqvam strenuè pugnando nihil profecisset*, indicavit. Placuit itaqve, ut asperæ prius, nunc magis exasperatæ, Reginæ Gunnhildis ditionem vitarent. Inde in Saxoniam, mox Flandriam, navigatum, ibiqve complures annos egisse videntur: nec qvid illic gestum sit, usq; ad annum nongentesimum vicesimum qvintum, exprimitur, qvô in Angliam trajecerunt; sceptra ibi Adalsteino, qvi cognomine Fidi & Victoriosi inclaruit, tenente, qvæ anno eodem, XXVI Augusti, capessivisse, ex communi nostrorum scriptorum contextu haud obscurè colligitur.

CAP. V.

DE GESTIS EIGILIS IN ANGLIA, THOROLFI CÆDE, REGIS ADALSTEINI VICTORIA, EJUS IN EIGILEM GRATIA ET MUNIFICENTIA.

SEd qvoniam Adalsteini mentio hic incidit, pluraq; de eo inferiùs dicenda, gestaq; ejus cum Eirici rebus connexa sunt, placet paulisper exspatiari, nostrasqve antiqvitates revolvere, cumqve Anglorum scriptoribus conferre, qvæ de primordiis Imperii illius nostrates tradunt; rem tum per se haut injucun-

dam, tum, ut confido, Anglicanæ hiſtoriæ, qvæ hac in parte haud parùm illuſtratur, contraqve Scotorum aſſerta defenditur, non inutilem.

Qvo tempore Skallagrimi filii latrociniis orientis locupletati, in Flandria (certè aliqvot annos) morabantur, fama belli Anglici adverſus Scotos & Hibernos & Britones latè pervagata, ſimul Adalſteini profuſos in milites, qvos undiq; ſtipendiis conduxerat, ſumptus vulgavit. Inde magna lucri ſpe allecti, cum ſexcentis militibus, ſua auſpicia ſecutis (trecentos *Arngrimus* habet) proximo autumno illuc acceſſerunt, & poſtqvam in Regis gratiam catechumenorum ordini ſe militesq; ſuos inſcribi permiſerunt, qvo cum Chriſtianis pariter ac ethnicis converſari poſſent, qvod aliàs non licuit, in Regiam militiam aſciti ſunt. Cauſa belli inveterata, diuq; diſſimulata odia, ab Alfredi usq; temporibus, in eum progeniemq; ejus, afferuntur. Nam & is complures Reges, titulis Regiis multatos, ad Comitum ſortem conditionemq;, qvosdam etiam inferius, detruſiſſe perhibetur. Fines imperii latè promoviſſe, ampliſſimosqve ſucceſſori reliqviſſe, Angliæ Scriptores teſtantur: licet avum ejus Egbertum occidentalium Saxonum regno cætera, præter Merciorum & orientalium Anglorum, primum junxiſſe *Polydorus Virgilius* aſſerat. *Bromton* Vilaſum etiam Merciæ Regem devictum, tributarium ſibi feciſſe tradit. *Ethilredus Abbas Rievallis*, univerſam Angliam, ex auſtrali parte Humbræ, qvæ pluribus Regibus eatenus diviſa ſubjacuerat, ſuo ſubjugâſſe imperio affirmat, ut odiorum ſemina ab Egberto jacta Alfredus (cui omnes Anglos ſe ſubjeciſſe *Bromton*; orientales Anglos & Northumbrenſes paterno regno adjeciſſe *Simon Dunelmenſis* teſtatur) foviſſe, ſcintillasq; tantùm non extinctas reſuſcitâſſe videatur. Qvin ex *Dunelmenſi* colligitur, non Egbertum toti Angliæ jura dixiſſe, licèt multa regna ſuo ſubjeciſſe imperio fateatur; nam, ut ipſius verbis utar: *Mortuo Guthredo, Rex Alfredus Northumbrorum Regnum ſuſcepit diſponendum: poſtqvam enim Sanctus Cuthbertus ei apparuit, paterno regno, id eſt, occidentalium Saxonum, & provinciam orientalium Anglorum & Northanimbrorum poſt Guthredum adjecit.* Qvod ſi Alfredus patri Ethelvolpho, avoq; Egberto, tantùm in occidentalium Saxonum regnum ſucceſſit, qvod ei hic paternum fuiſſe traditur, majori jure ei Monarchiæ Anglicæ principium, qvàm avo, tribuetur. Hunc noſtri Scriptores primum Angliæ Monarcham agnoſcunt, Alfredumq; Potentem nuncupant, armisq; partum imperium, ſuo filiiq;. Edvardi tempore, armis etiam defenſum, non ſine tacita eorum, ſed metu ſuppreſſa, indignatione, qvi gradu moti eſſent, affirmant: qvæ ſtatim in primordiis imperii Adalſteini juvenis, occaſione ætatis teneræ, ideoq; contemptu expoſitæ, eruperit, factionis principem ſe gerente Olafo Rufo, præpotente Scotiæ Rege; paterno qvidem genere Scoto, Materno Dano; a Ragnare Lodbroke oriundo. Hic Huval, *Dunelmenſi* occidentalium Britonum Rex, Höelus *Bromtoni* nominatur. Northumbria, id temporis ditionis Adalſteini, Comitibus duobus, Alfgeiri & Gudreco, ab irruptionibus Danorũ, qvibus dudum paruit, Scotorumq; defendenda, comiſſa eſt. Britannia, ſeu, ut noſtri habent, Bretlandia, longiſſimè á Cornubia, parte Angliæ maximè occidentali, diſtans, juris etiam Adalſteini fuit. *Theodricus Monachus in hiſtoria de Regibus Norvegicis* Bretland Cornubiam verterat, qvam Magnũ Nudipedem Norvegiæ Regem unà cum Scotia rapinis infeſtâſſe tradit, manifeſto librariorum vel typographorum errore, cum is non Cornubiam, ſed Cornaviam, vel ſcripſerit, vel intellexerit, eo qvod Hugo Groſſus Ceſtriæ Comes ſagittâ Magni Nudipedis, cum Bretlandiam peteret, occiſus ſit; qvanqvam Ceſtria Cornaviæ provincia Bretlandiæ an ſecus annumeranda ſit, incertum eſt. Valliam enim, nec ſcio an totam, iſto nomine comprehenſam reperio, cujus magnitudo inde

de cenſenda eſt, qvod Mona ſive Angleſa, trientem Bretlandiæ conſtituere dicatur, Silurum priſcorum ſedes & patria: qvòd ſi extra Valliæ fines in aqvilonem porrecta Ceſtriam complectitur, tanto minus in auſtralis Valliæ partes extendatur oportet. Hic igitur ſeptentrionalibus populis tractus olim Bretlandiæ nomine venit. Tractus enim intra vallum Adriani, aut etiam Severi, Britanniæ nomine *Bedæ*, aliisq; antiqvis Scriptoribus, *Buchanano* teſte, intellectus, alienus videtur ab hac Bretlandia, qvam jam memoramus: qvod tamen lectoris judicio rectiùs relinqvemus. Sed ad rem. Præfuerunt Bretlandiæ duo Comites, bellatores inſignes, iidemq; fratres, Hringus & Adils, utriq; Adalſteino tributarii: in fronte ſemper aciei, & ante ſigna veteri privilegio collocandi. Olafus collecto magno exercitu in Angliam infuſus Northumbriam vaſtavit. Ei igitur magnis copiis Comites Gudrecus & Alfgeir cum ſe oppoſuiſſent, magna clade accepta, cæſo Gudreco, Alfgeir cum reliqvis in fugam vertitur, adq; Adalſteinum, nuncius tantùm cladis, proficiſcitur. Exinde nullo repugnante Northumbriâ Olafus potitur. Interim Adalſteinus, delectu anxiè habito, copias undiqve colligit, Comitibusq; & univerſa nobilitate ſuccinctus, adverſus eum movit. Verum famâ ſucceſſûs Olafi erecti, qvi conſilia defectionis dudum animo volutabant, apertè jam ei ſe adjunxerunt: tantusq; deficientium confluxus fuit, ut Adalſteino numero militum longè prævaleret. Præcipuam virium acceſſionem defectio Comitum Bretlandiæ, cum univerſo, qvem conſcripſerant, exercitu, præſtitit: qvæ res cum conſilia Adalſteini omnia, rationemq; belli, qvippe improviſa, turbâſſet, habito conſilio militari, proceres omnes convocat. Ibi coram univerſo exercitu fraude Comitum defectioneq; comemoratâ, omnium animos adeo comovit, ut ſua qvisq; eos manu prima qvaq; occaſione mactandos deſtinaret; proditores patriæ, Regis, regni, appellantes. Qvòd verò ſe impares Olafo animadverterent, placuit ut ipſe Rex ad ultimos inſulæ terminos receſſusqve in auſtrum proficiſceretur, indeq; orſus, Majeſtatis authoritate ad militiam omnes, qvi armis tractandis idonei eſſent, per univerſam inſulam compelleret, copiis autem, qvæ in caſtris erant, Thorolfus & Eigill præficerentur. Redeuntem ê conventu Eigilem cum interrogarent ſui, qvid geſtum eſſet? verſu, qvi extat, defectionis perfidiam in Comitibus arguit, exaggeravitq; ſceleris enormitatem. Rhythmus iſte, cum pluribus aliis, profundam antiqvitatem, lingvæq; illius genium, redolens, veritatem relationis probat. Dum Rex in delectu militum occuparetur, placuit præfectis, ut legatis ad Olafum miſſis, nomine Regis Adalſteini diem locumq; pugnæ condicerent. Tesqva, ſeu (ut alii habent) ſylva Vinheidi dicta, ad hoc delecta, dierumq; octo ſpatium definitum. Non caruit probro populatio, qvæ exinde fiebat, donec prælio certatum eſſet. Itaq; Olafus Scotorum Rex milites ſuos copiasq; auxiliares ab ulteriore vaſtatione cohibuit, pacatèq; per hoſticum progreſſus, caſtra prope oppidum Vinheidenſe poſuit, omniaq; ad pugnam gerendam idonea aptè diſpoſuit. Locus haſtis corylo undiq; circumſcriptus eſt, ſpatioſus admodum, in planicie, qvæ utriusq; exercitûs capax eſſet. Latus aliud ſylva ingens, aliud fluvius terminabat; nec procul inde in tesqvis alius amnis fluebat. Caſtra Adalſteini ſpatium univerſum inter ſylvam & amnem longo tractu occupabant, edito loco ſita, ut numerus copiarum ex hoſtium caſtris conſpici poſſet, qvæ longo intervallo verſus boream locata diſtabant. Verum qvamvis copiæ Adalſteini in ſingulos dies magno indigenarum confluxu augerentur, tamen cum Rex ad definitum tempus non rediret, haud ê re viſum eſt, eô abſente cum hoſte dimicare. Qvô vero pugna in adventum ejus differri poſſet, placuit caduceatorem ad Olafum mitti, qvi nunciaret: *Adalſteinum,*

licèt ingentibus copiis armatum, pacem tamen incertis belli præferre, conditionibusqve haud contemnendis inducias, qvoad pax coalesceret, haud ægrè redempturum. Stabat jam in procinctu Olafus, cum hæc legati nunciarent: itaq; convocato procerum consilio, tota dies variis sententiarum suffragiis extracta est; aliis conditiones arripiendas, bellumq; qvæstuoso, nec minus glorioso, eventu, absq; ulteriori periculo, suorumq; cæde, vel etiam detrimento, finiendum svadentibus; aliis eundem metum, qvi has conditiones expresserit, plura etiam, hisqve longe majora, adjecturum conjicientibus, qvæ etiam sententia prævaluit. Legati cum hoc responso remissi, Olafum qvidem a pace minimè abhorrere, verum plura superioribus conditionibus adjicienda, retulerunt. Tum Angli triduum ad responsum referendum pacti, unum diem ad reditum in sua castra, alium ad deliberandum, tertium ad reditum in hostium castra. Qvibus elapsis, per legatos responderunt: *Adalsteinum superioribus conditionibus adjecisse, cuilibet tribuno militum auri selibram; singulis copiarum Ducibus, (isti etiam simul provinciarum præfecti fuisse videntur) duas, Comitum autem cuivis qvinq;.* Hæc etiã conditio variis consultantium sententiis excepta est. Tandem legati dimissi, Regiq; suo referre jussi sunt: *Regem qvidem Olafum hæc minime abnuere, si Northumbriam, qvam alioqvin insederit, sibi cum omni jure reditibusq; unà cederet.* Iterum legati triduanas inducias pacti, legatos Olafi Regis ad responsum referendum secum ducebant, implebantq; eum spei omnium, qvæ imperâsset, â Rege suo, ad pacem maximè propenso, obtinendorum. Et jam rediens Adalsteinus iis in deserto occurrebat, cum ingenti exercitu, qvem undiq; collegerat: auditisq; conditionibus, qvas offerebant, cognitoq; præfectorum suorum strategemate ad inducias protrahendas, statim eos cum hoc responso dimisit: *permissurum se Olafo reditum in Scotiam, ea lege, ut damna illata restitueret, deinde suis limitibus contentus pacem coleret; insolentiæ tamen culpam jacturâ Majestatis lueret: sibi fidem subjectionemq; sacramento obligaret; vectigalis in posterum futurus.* Media nocte legati in castra redeuntes, Regem qviescentem excitant, qvi convocatis Comitibus præfectisqve, mandata Adalsteini legatos coram exponere jussit; qvibus relatis adjecerunt: *hoc eodem die cum maximis copiarum supplementis in oppidum rediisse.* Primus Comes Adils, qvi defecerat, respondit: *verum esse, qvod antea monuerit, Anglos esse homines astutos, ut qvi moras tantisper injecissent, dum aucto delectu numero copiarum prævalerent, absenteq; Rege inducias sibi utiles, hostibus noxias, protraxissent. Se igitur & fratrem cum parte copiarum adventum Regis in castra præventurum, fiduciaq; illius securos oppressurum; qvi si in fugam inopinatô metu verterentur, facilè omnes ad internecionem deleri posse.* Placuit Regi consilium, seq; summo mane cum universa acie subsecuturum pollicitus est. Eadem hora Comites, procinctu in solitudinem facto, ubi plerumq; noctis processit, obscuro etiam tum lumine, ab excubitoribus Thorolfi observabantur; qvi signo tuba dato exercitum collegit, aciemq; qvàm ocissimè instructam in duas partes divisit: qvarum alteri Comes Alfgeir præfectus est, qvæ constitit ex copiis, qvibus priùs præfuit, qvas, qvi ex diversis provinciis in castra confluxerunt, supplebant, vexillumq; ei prælatum est: reliqva pars Thorolfo commissa, in qva omnes Norvegi peregriniq;, habitu, vestitu, & armaturâ Norvegicâ instructi. Thorfinus Strangius vexillũ gestabat. Acies prope silvam, ne â multitudine circumveniretur, instructa: Comites enim numero abundabant. Thorolfus clypeo optimæ notæ galeaqve insignis, gladio nobilissimo, nomine Lang/ accinctus, gesum manu tenebat, cujus tubus superne latus crassusq; duos cubitos longus, in aculeum qvadratum undiq; acuminatum desinebat: hastile crassum, cubiti longitudine,

ne, ita ut extenſo brachio palmulâ poſſet attingi, partem ferri, qvæ inſerebatur, âqve tubo procedebat, circumplectens, extrinſecus ferreis laminis obductum. Tales haſtæ id temporis Brynpvarar dictæ ſunt. Eigill habitu, armaturaq; fratri ſimilis, niſi qvod gladium inſuper geſtabat, Naður dictũ, generis optimi, qvem inKurlandia adeptus eſt. Neuter lorica corpus texit. Ut verò Comites ſe haud improviſos acceſſiſſe, nec dolum proceſſiſſe, animadverterunt, aciem bifariam dividunt: Adils Alfgeiri, Hringus fratribus oppoſitus. Mox cruentum bellum exortum eſt, utriſq; rem haud ſegniter gerentibus. Sed ferocior Adils tantam in Alfgeirem impreſſionem fecit, ut ſubitò in fugam verſus animum qvosq; deſponderet: nam memor, acriùs ſe priùs a Rege, ob rem infeliciter geſtam, increpatum, jam iram ejus, magis qvàm par erat, veritus, ſibiq; malè metuens, in teſqva Vinheidenſia ad auſtrum provectus, cum oppido, ubi Rex cum exercitu morabatur, appropinqvaret, neqvaqvam Regem ſe acceſſurum pronunciavit, utpote qvi ſe, priore clade accepta, vehementer objurgâſſet; jam vero longe plus increpaturum. Itaqve noctes diesq; in auſtrales Angliæ oras profectus, non prius deſtitit, qvam in Jarlsneſiam, forte Cantium promontorium, pervenit, indeq; transmiſſo oceano, in Gallias ad propinqvos & cognatos ſuos conceſſit, nec unqvam rediiſſe perhibetur. Adils fugientes haud longè perſecutus in prælium rediit. Qvo cognito, Thorolfus Eigilem ei cum parte copiarum obviam mittit. Ipſe ſuorum paucitati metuens, ne circumveniretur, vel a tergo invadi poſſet, ſilvæ ſe applicuit. Tanto deinde ardore pugnare occepit, ut projecto in tergum clypeo, inter confertos hoſtes invectus, ambabus manibus obvios qvosqve proſcinderet, viamqve ſibi cædendo, cedentiúmq; fugâ, occiſorum etiam ſtrage, in mediam aciem faceret, uſq; ad vexilliferum Comitis Hringi, qvem protinus ſignô dejectô occidit. Mox mucrone pectori Comitis adacto, ita ut per tergum emineret, ipſum ſupra caput levat, haſtiliq; terræ impreſſo transfixum, gladioqve hærentem, tantiſper, utroq; exercitu ſpectante, detinet, donec exſpiraret. Stricto deinde gladio, ſuis pari alacritate ſeqventibus, in hoſtem fertur; editaq; memorabili pugna, Scotos Britonesq; paſſim fundit. Adils, conſpecta fratris morte, ſuorumqve ſtrage, cum periculum undiq; immineret, in ſylvam, projectis ſignis, cum copiarum reliqviis ſe proripuit. Verum Thorolfus & Eigill fugientibus inſtantes, eos a tergo cædebant. Per integrum diem prælium tenuit. Cum autem projectis ſignis Adils â reliqvis diſcerni non poſſet, noxq; appeteret, ſigno receptui dato in caſtra reditum eſt, Adalſteino hoc eodem tempore, cum univerſis, qvas contraxerat, copiis, in caſtra redeunte, Olafoq; Scotorum Rege adventante: qvi ſuorum clade cognita, caſtra haud procul Adalſteino locabat. Adalſteinus ordine pugnæ accuratè inqviſito, fratres in primis collaudabat, ſpeq; præmii oneratos dimittens, ad corpus curandum conceſſit. Proximo die, ſummo mane aciem inſtructurus, Eigilem in fronte illius aciei, qvã ipſe ducebat, cum promptiſſimis qvibusqve collocavit. Præter id, qvod antea duxit, agmen, aliud Thorolfo commiſſum, ſuis propriis, pluribusq; aliis militum cohortibus auctum, ad opem labantibus fluctuantibusq; ferendam, ubi opus eſſet, deſtinatum. Verùm Eigill ſe a fratre hoc prælio ſeparari nolle palam contendebat: placere tamen, ubi maximum eſſet periculum, collocari. Thorolfus, ut Regi hac in re morem gereret, hortatus eſt: operam enim, qvantumvis alacrem, obſeqvio gratiorem futuram. Is parendum qvidem ſibi, ſed ſimul etiam, qvoad viveret, obſeqvii iſtius pænitendum, reſpondit. Inde acie in ordines digeſtâ, ſigna erigebantur: Regia qvidem in planice ad ripam amnis, Thorolfi ſupra ad ſylvam explicata ſtabat. Olafus ſimiliter,

 acie

acie in duas partes diviſâ, aliam duobus præfectis, iisq; Scotis, contra Thorolfum ad ſylvam ordinavit. Pari militum numero ab utràq; parte concursũ eſt, collatisqve ſignis alacriter dimicatum. Thorolfus propè ſylvam agmen ducens, tam citato gradu ad Regiam aciem contendit, ut pauci ſuorum ſeqvi poſſent: qvem ut agmen prætervectum, paucisq; admodum comitatũ, Adils Britonum Comes, intra ſylvæ latibula abſconditus, cum ſuis animadvertit, facto impetu, in eum cum delectorum militum numero irruit; priusq; qvàm ſuccurri poſſet, a multitudine oppreſſus eſt. Thorfiñus autẽ Strangius ſignifer, cognito Ducis caſu, conſternatus, pedem retulit. Adils fraterna ultione ferox lætusq;, multa cæde invehitur. Clamor permiſtus hortatione lætiaq; inter ſtrepitus armorũ ad cælum fertur: qvem ut Eigill audivit, nutantemq; fraternam aciem conſpexit, ductu deſtitutam apud ſe reputans, eò ſe celeritèr contulit: cognitaq; fratris cæde, ſuos ad ſeqvendũ magna voce hortatus, ipſe legionem fraternam ducere occepit. Tum demum Thorfiñus vexillifer ſigna promovit: namq; Eigill, velut repentino furore correptus, ambabus manibus ab utroq; latere hoſtes feriebat, mediamq; hoſtium aciẽ penetrans, ad Adilſem pervenit; qvem manus ſecum conferentem cum multis aliis occidit. Inde fugientibus Britonibus, Duces Scotici prælium paulum ſuſtinuerunt, donec & ipſi effusè fugere cæperunt. Interea Eigill nemini parcens, per cædes ſtragemq; hoſtium, cæſorumq; cadavera, ad Regiam Olafi aciem pervaſit. Scotiorum metum, eò qvoq; diffuſum, impetus Eigilis, ſucceſſu ferociã accendente vehementior, copiæq; Adalſteini fortiter inſtantes, repentè auxerunt. Neq; enim Eigill, ut verè tradit *Arngrimus*, aliter hoſtes, qvàm lupus in caulam imiſſus, diſcerpſit, & dilaniavit. Sed nec Olafus qvidẽ interea qvietus erat: circuire, hortari, renovare prælium, & ipſe cum delectis tentare omnia, ſubvenire ſuis, hoſtibus dubiis inſtare: qvos firmos cognoverat, eminus pugnando retinere: donec metus ſtragesq; promiſcua ſpẽ vincerent. Tandem & ipſe, editâ dignâ faſtigio tanto pugnâ, cum maxima ſuorum parte cæſus eſt. Victor Adalſteinus magno gaudio ad oppidum regreſſus eſt. Eigill cum reliqvis præfectis, copiarumq; ducibus, fugientes longo tempore perſecutus, paſſim cædebat; nec prius receſſit, qvàm cæde & ſangvine hoſtium manibus fratris ad ſacietatem usq; litâſſet. Inde in locum prælii rediens, cadaver fratris invenit, funereq; pro more magnificè facto, abluto corpore, tumulo terrâ lapidibus aggeſtâ excitato eum univerſa armatura inſtructũ intulit, utrumq; brachium aureis armillis ornavit, verſuq; memoriam ejus celebravit, qvi etiamnum extat: alterum qvoq; de prælio cum Olafo, auſpiciis ductuq; Adalſteini geſto, cecinit. Atq; ita juſtis raptim factis, ad Regem Adalſteinum regreſſus, triclinium, ubi cum proceribus accumbebat, intrat. Qvo viſo Rex juſſit, ut qvi potiorem locum cepiſſent (is Regi ex adverſo ad alium parietem oppoſitus erat, honoratiſſimusq;) ei ſociisqve ejus cederent. Eigill igitur, ut erat galeatus, aſſedit, ſubſtratoq; pedibus clypeo, gladium vagina conditum genibus impoſuit: qvem mediotenus per vices, vel eduxit, vel condidit. Ipſe in ſede erectus, facie valde pallida; trucem vultum ſpecies reliqva exaſperavit; inflatæ buccæ & tumidæ; magna ſeq; invicem attigentia ſupercilia, pupillæ, oculiq; nigri, naſus brevis & admodum craſſus: eadem mento forma, labra prægrandia, multũ barbæ fundamen, craſſa cervix, frons lata. lati humeri, capillus lupino colore, ſtatura ingens: emicabat ex ore, qvoties ira incaluit, ferocia. Is talis, irâ ſimul & mærore æſtuans, interdũ ſupercilia in genam demiſit, interdum in frontem ad radices usq; capillorum elevavit. Pocula, qvæ propinabantur, recuſavit. Hos turbidi excitatiq; animi motus animadvertens Rex, & ipſe in ſolio reſidens, gladium qvoq; ſuum genibus imponit, cumq; hoc ſitu uterq; paulùm conſediſſent, tandem Rex eum

ſtringens

ſtringens, extractam brachio armillam auream mucroni imponit, magni qvidem ponderis pretiiq;, ſolioq; excedens in mediũ pavimentum progresſus, gladium ſuper focum extenſum porrigit. Eigill pariter loco deſcendens, gladio qvoq; extenſo, armillæq; inſerto, eam ad ſe trahit, locôq; repetitô brachio imponit. Tum primùm ſupercilia in ordinem redierunt. Rex tam præſenti remedio lætus, mox aliam ei donat: qvo ille munere exhilaratus, poſitis armis, protinus cornu arreptum uno hauſtu evacuat, verſuq;, qvi adhuc extat, donum celebrat. Exinde alios allocutus, pocula pro ſua parte exhauſit. Inde Rex ſcrinia duo; qvorum ſingula famuli duo portabant, in pavimento ſtatui curabat, argento repleta. *Hæc*, inqvit, *ſcrinia accipito, patriq; tuo munus a me miſſum, in ſolatium orbitatis, redux in patriam referto. Tibi verò damnum, fraterna cæde acceptum, poſteà rependam. Nam & agri, opes, officia, honores, tibi in regno meo pro arbitrio tuo patebunt.* Eigill tanto munere Regioq; promiſſo, inq; tanto conſeſſu magnâ favoris declaratione, meritorũq; ſuorum haud obſcura confeſſione, haud imeritò lætus, carmine munificentiam benignitatemq; Regiam extempore qvidem, ſed exqviſitè, prædicabat. Proximam inde hyemem magno in honore copiis omnibus, qvibus Thorolfus prius præfuit, præfectus, apud Regem remanſit, carmenq; encomiaſticum in ejus honorem fecit, qvod qvidem intercidit, intercalari tantùm verſû reſtante, cujus hic eſt ſenſus:

Paret Adalſteino mundi flos, Anglica tellus.

Præmium carminis duæ armillæ aureæ, qvarum qvælibet ſelibram pendebat; inſuper pallium pretioſum, qvod rex ipſe geſtaverat, datum. Proximo vere Regi ſignificabat, ſibi in animo eſſe Norvegiam repetere, ad inviſendam fratriam, magnas namq; ibi opes congeſtas eſſe, inſpectioni ſuæ (reliqvit namq; filiam Thorolfus, nomine Thordiſē, cujus jam tum propinqvi ex paterna linea tutores erant, legitimæ tutelæ jure) creditas Rex diſcedendi qvidem poteſtatem, urgente neceſſitate, ſe ei facturum affirmat: malle tamen, ut in Anglia remaneret, impetraturus, qvam expeteret, conditionem. Is, actis impensè gratiis, tutelare officium primùm ſe obiturum reſpondit; deinde, cum licuerit, rediturum, qvô promiſſô Regi ſatis factum eſt: diſcedentiq; navis longa, qvæ centum ſocios nauticos vehebat, dono data.

CAP. VI.

DE RATIONIBUS, QVÆ MEMORATAS RELATIONES CUM SCRIPTORIBUS ANGLORUM UTCUNQVE CONCILIANT.

HÆc, licèt tam ab Anglicis, qvàm Scotorum ſcriptoribus, diſſentiant, qvorum neutri Olafum Scotiæ Regem agnoſcunt, conciliari tamen magnam partem poſſunt, & qvidem cum Chronologia noſtra ad amuſſim. Facilè tamen iis, qvi relationes has exceperunt, occidentalium Britonum Rex Hoelus, vel Huwal, pro Scotiæ Rege obtrudi poterat, cũ tam is, qvâ Scotiæ Rex, conjunctis viribus Adalſteinũ oppugnaverint, Olafus etiam perperam iſto prælio occiſus dicitur. Certiſſimum eſt, hæc ex toto conficta non eſſe: cum hæ relationes ab illis ipſis, qvi prælio interfuerant, magnamq; ejus partem geſſerunt, in Islandiam emanârint, ibiq; tanto tempore fidem obtinuerint, carminibusq;, veterem lingvæ genium ſapientibus, etiamnum hodie celebrentur. Scriptores autem Anglicos maximas Adalſteini res ignorâſſe deprehendimus; educationem nimirum Haconis Adalſteini alumni dicti, qvodq; hunc pellice natum, expulſo legitimo filio, Norvegiæq;, Regni id temporis florentiſſimi, Monarchâ, Regem peregrino regno obtruſerit; reliqvùm a poſſeſſione tanti regni deturbatum, in clientelam ſuam receptum fiduciarium Northumbriæ Regem, ut ſuo loco dicetur, conſtituerit. Hunc eundem Olafum *Bromton* Hoelum nuncupat, refertq;, qvòd poſtqvam Adalſteinus ſororem ſuam Sithrico Northumbriæ

Regi

Regi copulaverit (qvod Anno CMXXV factum Dunelmensis tradit) tum deinde Hoelum Regem Britonum & Constantinum Regem Scotorum prælio subactos, in deditionem receperit, ac, secundum qvosdam, dictum Hoelum tributarium sibi fecerit, de qvo XX. Lib: auri, & CCC. Lib: argenti, & V. millia bestiarum singulis annis perceperit. Hunc *Simon Dunelmensis de rebus gestis Anglorum, ad annum CMXXVI.* Huwal nominat, occidentaliumq; BritonumRegem memorat. Integrum caput adscribere libet: *Anno CMXXVI. Northanimbrorum Rex Sithericus vita decessit, cujus Regnum Rex Ethelstanus, filio ejus expulso Guthertho, qvi patri in regnum successerat, suo adjecit imperio, omnes etiam Reges totius Albionis, Regem scil: occidentalium Britonum Huwal, deinde Regem Scotorum Constantinum, Regemq; Wentorum Wuer, prælio vicit, & fugavit. Hi omnes, ubi se viderunt non posse strennitati illius resistere, pacem ab eo petentes, in loco, qvi dicitur Camotun, IV. idus Julii convenerunt, datoq; sacramento firmum cum eo fœdus pepigerunt.* Hìc nominaHoelus, vel Huwal,bellisimè cumOlafi nomine conveniunt; añus exactè cum scriptoribus nostris convenit. Locus prælii hic non exprimitur, ideoq; nostrorum relatio nec infringitur: nec obstat, si hic occidentalium Britonum Rex erat, qvo minus Comites, qvi ab Adalsteino defecerunt, orientalium Britonum præfecti fuerint, facileq; Northumbria ab Hoëlo, ab alia parte, Scotoq; ab alia, impugnantibus, expugnari poterat, Hoelus autem scriptorum, relationes primas depravantium, incuriâ pro Scotorum Rege, qvi eodem prælio vincebatur, venditari facile potuit, victusq; pro occiso. Prius qvàm in hunc locum incidi, bellum illud hic describi existimavi, qvod Vendune ad annum CMXXXVII. gestum *Dunelmensis & Bromton* referunt, ab Adalsteino contra Analafum, qvem interdum Anlafum, interdû Onlafum, nominant, Hibernorumq; Regem faciunt: verû isto tempore Eigill, secunda vice, vel apud Adalsteinum mansit, vel nuper ab eo discessit, non enim exprimitur, qvo anni tempore gestum sit. Eigill autem principio æstatis ejus anni ab eo discessit, retentus procul dubio, si tantum bellum imminuisset: nec, si interfuisset, omissum esset. De his videri poterit *Varæus ad annum CMXXXIV.*

CAP. VII.

DE PROFECTIONE EIGILIS EX ANGLIA IN NORVEGIAM, CELEBRATISQVE CUM FRATRIS UXORE NUPTIIS.

EX Anglia in Norvegiam navigans Eigill, Fiördis navem applicuit, cognitoqve Thorerem satrapam obiisse, Arinbiornumqve ei tam in dignitatem præfecturamqve, qvàm cætera bona juraqve successisse, ad eum se contulit, ibiqve cum duodecim famulis per hiemem remansit, cæteris per hospitia in viciniâ distributis. Asgerdis Thorolfi uxor apud avunculum suum Arinbiornum â discessu mariti remansit. Morte autem illius per Eigilem cognitâ, licèt is suam ei operam propensam offerret, valde tamen contristata luxit. Decesserat etiam mater ejus Thora: pater autem Biornus aliam uxorem, nomine Olufem, Erlingi Divitis de provincia Hordalandiæ Ostria filiam, duxit, ex qvo conjugio filia Gunnhildis nata, qvæ viro celebri Bergaunundo, Thorgeiris Thirnifoti, seu Spinipedis, filio, de prædio Asko, in districtu Fenhringensi olim dicto, nupsit. Insula jam oppido Bergis vicina, ab isto prædio Asköen nuncupatur. Fuit autem Bergaunundur robore insigni, injustus præterea & avarus. Duo illi fratres erant, Atlius, per antiphrasin Brevis dictus, statura procera, robore giganteo: alter Haddingus, piraticæ ut plurimum intentus, qvi raro domi remansit, omnes turbulento ingenio, ferociâq; insigni. Procedente autumno Eigill præter morem contristabatur, statutô taciturnior, demisso capite, nec, ut solebat, potare sustinuit; qvod animadvertens Arinbiornus, causam sciscitatus, fratris mortem tempestivè lugendam, masculeq; ferendam, monuit; lege enim naturæ unum alteri superviсturum: jussitq;, ut si qvid desideraret, versu proderet. Extempore qvidem illum, tanta tamen arte factum, ut sensum non caperet, Arinbiornus explicare mandavit; nomen enim fæminæ poetico artificio rhytmo inclusum erat. Fudit igitur alium, sororisq; ejus filiam Asgerdem fratriam suam uxorem petiisse explicavit, operamq; ejus intercessionemq; apud patrem viduæ deposcebat; qvam cum Arinbiornus ei addixisset, fratriæ voluntatem ipse reqvisivit. Qvæ cû istam curam ad arbitrium patris avunculiq; retulisset, Arinbiornus, Eigile comitante, eò profectus, haud difficulter consensum illius impetravit, Nuptiæ apud Arinbiornum magna festivitate celebratæ sunt. Hi-

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS SECUNDÆ

LIBER QVARTUS,

DE GESTIS EIRICI BLODÖXII.

CAP. I.

DE EIRICI BLODOXII SUCCESSIONE IN REGNUM, DISSIDIIS CUM FRATRIBUS, THRANDIÆ VIKÆQVE REGIBUS, ET CONSILIIS ULTRO CITROQVE INTER EOS AGITATIS.

Eiricus, id nominis primus, cognomento Blodöxius, ſecundus totius Norvegiæ Monarcha, Haraldo Pulchricomo Regnum abdicanti, ſibiqve regendum tradenti coṁendantiq;, anno Chriſti CMXXX ſucceſſit: licet nemo fratrum ei vel tributa, vel Regi debita obſeqvia, exhiberet. Hyeme verò, qvæ obitum patris proximè ſecuta eſt, anni nimirum CMXXXIV, dimidiæ regionis cenſum omnem Regium vectigaliaqve, nemine refragante, aſſecutus eſt. Cum autem cæterarum Regni partium cives ſuis qvisqve Regibus illud veræ ſubjectionis argumentum contribuerent, ipſiqve legitimè & ex arbitrio paterno regnanti denegarent, haud injuſtâ irâ commotus, in Sigrodum fratrem, ſuprema in Thrandia; & Olafum in Vichenſi territorio, Regia jura invadentes, animadverſurum ſe, Regnumqve ab injuſtis uſurpatoribus juſto pioqve bello repetiturum, minatus eſt. Igitur fratres per internuntios ſe invicem confirmantes, diem locumq; cöeundi condicunt. Sigrodus in Vikam profectus, fratrem Tunsbergæ adit. Ibi de qvibus in rem eſſent, ad vim Eirici propulſandam, liberamqve in ſuos cuiqve cives imperandi poteſtatem, nemini obnoxiam, aſſerendam, conſultatum. Sed tempus longiùs, qvàm utriqve conduceret, deliberando extractum, ad maturanda, qvæ Eiricus antea deliberaverat, præſentiſſimam occaſionem præbuit. Cujus eventum anteqvam exponam, præmittenda ſunt, qvæ inter Eiricum & Eigilem Skallagrimi filium paulo

antea evenerunt, ob jus, qvod ei Rex in publico foro judiciario, uxoris suæ patrimonium repetenti, palam denegavit; multorum deinde malorum causam.

CAP. II.

DE EIGILE SKALLAGRIMI FILIO, BERGAUNUNDUM UXORIS SUÆ SORORIUM DE HÆREDITATE, QVAM INVASERAT, IN FORO GULATHINGENSI LITE PERSEQVENTE, REGISQVE IN EUM IRA, INJURIA, ET ILLATA CLADE.

SUb finem libri superioris, qvid Egill in Anglia gesserit, fusè exposui: deinde, qvòd inde in Norvegiam redux uxorem fratris sui duxerit. Talia enim conjugia nec legibus, nec moribus interdicta: qvin & multis exemplis confirmata sunt. Cumqve hyemem in Norvegia, vere proximo, consulente Arinbiorno, ut Eirici Regis & Gunnhildis, jam sibi post conflictum cum Eyvindo ipsius fratre ad oras Jutiæ magis infensæ, ditionem potestatemqve vitaret, in Islandiam post duodecim annorum (ut tradit ejus historia) peregrinationem rediit, patri qvidem, jam ob desiderium Thorolfi valde contristato, longè qvàm antea acceptior; nec tamen ei arcas argento distentas, qvas Adalsteinus in solatium orbitatis miserat, reddidit. In patria ad annum CMXXXII remansit; tum primùm per intermeantes nautas comperit, excessisse socerum suum Biornum Hauldum, uxorisqve suæ sororium Bergaunundum, qvi Aschi resedit, universam hæreditatem uxori suæ Gunnhildi vindicâsse, omnia mobilia domum reportâsse, prædia & agrorum usum colonis pro more locâsse, sibiqve & proprietatem eorum, & reditus universos, arrogâsse, exclusa uxore sua Asgerde, illius uxoris sorore. Miratus audaciam, an propriâ authoritate, an verò fiducia potentiorum, niteretur, dubitabat. Cognito autem, suffultum favore Regio Reginæqve, hyemem domi substitit.

Inseqvente vere, assumpta secum uxore, in Norvegiam transfretavit, relicta domi privigna Thordise, fratris sui filia: adqve Arinbiornum profectus, summâ benevolentiâ exceptus, apud eum cum nautis hyemavit. Post exiguam moram, exposito itineris tam molesti scopo, Arinbiornus auguratus est: *arduam interceptæ hæreditatis repetitionem futuram, & tantùm non frustraneam; qvòd Bergaunundus jam magistratu potens, favore insuper Regio, gratiâqve Reginæ plurimum valeret; vir naturâ asper & sævus, iniqvus & avarus, & illi præterea valde infensus.* Ad ea Eigill respondit; *haud de Regis æqvitate desperandum; certè in Arinbiorni se interponentis gratiam jus sibi redditurum.* Mox confidentior lembum viginti remis instructum expedit, inqve Hördiam movens Aschum pervenit, domumq; cum sociis accedens, ut primùm copiam Bergaunundi nactus est, postulat: *hæreditatem a communi socero Biorno Hauldo relictam, utriqve filiæ pariter competentem, justè dividere haud gravetur: nec in uxoris suæ, pari qvidem cum Gunnhilde conjuge ejus ad successionem jure, natalibus insuper potiore, debita parte detinendâ ulterius perseveret.* Irritatus adhæc iniqvi animi vir Bergaunundus, asperis eum verbis vehementibusq; objurgans respondit; *Gnaviter qvidem eum impudentem videri, qvi exul Regiâ sententiâ factus (futurus*

turus certè ob cædem Bardi, ni Thorer Arinbiorni pater intercesſiſset; fa-ctus nusqvam legitur; meritum tamen pro ſententia Bergaunundus hic ac-cipit, exaggeratqve) *ipſe peregrinus, non modò Regnum ipſius intrare auſit, ſed etiam amicos ejus civesqve laceſſere. Nolle illum latere, conſveviſſe ſe tales homines, qvalis ille eſſet, in Orcum mittere, & qvidem minori de cauſa, qvàm hæc eſſet, modò non deſiſteret. Litem illam inanem & frivolam de hæreditate uxoris ſuæ intendere; omnibus namqve conſtare, eam matre ſervâ natam.* Longâ deinde per aliqvod tempus verborum diahræâ auditorum aures opplevit. Qvem ut Eigill obſtinatum in propoſito animadvertit, ad forum Gulathingenſe citavit. *Qvandoqvidem*, reſpondit Bergaunundus, *te tanta illuc procedendi libido capit, certè inde te regredi nolim. Id verò ſorti ſatisqve ſe commiſſurum* Eigill regeſſit. Hoc tenore iter illud peractum eſt. Rever-ſus ad Arinbiornum Eigill omnia ordine refert. Qvi valde indignatus, ſororem ſuam ſervæ nomine dehoneſtari, ad Regem profectus, cauſam ei expoſuit: qvem valde difficilem Eigili, cauſſæqve inimicum, deprehendit. Tandem reſponſum, haud eqvidem ad votum, aut pro cætera gratiâ, re-tulit: *Noviſſe ſe ſtudium ejus in Eigilem, qvo hucusqve tutus intra regni ſui limites, ſe magis connivente, qvàm probante, vixerit: diutius autem non per-miſſurum, ſi ei ad laceſſendos amicos ſuos patrocinari perſeveret.* Arinbior-nus: *ſperandum, Regem juris via neminem excluſurum, nec vim legibus factu-rum,* eum reſpondiſſet, nullo mitiore reſponſo impetrato disceſſit, Eigiliqve averſum a juſto, obſeſſumqve, hinc favore, hinc odio partium, Regis ani-mum auresq; renunciavit; litisqve eventum periculoſum videri.

Hyeme exactâ, appetente tempore comitiis Gulathingenſibus ſolen-ni, Arinbiornus, magna comitum turba ſuccinctus, unica nave pluribus lembis cibariis onuſtis, Eigile qvoqve comitatus, eò trajecit. Rex item, Bergaunundo in clientelam partemqve comitum recepto, ſed freqventio-re comitatu; ſex enim longis navibus, egregiè inſtructis, in forum tende-bat. Ad locum judicii, circo, in campo plano, corylis, viminibus, vel fu-nibus, vel alio qvovis genere vinculi, inter ſe connexis, diſtinctum, uter-qve proceſſit. In eô circo duodecim judices ê Fiördis; totidem ê Sognia, & ter-tia dodecas ex Hördia, conſidebat. Penes Arinbiornum judices ê Fiordis; Thordum autem, qvi diſceptantium ſoceri frater fuerat, ſed in Eigilem A-rinbiornumqve propenſior, ê Sogniâ, deligendi jus & poteſtas fuit, utpote harum provinciarum præfectos. Coram judicibus uterqve poſt conteſta-tam litem juramenrum calumniæ præſtitit (ſic enim locus ille intelligen-dus eſt, teſte Niala in Mördo, cauſam incendii Nialiani agente, & vetuſto legum Islandicarum codice, Gragas dicto, *libro* Þingſkapar þatt *ſeu de judiciis, Cap: VI*) nec Bergaunundo ampullata verba defuerunt. Eigill acti-onem orſus, ſententiam judicum definitivam, de bonis hæreditariis Biorni Hauldi, mobilibus & immobilibus, uxori ſuæ Asgerdi, fæminæ longâ & nobilium & præfectorum, ſeu ſatraparum, proſapiâ oriundæ, allodiali, ſeu gentilitio, jure competentibus ex ſemiſſe adjudicandis, reqviſivit. Excepit eum, finem orationi jam imponenem, Bergaunundus, his verbis. *Uxor mea Gunnhildis Biörni qvidem & Oluſæ filia eſt, illa matre nata, qvam Bior-nus legitimam conjugem agnovit: ideoqve ſola ejus hæres optimo jure cenſetur; qvo fretus univerſam hæreditatem mihi, ut marito illius, vendicavi; qvod eam ſolam filiam Biorni agnoſcerem, præter aliam, juris ad ſucceſſionem incapacem, qvòd mater ejus captiva, deinde pellex, ab una regione in aliam migraverit, nec parentum aut cognatorum conſenſu elocata. Tu verò, Eigill, more tibi fa-miliari, vim mihi, ut cæteris ſoles, intentaturus videris; conatu qvidem pariter*

ac successu irrito. Certus enim sum, Regio etiam promisso erectior, nulla te factionum vi, aut partium studiis, jus mihi hoc in foro prærepturum; producam namqve testes idoneos coram Rege ac judicibus, qvi Thoram, Asgerdis uxoris tuæ matrem, ê patriis penatibus captam (non dixit raptam, qvia captivitas, non item raptus, caussa erat servitutis) *cum piratis ab una regione in aliam, totâ Norvegiâ exulem, transmigrâsse attestabuntur. Te vero immodico fastu turgentem prope attonitus conspicio; dum animo præcipis, sententiam Regiam, qvâ exul pronunciatus es, in nihilum redigere. Oro itaqve vos, judices, ut universam hæreditatem Gunnhildi uxori meæ adjudicetis, præteritâ Asgerde, servâ in exilio natâ.* Ad hæc Arinbiornus: *eqvidem*, inqvit, *testes & ego satis luculentos producam, juramento adstructuros, ratihabitionem patris subsecutam, contractum totum conjugalem confirmâsse, Thoramqve in integrum restitutam ad patris succesionem admissam esse; qvo tempore universa causa inter illum & Biòrnum composita erat. Nec te, Rex, latet, Regia authoritate exilii gratiam Biorno factam, postqvam tota controversia transactione sopita est.* Ad hæc Rex conticuit. Eigill autem Rhythmum extempore fudit, qvo indignationem ob contumeliam uxori suæ, servilium natalium exprobratione aspersæ, illatam haud obscurè prodidit. Mox Arinbiornus, productis duodecim testibus, qvi transactioni interfuerant, cum Thora â parente in gratiam recepta, hæresqve pronunciata esset, copiam a Rege & judicibus testimonii juramento confirmandi postulabat. Judices *admissuros se testes ad juramentum* pronunciârunt, *ni Rex prohiberet.* Rex, *neqve se permissurum, nec prohibiturum*, respondit. Tum Regina Gunnhildis. *Qvamdiu*, inqvit, *Rex, te ludificari patiêre, ne contradicturus qvidem, si vel regnum isti exposcerent. Qvod si tu sententiam Bergaunundo utilem ferre hæsitas, ego certè illi auxilio ero.* Vocatoqve fratre suo Alfo Aschmanno, jussit, ut ruptis vinculis, qvibus circus connectebatur, judicium dissolveret. Qvi turma militum succinctus, impigrè mandatum exsecutus circum effregit. Inde in ipso foro murmur ingens exortum: qvod tamen intra voces steterat, qvod singuli universiqve in loco legibus sacro inermes essent. Mox Eigill extenta voce: *An*, inqvit, *Bergaunundus me audire poterit? Audio*, respondit. *Te igitur hoc in foro ad duellum provoco; bona omnia mobilia immobiliaqve, tam agri fundiqve, qvàm reliqva, de qvibus controvertitur, victoriæ præmia statuo, tu vero infamis & execrabilis, si pugnam detrectas.* Ad hæc Rex respondit; *qvandoqvidem pugnam adeo expetis, etiam impetrabis. Haud eqvidem tecum pugnare gestio*, respondit Eigill, *nec cum exercitu tuo, sed nec recusabo, pari manu, etiam adversus te, decertare, si tibi ita placeat.* Hæc dicentem Arinbiornus interrupit, hortatus, ut illinc qvàm primum discederet, neqve enim illic rerum suarum profectum ultra sperandum; atqve his dictis cum universo comitatu discessit. Eigill autem retrogressus; *Horum verborum tu, Arinbiorne*, inqvit, *& tu, Thorde, vos præterea omnes, qvi ea auribus percipere potestis, tam satrapæ, qvàm supremarum curiarum judices, universaqve plebs, testis esto: qvod interdico, ne tu, Bergaununde, vel qvivis alius, nobilis aut ignobilis, civis aut peregrinus, agros ullos vel latifundia, qvæ possedit Biornus Hauldus, vel aliis loces, vel ipse usurpes: secus facientem leges communes, jusqve municipale, divinum etiam & sociale, violasse pronuncio.* Atqve his dictis cum Arinbiorno discessit ad naves. Collis intercesserat, qvo minus navigia ê foro prospici possent, ad qvæ ut Arinbiornus pervenit. *Nôstis*, inqvit, *omnes conventus hujus publici exitum, qvo judicio prostrato, causam nostram Rex ludificavit: jamqve tantâ irâ incandescit, ut periculum sit, ne omnem furoris impetum in nos, modè per eum stet, subito*

ito effundat; *ad qvem declinandum ſuam ut qvisqve navem repetat, domumqve tendat, edico.* Ingreſſusqve navem Eigilem monet, *ut ſuam navem cum ſociis actutum portu deducat, Regemqve, mox inſecuturum, evitet; elapſus ad ſe tutum perfugium habeat.* Is tam ſalubribus monitis in tanto periculo haud invitus auſcultans, cum triginta ſociis lembum conſcendit, & qvàm citisſimè portu exiit. Erat enim navis levis, & remis agendis valdè habilis. Complures etiam aliæ ſtatione ſimul egreſſæ ſunt: & in his Arinbiorni lembi, navesqve onerariæ; inter qvas ipſe omnium ultimus proceſſit, qvòd nave longa uteretur, mole gravi, & ad remigandum minùs idoneâ. Eigill vero, remorum remigumq; oportunitate potior, cæteras omnes præceſſit. Extat rhythmus ab eo calore eôdem fuſus, qvo actionem familiæ herciſcundæ ab adverſario eluſam ſignificavit. Audiverat Rex novisſima Eigilis, foro excedentis, verba, valdeqve excanduit, protinusqve eum invaſisſet, ni perinde ut reliqvi omnes loci reverentiâ inermis fuiſſet: ſuis tamen, ut ad naves deſcenderent, mandavit. Tum convocatis ſingulis, pronunciavit, *Arinbiornum & Eigilem ſe protinus perſecuturum, Eigilemqve ſine mora occiſurum, modo in poteſtatem ſuam veniret*: *ſed nec ſibi conſtitutum ulli parcere, qvi vim opponeret.* His dictis naves ilicò conſcendunt, expediuntqve, inqve portum, ubi ſtationem Arinbiornus habuit, dirigunt. Qvem ut navibus vacuum deprehendunt, ulteriùs tendunt; donec ſinu Sogniæ trajecto ejus claſſem proſpiciunt: qvem ad Saudungſundas deflectentem Rex perſecutus, ubi appropinqvavit, aſperis verbis, efferatoqve in iram vultu, qværit: *an & Eigill ibi eſſet?* *Non*, reſpondit Arinbiornus, *mea nave vehitur: nec plures qvàm ipſemet vides & noſcis: ſi placet inqvire; ſub tabulatis latitantem minime deprehendes.* Rex, qvid illi de eo conſtaret, qvove curſum direxerit, referre juſſit. *Lembo*, inqvit Arinbiornus, *trigina remigibus inſtructus ad Steinſundam flexit.* Credidit Rex, eô qvòd plures naves eò conceſſiſſe obſervavit. Eò igitur ſine mora ſe contulit.

Fuit inter proceres aulicos Ketill qvidam, vir celebris & venuſtus, propinqvo gradu Regi agnatus, forma corporisqve habitu ei perſimilis; qvi viam monſtravit. Rex autem ipſe in puppi ſedens gubernacula tenuit. Priùs qvàm in forum profectus eſſet Eigill, navem, qvâ in patriam navigaturus erat, expediit, mercesqve impoſuit: in portu deinde ſtantem ipſe cum ſociis nauticis conſcendit, lembo ad gubernaculum ligato, interqve littus & navem, remis e ſcalmis dependentibus, natante. Ibi nocte peracta, poſtridie ſummo mane excubitores ex improviſo imminentes ſibi naves ſex animadvertunt: qvas Eigill, ut erant, hoſtiles conjectans, arma raptim corripit; jubetqve, ut qvotqvot poſſent, in lembum inſiliant: qvos ipſe repentè ſecutus, utramqve arcam, donum Adalſteini Angliæ Regis, patri ejus deſtinatum, arripuit: nam qvocunqve profectus eſt, ſemper ſecum devexit; nec unqvam a ſe ſeparavit. Lembum deinde inter littus & Regiam navem littori proximam direxit. Qvòd vero nimis eſſet ab utraqve parte præcipitatum, diluculumqve primum oculorum uſum interciperet, ſibi invicem occurrentes ſiſti non poterant. Ut verò puppibus oppoſitis cominus accedebant, Eigill haſtâ in Regiam puppim projectâ, Ketillem Regis conſangvineum medium transfixit, ut ilicò exanimis concideret. Ægrum priùs animum Regis, tum nec opinâ clade exulceratum, novus ſubitò furor accendit. Nam elapſo Eigile navis ejus oneraria ab aliarum navium vectoribus exſpoliata eſt & exuſta; nautæ, qvotqvot remanſerunt, nec improviſum periculum in tanta feſtinatione effugere poterant, ad unum omnes occiſi: pars tamen, evitato diſcrimine, in

in terram evaſit. Nec tamen illorum cæde ſatiata Regis ira. Acriùs enim Eigilem, ita ut ſingulis remis bini remiges incumberent, perſeqvebatur: qvi octodecim tantùm remigibus reſiduis, navi concitandæ impar, propè erat ut caperetur; ni tenue inter inſulas intercedens fretum, æſtu jam recedente, nudatis vadis, levioribus navibus pervium, majorum haud capax, eum præſenti diſcrimini eripuiſſet. Qvo trajecto, cum ſubſeqvi Regiæ naves non poſſent, ipſe incolumnis, magno tamen damno nobilitatus, ad Arinbiornum pervenit. Rex verò ad proprios penates, propoſito fruſtratus, ſociorum Eigilis cæde magis irritatus, qvàm ſatiatus, rediit. Clades Eigili decem nautarum cæde illata, merciumqve jactura periculo longè minor, cæde etiam Ketillis magnam partem vindicata, Arinbiorno viſa eſt: neqve enim ei paupertatem, ſe vivo, metuendam: donaturumqve in præſens navem ei, qva in patriam revehi poſſit, pollicitus eſt: qvam etiam, lignis aſſeribusqve onuſtam, tradidit, cum uxore ejus, qvæ apud eum remanſerat, dum ad forum profecti eſſent. Omnibus apparatis, Eigill nave triginta ſociis nauticis inſtructâ in patriam trajecturus, & Arinbiornus, Regem, eodem tempore in Vicham, in fratres ſuos Olafum & Sigrodum moventem, ſecuturus, invicem ſe ſalutant.

CAP. III.

DE EXPEDITIONE REGIS EIRICI IN VIKAM, CÆSOQVE UTROQVE FRATRE, EORUMQVE FILIIS FUGATIS, DITIONIBUSQVE IN SUAM POTESTATEM REDACTIS, PRÆSIDIOQVE BERGAUNUNDO ADVERSUS EIGILIS IMPETUM PROVISO, LIBERISQVE REGIIS.

REx, Arinbiorno comitatus, adeo proſperis ventis uſus eſt, ut nullo nuncio prævio, noctes diesqve continuo curſu Tunsbergam improviſus perveniret: Sigrodo Thrandiæ Rege nondum inde digreſſo. Qvi hoſtilis claſſis repentino adventu territi, in clivum in Orientem verſum, velut tumultuariis copiis raptim ductis, aciem inſtruunt. Sed numero viribusqve longè inferiores hoſti facilem victoriam conceſſerunt. Uterqve eo conflictu cæſus eſt, inqve eodem clivo, qvo qvisqve loco occubuit, tumulatus: id qvod diverſi tumuli indicant. Magna deinde æſtatis pars Vichâ in poteſtatem ditionemqve redigendâ extracta. Intera Tryggus Olafi, & Gudrodus Biorni Mercatoris, filii, fugâ in Uplandas ſecedendo ſibi conſuluerunt. Ex tot parricidiis, qvod in proprium ſangvinem ſæviret, Blodöxii, ɔ: *ſangvinea ſecuris*, cognomen eum contraxiſſe Theodoricus Monachus teſtatur. *Fagurskinnâ* id a piratica crudelitate derivante. Verum prius qvàm Eiricus ex Hordia ſolveret, latâ de Eigilis Skallagrimi proſcriptione ſententiâ, impune a qvovis, & ubiqve occidendum pronunciavit. Ab illo anno initium Monarchiæ Eirici, uſum, non jus, imperandi perpendenti, ſupputandum erit. Veritus autem Rex vehemens & ardens Eigilis ingenium, ab impetu ejus, jamjam patriam repetituri, Bergaunundum præmunire ſtatuit; edoctus parentis aviqve ejus Kvöldulfi exemplo, Regiæ familiæ exitioſo. Frodio igitur, viro conſpicua formâ authoritateqve, ſibi in paucis caro, qvem villæ Regiæ Alrechſtadis præfecerat, militum haud mediocri manu ſtipato, ut curam ejus agere, âqve ir-

irruptione vi & insidiis Eigilis tutum præstaret, severè mandavit, filiumqve suum Rögnvaldum Alrechstadis apud eum deposuit. Plures erant Regi ex Gunnhilde liberi; natu maximus fuit Rögnvaldus, natus infra annum Christi CMXXIII; proximus ei Gamlius; tertius Guttormus; qvartusHaraldus, qvi postea Grafeldus dictus est, natus,ut dixi,anno CMXXX. Excepit hunc Ragnfrodus, & illum filia Ragnhildis. Sextus filiorum Erlendus, septimus Gudrodus, octavus Sigurdus Slefa/ seu Coluber, singuli venustate formæ eximii, speiqve maximæ. *Chronica Norvegica* Rognvaldum natu maximum omittunt, qvòd patrem morte sua prævenerit; nec illius gesta ulla, qvippe pueri fatis erepti, memorant. *Codex Flateyensis* tamen inter Eirici liberos eum recenset.

CAP. IV.

DE EIGILIS IN BERGAUNUNDUM VINDICTA, EJUS CUM FRATRE HADDINGO, FRODIO ALREKSTADIS PRÆFECTO, ET ROGNVALDI REGIS FILII, CÆDIBUS, ASCHO ET HERLA EXSPOLIATIS, DIRIS IN REGEM ET REGINAM, REDITUQVE EIGILIS IN PATRIAM, DEQVE OBITU SKALLAGRIMI.

PRiusqvam Arinbiornus, Regiæ expeditionis comes futurus, domo excesserat, Eigill anchoram solvit, aqve publico cursu parum occidentem versus deflectens, in statione qvadam piscatorum freqventia celebri, oportunâq; ad expiscandum, qvæ in vicinia aut continente gererentur, aliqvantisper substitit. Ibi cognito, se capitali sententia damnatum proscriptumqve, nihilo commotior, metrico artificio injuriam Regis, qvem rectorem Regni, simulqve turbatorem legum, appellabat, decantans, potissimam injuriæ partem Reginæ imputabat; qvo etiam nomine se ei obligatum pronunciabat. Noctibus venti positi, diebus ab occidente continuè flabant; qvum ubiqve subornati piscatores singula ferè navigationis ejus momenta observabant: qvos elusurus, vespere qvodam commodo vento in altum evectus fidem fecit, rectà in Islandiam cursum instituisse. Itaqve nuncii ad Bergaunundum deferebant, tutò illum præsidium, a Rege corporis custodiæ indultum, dimissurum, nullo amplius ab Eigile periculo iminente. His persvasus, custodibus excubitoribusqve ablegatis, defunctum se ancipiti discrimine lætus, rerumqve omnium in posterum securus, Alrechstadas profectus, Frodium ad convivium magnificum, rerum omnium abundantia instructissimum, cum qvinqve comitibus evocat. Adfuit & frater Bergaunundi Haddingus, qvem alio nomine Haddum dixerunt, processitq; convivium magna lætitia & securitate. Sed & Rögnvaldus Regis filius, naviculâ, qvantum supra aqvas eminebat, colore affabrè tinctâ, sex a singulis lateribus remis, totidemqve remigibus, instructâ, in insulam Herlam devectus, ad nutritium suum Skeggthorerem, seu Thorerem Barbatum, eo ipso tempore divertebat, magnifico & ipse convivio exceptus. Nocte, qvâ primùm Eigill in altum evectus est, vento utcunq; prospero utebatur: qvi diluculo subsidens, tranqvillum mare aliqvot dies reddidit. Ab occidente reflanti cum obluctari non posset, iterum ad Norvegiam, sociis minimè refragantibus, in portum insulæ Her-

Herlæ, piſcatoribus familiarem, Herluver dictum, navem dirigit, qvâ velatâ, cymbâ cum duobus comitibus inſulam Herlam petit. Qvi explorandi gratia emiſſi, referebant, ibi Rognvaldum Regis filium cum comitibus convivio adhiberi: incidiſſe ſe in qvendam eorum, valde potum & prope inſanum, qvi dixerit, haud ſegnius ſe ſociosqve ſuos potaturos, qvàm Bergaunundum & Frodium, qvi Aſchi cum qvinqve compotoribus convivio indulgeant. Qvo cognito, Eigill navem repetens, anchorâ ſtabiliendam curavit, duodecim ad ejus cuſtodiam relictis, ipſe cum octodecim armatis ſinu transmiſſo, ad Fenringum, ſeu Aſcheyam, contendens, cymbam in abdito ſinu, qvem unum exemplar Feniuvicham appellat, occuluit, ſingulisqve ibi relictis, ſolus integram armaturam, gladium nimirum & haſtam, clypeum galeamqve pileo tectam indutus, inſulam conſcendit. Exſpatiatusqve aliqvantum in paſtores incidit, magnis moloſſis comitatos, qvos unde eſſent, aut qvo fine canibus tam prægrandibus uterentur? interrogavit. *Qvi valde eum ignarum inſipidumqve videri* reſpondebant, *ſi mentionem non audiverit urſi inſoliti, inſulæ vaſtatoris, non armentis pecoribusqve ſolùm, ſed etiam hominibus, infeſti, ab illatis damnis ubiqve per viciniam notiſſimi, jam demum lata ferali ſententia damnati, percuſſoribus in necem ejus pretio invitatis; ſe autem Aſchi ſingulis noctibus pecudes ſepibus incluſas cuſtodire. Tu vero* inqviunt, *qvî nocturno tempore arma geſtas? Formidine,* reſpondit, *urſi, qvi me tota nocte perſecutus eſt. An verò hic omnes dormiunt?* Illi reſponderunt, *Bergaunundum & Frodium vix cubitum iviſſe videri, eo qvod ſingulas noctes perpotare ſoleant. Indicate itaqve eis*, ait, *qvòd in hac ſylva urſus ſe contineat. Ego vero domum redibo.* His auditis ab eo digreſſi domum properant, nunciantqve Bergaunundô, Frodio & Haddo, qvi cæteris qvieſcentibus adhuc convivio non exceſſerunt, adeſſe urſum, receptumqve in proxima ſylva habere. Interea Eigill ſylvam ingreſſus, in promontorium qvoddam ſylvis virgultisqve conſitum conceſſit, arboresqve paulatim uno loco commovit. Illi arreptis armis ad perſeqvendum urſum procurrebant. Indicium feræ commota arbor monſtrare viſa eſt. Eò cum ſinguli tenderent, Bergaunundus Frodium & Haddum ab alio latere curare jubet, ne expulſa latebris fera receptum ad ſylvam haberet. Ipſe galeâ, clypeô, gladio & haſta inſtructus, ad virgulta ſe proripuit, ubi Eigill latitabat. Qvem ut adventantem ſibiqve appropinqvantem vidit, gladium protinus ſtrinxit, ligamentoqve a capulo pendente brachio connectens, haſtamqve manu vibrans, adverſario obviam proceſſit. Qvo cognito Bergaunundus clypeum oppoſuit. Haſtis deinde ultro citroqve, anteqvam cominus concurrerent, conjectis, mutuò ſe impetebant. Eigill modicô corporis fluxu haſtam Bergaunundi evitabat: qvæ marginem clypei celeriter transvolans, tandem terræ altiùs immerſa ſiſtebatur. Ex adverſo Bergaunundus conjectam ab Eigile umboni fortiter impreſſam excepit; qvæ deinde pondere ſuo adeo eum prægravabat, ut clypeo absqve magna moleſtia ferendo impar eſſet. Impeditum ergo ſtricto gladio confeſtim aggreſſus Eigill, cum ſuum enſem viciſſim mediotenus eduxit, occupatum complexu, offenſoqve gradu nutantem, capta oportunitate obtruncavit, haſtamqve ſtatim clypeo evulſam in Frodium, qvi cum Haddingo, caſu Bergaunundi conſpecto, in eum properabat, conjecit, unoqve ictu clypeo transverberato in pectore fixit, ut per tergum emineret. Qvo concidente, gladiô Haddingum adortus, poſt paucos ictus fudit. Tum demum paſtores adveniebant: qvibus Eigill mandavit, ut domini ſui ſociorumqve

funera, nihilo ſegniùs qvàm urſum cuſtodirent, ne voraces feræ avesve nocerent. Ipſe ad ſcapham progreſſus ſocios obvios habuit: qvibus, qvid actum eſſet? qværentibus, omnium cædem peractam verſu ſignificavit. Hortatus deinde, ut militari furore in reſiduos graſſarentur, omnes armis gerendis idoneos occiderent, villamqve diriperent. Facilè eos ad prædam cædesqve protraxit. Omnia, qvæ pretii alicujus erant, direpta, adqve littus delata ſunt: armenta etiam & pecora in commeatum cæſa; tantumqve ablatum, qvantum cymba capiebat; reliqvis in littore derelictis. Cum deinde rectà per inſulas interſecantia freta curſum direxerunt, Eigill ira adeo æſtuabat, ut non eſſet, qvi eum voce interpellare àuderet. Ut verò in ſinum Herlanum deventum eſt, occurrebat eis Rögnvàldus Blodoxii filius, cum duodecim comitibus, vectus nave illa ſpecioſa, qvam colore affabrè tinxerat. Hic famam reditûs Eigilis perceptam ad Bergaunundum delaturus, ſuppetias etiam, qvoad præſidium revocatum rediret, laturus, acceſſerat. Eigill nave hoſtili cognita, cymbam in eam direxit: ut verò cominus appropinqvabant, lateraqve inter ſe committebantur, Rögnvaldus ſuos ad arma expedienda hortatus eſt. Qvod ut Eigill animadvertit, ſuos monuit, ne unum qvidem incolumem vivumve elabi ſinerent. Ipſe arreptâ haſtâ prælium orſus eſt. Rögnvaldiani magnâ virtute ſe defendentes, verùm in re ſubita attoniti, numero etiam inferiores, cum exſcenſu navis eos neqvicqvam prohibere poſſent, cum Rögnvaldo ad unum omnes deleti ſunt: Eigile triumphali verſu ſingula concinente. Inde in inſulam Herlam converſi, domum & omnem gazam â Thorere Barbato, fugâ cum univerſa familia impetum hoſtilem declinante, deſertam diripiunt, & qvæ avaritia concupivit, auferunt. Præda omnis in navem, in portu Herlano ſtantem, congeſta eſt. Jamqve omnia ad navigationem parata erant, afflabatqve optata navigaturis, fugamqve ex hoſtili terra maturantibus, aura. Ne verò absqve ulla ſolennitate inviſam familiam Regiam extremùm ſalutaret, ſupremam manum adjicere placuit. Herlam igitur rediens, conſcenſa rupe, qvæ continentem ſpectabat, gerens haſtile corylinum, caput ei eqvinum affixit, formulam hujus modi præfatus. *Hic ego haſtam infamiæ* (*imprecatoriam* vertit *Magnus Olafi*) *adverſus Regem Eiricum & Reginam Gunnhildem ſtatuo*; capiteqve eqvino in continentem converſo; *Converto*, inqvit, *has diras in genios, qvi hanc terram incolunt, ita ut omnes incertis ſedibus vagentur, nec quisquam eorum receptaculi compos fiat, donec Regem Eiricum & Gunnhildem totâ hac terrâ ejecerint*: impreſsâqve fiſſuræ rupis haſtâ, literis runicis hanc formulam incidit. Inde navem conſcendit, velisqve explicatis, facili & exoptato vento in altum navigans, evitato periculo lætus & hilaris, rhythmum, qvi etiamnum extat, extempore, ut conſvevit, fecit. In patriam deinde domumqve fèliciter revectus, vivo adhuc patre, ſed ſenio valde confecto, ut qvi annum octogeſimum exceſſerat, pervenit. Tum demum univerſam œconomiæ curam in ſe ſuſcepit. A morte autem Bergaunundi frater ejus Atlius Skammius, fraternam hæreditatem, bona etiam illa controverſa, eodem titulo complexus detinuit. Hoc eôdem autumno, paucis ante hyemis initium diebus, (qvam â qvâ feria veteres auſpicati ſint, antea retuli.) Eigill a conſobrino ſuo Thordo, de prædio vicino Lambaſtadis, Thorgeiris Lambii, ejusdem prædii eponymi filio, qvi materteram Eigilis Thordiſem Ingvaris filiam uxorem duxit, ad convivium invitatur. Jamqve unà cum uxore decemqve comitibus itineri accinctum accedens pater, domoqve egredientem ſecutus, ſeorſim ductum in hunc modum affatur. *Nimis mihi videris tar-*

dâsse, in reddendis cistis illis argento repletis, qvas in satisfactionem pro cæde filii Rex Adalsteinus tibi, mihi qvondam deferendas, tradidit. Quid, quæso, de illis disponere statuis? Argentône, pater, respondit Eigill, *indiges? unam certe aut duas arcas candido illius generis metallo distentas tibi adhuc suppetere haud ambigam. Qvandoquidem,* ait Skallagrimus, *argentum inter nos ipsemet divisisti, permitte, quæso, mihi liberam illius dispensationem, quod penes me reservatur. Haud eqvidem,* respondit Eigill, *permissu meo indigere videris, in re, quam peragere certus es, quicquid obtendero.* Atqve his dictis ad convivium in triduum extrahendum processit. Verùm eodem illo vespere, qvo is discesserat, Skallagrimus eqvum insterni curavit, eoqve, cum cæteri cubitum îssent, conscenso, majorem arcam genubus imposuit; aliàm cubitu complexus gestavit. Conjectum deinceps, immersisse eas paludis vicinæ, qvæ Krumskelda appellatur, cæno, magnamqve petram imposuisse. Eqvidem æstatibus siccis non modò visitur, sed etiam calcatur eadem petra: sublata tamen nec legitur unqvam, nec traditionibus memoratur; licét absqve magna molestia laboreqve erui posse videatur. Inde media fere nocte domum rediens, ne vestibus qvidem detractis, lectum ingressus, summo mane, cum familia omnis exsurgeret, spondæ insidens, mortuus inventus est, adeoqve totus obriguit, ut ne tractari vel loco dimoveri posset. Qvo per nuncium ê vestigio missum comperto, Eigill haud ultra moratus domum rediit, arma vestemqve festivam indutus patrem a tergo accedens, perqve humeros apprehensum, in cubile posuit, parieteq; effracto, domô efferri curavit. Ipse caput, cæteri pedes reliqvumqve corpus sustinentes, in promontorium Naustanesiam detulerunt. Ibi tentoriis erectis excubiæ per noctem actæ. Proximo deinde die cadaver navigio impositum, in aliud promontorium, Digranesiam dictum, delatum est, tumuloqve cum eqvo, armis, & fabrilibus instrumentis, illatum: nec plures res alicujus pretii simul invectæ memorantur. Inde Eigill patri hæres successorqve factus, rem familiarem curare cæpit, Thordise privigna apud se detenta.

CAP. V.

DE HACONIS ADALSTEINI ALUMNI EX ANGLIA IN NORVEGIAM PROFECTIONE, SIGURDIQVE THRANDIÆ COMITIS IN EUM, MOX ETIAM VULGI, STUDIIS, EIQVE REGIO TITULO INGESTO, EJUSQVE IN FRATRUM FILIOS BENIGNITATE.

SEcundùm diras Eigilis magicasqve ceremonias, fortuna Regis Eirici inclinare cæpit: qvod tamen iis haudqvaqvam adscribo. Nam cum primum in Angliam fama obitûs Pulchricomi delata est, adnitente subsidiaqve suppeditante Adalsteino, Hacon alumnus ejus, classe militeqve & commeatu principe digno magnificè instructus, eodem autumno, non qvo Haraldus decessit, sed qvem fama mortis ejus proximè præcessit, in patriam rediit; qvi erat annus Servatoris CMXXXIV. ætatis ejus XV. Verùm medio mari subita tempestate exorta, pars classis undis absorpta periit: pars ventorum violentiâ â recto cursu disturbata, iis oris prope Vicham appulsa est, ubi Rex Eiricus residebat. Inde fama mortis Haconis

nis naufragiiqve ad aures ejus pervenit; famamqve haud exigua lætitia ſecuta, cum magno ſe labore periculoqve a fratre, Regni rivale, tanti patroni ſubſidiis auxiliisqve nixô, liberatum exiſtimaret. Cum autem blandiens fama, qvæ prudentioribus ſuſpectior plerumqve fieri ſolet, eum qvoqve anxium teneret, Reginam de relationis fide conſuluit; qvam abſtruſioris ſcientiæ peritam cognovit. Nec eam artis ſuæ fiducia aut opinio fefellit: nam artificioſo carmine, qvod Compendio Chronici vetuſtiſſimo venuſtiſſimoqve *Fagurſkinna*, eôqve ſolô, continetur, inſultum furentis maris incolumem eum ſuperâſſe, his verbis, nodis rhytmicis incluſis, ſignificavit.

Arboreô qvi vectus eqvô ſpumantia calcat
Æqvora, jam, poſitis ventis, vir Regius Hacon
Solis ab occiduo digreſſus cardine, ſectis
Fluctibus, incolumem noſtris ſe reddidit oris.

In Vicham cum ventum eſſet, cognitâ fratrum ſuorum cæde, ſimulqve qvòd Eiricus ibi moraretur, ad vim ejus inſidiasqve evitandas, viresqve colligendas, Thrandiam verſus ad Sigurdum Hladarum Comitem, cujus validæ tum res, & præcipuum totâ Norvegiâ ſapientiæ, & incomparabilis prudentiæ, nomen erat, expeditâ claſſe movit; qvòd & indigenas, recenti Regis ſui cæde irritatos, in Eiricum malè animatos, nec adhuc armis ejus domitos, dataqve occaſione in vindictam pronos, cognoſceret. Ibi benignè exceptus conſilia ſua cum Comite communicavit. Inde amicitiæ fædus, qvod ſtatim cum Hacone in lucem edito inter eos cæpit, mutuis operarum ſtudiorumqve pactionibus reviruit. Hacone Regium ſibi faſtigium ope auxilioqve ejus ſtipulante: Comite ditionis, limitumqve imperii amplificationem, poſt partum Regnum paciſcente. Interim Hacon prudenter omnia agendo, omnium in ſe oculos animosqve convertit. Principum amicitiam prenſare; honeſtam glorioſamqve eorum parentum majorumqve memoriam refricare; cum juvenibus æqvalibusqve corpus exercere; publicos ludos certaminaqve inſtituere; viribus exercitiorumqve peritiâ omnes in ſui admirationem rapere; popularitateqve ſingulos ſibi devincire; ſuam famam latè extendere, ſuiqve deſiderii cunctos ſatagebat; Eirici verò ejusqve factionis tædii, violatarumqve legum odii, implere: cujus præcipua cauſa Gunnhildis habebatur, licét illius ad iſtud usqve tempus eam nemo, potentiæ metu, inſimulare auſus ſit. His ita compoſitis, comitia magnâ freqventiâ ab Hacone indicta ſunt. Ibi Sigurdus luculenta oratione eum ſingulis univerſisqve comendavit, in hunc fere ſenſum.

Præſentem rerum noſtrarum fortunam privatis gemitibus deplorare, qvàm publica voce conqveri, hucusqve licuit: corrigere privatorum ſortem excedit. Amiſimus Regem, cui parem Norvegia nunqvam habuit. Cum illo felicitas noſtra, pax, concordia, rerum omnium ubertas & copia, fama qvoqve & fortium factorum proventus, ipſa deniqve gloria, concidit. Triſtis præteritorum memoria, vanumqve deſiderium, amiſſorum dedecus & ignominioſa recordatio ſupereſt. Spes omnis in Regia ſobole reſtabat, qva ſuperſtite priſtinam nobis proſperitatem pollicebamur: verum mutuis diſſidiis in ſe armata, pars ejus maxima, eaqve melior, periit. Eò jam ventum eſt, ut nobis, qvi pro ejus incolumitate nulla pericula detrectare, nec ipſam mortem, debuimus, cujus hoſtes armis oppugnare, omniqve ope & ſtudio evertere, conveniebat, eos nunc Rectores, Reges, dominos, habeamus, proqve eorum ſalute de bonis fortunis omnibus, vitâ etiam periclitari teneamur. In hoſtium ergò

gò castra transfugæ Regibus nostris nova perfidiâ vel ignominiâ parentabimus? Halfdanum Nigrum, Principem inclytum, dignum totius Norvegiæ imperio Regem, Gunnhildis, cum virtute non posset, insidiis medicataqve potione sustulit: nulla alia de causa, qvàm qvòd portionem Regni, naturæ nativitatisqve privilegio sibi debitam, hæreditateqve ad se dalatam, pari juri ac Eiricus Hordiam asseruit; aspernatus ei obseqvi, cui parem nascendi conditio fecerat, inveterata Regni Norvegici consvetudo probaverat, & civium deniqve suffragia prætulerant. Eadem Regi nostro Sigrodo causa mortis, idem discrimen Olafo Vichensium Regi exitio stetit. Consveverat enim jam dudum Eiricus fratrum sangvine sitim restingvere, qvam Rögnvaldi Loripedis, licèt non immeriti, fratris tamen, cruor primus provocavit. Insontis fratris, egregii viri, Biorni Vestfoldiæ Regis, magis accendit & excitavit, ut non immerito Sangvineæ Securis cognomen contraxerit; qvòd in suum ipsius sangvinem ad necem usqve sævierit. Scilicet hoc unicè ardet, at domus Regiæ reliqviis funditus exstirpatis, in se suamqve familiam totius Regni, eamqve perpetuam, possessionem transferat, inde in subditos pro libidine impunè sæviat. Tyrannus igitur nobis habendus est, libido iniqvissimæ & superbissimæ mulieris, cui ipse qvoqve Rex ancillatur, pro oraculis. Nimirum qvia solus Eiricus jus & regnum habet, ut justus hæres & legitimus, testamentoqve patris Rex constitutus, præteritis omnibus fratribus, tanqvam ex vetita legibus consvetudine, in lucem editis, etiam iis, qvi ætatis privilegio, gentiumqve jure, illum superabant; tantum qvòd ex peregrina fœmina natus, externas gentes arctiori fœdere nobis junxerit. Fuit qvidem Haraldus eximiâ sapientia Rex: una tamen atqve altera vice, qvandoqvidem publica necessitas, seposito privato affectu, hanc mihi vocem expressit, decipiebat, apertè cum veneficam Snæfridem ad insaniam usqve lugeret: qvod tamen condonandum est veneficiis succumbenti. Hic qvo magis vecordia velabatur, eo gravius incubuit, cum in unius fœminæ & alienigenæ gratiam uxores legitimas omnes, natalium splondoee claras, tanqvam viles ancillas repudiavit, magno minimum totius gentis, suoqve ipsius familiæqve dedecore & opprobrio, qvasi eadem terra, qvæ ipsum, qvæ matrem ejus, fœminam omni laude majorem, sustulit, in progenerandis heroinis deficiat, aqve vicinis superetur, adeo ut ne ipsa qvidem ejus mater iis comparari qveat. Isto, qvem jam semel imbiberat, opinionis errore in transversum actus, etiam sceleribus Eirici strenuè patrocinabatur, filiorumqve sangvinem impunè haurire permisit: tantumqve aberat, ut cæde Biörni Mercatoris motus excandesceret, ut adversus filium, eundemqve Regem nostrum, Halfdanum Nigrum, justam ultionem de parricida repetentem, suoque officio, si viri boni nomen aliàs tueri vellet; necessario satisfacientem, classem exercitumqve armaverit: ut impium persecutus, qvòd grassanti, inque posterum per capita fratrum grassaturo, Eirico se opposuerit, âque vi ejus & imminente in singulas horas vitæ periculo, se cum superstite sanquine Regio vindicare sategerit. Quo certè declaravit, arbitrium vitæ & necis in eum cæterosqve fratres, Eiricum, se haud invito, asseruisse: qui tamen Comitis sui Rögnvaldi cædem minimè negligendam ratus, in authores necis ejus filios quoque suos arma expedivit. En filiorum discrimen! illis capitale fuerat Comitem sustulisse, huic fratres de medio impune, patris quoque suffragio gloriosum. Eum igitur, qui cæco ejus amore, velut fascinatus & totus extra se raptus, huc dementiæ processit, rectæ rationis trutinio tunc ductum fuisse existimatis, cum Eiricum solum totius Norvegiæ Regem ultimâ voluntate declaravit? Ego mentis compotem minimè fuisse arbitror. Proinde publico ordinum judicio, cum præteriti in eadem amentia actus,

actus nihil ad nos pertineant; hunc certè rescindendum proque irrito declarandum censeo, utpote gentium juri, patriisque moribus, ab ultima memoria repetitis, repugnantem. Id, si quis regerat, in nostra potestate non esse; at rescinderunt Reges ipsi Eirici fratres, armis deinde decreta sua propugnaturi, quorum sententiam nos, ut eorum subditos civesque, sequi par est. Senem certe octogenarium à rerum suarum administratione ætas ipsa removet, cur ni Regem prava pernitiosaque de Regno dispositione, in qua communis omnium salus vertitur, prohibebit? sed esto illibatum jus Haraldo de Regno pro arbitrio suo dispensandi, tenentorque totius Regni cives, ordinesque sententiam ejus sequi, dictoque audientes esse; an ideo declaratus ab eo successor isto jure excidere, nullo modo poterit? an justo metu perculsi cives tergis jugulisque suis minitantem, imminentemque hostem, Regum suorum interfectorem, fratrum parricidam, Regem accipient, æquoque animo ferant, tyrannidem propugnent, ipsumque in suum sangvinem arment, quem justo in Reges suos obsequio, nec alia de causa, in se irrtârunt? Dii meliora, sanamque mentem mihi, cui primo omnium pro vobis pereundum est, ne sit, qui libidini ejus & furori obsistat, vobisque duint, ut evitata ista peste, alium nobis Regem asciscamus, cujus auspicio ductuque justam de Eirico parricida Regum nostrorum, atque universæ prope familiæ Regiæ ab eo deletæ, pœnam sumamus. Itaque in præsens tam pii voti obtinendi fiduciâ, Eiricum patriæ hostem sangvinarium, omniumq; bonorum inimicum declaramus, adque vim ejus omni honesta ratione a nobis avertendam impensè hortamur. Dixi quod jus fasque exigunt, status præsens Regni, omniumque res, tam privatæ, quàm publicæ, exposcunt, Restat ut paucis, modum ad id obtinendum monstrem. Aversis certe Diis in gravissimas calamitates paucorum annorum spatio, optimis Regibus per scelus orbati incidimus: fateor: Jam vero pœnis nostris satiati, aut sacrificiis etiam propitiati, res nostras propius respicere cœperunt; reservato ex stirpe Haraldiana filiorum uno, quem hic coram conspicitis, juvene corporis specie & animi indole patri ita simili, ut non filius, sed Haraldus iterum juvenis, depositis senilibus exuviis, revixisse videatur, ipse generis sui evidentissimus testis. Hic nuper ex Anglia nobis oportunè restitutus, omnibus artibus imperatoriis excultus, Regi Angliæ summè dilectus, ejusque auxiliis instructus, facilè nos â crudelitate Regis Eirici vindicabit, si communi suffragio eum nobis Regem asciscamus, omnique curâ & industria, opibus, classe, copiis, instruamus, consiliis juvemus, nullumque pro illo periculum subterfugiamus. Exemplum nostrum procul dubio plures provinciæ, tandem etiam tota Norvegia, seqvetur. Scilicet jam diu sævum Eirici & Gunhildis imperium pertæsa, sed duce hucusque destituta, patria nostra, metu crudelitatis in rabiem desituræ, ne mussitare quidem est ausa. Quin & occursuras occisorum innoxiorum fratrum umbras, vindictamqve Deorum protinus secuturam; Haconis verò cœptis Deos omnes Deasque aspiraturos, certo nobis spondebimus. Quid igitur ultra moramur, qvominus eum, Diis aspirantibus, Regem, quod benè vertat, constituamus, inqve ejus fidem & obsequium juremus?

Exinde Hacon ipse surrexit, habitoqve sermone, ad gratiam sibi conciliandam apposito, omnes & singulos orationis svavitate adeo permulsit commovitqve, ut bini terniq; seorsim secedentes inter se mussitarent; *Haraldum Pulchricomum redivivum redditum sibi, jamqve altera vice juvenem factum, eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris, lineamentaqve intueri.* Scopus orationis in ambiendo Regno Regioqve titulo, sibi communi omnium suffragio ingerendo, auxilioqve & obseqvio ad Re-

 gnum

gnum Majeſtatemqve Regiam aſſerendam defendendamqve, conſiſtebat. Præmium tanti meriti promiscuè omnibus allodialia jura, & allodiorum habitatoribus jus proprietatis in ſingula, propoſuit. Tanto aſſenſu ſtudiisqve plebis vox illa excepta eſt, ut protinus omne ruſticorum vulgus, & pro ſe qvisqve certatim, non proclamaret ſolum, illum ſe Regem habiturum; ſed mox etiam iisdem comitiis univerſæ Norvegiæ Regem communi ſuffragio, ingenti applauſu, fauſtis acclamationibus, feſtisqve vocibus, pronunciarent, anno ætatis ejus decimo qvinto.

Exinde ſatellitio ſtipatorumqve freqventi agmine ſibi circundato, agrum omnemThrandheimenſem perluſtrabat. Repens deinde fama adUplandos pervenit, Thrandos Regem ſibi conſtituiſſe, ex omni parte talem, qvalis fuerit Haraldus Pulchricomus; in hoc duntaxat ab eo diverſum, qvòd cum ille omnibus jugum ſervitutis impoſuerit, hic univerſa propoſita libertate, gentilitios agros habitatoribus ſingulis, allodialiaqve jura univerſis, ſe conceſſurum polliceatur, non vi vel metu, ſed beneficiis & clementia omnes ſibi obnoxios redditurus. Haud facilè concipi poteſt, qvanta lætitia rumor ille in animos hominum penetravit: qvi ilicò ut ignis ſtipulis injectus, ad extremos usqve totius Regni terminos pervolavit; adeo ut nobiliorum civium magna pars ex Uplandis ad eum profecti ſint; pars nunciis, pars certis indiciis, voluntatum ſtudiorumqve ſuorum ſcopum, omnes propenſum in eum affectum, declararent. Igitur ineunte hyeme in Uplandas profectus, multâ freqventiâ ibidem comitia habuit, ubiqve Rex conſentiente civium voce proclamatus. In Vikam deinde movit. Ibi patrueles illius Tryggvius & Gudrodus, patribus ab Eirico orbati, patriisqve ditionibus pulſi, ſupplices cum multis aliis, impotenti illius dominatione oppreſſis, eum acceſſerunt, ſingulari clementiæ ejus famâ potentiaqve, novarum ſemper virium acceſſione, ſubditorum ſtudiis, & aliarum provinciarum civium jugi confluxu, in ſingulos dies creſcentis, fiduciâ perſvaſi. Cumqve ex adverſo inviſum Eirici imperium, crebra plebeiorum defectione, procerumqve, novas ſpes ſectantium, mutata fide, brevì ex ſe ipſo collapſurum facilè animadverterent, oblatam maturè occaſionem ad ſua recuperanda, & in poſterum ſub præſidio novi Regis tuenda, avidè arripuerunt. Nec eos ſua ſpes vel opinio fefellit. Nam & Hacon, jam ante ſortis eorum miſertus, ſibi inſuper oportunam illorum tutelam exiſtimabat. Totam enim Vikam, non armis Eirici victam, nedum domitam, ſed fraude & dolo, ducumqve defectu ad obſeqvium redactam, unà cum Regum ſuorum filiis, ad ſe tranſituram: illam vero animorum inclinationē cæteras qvoqve Regni partes ab adverſario averſuram, & ad ſe tracturam prævidebat. Gudrodo itaqve Veſtfoldia, Tryggvio Raumarichia & Vingulmarkia fiduciario jure, cum Regiis titulis redditæ ſunt, qvòdqve minores eſſent, curatores perſpectæ fidei prudentiæqve viri dati (*compendium Chronicorum*, ſeu *Fagurskinna*, anno decimo ſeptimo Regni Haconiani Tryggvium Regem ab eo creatum tradit; qvod de eo tempore intelligendum erit, cum, curatione finita, ipſe adminiſtrationem finiumqve defendendorum curam ſuſcepit) Conditionibus feudalibus, à Pulchricomo præſcriptis, nihil adjectum detractumve fuit. Redituum omnium, ſive annuorum, qvi ex agris pendi ſolent, canonum, ſive reliqvorum tributorum, censûsve ſemiſſe Haconi, ſeu ſupremo ſummæqve poteſtatis Regi, reſervato. Exinde qvantùm Haconi ſtudium populare crescebat, tantum Eirico decreſcebat, odiumqve ejus augebatur.

CAP.

CAP. VI.

DE EIRICO NORVEGIA PROFUGO,

NORTHUMBRIAMQVE JURE CLIENTELARI AB ADALSTEINO ANGLIÆ REGE CONSECUTO, CUMQVE UXORE LIBERIS ET TOTO COMITATU CHRISTIANIS SACRIS INITIATO, REGISQVE HACONIS FREQVENTIORIBUS DOMICILIIS.

PRoximo vere in Thrandiam reversus Hacon, adversus Eiricum copiis navalibus anxiè comparatis, Vichensiumqve magnis auxiliis, jam in procinctu stantibus, adqve suas partes confluxuris, succinctus, classem exercitumqve eduxit. Sed nec ille sibi defuturus, militem ê medio Regni evocare, exercitumq; conscribere, haud destitit; conatu qvàm successu majore, plerisqve procerum ab eo ad Haconem deficientibus. Qvorum imperium & authoritatem infima plebs & promiscuum vulgus secutum, robore militantium eum nudaverat. Videns itaqve se fratri omni ex parte imparem, cum universa manu, qvæ imperia auspiciaqve etiam extra patriæ limites fugituri non detrectabat, oceanum transmisit. Arinbiornoqve Fiordensium satrapa, sui semper studioso, ejusdem educationis socio, liberorumqve qvorundam ejus nutricio, jam spontaneo exilii comite, ad Orcades pervenit. Ibi magno exercitu collecto, in Scotiam transgressus, eamqve latè populatus, in septentrionalem Angliam infestus pervenit, qvam per partes vel præliis lacessivit, vel rapinis exhausit; qvoad Adalsteinus per legatos conditionem ei obtulit, districtûs cujusdam Angliæ, clientari, libero tamen, imperandi tributaqve percipiendi jure, â se impetrandi; dictitans: *fuisse inter se patremque ejus magnum necessitudinis commercium, cujus respectu filiis illius quàm optimè consultum vellet.* Qvamobrem ultro citroqve transmissis pacis internunciis, in id tandem utrinqve consensum est, ut Eiricus Northumbriam ab Adalsteino in fidem clientelamqve acciperet, acceptamqve adversus Danorum aliorumqve piratarum excursiones, Scotos etiam, jam sibi a debellato Olafo vectigales factos, sed semper infidos, tutaretur, cumqve uxore & liberis, omniqve familia, ipsumqve secutis clientelis, copiisqve militaribus, Christianam religionem salutaremq; baptismum amplecteretur. Atq; ita Eiricus ex condicto Christianis sacris initiatus, sacro-sancto baptismatis lavacro cum suis visibili Ecclesiæ insertus est. *Compendium Chronici* tradit, obtulisse Adalsteinum Eirico per legatos cum Hacone missos, anteqvam Norvegiâ decederet, conditionem obtinendæ Northumbriæ, si Haconi Norvegiæ possessionem absqve bellico certamine cederet, visumqve amicis, non aliud eo statu consilium præsentius, civibus certatim obseqvium detrectantibus, partesqve fratris studiosè sectantibus. His motum Eiricum promissa fidemqve Adalsteini secutum, in Angliam concessisse. Tradit etiam *Codex Flateyensis*, interposuisse se Adalsteinum litibus fratrum, inqve gratiam alumni sui Haconis copiam obtinendæ Northumbriæ Eirico fecisse, licét id tum demum factum velit, cum Eiricus Regno profugus Angliam infestâsset: obtinuit-

tinuitqve Adalsteinus hac sua prudentia, ut obnoxios sibi Norvegos omnes haberet, tam eos, qvi res Haconis promovebant, ipsumqve adeo Regem arctè beneficiis obstrictum, qvàm qvi exules Eiricum secuti sunt; Qvorum viribus tutam ab omni externo insultu Angliam præstaret, internasqve seditiones metu ipsorum cöerceret: ipse finitimorum Regum potentiæ fortunæqve arbiter, non sine summo sui Angliciqve nominis decore & immortali gloria.

Memoriæ proditum est, Northumbriam qvintam totius Angliæ partem amplitudine sua confecisse: Eiricumqve Blodöxium Jorvici, seu Eboraci, sedem Regiam habuisse: ubi Ragnaris Lodbrokis filii prius resedisse traduntur. Ab illo tempore regio illa Normannis incolis potissimùm exculta traditur; scilicet postqvam illam armis sibi subjecerunt. Exinde cum â Danis Norvegisqve illa defecit, assiduis eorum direptionibus & latrociniis patuit. Extant plurima locorum nomina, Norvegicæ lingvæ originem asserentia, imperii Norici indubitati testes vestigiaqve. Hinc Grimsbær, Hauksfliot, sexcentaqve alia, emanârunt. Hæc verbis Chronicorum exposui. Constat tamen ex Daniæ Regum historiis, longè ante Lodbrokis tempora Northumbriam a Danis fuisse infessam. Qvin & parùm dubito, ipsos Anglo-Saxones Danorum fiduciarios Reges seu vasallos fuisse. Præter eam multitudinem, ingentem qvidem illam, qvæ auspicia Eirici secuta ê patriâ in Northumbriam cum illo transiit, magnus confluentium amicorum numerus, clientumqve ê Norvegia, qvotannis supervenit. Qvòd autem angustis imperii terminis pressus, eis ex dignitate sustentandis, redituum defectu, impar esset, excursionibus irruptionibusqve singulis æstatibus, per Scotiam, Hiberniam, Hæbudes insulas & Bretlandiam, seu Cornaviam, ad sumptus tantos sustinendos, opesqve colligendas, grassari consvevit.

Ex his, qvæ relata sunt, manifestum est, qvàm graviter, & nescio qva authoritate ductus, *Arngrimus in Eigils vita*, qvam compendio *in Crymogæa* persecutus est, impegerit; dum Eiricum Blodöxium in aliqva Britanniæ parte, Adalsteino Regi non parente, Norvegiâ exulem hæsisse tradidit, Ducatus beneficium ab aliqvo, qvem nescire se profitetur, adeptum. Nam & hæc contra omnium membranarum exemplariumqve, qvotqvot mihi, iisqve, qvi horum periti a me consulti sunt, videre contigit, fidem, scripta reliqvit; magno memoriæ, ipsi cæteroqvin perqvam insolenni, lapsu.

Post exactum finibus Norvegiæ Eiricum, Hacon Adalsteini alumnus, ejus nominis primus, tertius totius Norvegiæ Monarcha, universam sibi Norvegiam subjecit, metu tamen ejus, Regnum fortè collectis ex occidente viribus repetituri, primo anno, & deinceps ad obitum usqve ejus, in medii Regni provinciis, Sognia nimirum, Hördia, & Rogia ut plurimum sedebat: toti Thrandiæ Sigurdo Hladarum Comite præfecto, eo jure, qvo ditionem illam, tum ipse, tum pater ejus Hacon beneficio Pulchricomi prius obtinuerant. Hic paulisper subsistendum, dum Eirici, Regno jam profugi, vitæ partem, de iis, qvæ postea inter eum & Eigillem Skallagrimi filium intervenerunt, eorumqve exitum, exponam.

CAP.

CAP. VII.

DE EIGILE IN POTESTATEM REGIS INCIDENTE, OMNIQVE MEMORIA DIGNISSIMA ARINBIORNI IN EUM FIDE, ET FIDEM PROPE SUPERANTE AUXILIO; DEQVE REDITU AD REGEM ADALSTEINUM.

TRadit *Eigilis historia* (qvam *Eiglam* vocant) conceptis verbis, Gunnhilldem, post cædem filii Rögnvaldi, Bergaunundi & Frodii, ubi elapso Eigile occasionem simul vindictæ sublatam animadvertit, ad artes magicas conversam, Seidicis ceremoniis langvorem tædiumqve, & impatientem in patria moræ animum ei, tanto licèt intervallo distantiaqve remoto, induxisse: unde se priùs exsolvere neqviret, qvàm in conspectum suum veniret. Æstate autem eâ, qvâ Norvegia universa factionibus Eirici Haconisqve collidebatur, qvæ erat anni CMXXXV, usu commerciorum transmarinorum intercepto, nullæ ê Norvegia naves, nulla gestorum præsentisve status fama, in Islandiam pervenit. Eam hyemem Eigill domi transegit, magno rerum suarum tædio; qvod & procedente hyeme in dies magis magisqve crescebat. Cæptu veris triginta sociis nauticis classiariisqve navem adornavit, Angliam petiturus, oblatamqve ab Adalsteino qvondam sub discessum conditionem accepturus, Asgerdi uxori domi familiæ curâ demandatâ. Adulta demum æstate paratus, pelago se comisit. Adversus deinde ventis, navigatione lentè procedente, in autumnum usqve in itinere fuit. Tum demum, fervente æstu, mare tempestatibus turbari cæpit. Cursu deinde inter Norvegiam Orcadesqve directo, insulas, qvas Eirico, ut antea, obnoxias autumabat, declinare præcipuæ curæ fuit. Ad Scotiam itaqve deflexit: qvam æstuante mari prætervectus, in septentrionalis Angliæ conspectum post aliqvot dies pervenit. Tum verò increbrescente procellâ, nubiloqve cœlo, qvodam vespere syrtes fluctusqve â fronte & latere urgentes animadverterunt: nec restabat ulla navis extricandæ, ac ne vitæ qvidem, nisi per naufragium, servandæ via. In proximas igitur continentis rupes nave directa, incolumes ipsi, pluribus etiam mercibus retentis, confracta nave evaserunt. Ibi pro diversa fama non uno modo Eigill afficiebatur. Nam cognita Adalsteini imperiiqve ipsius incolumitate gaudebat, Eirici verò Gunnhildisqve imperiô sedeqve in Northumbriam translatâ; cujus jam finibus, nec procul â Regiâ sede Eboraco, inclusus erat, in præsentissimum vitæ discrimen se conjectum animadvertit. Haud secus ac par erat territus, an & Arinbiornus Eiricum secutus ibi qvoqve præstò esset? qværit. Qvo cognito, reputare cœpit; *turpiùs inter latitandum, ferarum more, vitam sibi eripi, quàm eo statu, in quem se sors præsens adduxit; cum nec per latebras evadendi vel tantilla spes affulgeret, sibi præsertim, viro corporis staturâ formæque specie plurimis noto; donec superato spatioso Eirici territorio, intra fines ditionis Adalsteini jurisditioni subjectos, perveniret.* Perpenso itaqve; *periculum sine periculo evitari non posse*, ex duobus illud in præsens eligendum judicavit, qvod ad fortiter oppetitæ mortis famam exem-

plumqve pertineret. Eadem igitur nocte, conſcensô eqvô, Eboracum contendens, universâ armaturâ inſtructus, galeæ pileô ſuperinductô. Seqventis diei veſpere eò pervenit, adqve monſtratam ſibi domum Arinbiorni eqvo vectus, cum a janitore cænantem cognoviſſet, poſtulat, ut ingredi ad dominum ſuum non gravaretur, eiqve ſuo nomine referre; *intusne, an foris, Eigilem Skallagrimium alloqui mallet?* Qvi ingreſſus, clara voce refert: *eſſe præ foribus virum, mole corporis Trollis, ſeu gigantibus, quàm hominibus propiorem, qui ſibi mandaverit, ab Arinbiorno ſciſcitari, extrane an intra domum Eigilem Skallagrimium alloqui placeat?* Arinbiornus foris ſe, nec longo tempore, expectandum referre juſſit: ſtatimqve menſas removeri præcepit. Cumqve egresſus Eigilem amicè ſalutâſſet, unde, & qva de cauſa eò conceſſerit? rogat. Ille itineris ordine breviter expoſito; *cætera*, inqvit, *tuæ curæ committo.* Iterum Arinbiornus interrogat, an intra oppidum in ullum incidiſſet, qvi cum noverit? cognitoqve, nemini fuiſſe viſum, omnes protinus arma capere ſeqve ſeqvi jubet: iisqve comitatus, ad regiam, omnes adventûs nuncios præventurus, contendit, pulſatisqve foribus, â janitoribus intrò miſſus cum Eigile, decemqve aliis comitibus, ingreditur. Præcepit autem Eigili, ut ſe cauſam orante, cænantis Regis pedibus tactis, caput ei ſuum offerret: priſco nimirum ritu, qvô ſupplices procumbentes in genua, pedes eorum, qvos atrocioribus offenſis laceſſiverunt, comprehendere ſolebant, capitibus gremiis eorum impoſitis, ſine exceptione dedentes ſeſe, omne iis arbitrium de ſe permiſerunt. Arinbiornus omnes præcedens, ſalutato Rege, benignè excipitur. *Huc ego*, inqvit, *hominem deduxi, qui longum iter emenſus, ad implorandam gratiam clementiamque tuam, offenſarumque veniam, præſentem quidem ſe hic coram te ſiſtit, ſed ſimul etiam præſens & evidens potentiæ, Majeſtatis, authoritatisque Regiæ documentum, magnam in omne ævum & immortalem gloriam tibi allaturum: dum iram tuam, non civibus modò tuis, aut finitimis, vel propinquæ vicinitatis hominibus, formidabilem, ſed etiam peregrinis, & longisſimè disſitis gentibus, intolerabilem, declarat. A qua ne ii quidem, quos ipſa natura immenſo oceano, omni muro altiore fortioreque, vallavit, tantoque ſpatio diſcrevit, ſe tutos ſatis arbitrantur; vel ſi arbitrantur, majores tamen intra animos dolores ſentiunt, quàm ut ſuſtinere queant. Tuum igitur erit, ô Rex, haud minus illuſtre clementiæ tuæ in hunc hominem exemplum ſtatuere, quàm ille fiduciæ in clementia tua documentum edidit. Qui longam, arduam, periculisque innumeris obſeptam, viam nihil detrectans, transmiſſo ipſo ambitore terrarum, quo terribilius aliud natura non habet, oceano, relicto patrio ſolo, penatibusque, quibus tectus, tutò, ut hucusque, vivere poterat, ad iram tuam deprecandam ſupplex factus, tuam clementiam implorat; ſuperiorem offenſam tantâ honoris exhibitione ſopiturus.* Ad hæc Rex, conjectis circum circa oculis, cum Eigilem agnovit (capite namqve reliqvis omnibus altior erat) eum intuens: *Qui huc*, ait, *Eigill, conceſsiſti? An ne factis, quæ novisſimè Norvegiâ diſcedens perpetrâſti, liberum tibi aditum ad me, reditumque ad tuos incolumem, præſtruxiſti? Ea ne tibi tunc mens erat, ut me aliquando adires?* Eigill menſam accedens, tactis Regis pedibus, verſum in honorem ejus extempore fecit, qvi & adhuc ſupereſt. Tum Rex: *offenſas tuas repetere ſuperfluum eſt, cum vel una earum extremum ſupplicium meruerit; neque enim ignorare poteras, veniam tantorum facinorum te minime impetraturum. Mortem itaque, quam meruiſti, certisſimè oppetes.* His Gunnhildis ſubjecit. *Quid, quæſo, in mora eſt, quo minus ſtatim occidatur? An effluxit memoriâ occiſus filius, propinquique alii, illata etiam tibi atrocisſima contumelia? an alium, qui gravius deliquerit, noſti?* Ad hæc

hæc Arinbiornus: *si Eigill te, Rex, contumelia affecit, vorsa quidem oratione, quæ in æternum decantabitur, illam delere potis est.* Gunnhildis, *neque ejus convitia, neque laudes se audituram,* respondit: *præstare ut Rex eum statim educi, caputque ei præcidi jubeat.* Arinbiornus ad hæc respondit: *minimè Rex ad scelestos ausus tuis incitamentis aures præbebit: nocturnæ namque cædes inter nefaria reputantur; ideoque noctis inducias dabit. Imo,* inqvit Rex, *noctem vivat: tu modo, Arinbiornie, eum custodi, domumque deduc.* Arinbiornus actis gratiis, impensius etiam agendarum materiam affulsuram sperandam respondit, causa Eigilis ad æqvitatem penitius examinatâ. *Nam licet graviter in te deliquerit,* ait, *tamen illud considerandum, familiæ ejus a patre tuo, ipsi deinde a te ipso, graves injurias illatas esse. Nam Haraldus Pulchricomus patruum ejus, virum eximium, nullo suo merito, tantùm calumniis perversorum hominum circumventum, sustulit. Tu autem in gratiam Bergaunundi jus Eigili denegâsti, violatisque legibus iniquam adversarii causam propugnâsti, justam subvertisti. Neque hac injuria contentus, eum etiam occidere parabas: quod ut non succesſit, socios ejus familiaresque occidisti; ipsum universi Regni tui finibus proscripsisti. Eigill autem injuriarum impatiens, eo est ingenio, quod irritari non sustinet. In omni autem judicio causa cum suis circumstantiis accuratè examinanda est. Ego autem custodiam Eigilis in me hac nocte recipiam.* His dictis digressus, Eigilem domum deduxit, eiqve in superioribus ædibus conclave parvum, sed valde commodum ornatumqve, ministravit: his deinde verbis eum affatus: *Valde quidem Rex iratus mihi visus est: parùm tamen sub discessum nostrum, quàm accessum, mitior. Eventum fortuna jam tua diriget: neque enim me latet, Gunnhildem omnem lapidem in tuam perniciem moturam. Tu verò hac ipsa nocte pervigil, carmen encomiasticum in honorem Regis pangito. Placet oda strophis constans vicenis, Regi crastino die promtè recitanda. Factitatum id prius agnato tuo poetæ Bragio, cum Regis Sveciæ Biorni de Colle iram incurrisset, nam una nocte odam talem composuit, vitamque impetravit. Idem tibi, fortuna favente, accidere poterit.* Eigill: *cum ipsi ita videatur, periculum se facturum; licet nunquam proposuerit, carmen in illius laudes concinnare.* Egressus Arinbiornus, solum eum cibo potuqve instructum reliqvit, cumqve familiaribus suis in mediam noctem potabat. Qvibus deinde cubitum euntibus, ad Eigilem rediit, utqve carmen procederet? qvæsivit. Eigill nihil actum respondit, interventu hirundinis, qvæ ad fenestram occinens se turbaret. Igitur Arinbiornus, arreptis armis, egressus, totam noctem ad fenestram excubias egit. Vidit autem aliâ viâ lamiam, qvæ se transformaverat, domo delapsam (Ham-bleipa patrio sermone dicitur, qvòd alienas exuvias, seu formas, assumat) diluculo ad Eigilem rediens, carmen absolutum deprehendit. Tempus prandii observabant, nec Rex id immutabat: freqventior tamen solitô accumbebat. Eò Arinbiornus cum armatis omnibus familiaribus se recepit. Ingressum postulanti januæ pro more patebant. Dimidio satellitio stipatus, Eigileqve comitatus, ingreditur; reliqvâ parte ad fores eum præstolari jussâ. Ipse Regem propius accedens salutat, benignisqve verbis excipitur. Orsus deinde his verbis Regem affatur: *Adest quidem Eigill, neque fugam ulla ex parte molitus est. Proinde quænam illius conditio futura sit, scire desideramus: bonam autem sperare, studium in te meum, navataque, ut par est, assidua opera, jubent; neque enim re, neque verbis, quicquam unquam intermisi, quod ad Majestatem tuam tuendam aut amplificandam pertineat. Avita bona, agros, possesſiones universas, cognatos præterea & amicos omnes, patriamque ipsam deserui, in tui gratiam; te solum antepoſui omnibus; te in per-*

egrinam terram ſecutus ſum, ſatraparum tuorum ſolus; cum omnes reliqvi illius ordinis te reliqverint, ſibiqve hæc ipſa, qvæ mihi præ te viluerunt, te longè cariora oſtenderent. *Neqve tamen hæc præter tuum in me meritum facta ſunt, qvod qvidem in me amplisſimum & agnoſco & veneror.* Tum Gunnhildis; *deſine*, inqvit, *Arinbiorne, hæc diutius prædicare. Extant qvidem in nos multa ingentiaque tua merita; qvæ tamen Rex omnia largè rependit; multo igitur illi quàm Eigili obligatior es. Ne igitur tibi perſvadeas, Eigilem hinc impunitum, tantis criminibus obnoxium, diſceſſurum.* Ad hæc Arinbiornus: *Quandoquidem apud animum veſtrum conſtitutum eſt, nihil cum illo paciſci, Regiè feceritis, ſi libero dimiſſo, unius hebdomadis inducias ad conſulendum dederitis, viro fiduciâ duntaxat clementiæ veſtræ ſponte ſua ad vos profecto.* Iterum ad hæc Gunnhildis reſpondit: *perſpicuum hinc eſt, Eigilis, quàm Regis, eſſe te ſtudioſiorem. Etenim ſi ſeptem dierum inducias impetraverit, facilè ad Adalſteinum perveniet. Non autem eſt, quòd Eiricus ambigat, complures potentiâ ſibi pares, plures etiam ſuperiores, certamen adverſus ſe non detrectaturos. Fuit autem tempus, nec adeo remotum, quo mirati, imo attoniti, multi obſtupuisſent, ſi quis retulisſet; Eigilem illum inultum dimiſſe.* *Nemo*, reſpondit Arinbiornus, *Eiricum ideo præſtantiorem Regem exiſtimabit, quòd peregrinum coloni filium, ultrò in ditionem ſuam & arbitrium deditum, occiderit; quod ſi hinc gloriam quæret, ego quidem partes Eigilis pro viribus propugnabo, quo illa cumulatior fiat, & relatione dignior: nam & idem fatum, eadem nos utrumque in poſterum ſors hac in aula, idemque exitus, manebit; conſtabitque Regi victoria iſta magni ſatis, antequam me ſatellitiumque meum univerſum una cum Eigile deleverit. Verum multùm me ſpes fallit, ſi Rex exitium meum, totiusque domûs meæ, deprecationi pro venia vel vita unius hominis prætulerit.* Tum Rex: *Magnâ contentione Eigilis cauſam propugnas. Id quidem certum eſt, valde me invitum ad nocendum tibi trahi; licet Eigill, quicquid de ipſo pro lubitu ſtatuero, commeruerit.* His dictis Eigill Regem acceſſit, carmenqve orſo ſtatim, velut indicto ſilentio, aures præbebantur. Eſtat adhuc carmen, adqve calcem Runicæ Celeberrimi *Olai Vormii*, cum ipſius enodatione, ſe cuivis legendum offert. Interea Eiricus erectus ſedens ardentibus eum oculis intuebatur. Finito carmine Rex infit: *Carmen quidem elegantisſimè & factum & recitatum. Ego autem, Arinbiorne, ordinem compoſitionis cauſæ hujus conſideravi. Nam cum tanto ardore patrocinium Eigilis ſuſceperis, ut armis etiam tuiturum præ te feras, in tui gratiam liberum illum, corpore membriſque incolumem, hac vice dimittam. Tu vero, Eigill, itinera viaſque tuas, poſtquam hoc tricliniô exceſſeris, ita diſpone, ne meo in poſterum conſpectui vel filiorum meorum te offeras; ſatellites etiam meos militeſque vitabis. Caput autem tuum in præſens tibi dono, eo qvod me te deditum acceſſeris. Nefarium namqve exemplum in te ſtatuere, meq; indignum facinus admittere nolo. Scito tamen, hoc modo nullam pactionem vel reconciliationem ex parte mea, vel filiorum meorum, vel ullius ex conſangvineis meis, qvi facinora tua in me commiſſa ulciſci velit, interceſſiſſe.* His auditis, erectior Eigill, carmine clementiam moderationemq; Regis extempore celebravit, donatumq; munerum maximum, ultra qvod nullius Regis liberalitas extendi poſſit, gratanter confeſſus eſt. Nec minus Arinbiornus luculentâ oratione Regis gratiam, maximiſqve in ſe meritis hoc ipſum, qvod maximi faceret, adjectum, copioſè prædicabat, actiſqve impensè gratiis, aſſumpto ſecum Eigile aula exivit. Procuratis deinde eqvis, centum loricatorum eqvitum ſatellitio, ipſe Eigilem in aulam uſqve Regis Adalſteini deduxit. Ubi magnâ benevolentiâ excepti ſunt.

ſunt. Qværente Rege, qvo pacto ab Eirico dimiſſus fuerit? Eigill rhythmo expoſuit, qvi adeo intricatus eſt, ut dubitem, an etiam illi, qvi in poëſi patriâ verſatiſſimi ſunt, aſſeqvantur: ſi tamen librarii vitio corruptus non eſt. Illud ſatis mirari non poſſum, cum illo tempore lingvam Anglicam magna ex parte ab hac veteri Norvegica diverſam obſervem, rhythmos tamen tales Regibus aulicisqve faciles fuiſſe intellectu: niſi fortè lingva Danica, qvæ toti ſeptentrioni communis erat, ipſaqve adeo poëſis, in aulis principum, pariter qvoqve in Anglia, in deliciis fuerit, ut hodie Italica in aula Cæſarea, Turcica in aula Perſica. Sub diſceſſum Eigill Arinbiorno utramqve armillam, qvam dedit ei qvondam Adalſteinus, qvarum qvælibet ſelibram pendebat, tam benigni cariq; Principis domum in nullum alium erogaturus, donavit. Eum viciſſim Arinbiornus gladio eximio acutiſſimoqve, Dragvendill dicto, remunerabatur, cujus uſus freqvens in monomachiis fuerat: magnaqve & mutua benevolentia diſceſſum eſt; Arinbiorno Eboracum repetente: ubi comites Eigilis gratiâ authoritateqve tuti, hyemem transegerunt, mercesqve ſuas vel vendiderunt, vel aliis permutârunt. Appetente vere in auſtrales Angliæ partes ad Eigilem profecti, mutuâ lætitiâ, omni defuncti periculo, ſe invicem ſalutabant; qvi Regiâ gratiâ potens in aula ejus per integram hyemem ſuſtentatus manſit.

CAP. VIII.

DE COMMENDATITIIS LITERIS REGIS ADALSTEINI AD REGEM HACONEM PRO HÆREDITATE THORSTEINI VIKÆ SATRAPÆ, ET EIGILE AD RECUPERANDAM CONTROVERSAM UXORI SUÆ DEBITAM HÆREDITATEM, QVAM BERGAUNUNDUS INVASIT, EJUS AUTEM FRATER ATLIUS SKAMMIUS DETINUIT, UTRIUSQVE REDITU IN NORVEGIAM.

EOdem tempore apud Arinbiörnum ſororis ejus Thoræ filius, nomine Thorſteinus, morabatur. Pater ei Eiricus Alſpakus, ſeu Præſagus, vir ditiſſimus ſummæqve dignitatis, officio ſatrapa, qvi multas in Vika poſſeſſiones habuerat: cujus obitus eodem autumno, qvo Eigill in Angliam appulit, eò qvoqve nunciis delatus eſt: defectu autem hæredum villici Regii jacentem hæreditatem fiſco Regio aſſeruerunt. Qvod cum Arinbiorno Thorſteinoqve relatum eſſet, viſum eſt, ut in Norvegiam Thorſteinus rediret, ſeqve pro hærede gereret. Verum cum haud facilè videretur addicta fiſco hæreditas vindicari poſſe, literis Adalſteini Regis ad Haconem ejus alumnum indigebant; nec eæ ſine commendatione illuſtrium virorum impetratu faciles erant. Itaq; literis Eirici Regis, Arinbiorniqve, cujus apud Adalſteinum magnum nomen, inſtructus Lundunum mittitur Torſteinus. Facile eorum petitioni Adalſteinus annuebat, literasqve comendatitias ad Regem Norvegiæ, de reddendis bonis paternis, jure hæreditatis ei debitis, ſcripſit. Conſimiliter Eigill mutatum ſtatum Norvegiæ, dejecto Eirico, animadvertens, in magnam ſpem erectus eſt, controverſam jam diu hæreditatem uxoris ſuæ, non litibus tantùm forenſibus, ſed etiam tot hominum ſangvine diſputa-

tam, posse recuperari, Regis præsertim Adalsteini commendatione, cui Haconem nihil denegaturum probè cognovit. Adit itaqve Regem, exponitqve: *esse sibi in animo Norvegiam petere, tentatum an bona hæreditaria uxori suæ debita, qvæ Rex Eiricus & Bergaunundi frater Atlius Skammius, seu Brevis, invaserat, recuperari possent, certum, commendatione literisque ejus ad alumnum scriptis, juris sui se compotem futurum.* Ad hæc Rex: *liberum quidem ei fore quocunque velit pro arbitrio suo proficisci; malle tamen ut in Anglia satrapæ dignitate exercitui suo præficeretur; se namque ei nobilia fevda, magnosque reditus, concessurum. Hanc*, respondit Eigill, *conditionem, oblatamqve dignitatem, valde probo, minimeque abnuo; gratissimo etiam animo recepturum spondeo: prius tamen patria, uxorque & facultates, repetendæ sunt.* Discedenti navem mercatoriam mercibus onustam dono dedit. Tanta Adalsteini in peregrinos munificentia fidesqve, præclarum ei ad posteros nomen in transmarinis regionibus, perpetuamqve memoriam, peperit; præsertim apud gentem illam, qvæ minimè ingrata, laudes gestaqve qvorumcunqve Principum perpetuis monumentis consignavit. Ex Anglia, societate cum Thorsteino Eirici Præsagi filio, uxoris suæ consobrino, initâ, unà profectus Norvegiam petivit. Pervenêre simul in Vikam, sinumqve Osloensem ingressi sunt, ubi Thorsteini nobile prædium situm erat: qvi villicis Regiis, qvi illud occupabant, statim litem intendit, multosqve sibi faventes habuit. Valuit enim nobilium propinqvorum numero, qvi partes ejus propugnabant. Tandem post multos conventus forenses, villici pro tempore cesserunt, litis decisione Regio arbitrio relictâ, Eigill ad Thorsteinum ea hyeme cum duodecim comitibus divertit; qvos ille humaniter & lautè excepit. Fuit enim vir facetus, jocisqve gaudebat. Atqve hic erat annus salutis CMXXXVII. secundus autem a fuga Blodöxii.

CAP. IX.

DE EIGILE ET THORSTEINO REGEM HACONEM ADALSTEINI ALUMNUM ACCEDENTIBUS, CONGRESSIBUS EIGILIS CUM LIOTO ET ATLIO SKAMMIO, UTRIUSQVE CÆDE REDITUQVE IN PATRIAM.

AD festivum Jolense convivium, qvod annum CMXXXVII. auspicabatur, cum Hladas a Sigurdo Comite Rex Hacon invitatus esset, contigit ut prima istius festi nocte Comitis uxor Bergliotis filium pareret; qvem ipse Rex aqva aspersit, nomenqve suum impertivit, felix futuræ magnitudinis omen. Extremo ejusdem hyemis, cujus reliqvum in Thrandia Rex transegit, Thorsteinus & Eigill cum triginta comitibus eò profecti, scopum itineris, controversias qvisqve suas, exposuerunt, testibusqve jura sua firmârunt. Et Thorsteini qvidem causa favorabilis visa, Regem statim ad sua illi restituenda permovit: nec in hæreditatem solùm paternam, sed officium etiam & dignitatem, succedere jussus est. Causa autem Eigilis calumniæ obnoxia, haud pari alacritate audita est, qvantumvis literis Regis Adalsteini de nota meliore commendata. Nam cum statum qvæstionis, actionem nimirum suam, Bergaunundiqve exceptio-

ceptionem procefsûsqve ordinem omnem expofuiffet, petiviffetqve a Rege, ut jus fuum fibi illibatum redderet, hoc refponfum retulit. *Eqvidem mihi relatum eſt, quòd fratri meo Eirico Gunnhildique videaris in laceſſenda familia noſtra lapidem ultra vires conjecturus.* (rem viribus majorem aggreffurus) *Suffecerit tibi, quòd cauſam illam non refrico, haud eqvidem a me alienam; licet mutuæ caritatis commercium inter me & fratrem Eiricum fata non permiſerint.* Ad hæc Eigill: *minimè tibi, ô Rex, integrum erit, controverſiis hominum, præſertim tanti momenti, dirimendis ſuperſedere; cum omnes Regionis hujus indigenæ, cives & peregrini, dicto tuo audientes ſint, quibus omnibus jura legesque præſcribis. Nec ſuſtinueris, mihi præ cæteris juris viam præcludere, eo namque genere hac in regione ortus ſum, in eo quoque ſtatu, ut non indignus videar, qui cum Atlio Skammio de controverſa quæſtione jure experiar. Quod autem ad Regem Eiricum attinet, en nuper ipſum acceſſi, coramque allocutus ſum: liberum autem me, & quocunque vellem, proficiſci permiſit. Tibi autem miniſterium meum offero, certus, reperiri inter ſtipatores tuos, qvi uſu belli me non præſtent. Præſagit enim animus, non longum tempus effluxurum, cum tibi videbitur Gunnhildis filios ſatis multos peperiſſe.* Ad hæc Rex: *nequaquam in ſatellitium meum recipiere; majorem enim lacunam familiæ noſtræ vos feciſtis, quàm ut integrum tibi ſit, hoc in regno verſari. Hoc enim tibi, quoad vives, perſvaſeris, familiam noſtram meritorum in ſe tenaciſſimam futuram. In gratiam autem Adalſteini Regis, quem te valde diligere novi, licebit tibi intra Regni mei terminos tutò manere, jusque tuum adverſus quemlibet legibus perſequi.* Eigill actis gratiis petivit, ut literis ad Thordum de Aurlandia, Sogniæ præfidem, uxoris fuæ patruum, directis, de voluntate fua certiorem eum redderet. Id qvod etiam impetravit.

Negotiis in aula ex animi fententia expeditis, ambo fimul inde eadem via procefferunt, usqve in montem Dofrinum. Tum Eigill Thorfteino fignificavit, fe occidentem verfus ad Raumsdalos iter flexurum; inde in Sogniam ad res fuas peragendas: fibi namqve in animo effe, patriam hac eadem æftate repetere. Thorfteinus itaqve per Dalos, deinde domum, profectus, exhibitis Regiis literis, neminem poftea fibi adverfantem habuit, paternosqve fundos & poffeffiones cum bonis omnibus vindicavit. Eigill diverfa via in occidentem cum undecim comitibus contendit. Cum ad auftralem Mœriam perventum effet, in infulæ, nomine Haud/ prædium, qvod Alinheimar (aliud exemplar habet Leinheimur/ tertium Blindheimur) vocatur, delatus, divertit ad dominum loci, nomine Fridgeirem, virum ætate juvenem; qvi nuper paternam hæreditaem adierat. Mater illi Gida, Arinbiorni foror, matrona opulenta, indolisqve probæ, & ad humanitatem nata. Hæc domum filii administrabat. Magna ibi familia opesqve, ædificiorumqve haud exile decus. Eigill proximus a domino collocatus: comites a latere ejus ordine deinceps confidebant. Convivium de induftria inftructum, magna liberalitate & profufo in hofpites ftudio procedebat: accedensqve Eigilem mater Fridgeiris, multa fuper ftatu conditioneqve fratris fui Arinbiorni percunctata, refponfum tantùm ad qvæfita retulit. Cum porrò inftaret de iis, qvæ in itinere ejus, dum in Anglia effet, incidiffent, fcifcitari, auxilium fibi ab Arinbiorno præftitum carmine decantabat. Exinde cum comitibus fuis, ipfe hilaris, qvæ ad exhilarandam familiam faciebant, fruftra conqvifivit; domefticis, qvantumvis fronte exporrecta, non fatis tamen anxietatem tegentibus. Confpecta & Fridgeiris foror,

virgo

virgo facie, staturâ, vestiumqve ornatu speciosa, mæsta plerumqve, ita ut lachrymas non teneret: qvod Eigill, causæ ignarus, magnopere admirabatur. Nocte peractâ, postero die tempestate retentus insulâ excedere neqvibat. Mater itaqve, ipseqve Fridgeir, eum cum comitibus denuo invitant, svadentqve, ut donec sedata tempestas, mari tranqvillato trajiciendi facultatem permitteret, exspectaret. Triduum ibi exactum, nihilqve de hospitis liberalitate remissum. Inde qvarta die summo mane, cum se nautico itineri, positis ventis, accingeret, postqvam jentâssent, seqve invicem salutâssent, familiares omnes egredientem Eigilem humaniter prosecuti sunt: cum Gida ad filium conversa, seorsim cum eo diutiùs locuta est; Eigile interea moram in colloqvio virginis nectente. Præcipuè qverebatur, qvòd nunqvam eam hilarem viderit, cumqve nihil responsi præ immodico fletu obtineret, tandem Fridgeir clara voce matri respondit. *Non sollicitabo eos, jam enim parati sunt. Atqvi ego ipsi referam*, ait illa, *qvibus angustiis premamur.* Eigilemqve accessit. *Vir quidam*, inqvit, *nomine Liotus Bleikius, seu Pallidus, pugil celeber & robustus, valdeqve ferox, sed infamis & exosus omnibus, natura moribusqve Berserkus, ad monomachiam filium meum Fridgeirem provocavit, eo quod filiæ meæ nuptias petens repulsam dederat. Inqve insula propinqva Vorse campum duello destinatum delegit. Te itaque oro, ut eò ipsum comiteris. Certè si frater meus Arinbiornus hic esset, haud impune nos injuriis talis vir, atqve ille ést, exagitaret. Id verò*, respondit Eigill, *merita in me fratris tui exposcunt, ut periclitanti filio tuo subsidio sim.* Illa promissis ejus læta, domum eum cum comitatu iterum deduxit. Mihi hic affinitatis, etiam arctioris, necessitudo Eigili vilis fuisse videtur, si tantùm in Arinbiorni gratiam consobrinam sororis suæ, ejusqve materteram, periculo dedecoreqve liberandam sibi censuit.

Eodem vespere cognatorum propinqvorumqve magna multitudo eò convenerunt. Manè autem, sereno cælo, Fridgeir & Eigill freqventi comitatu ad locum pugnæ processerunt; campum nimirum planum, lapidibus în circum digestis comprehensum: qvò Liotus etiam cum magno comitantium numero se contulit. Ad certamen uterqve instructus erat, & Liotus qvidem clypeo & gladio. Qvem progredientem furor Berserkianus invadens, admorso clypeo, horrendum boatum extorsit. Impar certamen Eigili visum est: nec Fridgeiri, viro statura gracili, formâ etiam, qvæ virgines ornaret, nec robusto, nec duellis bellisve assveto, adversus tantas vires periclitandum; id qvod etiam rhythmo statim significavit. Id vero audiens Liotus, viso Eigile: *Qvin tu*, ait, *qvinqvertio, vicem Fridgeiris subis, nullus namqve mihi ejus cæde honos accedit. Nihil in Lioto humile*, respondit Eigill, *qvi congredi Fridgeiri dedignatur: nos igitur colludamus.* Armatura Eigili gladius, Nadur dictus, & clypeus: stabatq; in procinctu, cum rhythmum jam congressurus funderet, qvo se gladio illum protinus occisurum minatus est. Cum concurrerent, prior Eigill ictùm intendit, qvem Liotus umbone excepit. Plures itaqve sine intermissione continuatos tanto ardore inflixit, ut Liotus contra ferire neqviret, inqve vitandis tantùm occupatus, ultraqve circum, mox latè per campum, actus; semperqve cedendo ulterius compulsus, tandemqve defendendo fatigatus, copiam respirandi postularet; qvâ haud ægrè impetrata, dum qviescit, Eigill iminentem ei mortem carmine præcinuit. Legibus monomachiæ constitutum erat, ut qvi vulnus acciperet, se pretiô ad arbitrium victoris redimeret; victor autem in occisi universa bona succederet. Erat & alia lex, qvæ peregrini

egrini bona, qvi intra Regni limites hæredem non haberet, fisco Regio adjudicavit. Ubi certamen satis qvietè interstinctum Eigili visum est, iterum Liotum ad pugnam revocat, finem se congressui impositurum promittens aggressusqve eum per campum huc illuc circumegit, ut casum subinde minaretur. Tandem femure uno ictu præciso, corruentem Liotum protinus exanimem reliqvit. Omnium circumstantium plausu & vociferatione, gratias certatim agentium, Eigiliqve gratulantium, victoria de Lioto excepta est. Ipse triumphali carmine victoriam prosecutus significavit, jocô, non seriò, certamen sibi protractum, qvod ludum tantum reputâsset. Magno se excessu Lioti periculo defunctos multi gaudebant; nam complures multis magnisqve injuriis affecerat, ipse alienigena, natione Scotus (unum exemplar Svecum facit) nulli Norvegicæ familiæ nexu sangvinis conjunctus. Qvi provocationibus monomachiisqve, multa fortium virorum colonorumq; cæde, magnas opes, latifundia, & possesiones comparaverat. Magnâ igitur omnium gratulatione circumfusæqve turbæ studiis ad domum Fridgeiris Eigill reductus est.

Inde exiguâ morâ interjectâ profectus, discedens Fridgeiri mandavit, ut omnes opes possesionesqve, qvas moriens Liotus reliqvit, sibi jam victoriæ jure legeqve partas, assereret, ipse austrum versus in Fiordos profectus. Inde in Sogniam ad Thordum de Aurlandia pervenit, exhibitoqve Regio diplomate, auxilium ejus nullo negotio impetravit, longumqve ad illum tempus, profusa honoris benevolentiæqve exhibitione, commoratus est. Unde decem comitibus lembo vectus, in Hordiæ insulam Fenringũ prædiumqve Askum pervenit; ubi Atlius, tum paucis stipatus, habitabat. Eum igitur Eigill nuncio domo excitum armatumqve ad se egressum his verbis compellat. *Comperi, Atli, bona omnia hæreditaria Biorni Hauldi, mobilia immobiliaque, etiam ea, qvæ uxori meæ competunt, & frater tuus Bergaunundus detinuit, te occupâsse. Jam vero partem meam ut restituas, postulo.* Ad hæc Atlius; *dudum qvidem fama ad aures meas detulit, haberi te virum admodum iniqvum. Jam vero re ipsa illius veritatem experior: dum hæreditatem illam exigis, quam Rex Eiricus, qui tunc temporis summa potestate Regnum tenuit, fratri meo Bergaunundo adjudicavit. Eo qvidem fine te huc accesisse existimavi, ut satisfactionem mihi pro occisis duobus fratribus meis, bonisqve hinc direptis, villâqve hac mea novissime abs te spoliatâ, offerres: tum forsitan te aliqvo dignarer responso. Jam vero qvod respondeam nihil habeo.* Atqui ego, respondit Eigill, *qvod offeram habeo, idem scilicet, quod Bergaunundo obtuli: nimirum ut litem ad forum Gulathingense judicum arbitrio uterqve subjiciamus. Fratres autem tuos jure occisos pronuncio, quòd contra jus fasqve, spretis legibus, res meas velut bello captas sibi vendicaverint.* Atqve his dictis discessit, inqve Sognia ad Thordum usqve ad ordinaria comitia, Gaulis celebranda, remansit. Eò cum uterqve accessisset, Eigill actionem de bonis vindicandis intendit, Atlius autem juramento se diluere paratum ostendit, se nullas ejus res possessione tenere: cumqve id præsentibus testibus, unà juraturis, confirmaturus judicium accederet, Eigill suo comitatu stipatus obviam ei processit, negabatqve pro controversis bonis juramento ejus sibi satisfactum iri; aliam qvidem rationem, & qvidem legibus conformem, se excogitâsse, qvâ cum illo experiretur, nimirum ut in ipso foro ad singulare certamen uterqve descenderet: victoria causæ certaminis victorem seqveretur. Legibus enim consvetudineqve inveterata talis provocatio recepta erat. Ad ea Atlius respondit: *Illud se certamen neqva-*

qvam recusaturum. Certè se hac provocatione anticipâsse, sibi quàm illi magis necessariâ, cum sibi duorum fratrum ultio incumberet. Omnium etiam judicio multô se illo in defendenda justa causâ, jureque suo propugnando, inferiorem abjectioremque videri, si terrore provocationis jure suo agrisque & possessionibus illi cedere, fugamqve capessere, qvàm cum illo decernere, præoptet. Deinde junctis, manibus, in certamen, agris controversis in victoriæ præmium deputatis, consentiunt. Eigill galeâ clypeoqve tectus, hastam gladiumqve Dragvendilem, qvem more monomachorum â brachrio pendulum, ne stringendo distineretur, gerebat, ad certamen processit. Atlius pari armatura conspicuus, vir certaminibus monomachiisqve assvetus, robore artibusqve magicis pariter instructus, protinus occurrebat. Consistebat ibi productus in medium taurus immanis & annosus, sacrificalis, patriâ lingvâ Blotnaut dictus, non qvòd sacrificiis destinatus esset, sed pari fortè magnitudine, mole, vel habitu, deligendus. Hunc victor decollare tenebatur. Solebant interdum duo produci, suum qvolibet certantium adducente. Addit *Arngrimus*, qvæ in exemplaribus meis desunt, licuisse victi hæredibus, vel amicis, eum ulcisci, si victor eum primo ictu non interfecisset. Et jam certamini accincti magnis animis viribusqve concurrunt, hastis utrinqve conjectis; sed jactibus neutrius clypeo noxiis. Inde arreptis gladiis cominus pugnantes, ictus pari impetu ardoreqve, Atlio nihil concedente, alternabant: ita ut exiguo tempore utriusqve clypei fissi, protegendis ultra corporibus inutiles redderentur. Atlius igitur, projectis fragmentis, assiduis ictibus Eigilem gladio feriebat, & qvamvis ille nihilo secius aut parcius vicem redderet, inqve humerum alterum Atlii sæpius eosdem ingeminaret; tamen, qvia aciem gladii Atlius carminibus hebetârat, frustra fuit, cute adversarii ad omne discrimen telumqve obduratâ. Igitur eventum pugnæ metuens Eigill, cum sibi vulnera gratis excipienda prævideret, illum vero talium securum, armis, qvorum præsidio destitutus erat, abjectis, totis viribus in eum se infert: jamqve incantationum robore cassum, ipse manuum brachiorumqve viribus potior, supinum in terram prosternit, prostratoqve jugulum dentibus aperit dissecatqve, ut continuò animam incantatricem efflaret. Surgens deinde ad taurum properat, alteraqve manu mandibulam, alterâ cornu, comprehendens, sublimem eum rapit, pedibusqve sursum versis cervice subitò confracta exanimat. Inde ad comites suos se recipiens, carmine de Atlio triumphavit; qvo se eum dentibus, cum ferro neqviret, occidere compulsum significavit. Secundùm illam victoriam universos agros possessionesqve controversas recepit. Ad Thordum deinde in Sogniam concedens, prædia colonis locavit. Inde eodem vere in Vikam profectus, apud Thorsteinum aliqvanto tempore diversabatur; donec eadem æstate in patriam, magnis opibus instructus, navigavit: ubi satis pacatè vixit, nec aliorum hominum controversiis se immiscuit. Atqve hic erat annus CMXXXVII. mansitqve in patria aliqvot annos, abundabatqve opibus, proventu etiam clari nominis liberorum felix; & qvidem potioris sexûs Bödvare, Gunnare, & Thorsteino; seqvioris, Thorgerde & Bera.

CAP.

CAP. X.

DE ANNO DIEQVE OBITUS REGIS ADALSTEINI, DEQVE REGE EIRICO PARTES ANGLIÆ REGI EDMUNDO SUBJECTAS VASTANTE, EJUS CÆDE ET EXEQVIALI CARMINE.

PRoximo anno Adalſteinum fatis ceſsiſſe *Simon Dunelmenſis* uno loco ſcribit; *Hiſtoriæ ſc: de geſtis Anglorum pag. m. 114.* In annum autem CMXXIII patris ejus Edvardi obitum idem retulit, & per conſeqvens initium imperii Adalſteini. Verùm ſui ipſius oblitus, *in hiſtoria de Dunelmenſi Eccleſia*, ſanctum Dunſtanum primo imperii ejus anno natum tradit, qvi fuerit ab incarnatione Chriſti CMXIX. Iterum *in hiſtoria de geſtis Regum Angliæ*, obitum Edvardi, & initium imperii Adalſteini, non per conſeqventiam, ſed conceptis verbis, in annum ſalutis CMXXIV, obitum autem in annum CMXL, ſextas Cal: Novembris, apud Glavornam, feria qvarta, refert. *Bromton* apud Glavornam decesſiſſe tradit, anno Regni ſui decimo octavo, occepiſſe autem regnare anno ſalutis CMXXIV. Vult itaqve eum decesſiſſe anno CMXLII, additqve locum ſepulturæ. *Dunelmenſis pag. 155.* ad Maidulfi urbem delatum honorificè tumulatum refert. Chronologia Auguſtinenſis Cantii æram initi ab eo imperii annum CMXXV aſſignat, obitûs autem CMXLI, cui *Chronicon Saxonicum* conſentit, qvod tempus Regni illius qvatuordecim annis & decem hebdomadis definit. *Flor: Vigorn:* ſedecim annis. Chronici verba exſcribere haud pigebit. *Anno CMXLI Athelſtanus Rex decesſit, VI Cal: Novembris, XLI circiter anno, præter unam noctem, ex qvo Alfredus Rex mortem obibat. Eadmundus autem Clitò capesſit regnum, & ei præfuit XIIX. annis; Athelſtanus verò regnavit XIV annis & X. hebdomadis. Polydorus Virgilius hiſtoriæ Anglicæ Lib: VI. pag. m. 148. Collata cum* 150. Eldredum Edmundi fratrem anno CMXLVI ad faſces Regni Anglici dirigendas provectum: Edmundum autem ſex duntaxat annos regnâſſe: Adalſteinum autem, qvi eum præceſſit, ſedecim. Obitum itaqve Adalſteini in annum CMXL, imitium imperii in ejusdem ſeculi XXIV refert, Typographi namqve error in exemplare editum Lugduni Batavorum anno MDCLI. irrepſit, ubi Athilmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, qvi illum coronavit, Pleimundo anno CMXXVI ſucceſſiſſe legitur, cum ex authoris calculatione pateat, XXIV intelligendum. Hæc adeo anxiè conqviſivi, qvô faciliùs noſtrorum vetuſtiſſimorum exemplarium (qvæ tria pergamenea, præter vitam Eigillis Skallagrimii, ad manus habui) unanimem, ſibiqve per omnia conſentientem, relationem cum ſcriptoribus Anglicis conſulerem. Tanti namqve Norvegorum Islandorumqve Mæcenatis fautorisqve periodum Regni ſollicitè inqviſiverunt, pluraqve ejus geſta literis conſignâſſe qvàm qvæ hodie ſuperſunt, haud eſt dubitandum. Ipſi tradunt, Adalſteinum ex morbo decesſiſſe, poſtqvam regnaverat annos qvatuordecim, hebdomadas octo, & dies tres. Per-

peram autem in Chronico Norvegico, typis impresso, pro annis qvatuordecim octodecim, typographi incuriâ, substituti sunt, cum hebdomadæ & dies cum cæteris exemplaribus consentiant: familiari qvidem errore, nam & lapidem sepulchralem Haraldi Pulchricomi octodecim pedum longitudine, pro qvatuordecim, si dimidius dematur, reposuit.

Ex his tam diversis sententiis proximè vero videtur accedere, qvæ annum, mensem, & diem exprimit, aliorumqve suffragio firmatur. Talis est ea *Dunelmensis*, qvæ obitum Adalsteini in annum CMXL, sextas Cal: Novembris refert, locumqve, ubi excesserit, exprimit. In qvo etiam, licet in anno diversum, suffragantem sibi habet *Bromtonem*, qvi & sepulturæ locum addit. In anno autem *Polydorum Virgilium & Radolfum de Diceto.* Inde si retrò secundum nostros scriptores ad æram initi Regni, annos qvatuordecim, cum hebdomadibus octo, diebusqve tribus, numeremus, annus CMXXV hebdomadas illas & dies sibi vendicat. Nec distat hæc computatio a *Chronico Augustinensi.* Jam verò omni exceptione majus testimonium perhibet catalogus eorum, qvæ Ecclesiæ Cantuariensi donata sunt, liberalitate Regum magnatumqve; *ad calcem Chronici Gvilelmi Thorn*, sub titulo: *evidentiæ Ecclesiæ Christi Cantuariensis*: ubi clarè monstratur, qvòd anno CMXL vixerit Adalsteinus, utpote qvi Ducis Eadulfi donationem, qva Derentam & Peapuham Ecclesiæ Christi donavit, eodem anno confirmavit, Dunstanus etiam subscripsit. Non igitur ante annum CMXL, sed eodem tamen, Adalsteinus decessit. Hæc igitur cum nostris annalibus collata ostendunt, Adalsteinum anno Domini CMXXV. XXVI Augusti (nam qvatuor bissextilium intercalares computandi sunt) regnare cæpisse, consecratum, authore *Radolfo de Diceto*, apud Kinqvestune ab Athelmo Donobernensi Archiepiscopo; decessisse apud Glavornam anno CMXL. XXVII Octobris; delatumqve ad urbem Maidulfi, secundum *Dunelmensem*, inqve Palmesburg honorificè sepultum, teste *Brômtone*: qvæ seqvi haud pigebit.

Successit Adalsteino frater Edmundus, Norvegis minùs æqvus, animiqve in Eiricum parùm propensi. Unde sermonibus vulgabatur; alium eum Regem Northumbriæ Eirici loco substituturum. Qvod ut ad Eiricum delatum est, expeditionem per occiduas insulas facturus, in Orcades concessit, Arnkelemqve & Erlendum Einaris de Cespite filios, secum militaturos, cum expeditâ armatorum phalange navibus abduxit. Inde in Hæbudas classe delatus, piratarum magnas copias, spe prædæ accensas, ad belli societatem facilè pellexit. His auctus, Hiberniam, & inde Bretlandiam, sev Cornaviam, diripuit. Mox successu audacior, austrum versus trajiciens, Angliam depopulatus est. Omnibus fuga dilapsis, numero virtutiqve bellatorum confisus, in regionis loca mediterranea prædabundus penetrare non dubitavit. Præfuit isti tractui Rex qvidam, nomine Olafus, custodiæ illius ab Edmundo Rege præfectus. Hic ingenti exercitu contracto, manum cum illo conseruit, magnâ qvidem suorum toto antemeridiano tempore jacturâ. Copiis verò ex omni angulo ad illùm certatim confluentibus, integri fessis, validi saucüs succedentes, omnem belli cladem in Nordmannos pomeridianis horis verterunt. Finis certamini idem, qvi diei, ipsum Eiricum cùm qvinqve Regibus, Guttormo nempe, duobusqve ejus filiis, Ivare & Hareco, præterea Sigurdum & Rögnvaldum, absumpsit. Accesserunt cladi Arnkell & Er-

& Erlendus Orcadum Comites : exercitusqve Eirici ad internecionem deletus eſt. Qvotqvot Nordmannorum ex hac clade ſuperſtites fortuna reſervavit, in Northumbriam profecti, Gunnhildi filiisqve ejus triſtem afferebant nuncium. Qvi, cognito Eiricum novisſimè ditionem Edmundi Regis bello infeſtâſſe, haud ampliùs in Northumbria tutum rati, qvam jam, propugnatoribus exitiali bello deletis, armis deinde defendere neqvibant, claſſem, qvam Eiricus reliqverat, omnem, raptim, ut in ſubita trepidatione, inſtruunt, congeſtisqve eò ingentibus opibus, omniqve auri argentiqve præda, vel bello, vel tributi nomine in Northumbria, vel direptionibus piraticis, collecta, aſſumptisqve in ſocietatem profectionis qvotqvot ſeqvi volebant, in Orcades concedunt, ibiqve per hyemes reſidunt; qvibus unà cum inſulis Hialtlandicis, Thorfinno Hauſakliuſo Comite non obſtante, in poteſtatem redactis, tributa imponunt. Æſtates piraticis expeditionibus rapinisqve per Scotiam Hiberniamqve tranſactæ ſunt. Id qvod poëta Glumus Geirinus duobus rhythmis teſtatur.

Hoc exitu, temeritatis præmio, parricidia Eirici penſata ſunt; Principis, corporis qvidem robore ſtaturaqve & formæ venuſtate commendabilis, bellatoriſqve intrepidi; ſed impetuoſi, moræqve in vindicta impatientis, & adverſus pericula animi invicti, iracundi præterea, immodicæqve bilis, inſvavis & intractabilis, verbiſqve parci: qvibus tamen moribus per omnem vitam felix victoriis abundè inclaruit. Circiter annum CMXLI cæſum, primordium Regni Edmundi indicat. Eodem qvoqve anno *Simon Dunelmenſis* Northimbrenſes Regem Noreganorum Anlafum ſibi in Regem elegiſſe tradit, fortè in locum Eirici. At Regina Gunnhildis Chriſtianam licet religionem profeſſa, Chriſtiano ipſi exeqviale carmen ethnico more fieri curavit, Odinumqve in aula Valicâ eum magnâ pompâ lætitiâqve excipientem inducit. Unde patet, qvàm altè in talium hominum animis radices egerit inveterata illa ethniciſmi ſuperſtitio, qvàmqve ægrè ſe ab ea avelli paſſi ſint. Nam etſi ritu Chriſtiano ablui ſe permiſerint, magis tamen id ex utilitate, ut liceret ſcilicet cum Chriſtianis, urgente necesſitate, converſari, qvàm ex ſeriâ animi intenſione, inqve Divinam religionem propenſione, admiſiſſe videntur: permanſuri certè in priſtinis tenebris in proprio regno, ſi necesſitas non urſiſſet. Simile omninò illud eſt, qvod de Skallagrimi filiis ſuperiore libro dicitur; illos nimirum, tantùm ut cum Chriſtianis agere poſſent, qvod cæteroqvin iis non licuit, baptiſmum ſuſcepiſſe; ex moribus ethnicis nihil, aut certè exiguum, remittentes. Unde & nonnullos, qvi talem aut ſimilem ob cauſam ſacris initiati ſunt, a fide Chriſtiana defeciſſe, adqve ethniciſmum relapſos fuiſſe, ex hiſtoriis edocemur.

Cæterùm epicedium illud, qvod Regi marito uxor Gunnhildis ſtatui fecit, antiqvitatem in lingva vernacula ſatis præ ſe ferens, maluimus proſa oratione ad verbum explicare, qvàm floſculis ornatum ſibi ipſi disſimile reddere. Eſt itaqve ſenſus carminis talis.

Qvid, qvæſo, portendit ſomnium, qvo ante diluculum ad aulam Valicam inſternendam accinctus videbar, occiſos prælio excepturus. Excitavi Monoheroes, adqve ſurgendum hortabar, ſcamna ut inſternerent, pocula expedirent, Parcis miniſtranda, tanqvam ſub adventum Regis. Eqvidem cordis mihi lætitia illuſtres è mundo advenas præſagit. Qvid crepat ibi Bragi? tanqvam millia hominum ſe moveant, aut multitudo ingens. O-

mnia qvatiuntur ſcamna (verba ſunt Bragii) *perinde ac ſub reditum Baldi in Odini palatia. Abſtine, qvæſo*, ait Odinus, *deliriis, fortisſime Bragi, qvantumvis ſapiens ſis. Eirico plaudunt, mox Odini palatia ingreſſuro, Regi. Vos, Sinfiotli, Sigmundeqve, protinus ſurgite, obviamqve procedite, ſi fuerit Eiricus, invitate, eum namqve expecto. Qvi*, ait Sigmundus, *eum præ aliis Regibus expectas. Nam*, reſpondit Odinus, *multis in terris gladium ſangvine tinxit, qvas cruento mucrone peragravit. Qvi ergo eum victoriâ, cujus fortitudinem probaveras, ſpoliaſti ? Nam incertum eſt*, reſpondit Odinus: *profectò capitalis ille lupus collegium Deorum inſpicit.* (Qvàm rectè hoc expoſitum ſit, affirmare non poſſum; tutiùs multo me hoc reſponſum non aſſeqvi: ſenſum tamen eum elicio; Odinum ad incerta a lupo Fenerenſi metuenda, qvi Diis inſidietur, iisqve exitiabile qvandoqve bellum moturus ſit, Eiricum in auxilium delegiſſe) *Salve*, ait Sigmundus, *optatus adſis, Eirice: ingredere, heros fortisſime, hæc palatia. Id qvæſo, expone, qvinam Reges e prælio te huc comitentur. Qvinqve adſunt Reges*, reſpondit Eiricus, *ego ipſe ſextus ſum: omnium tibi nomina exponam.*

Hucusqve Compendium Chronici Fagurskinna hæc perſeqvitur, tantùm ut probet, qvinqve Reges eo prælio cæſos fuiſſe, qvantusq; bellator Eiricus fuerit.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS SECUNDÆ

LIBER QVINTUS,

DE GESTIS HACONIS ADALSTEINI-ALUMNI.

CAP. I.

DE HACONE, DANOS VIKAM LATROCINIIS INFESTANTES PULSOS IN JUTIAM PERSEQVENTE, BELLUMQVE IIS INFERENTE, SIALANDIAM, SCANIAM GOTHIAMQVE EXSPOLIANTE; DEQVE TRYGGVIO VIKÆ PRÆFECTO.

Cæde Eirici ex Anglia, filiorumqve ejus exilio cognito, Hacon Adalsteini-Alumnus liberatus sibi metu eorum videbatur. Itaqve eadem æstate in Vikam profectus est: qvam Dani sæpiùs iisdem temporibus infestabant, magnaqve incolis damna crebraqve intulerunt. Qvi cognito adventu Regis, classe haud modica instructi, alii fugâ in Hallandiam dilapsi; alii, qvibus tantum tempus ad elabendum non suppetebat, in altum vecti sunt: qvos ille cum universa classe in Jutiam usqve persecutus est, ibiqve exscensione facta, præliis indigenas rapinisqve, & id genus belli calamitatibus, lacessivit. Qvi magno conflictu vim vi opponentes, tandem etiam justo exercitu collecto, collatis signis cum illo dimicârunt. Summa vi contentioneqve ab utraqve parte concursum est. Enituit tamen in primis Regis Haconis stupenda fortitudo & audacia: dum sine lorica aut galea ante signa intrepidus pugnabat, hostesqve non modò in fugam vertit, sed fugientes in mediterranea usqve loca subsecutus est. Id qvod Guttormus Sindrius duobus metricis elogiis complexus est. In Sialandiam inde vela vertens, fretum Sundicum duabus navibus ingreditur: ubi undecim simul piraticas myoparones adortus subitâ pugnâ oppressit, teste eodem Guttormo Sindrio. Passim deinde per Sialandiam arma circumferens,

ferens, aliis exſpoliatis, aliis cæſis, aliis multâ pecuniariâ pro vita tectisqve redimendis indictâ, nemine reſiſtente, victoriis omnia emenſus eſt. Scaniæ deinde latus orientale prætervectus, locaqve omnia armis pervagatus, provinciâ ad tributa redactâ, Danos pariter ac Vandalos, qvotqvot aſſecutus erat, occidit. Gautiæ deinde oras prætérlegens, excurſione in continentem facta, graviſſimis exactionibus incolas vexavit. Auctus tot provinciarum ſpoliis proximo autumno Vikam repetivit, ibiqve hibernabat, in Danorum incurſus ſedulò intentus. Qvæ omnia Sindrius carmine vulgavit.

Hoc eodem autumno Tryggvius per occiduas regiones Scotiam Hiberniamqve piraticâ graſſatus, domum redux Vikæ ab irruptionibus Danorum defendendæ præfectus eſt; facta conditione tantæ provinciarum Danicarum, eadem æſtate ſub tributum redactarum, partis, poſſeſſione complectendæ, qvantam in obſeqvio retinere poſſet. His peractis Rex Hacon in aqvilonares Norvegiæ partes conceſſit. Hæc omnia ordine poeta Sindrius diſertis verbis, ſed ligata oratione, teſtatur. Hæc autem irruptio Haraldum Gormium Daniæ Regem ad iram ultionisqve ſtudium vehementer accendit; ita ut nec minis Rex abſtineret: ſed exeqvendi opportunitate id temporis deſtituebatur.

CAP. II.

DE EIGILE AD ARINBIORNUM IN NORVEGIAM PROFECTO, SPOLIAQVE LIOTI CÆDE SIBI DEBITA, SED IN FISCUM REGIUM RELATA, PER ARINBIORNUM REPETENTE, REGISQVE TRISTI RESPONSO ET ARINBIORNI HUMANITATE.

QVo tempore filii Eirici ex Anglia ad Orcades migrârunt, Arinbiornus in Norvegiam conceſſiſſe videtur; aut certè iis annis, qvibus illi ibi ſedes fixerunt: neqve enim certum hic annum aſſignare ſufficio. Ibi dignitati priſtinæ ab Hacone Rege reſtitutus, agros & poſſeſſiones omnes recuperavit. Qvod cum ad Eigilis aures, ſimul cum obitu Adalſteini cædeqve Eirici, perlatum eſſet, triſte benigniſſimi Regis fatum haud leviter dolens, abſciſsâ omni ſpe ulterioris in Anglia fortunæ, Norvegiam iterum adire ſtatuit, aſcito in itineris ſocietatem Aunundo Sconio, Ani, prædii Anabreckæ domini, ejusdemqve eponymi, filio, viro roboris gigantei, ſtaturæqve prægrandis: qvem Berſerkiano furore interdum corripi fama erat. Fuit is navigationibus plurimùm asſvetus, Eigiliqve in primis acceptus. Media æſtate in Norvegiam delati Fiordos petebant, prædioqve Arinbiorni qvàm proxime navem applicuerant, adqve eum profectus Eigill, ſolitâ benevolentiâ exceptus, hyemem ibi cum duodecim comitibus tranſegit. Reliqvi per viciniam ſparſi, hoſpitia ſibi procurârunt idonea. Inter munera velum in longæ navis uſum artificiosè textum, ab Eigile Arinbiorno datum. Autumno in Sogniam ad colligendos prædiorum ſuorum reditus annuos profectus iterum ad Arinbiornum rediit.

Feſto Jolenſi, cum Arinbiornus pro more convivium magno apparatu, multis amicorum invitatis, celebraret, feſtivum Eigili donum togam

gam (Silkislødur vocant) fericam, Phrygio opere paffim contextam, aureisqve globulis ad ima demiffis ornatam, adqve ftaturam illius aptatam, obtulit: præterea integrum veftitum, ex pannis Anglicis verficoloribus. Omnibus præterea convivis munera diftribuit. Erat enim vir profufa liberalitate & magnificentia. Finito fefto, nova Eigilem cura adeo triftem anxiumqve reddidit, ut hilaris animi indicia nulla daret, neminem affabiliter compellaret. Qvod ut Arinbiornus præfenfit, caufam repentini mæroris exprimere juffit. *Animo*, refpondit, *volvo, qva ratione posfesfiones Lioti Bleikii, qvem duello fuftuli, vindicem, tuâqve ad id operâ indigeo* Regii namqve præfecti, qvòd alienigena fine hæredibus intra Regnum occubuerit, Regio eas fifco, lege fic jubente, addixerunt.) *Eqvidem*, refpondit Arinbiornus, *ipfa lex tibi fpolia ifta, tuà virtute parta, fortitudinis præmia addicit, hoc tamen ftatu haud recuperatu facilia. Aulæ qvidem Regiæ ingreffu patulæ, exitu anguftæ funt. Sæpius nobis lites tuæ rerumqve tuarum vindicationes, cum adverfus potentiores intenderentur, difficiles fuere, cum tamen majori gratiâ aulæ, Regioqve favore fulciremur, qvàm in præfens. Nam amicitia inter Haconem & me non admodum firmo ftat talo; fed utendum foro, ne ftimulos manu lædam.* Eigill propofiti tenax, inqve cæptis pertinax, periculum faciendum exiftimabat: nec fibi in caufa jufta metuendum ab illo Rege, qvem confentiens omnium vox juftum, legumqve feverum vindicem, celebraret. Arinbiornus multis obniti, acceffumqve ad Regem magnopere disfvadere; *nec enim ingenii illius ardorem impetumqve, & potentiam Regis, imperiiqve vires & licentiam magis congruere, qvàm fi Delphinum fylvis appingat, fluctibus aprum: maxime cum conftet Regem animo ab eo alienum effe. Malle igitur fe folum hanc operam iterqve in fe fufcipere, illo domi remanente, certo licet fciat, fe, qvod dici folet, apud novercam qveftu-rum.* Impetrato deinde Eigilis confenfu, in Hordiam, ubi tum forte Rex erat, proficifcitur, caufamqve ei omnem ordinemqve rei geftæ exponit: *bono qvidem publico latronem bonis omnibus infeftum, qvi fortunis civium vitæqve inhiare, virginum matronarumqve pudicitiæ infultare confveverit, jufto duello cæfum, bonaqve ejus omnia, tum jure victoriæ, tum etiam patriis legibus, vindicata, fed a villicis Regiis fifco Regio afferta, ut ei reftitui juberet, petivit, nec permitteret eum fpe juris, beneficiiqve legis obtinendi dejici, qvæ monomachiæ præmium cæfi opes ftatuiffet.* Exacerbatus intempeftivâ poftulatione Rex: *Nefcio*, inqvit, *qvem in finem hujus rei mentionem facias. Stitit eqvidem fe mihi Eigill qvondam præfentem, refponfumqve haud ambiguum accepit; ex qvo facile intellexit, moram me ejus diuturnam hoc in Regno haud æqvo animo laturum. An & mecum perinde atqve cum fratre meo Eirico litigaturus eft? Tu vero, Arinbiorne, mentem meam paucis accipe, fciasqve nec tibi qvidem ipfi intra Regni mei limites diuturnius habitandi tempus concedi, qvàm nobis præ peregrinis te ftudiofiorem propenfioremqve exhibueris. Scio enim animum tuum ad filios Eirici inclinare. Erit igitur tibi confultiffimum, ut ad illos te conferas, eorumqve partes feqvaris, mihi namqve fufpectus es, fi inter nos forte disfenfio interveniat: ifto cafu nobis haud dubiè utilis futurus.* Tam afperô refponsô totâ fpe dejectus Arinbiornus, domum, re non infecta modo, fed etiam irritato Rege, qvem humili fubjectionis officio vel deprecatione placare non fuftinuit, rediit, Eigiliqve rem totam, ut proceflerat, retulit, adiecitqve, fe haud ultra ejus rei gratia ad Regem profecturum. Majorem in modum Eigili difplicuit tantarum opum jactura, qvarum gratia domô arduum iter & fumptuofum fufceperat; magis tamen angebat, fuum jus fibi præripi, Regemqve, vel potius villicos

ejus, ſpoliis ſuis locupletari. Ut igitur eum â periculoſis conſiliis averteret, paucis interjectis diebus in conclave ſuum Arinbiornus advocari curavit; apertisqve ſcriniis, ſexaginta ſelibras argenti ei numeravit. *Hanc ego*, inqviens, *tibi pecuniam pro agris, qvos Liotus poſſederat, perſolvo: juſtum enim eſt, ut ego & filius ſororis meæ Fridgeir præmium occiſi Lioti rependamus, in qvorum gratiam eum ſuſtuliſti. Agnoſco enim beneficium abſenti mihi abs te hac in parte collatum; neqve enim exſpoliari te permittam.* Eigill acceptâ pecunia exhilaratus gratias egit. Hæc an ſordibus Eigilis, ab amiciſſimo viro pecuniam haud debitam accipere ſuſtinentis, an excelſiori indoli, qvâ ſibi qvacunqve demum ratione ſatisfieri voluerit, ne ſuo jure excideret, adſcribam, dubito.

CAP. III.

DE ARINBIORNO NORVEGIA EXCEDENTE, ADQ; LATROCINIA INDEQ; AD EIRICI FILIOS CONVERSO, EIGILEQVE EUM PRIMO SECUTO, MOX NORVEGIAM REPETENTE, FILIIS EIRICI RECEPTUM IN DANIA NACTIS, NORVEGIAM CREBRIS EXCURSIBUS LACESSENTIBUS, TRYGGVIOQVE SIALANDIS ET HALLANDIS VICEM REDDENTE.

HAnc eandem hyemem Arinbiornus domi tranſegit. Proxima inde æſtate cum trecentis viciniis colonisqve ſuis in expeditionem piraticam delectis, aſſumpto & Eigile, qvi unam navim, ſuorum comitum præcipuis inſtructam, gubernavit, cæteris in Vika ad merces vendendas commutandasqve relictis, auſtrales Regiones, Saxoniæ partes, totâ æſtate crebris præliis continuisqve latrociniis infeſtabat, magno plerumqve manubiorum proventu. Appetente autumno in Friſiam infuſi, nocte qvadam, tranqvillo cælo, magnum fluvii oſtium intrant. Ab utraqve ripa planities, ſylvis paſſim interſtincta, crebris imbribus emollita jacebat. Mox exſcenſione facta, inter ſylvam & flumen agmine procedentes, in vicum qvendam irruperunt; qvem protinus incolæ, cognito periculo, in diverſa diſtracti, deſerebant. Inde piratæ ferociores, alium poſt alium diripientes, metu ſuo omnes ruſticos a patentibus campis in ſylvas fugabant. Qvi ſaltûs præſidio tuti, invicem ſe ad trecentos colligebant. Inde inſtructa acie exorti, inqve latrones acriùs invecti, fortiter dimicabant. Sed viribus impares, tandem in fugam conjecti, qvò qvemqve metus aut latebræ ſpes abripuit, ſpargebantur, foſſasqve paſſim in via planiciem interſecantes, latas ſimul & profundas, ſed humore repletas, pontibus nudârunt. Qvibus ſecum avectis, ulteriorem progreſſum piratis intercludebant. Cumqve inſeqventium ardor eos ad ſuperiora rapuiſſet, nec amplius foſſarum objectu tendi poſſet, ad naves reditum maturabant. Solus Eigill, dulcedine prædæ transgreſſus foſſam, in ripam, qvam coloni tenuerant, pervenit, nemine ſuorum ſeqvente; cum non eſſet, qvi ſaltu eam ſibi transmiſſurus videretur. His igitur ad ripam amnis naviumqve ſtationem recurrentibus, undecim hoſtium armatorum incurſu impetitur; qvos, foſsâ â tergo tutus, tantiſper ſuſtinuit, qvoad omnibus occiſis, per repoſitum pontem transgreſſus in viam, qvæ ad naves ferebat, evaderet, itinere

itinere proximè sylvas directo, ut, si necessitas postularet, tutus ad eas receptus esset. Interim piratæ magnam armenti pecorisqve prædam ad naves agunt: pars mactandis; pars navibus ingerendis; pars deniqve ab irruptione Frisiorum defendendis, distenti: nam & ii aciem denuò ordinabant: cui excipiendæ piratæ partem copiarum in ordines digestam opposuerunt. Dumqve missilibus & jaculis se mutuò impetebant, Eigill ab intercedentibus Frisiorum manipulis exclusus, cum longiùs progredi neqviret, observatâ occasione, irrupta phalange, ab utroqve latere stratis rusticis, per medias hostium catervas incolumis ad suos, vicem ejus sollicitis omnibus, insperatus evasit. Qvi conscensis subitò navibus in Daniam ad fretum usqve Limafiordinum navigârunt. Ibi, advocata concione, Arinbiornus palam professus est; *se ad filios Eirici Blodoxii transiturum; qvos in Dania magno satellitum numero stipatos splendidè vivere, semperqve ibi hybernare, æstatibus piraticæ indulgere, vitamqve ex diversarum nationum spoliis sustentare, pro comperto habeat. Qvi se seqvi velint, tutò etiam posse: aditum enim ad militiam illorum patere. Qvi patriam præferant, id qvoqve liberum, bonâ etiam sua veniâ fore. In primis svadere, ut Eigill Norvegiam primò, mox etiam Islandiam, repetat.* Atqve ita Eigill & Arinbiornus, novissimè unus alterum visuri, invicem se salutabant. Qvi Norvegiam repetebant, Eigili se adjunxerunt. Erant autem multo plures, qvi Arinbiorno adhæserunt. Eigill in Norvegiam profectus, Osloiam, non qvidem id temporis urbem, sed prædium, delatus est: ubi navis ejus mercesqve & socii remanserunt. Ad Thorsteinum cum duodecim comitibus per hyemem divertit.

Arinbiornus, uti proposuerat, ad Regis Eirici filium Haraldum, Grafeldum postea dictum, alumnum suum, se contulit; cui deinceps per totam vitam adhæsit. Etenim cum Eirici filii, materqve eorum Gunnhildis, in Orcadibus versantes, simultates inter Daniæ Norvegiæqve Reges intervenisse, mutuisqve in dies direptionibus cædibusqve augescere, perceperunt, occasionem illam sibi haud omittendam rati, elocatâ prius sorore suâ Ragnhilde Arnfinno Thorfinni Hausakliufi filio, ipsoqve Thorfinno in Orcades restituto, in Daniam navigârunt: aditoqve statim Haraldo Cærulidente, magnâ ab eo benevolentiâ excipiuntur: tantumqve feudorum in Dania illis concessum, qvantum ad satellitium aulamqve liberaliter sustentandam, sufficiebat. Haraldum etiam genubus suis, sanctioris nexûs symbolo, impositum Rex in aula sua educandum suscepit. Gamlius fratrum natu maximus erat, ætate tamen non adultâ, cum in Daniam veniret. Inde patet, haud multis annis post qvadragesimum ejus seculi hæc contigisse. Nam Haraldus Grafeldus anno CMXXX natus erat; cum genibus Daniæ Regis educandus imponeretur: si qvatuordecim tunc annorum fuisset, iis utiqve imponendis qvàm par erat, adultior. Illum tamen Gamlius ætate superavit. Omnes robore maturitateqve ætatem antevertisse, formâ præterea valde conspicua fuisse, traduntur.

Cùm primùm per ætatem licuit, piraticis exercitiis operam dabant, orientalesqve terras populati, opes haud contemnendas congesserunt. Id qvod inter Haraldi Grafeldi laudes Glumus pöeta Geirinus, in oda honori ejus dicatâ, haud omisit. Jamqve auctis viribus Vikæ littora infestabant. Tryggvius autem, collectis copiis, manus cum iis sæpe, sed variâ victoriâ, conseruit, mutuisqve cladibus se invicem afficientes, isti qvidem Vikense territorium; ille Hallandiam & Sialandiam, populabantur. Hoc rerum statu, licet Hacon, indulgentiâ fortunæ ad summa evectus, civibus

ſuis acceptus, vicinis formidabilis, Jovis, ut dicitur, taxillis ludere videretur, erant tamen, qvi obſeqvium vel juris ſpecie, fiduciâqve filiorum Regis Eirici, detrectarent, vel ſimulatum aſtu fraudeqve velarent. Nam & Orcadenſes ab officio receſſerunt, & Vermii ſpecie obſeqvii fraudem prætexebant. De ſingulis itaqve aliqvid dicendum.

CAP. IV.

DE ORCADENSIUM COMITUM SUCCESSIONE ET GESTIS QVIBUSDAM, QVI HACONIS IMPERIUM NON REVEREBANTUR.

EInaris de Ceſpite filios, Arnkelem, Erlendum, & Thorfinnum Hauſakliuſum, ſeu Calvariarum Sectorem, patri ſucceſsiſſe ſuperius retulimus. Qvorum priores duo in Anglia unà cum Eirico Blodoxio funeſto bello occubuerunt. Thorfinnum autem filii Eirici ex Anglia profugi, imperio, qvoad ibi remanebant, remotum, diſcedentes reſtituerunt, elocatâ in arctioris amicitiæ vinculum filia Eirici, ſorore ſua, ejus filio Arnfinno. Uxor Thorfinni fuit Grelod, Dungadi Cataneſiæ Comitis ex uxore ſua Groa, Thorſteini Rufi ex Thuride filia, cui pater Eyvindus Auſtmannus, de qvibus in primis Islandiæ incolis actum eſt. Reliqvit Thorfinnus filios qvinqve, Havardum Arſælium, ſeu Felicis Annonæ, dictum; ſecundum, eumqve ex Grelode, Hlodverem, ſeu Ludovicum; tertium Liotum; qvartum Skulium; qvintum Arnfinnum, qvem Ragnhildis in Cataneſiæ, ſive prædio, ſive oppido, Myrkhole dicto, cum occidiſſet, domumqve vacuam nuptiis feciſſet, conſperſa mariti cruore impia mulier in fratris ejus Havardi complexus conceſſit. Qvi in Comitatum ſuccedens, optimè inſulas adminiſtravit. Sororis ejus filius, nomine Einar Kliningus (qvod Sordidum interpretor) magni nominis vir, hybernis domi, æſtivis autem temporibus piratica occupatus, ab avunculo Havardo ad convivium invitabatur. Multa ibi cum uxore ejus collocutus eſt; qvæ jam mariti pertæſa, Einarem ad ſcelus in eum admittendum ſtimulare orſa eſt: qvi pactus nuptias ejus, ſucceſſionemqve in Comitatum, paulò poſt finitum convivium in prædio Steinsneſia (qvod in Hroſseya ſitum eſt) avunculũ armata manu adortus occidit. Tantum ſcelus Ragnhildis, qvo culpam culpæqve ſuſpicionem a ſe amoliretur, deteſtari ſe ſimulans, conſobrinum ejus Einarem, cognomento Hardkiöptum, ſeu Duri Oris, ſororis Havardi filium, ad necem vindicandam, promiſſis nuptiis & ſucceſſione in Comitatum, compulit; qvi mox conſobrinum ſuum Kliningum interfecit. Qvo facto, miſſis ad Liotum levirum ſuum legatis, ei nupſit; qvi Hardkioftum, jam tandem facinoris pænitentem, cum ſe deluſum animadverteret, paulo poſt interfici curavit. Atqve ita ſcelerata fæmina familiæ, in qvam tranſiit, feralis Erynnis, infamem perfidiâ matrem etiam aſtu feralibusqve machinis ſupergreſſa eſt. Bella deinde inter Liotum & Skulium, qvi Scotiæ regis beneficio, facilè de alieno largientis, Orcades in feudum impetravit, fratres orta, nece Skulii finiebantur. Liotus vero paulo poſt in paludibus Scidenſibus, in tractu Cataneſiæ, cum Comite Magbragdio bellum gerens, victor omnes in fugam vertit, pluribus occiſis vel vulneratis. Eo tamen prælio lethaliter ſaucius, interjectis paucis diebus, è

vulnere

vulnere occubuit. Succeſſit ei frater ejus Hlodver, ſeu Ludovicus, in Comitatum Orcadenſem, cujus uxor Audna, Kiarvalis Hiberniæ Regis filia. Sepultus eſt in prædio Höfne, in provincia Scotiæ Catanefia ſito, uno tantùm filio Sigurdo Craſſo relicto. An vero omnes, qvos expoſui, Haconis tempore imperaverint, decernere neqveo. Gunnhildidis obnoxios fuiſſe conſtat, eoqve nomine ab Hacone averſos, nec ab eo unqvam laceſſitos. Sed de his fuſiùs in Orcadum hiſtoria egimus. Ad Vermiam nunc progrediamur.

CAP. V.

DE ITINERE EIGILIS IN VERMIAM AD EXIGENDUM CENSUM REGIUM A COMITE ARNVIDO, QVI EUM QVIDEM NUNTIIS REGIIS BIS AD SE MISSIS REDDIDISSE, SED IIS IN REDITU OCCISIS, IN SUUM USUM INVERTISSE *SUSPECTUS ERAT*; OCCISISQVE *IMMISSIS IN COMITIS* SATELLITIBUS, CENSUQVE RELATO.

A tempore Olafi Lignarii, qvi primus Vermiam Sveciâ profugus excoluit, provincia illa in poſterorum ejus ditione ad Olafum usqve Geirſtada-Alfum remanſit; ſed iterum virtute Haraldi Pulchricomi recuperata, Svecisqve erepta, in illius ditione obſeqvioqve permanſit. Verùm licet cenſus tributaqve inde, perinde atqve ex aliis Regni partibus, dum viribus ætateqve firmus eſſet, impigrè ſolverentur, tamen ſeneſcente imperio ejus alacritas qvoqve civium in iis conferendis ſeneſcebat, præſertim cum filii ejus inter ſe colliderentur. Tunc enim remotiores provinciæ minùs curabantur. Extrema ejus ætate Vermiæ Comitis titulo jureqve præfectus erat Arnvidus qvidam, qvi & primis Haconis annis provinciæ totius directionem tenuit. Ad eum Hacon duodecim exactores, duobus diſcretis temporibus, miſerat; qvi cenſum qvidem aſſecuti, in reditu autem ab inſidiatoribus in ſaltu Eidaskog pecuniis vitaqve ſimul ſpoliabantur. Comes ipſe inſidiatores ſubornâſſe trucidariqve curaviſſe traducebatur. Cùmqve legatio ejusmodi periculoſiſſima videretur, viſum eſt Regi, inviſo alicui civium ſuorum dubiæqve fidei eam mandare. Jamqve in omnes Arinbiorni propinqvos, poſtqvam eum ad filios Eirici rediiſſe, aperteqve à ſe deſciviſſe cognovit, exaſperatus, alios capitali pæna affecit, alios exilio, alios magnâ pecuniâ multavit. Omnes ob alienam culpam piaculares facti, aliqva punitione caſtigabantur. Viſum itaqve, Thorſteinum ſororis Arinbiorni filium ad exigendum ê Vermiâ cenſum mittere, ejusqve operâ ad tantum periculum uti; qvod ſi abnueret, contumaciæ reum peragere; ſin proficiſceretur, ſuo eum periculo ſortiqve permittere. Itaqve duodecim nunciis ad eum miſſis, legationem ſub exilii pæna imperat. Qvi nunciis præfuit, Kolus dictus eſt, vir peregrinationibus asſvetus, paſſimqve notus. Qvo cognito, Thorſteinus Eigili ſcopum mandatorum expoſuit, conſiliumqve reqviſivit, qveſtus; *moleſtum ſibi bonis hæreditariis cedere, domeſticamqve ſecuritatem exilio permutare.* Eigill; *communi eum cum cognatis Arinbiorni odio expoſitum videri, mittiqve ſpecie legationis in Vermiam, ad Plutonis aulam; placere ut nuncii ſe præſente iterum mandata Regis exponant, ſibiqve permitti ad ſingula reſpondere.* Id cum obtinuiſſet, juſſaqve Regia eodem, qvo priùs, tenore relata eſſent. *Neqvaqvam*,

respondit Eigill, *omnia, qvæ in mandatis habetis, sincerè retulistis. Nonne vobis hæc profectio imperata est, si Thorsteinus eam recuset, utpote infra tanti viri dignitatem, qvi ad eam nullo jure obligatur?* Illi: *imposuisse qvidem Regem sibi itineris hujus onus, vel Thorsteino ipso tergiversante*, confessi sunt. *Neqve*, respondit Eigill, *Thorsteinus, vel ullus alius pari nobilitate vir, sibi exitialem legationem obibit. Regem autem vel intra, vel extra, Regni fines seqvi, sui officii ducit: qvæ vero ad viaticum poscetis, etiam viros, qvi commeatum suppleant, liberaliter conferre haud gravabitur.* Nuncii, his auditis, inter se consultabant; *trahendum ad minimùm Eigilem primùm in societatem itineris; deinde periculis solum exponendum. Infensum illi Regem, cognitâ cæde ejus acqvieturum. Hanc solam, eamqve tutissimam, viam esse, ad imminens ex legatione periculum, simul & Regis iram, avertendam: Thorsteini nihilominus exilio puniendi potestatem Regi integram futuram.* His ita constitutis, Eigili respondent; *sibi qvidem satisfactum fore, si illis se comitem addere velit.* Ille: *in gratiam Thorsteini se unà iturum* promittit, qværitqve, qvot sint, qvot comites desiderent? Octo se esse resqonderunt, qvatuor desiderari. Admodum intempestivè hæc & ex improviso inciderunt, nam Aunundum Sionium reliqvosqve Eigilis socios ad navem paulo ante progressos Regii nuncii iter præcipitantes expectare noluerunt: id qvod ei valde incomodum erat. Itaqve eqvis rhedisqve Regii & Eigilis comites instructi, simul proficiscebantur. Usqve in viam, qvæ ad saltum Eidaskog dictum ducit, perventum est. Tum verò, tranqvillo cælo, magna nivis copia eadem nocte terras obruit, iterqve eqvis postero die magna difficultate molientibus, inqve cavernas passim incidentibus, impeditum reddidit. Collis imminebar, cum Kolus bivium monstrabat. *Sub radicibus*, inqvit, *collis, abaversa parte rusticus qvidam, haud magna in re, mihi tamen amicus, habitat: ibi ego cum meis comitibus hospitabimur: tu vero cum tuis, superato colle villam magnam deprehendes. Ibi vir opulentus, nomine Armodus, cognomento Skegg, seu Barbatus, hospitio te excipiet. Crastino autem die, cum iterum conjungimur, sub vesperam ad saltum perveniemus. Ibi celebris colonus, nomine Thorfinnus, habitat.* Eigill, dimissis Regiis ministris, collem cum suis ascendit. Illi vero ut primum conspectui illius se subduxerunt, aptatis pedibus xylosoleis, continuo cursu ad Uplandas vecti, inde per Alpes Dofrinas, in Thrandiam ad Regem redeunt, eiqve, qvæ gesta erant, ordine exponunt.

Eigill per collem, præruptis rupibus passim invium, arduisqve semitis interstinctum, magna cum vexatione & molestia lento itinere processit: valdeqve fatigati, vespere, sed admodum serô, ad villam magnam pervenerunt. Ubi Armodus famuliqve præ foribus stantes, advenas salutabant, unde essent? qvò tenderent? qvod novi afferrent? percontati. Ut verò hospes nuncios Regios cognovit, domum invitabat, eqvisqve in stabula admissis, in cænaculum eos deducebat, Eigilemqve in supremo inferioris, ideoqe minùs honorati, scamni loco, comitesqve a latere ordine collocavit. In primis Eigill de viæ, qvæ eò duceret, difficultate qvestus, eam ut prope inviam culpavit, multis molestiis obseptam, vixqve viatoribus superabilem. Armodus ad cænam eos invitans, exinde fessa ex itinere corpora qvietè reficienda monuit. Annuente Eigile, lac coagulatum (Skir vocant) in capacibus vasis illatum apponebatur, excusante Armodo cerevisiæ defectum. Cum autem lassitudo & sitis Eigilem cum suis fessos ex itinere fatigarent, apposita avidè sorbebant, nullis aliis ferculis suppetentibus. Qvod ut materfamilias cum pedisseqvis in superiore considens scamno animadvertit, gnara maritum dolo circumventos

facilius

faciliùs mero ad ludibrium uſqve obruturum, filiam circiter decennem, in pavimento fortè obambulantem, arceſſit, inqve aurem inſuſurrans, jubet: *moneat advenas, ut temperent ſibi a lactariis; alia namqve fercula, alium potum, expectanda.* Illa, offenſæ paternæ ſecura, Eigilem adit, rhythmoqve palam ſignificat; *miſſam ſe â matre nunciatum ei, ut caveat ſibi, ne ventrem ſorbili iſto edulio nimium aggravet; ſubſecutura alia fercula, nec cereviſiam defuturam.* Qvo audito, pater impactâ alapâ eam corripuit, ſilentium intempeſtiva garrulitate interrupiſſe inſimulans, ſimulqve Eigill vas jam prope evacuatum projecit. Mox toto triclinio menſæ ſtratæ, evocatiqve ad cænam domeſtici. Eigill comitesqve ſimul ad veſcendum arceſſiti, appoſitas dapes manducabant. Illati deinde lacus cereviſiarii, immaniaqve pocula, zytho ingentium virium plena, ad fundum uſqve exſiccanda propinata, Eigillqve & ſocii diligenter obſervati, ne fraude aliqva compotatoribus imponerent. Et jam longo tempore ſine dolo potatum eſt, cum ſocios deficientes ſublevaturus Eigill, ſcyphos eorum ex parte abligurivit. Miratus vires hominis Armodus, crateres ad ſumma labra repletos magna alacritate cum hac formulâ propinat: *propino tibi Eigill:* Eadem qvoq; famuli in comitibus compellandis uſi, ſtrenuè eos ad potandum urgent. Adhibitus & pocillator, qvi iis ſedulò inſtaret, increpandoqve Eigilem magis magisqve provocaret, adqve ebrietatem polliceret. Tum vero ſocios monuit, ne ultra biberent. Cumqve nulla excuſatio admitteretur, non jam partem poculorum, ſed integra ſingulorum vicem exhauſit. Videns autem, ſe in longum haudqvaqvam tantæ ingurgitationi ſuffecturum, loco ſurgens, mediumqve pavimentum transgreſſus, Armodum accedit, perqve humeros arreptum parieti impellit, immotumqve detinet. Magno deinde vomitu, qvod ingurgigavit, in faciem ejus naresqve, ipſumqve adeo oris hiatum labiaqve, refudit, ut per barbam internasqve veſtes rivuli inſtar defluerit. Propè erat, ut interclusſo ſpiritu ſuffocaretur; ni ingeſtus humor ingratiqve lixuvii nauſea ipſum qvoqve ad vomitum provocâſſet. Recepto ſpiritu, cum & ipſe ſævos ore mephites exhalâſſet, cæteri qvoqve nauſeantes fædis vomitibus omne triclinium conſpurcârunt. Mox irâ concitati, contumelioſis verbis Eigilem inceſſentes, male ei imprecabantur: *Iret in malam rem inficetus hoſpes, monſtrum hominis, qvi cænaculo egredi vomiturus neſciret, inter thalamos & foricas omnis diſcriminis ignarus.* Ille: *nulla ratione ſibi improperari, qvod ipſe convivator & probaret, & imitaretur.* Suum inde locum repetens, pocula de novo poſcebat, facetoqve verſu inhærentia barbæ Armodi egeſta fruſta eſculenta deriſit. Juſſu deinde uxoris Armodi pocula, qvotqvot vellent, liberaliter præbita; qvæ ille impiger unum poſt aliud, interſperſis jocoſis verſibus, exſiccavit, ceſſante qvantumvis intra triclinium domeſticæ turbæ voluptate & lætitia. Deinde ſumptis armis cum ſociis in horreo, ubi eqvi eorum ſtabulabantur, pernoctavit. Mane ſummo reſurgens, poſtqvam itineri accinctus eſſet, Armodum reqviſivit: qvem cum uxore & filia in domo ſegrege ſine arbitris dormientem ut accepit, effractâ januâ in lecto jacentem accedit, aliaqve manu gladium ſtringens, alia in barbam ejus involans, extra ſpondam eum extrahit, caput protinus abſciſſurus: ſed deprecantium uxoris filiæqve precibus meritisqve eum ſe donare, qvantumvis mortem meritum, teſtatus eſt. Qvò tamen convivii, vel potius ludibrii, memoriam reſervaret, barbam mento tenus gladio abſcidit, digitoqve alterum oculum eruit, carmine factum proſecutus, qvô precibus meritisqve uxoris & filiæ vitam ei donatam ſignificavit:

nificavit: atqve hoc ſui relicto monumento diſceſſit. Epulum Armodianum (patria lingva Armodar veiſla / Norvegis hodiernis Armoveitla) in proverbium deinceps abiit; uſurpaturqve in convivatores inſidioſos; Norvegi tenaces & ſordidos hac voce perſtringunt, propriæ ſignificationis impoſitionisqve & originis penitus ignari; qvam tamen huc referendam præſens narratio monſtrat. Nuper etiam aliud audivi, ab hac ipſa hiſtoria tractum, qvò ebrius intractabilis *Eigile pejor* dicitur.

Inde Eigill cum ſociis ad Thorfinnum, juxta radices nemoris Eidenſis habitantem, pervenit. Ibi humaniſſimè exceptus, inqve cænaculum deductus, fit certior, nihil ipſi de Regiis nunciis conſtare, ſex aurem per ſylvas ex familia Armodi vagantes conſpectos. Inter prandendum puellam lecto decumbentem valdeqve ægrotantem ut vidit, qvænam eſſet, ſimulq; rationem morbi, exqviſivit. Ut vero filiam familias, nomine Helgam, langvore diuturno faſtidioqve cibi ſomniqve laborantem cognovit, an remedia morbo adhibita fuerint? ulterius qvæſivit. Reſponſum: *Runas inciſas fuiſſe, ſive adhibitos fuiſſe characteres runicos; verùm cæpiſſe morbum exinde magis aggraveſcere.* Qvæſitum inde: *An & mederi ſciat? Fortè*, reſpondit, *ne augeſcat.* A prandio deinde lectum accedens, amoveri cum virgine veſtes ſingulas juſſit. Mox inventa ê branchiis ceti bractea, cui literæ Runicæ inciſæ erant. Qvas ut legit, cultro abſcidit, ſegmentaqve unà cum bractea in ignem conjecit, veſtesqve lecti efferi ventoqve exponi mandavit, verſumqve fecit, qvo diſſvaſit Runas imperitis ad medicinam adhibere: decem namqve literas, qvibus procus, repulſam paſſus, pro philtro uſurus, amorem virginis ſibi conciliare tentabat, langvorem induxiſſe. Alias itaqve incidit, cervicaliqve ejus ſuppoſuit. Illa tanqvam ê ſomno excitata, longoqve lethargo liberata, ad ſe rediit; viribus qvidem primùm affectis, ſed qvæ paulatim reficerentur. Tanto merito parentes obligati, diutiùs apud ſe ad avertendum imminens ab Armodo periculum retinere conati ſunt, ſed fruſtra, qvòd miniſtros Regios ſe deluſiſſe facilè conjectâſſet. Maturanti itaqve iter Thorfinnus cum filio Helgio, duobusqve aliis, comites ſe offerunt, id enim ei neceſſarium adverſus inſidias Armodi, intra ſaltuum luſtra occultatas, rati ſunt. Gratum erat ſtudium hoſpitis, animusqve referendæ gratiæ memor: operam tamen ut ſuperfluam carmine damnabat, qvo tribus ſe ſuccinctum, ſex adverſariis vel ſeptem ſuffecturum, nec duodecim, modo octo comitibus inſtructus eſſet, imparem futurum ſignificavit. Longiùs deinde per ſylvam ſe profecutos retroire juſſit: vanum enim rumorem periculum ab inſidiis ſparſiſſe. Qvibus domum repetentibus, inclinante die, ſex viri ê ſylva ſe proripientes eos impetebant; Verùm tempore exiguo; tribus namqve prima coitione occiſis, reliqvi cladis nuncii, Eigile non obſtante, ſed admodum ſaucii, evaſerunt. Transgreſſi deinde nemus, divertunt ad ruſticum qvendam, nomine Aulverem (Alfum, alii etiam Ulfum, vocant) ad adverſum ſylvæ latus domicilium habentem, virum opulentum, jam ſenem, ſeverum, atqve adeo rigidum, ut eo nomine ſervorum mercenariorum defectu familia laboraret; qvi tamen hoſpitaliter eos excepit. Multa inter ſe ſermone conferebant, ſene rerum novarum peregrinarumqve avido. Inter alia de Comite, Regiisqve legatis antea occiſis, inciderunt, apparuitqve, ruſticum animo minus eſſe in Comitem propenſo. Poſtero die ſummo mane Eigill profecturus, villoſam tunicam ſeni donavit, qvam is grato animo accepit: redeuntemqve ad hoſpitium invitavit. Tandem Eigill ad palatium Comitis Arnvidi pervenit, ſpecieqve magnæ hnmanitatis exceptus,

exceptus, proximus a latere ejus collocabatur: qvi in opposito Comiti solio sedebat. Nocte transacta, legationis scopum exposuit; *Regem nimirùm tributa omnia, qvæ Vermia ab eo tempore pendere teneretur, qvo ille Comitis titulo præfectus esset, exigentem, se ad ea recipienda misisse.* Comes, *nunciis Regiis, eo nomine ad se missis, omnia reddidisse* respondit, *qvid inde ii egerint, reddiderintne, an in suam rem verterint, deinde aufugerint, se qvidem nescire, nec sua referre. Qvòd autem instrumentis Regiis legationis suæ fidem confirmaret, etiam se ei, qvæ deberentur, redditurum, ejus postea curæ periculoqve, qvicqvid deinceps acciderit, non autem suo, futurum.* Nec longo tempore eos detinuit. Census auro, argento, pellibusqve ferinis constabat; qvo reddito, ad profectionem paratus Eigill, se qvidem censum, qvalem accepisset, Regi redditurum promisit. *Scias tamen*, inqvit, *multo minorem esse, qvàm Rex exposcit. Taceo, qvod loco satisfactionis pro occisis te authore (ut fama est) Regiis nunciis jure debes.* Comite impudico mendacio sese aspergi qvestô, discessit Eigill. Parùm viæ processerat, cum Comes, vocatis ad se duobus fratribus, cognominibus Ulfis dictis: *Qvid*, inqvit, *vobis de longurione isto, qvi nuper discessit, videtur? qvid nobis ab illo, cum ad Regem redit, exspectandum censetis? an calumniari absentes verebitur, qvi mihi qvoqve ipsi nunciorum Regiorum cædem hospes ipse coram improperare ausus est? Qvin igitur eos occupamus, priusqvàm manibus nostris elapsi ad Regem criminantes res nostras ad restim traxerint: frustra enim post vulnera, ut dici solet, clypeum adhibebimus.* His dictis fratres, cum comitibus triginta delectis, eos perseqvi, adqve internecionem delere jubet, ne unus qvidem in cædis testimonium evadat. Qvi jussa intrepidè executuri, triginta militibus assumptis, in sylvam Eidensem profecti, bifariam se dividebant, pro viæ divortio, qvæ pariter se in duas partes scindebat; una, eaqve longè compendiosior, per collem præruptamqve petram, arduo tramite singulis tantùm simul transitum præbentem; altera longior per paludes, voraginibus passim intersectas, ante collem procedens, pontibus passim strata, ad angustam semitam, singulis tantum simul meabilem, ferebat. Singulas ductoribûs Ulfis qvindecim viri obsidebant. Interea Eigill per sylvam securè profectus, ad Aulverem pervenit; ibiqve nocte exactâ, postridie primô diluculo surgentem, inter jentandum accedens Aulver, increpabat; *qvòd inconsultò nimisqve festinus, plenum periculi iter maturaret; constare enim, insidiatores in latebris inter sylvas in eum subornatos delitescere; se vero debiliorem esse, qvàm ut comitatu, qvantum necessitas reqvireret, eum instruere possit; tutius apud se moraturum, qvoad illis domum relapsis periculum evitâsset: sibi temporis oportunitatem curæ futuram.* Qvibus ille parum motus; *natam a falsa imiginatione famam parum momenti ad retrahendum se â proposito itinere habituram*, respondit. Profecturum hospes detinere aggressus; *famam qvidem insidiarum eo minus vanam esse* monstrabat, *qvòd observata sibi, nec soli, in sylvam exspatiato, multorum hominum per nivem patentia vestigia, calcataqve via, fidem dictis faciant. Pergeret modò, sed animadversis vestigiis ad penates suos regrederetur.* Ille victoriam non semper numero metiendam ratus, cæptum iter perseqvitur, donec in vestigia hominum eqvorumqve multa incideret. Monentibus itaqve comitibus, ad Aulverem redeundum: *nihil*, inqvit, *mirum, si per publicam viam vestigia hominum, continuò proficiscentiam, pateant.* Cum verò ad bivium ventum esset, pressaqve vestigia pariter in utramqve viam deflectentia observabant, vera esse qvæ Aulver monuisset, respondit; suosqve ad hostes excipiendos se

 expe-

expedire juſſit, prope enim certamen eſſe. Veſtes igitur graviores exuentes, rhedis imponebant. Reſtibus deinde ex libris arborum complicatis, qvæ proficiſcentes aliàs in itineris uſum reſervare ſolent, petrâ ampliſſimâ pectori ventriqve loricæ vice ab humeris alligatâ, cæptam viam perſeqventes, in ſylvam longiùs procedunt, vaſtam qvidem illam denſamqve, ſed juxta viam teneris virgultis obſitam. In viam illam, qvæ per collem ducebat, breviorem deflectebant. Erat autem collis ſupra nudus, infra circa radices ſylvis veſtitus: qvem cum aſcenderent, ſeptem eorum, qvi ſe occultaverant, ex inſidiis repente exorti, in illos irruperunt, miſſilibus & ſagittis eos impetentes. Qvòd vero armatura omni, clypeis, galeis, gladiis, haſtis, ad feriendum qvàm pungendum pariter idoneis, inſtructi eſſent, facile impetum eorum ſuſtinuerunt. Media in via ſtabant, cum ex ſupercilio collis reliqvi octo lapides in eos jactârunt. Id cum longè moleſtius eſſet, periculoqve propius, Eigill ſuis edixit, ut ſenſim cedendo, ictus tantum impetentium evitarent, ſuſtinerentqve impetum. Is interea, ſuperato colle, octo eos, qvi ſupra erant, ad unum omnes occidit: tum lapidum imbrem in ſubeuntes hoſtes dejecit. Tres occiſi ſunt; cecidit & alter Ulfus, reliqvi qvatuor pluribus vulneribus acceptis, ictuqve lapidum prope enecti, fugiebant. Hoc periculo liberati, cum conſcenſis eqvis ultrà pergerent, collemqve ſuperâſſent, iſti qvatuor, qvi effugerunt, ad ſocios, qvibus alter Ulfus præfectus eſt, accelerantes, acceptam cladem nunciabant. His itaqve ſuo agmini inſertis, Ulfus per inferiora vadens: *Qvam bellè*, inqvit, *omnem viam ad fugam illis intercludamus, ab alia enim parte præruptis ſaxis editus collis, ab alia vorago anguſtam ſemitam per radices collis procedentem cingit. Nos igitur recto itinere in illos pergamus, alios in ſylva abſcondamus, qvi medio certamine eos a tergo invadant. Ancipiti itaqve periculo implicatos obſeſſosqve ad unum omnes necabimus.* His dictis, ipſe cum decem comitibus, colle circuito, in Eigilem in ipſo tramite hærentem, ſed poſt ſuperatos, qvi prius impetebant, omnium ſecurum, magno impetu ſe infert, cum eodem penè momento exorti ex ſylva reliqvi octo, infeſtis gladiis, tergis inſtantes, comites Eigilis qvatuor in ſe convertunt, ipſe unus adverſus undecim, Ulfum ſuſtinet: petræaqve lorica ab ictibus & tramitis anguſtia a plurimùm ſimul incurſu tutus, brevì unum poſt alterum, ipſumqve adeo Ulfum, tandem etiam omnes, trucidavit. Ad ſocios inde qvatuor, acceſſum ad ſemitam adverſus octo propugnantes, converſus, ſubito tribus occiſis, reliqvis fuga dilapſis, ſed graviter vulneratis, prælium diremit. Ipſe crebris vulneribus, ſed levioribus, ſaucius, ſociorum nullo lethaliter vulnerato, conſcenſis rhedis ad Thorfinnum devenit. Ibi vulnera obligata, diesqve aliqvot qvieti dati, actæqve denuo Eigili gratiæ, qvòd filia ex longo morbo revaluiſſet. Ut vero Comes ex qvinqve, qvi evaſerant, Ulforum cædem ſuorumqve cladem cognovit, anxiè qvæſivit; *an etiam Eigill cum ſuis evaſerit?* Qvi cum eos fortiſſimè pugnâſſe, nec ſub finem ſegnius, qvàm cum cæperant, retuliſſent, malè ſibi metuens fortunamqve incuſans, tolerabilem qvidem cædem pronunciavit, ſi Eigilis ſociorumqve funeribus nobilitata fuiſſet.

Ut primùm licuit, Eigill, comite Thorfinno, duodecim comitantium metu Armodi ſuccincto, iter maturavit. At verò Armodus ultionem ab Eigile repetiturus, cognita ſatellitum Comitis clade, viribus diffiſus, domi remanſit, eumqve impunè tranſire permiſit. Dimiſſo deinde Thorfinno, amicitiâ, muneribus ultro citroqve datis, confirmatâ, tutum iter ingreſſus ad Thorſteinum rediit: ubi vulnera ſanata, hyemsqve tranſacta.

In-

Interim Thorsteinus, nunciis cum tributis ad Regem missis, omnem gestorum ordinem narrari curavit. Qvi cognitâ fraude Comitis, qvem suspicio prius, nunc evidentia scelerum aggravârunt, lætus veritatem illuxisse, Thorsteino non modò possessiones & officium, de qvo periclitabatur, restituit, sed eum in amicorum qvoqve numerum recepit.

Proximâ æstate Rex in Vermiam cum exercitu profectus, famâ iter prævertente, Comitem adeo terruit, ut adventum Regis fugâ anteverteret. In multos civium, conjuratione eadem in cædem Regiorum fraudemqve tributorum subtrahendorum contactos, pecuniariâ multâ, qvosdam etiam graviùs, animadversum, inqve Comitis locum alter substitutus. Ipse cum filio Atlio in Gautiam orientalem fugâ delapsus est. Filius autem Atlius cædibus & rapinis omnibus deinde infestus, totâ Sveciâ, mox etiam ob eadem scelera universâ Daniâ, proscriptus, piraticâ vitam toleravit, â Ruto Islando in freto Eyrarsundico tandem occisus, ut *in Haraldi Græfeldi historia* latiùs exponetur.

CAP. VI.

DE EIGILIS SUPREMIS, MORTE, SEPULTURA ET POSTERIS QVIBUSDAM.

Atqve hæc sunt qvæ Eigill in Norvegia gessit, vir ferrei propè corporis animiqve. Notatum de illo est, qvòd filii Bodvaris, qvem unicè adamavit, mortem violentam, mari qvippe absorpti, tam ægrè tulerit, ut corpus ingentibus motibus agitatum in tantum intumuerit, ut non thorax modò, licet minùs adstrictus, sed lanea qvoqve tibialia, protinus rumperentur. Ipse inediâ mortem sibi consciturus lectum ascendit, clausitqve, nemini propiùs accedere permisso, vel compellare auso. Qvare uxor, ut obstinatum in mortem animadvertit, filiam communem, nomine Thorgerdem, nuptam viro primario, Olafo Pa, seu Pavoni, filio Hauskuldi Dala-Kolli, ex Melkorka Myrkiartani, seu Murchardi, Hiberniæ Regis filia, arcessendam curavit. Hæc patri in primis cara, ingeniiqve ejus perita, cubile ingressa, matri astu qværenti, num cibum sumpserit? clarâ voce, ut audire facilè pater posset, respondit, *Minimè, priusqvam ad Freyam* (scilicet in aula Valica) *comesturam. Neqve enim se vel patri, vel fratri, superfuturam*: accedensqve lectum, postulavit ut pater aperiret, se namqve comitem morti ejus accessuram. Is, laudatâ filiæ pietate, illam admisit, qvæ proximo lecto se applicans, pessulum utriqve communem obdidit. Ut verò longo silentio tempus transactum est, illam aliqvid mandentem animadvertens: *Ecqvid*, inqvit, *cibaris*? Est species qvædam algæ marinæ, scopulis lanuginis instar adhærens, foliis in latitudinem duos tresve digitos, plures interdum vel pauciores, expansis; longitudine dispari, vix tamen spithamam excedente: cujus duæ species colore flavo & rubro distingvuntur: siccatur vento, esaqve sitim provocat, Søl propria lingva vocant. Hanc se edere affirmabat, qvô mortem acceleraret, eiqve partem obtulit: cum autem edissent, filia aqvam poscebat. *Semper*, inqvit Eigill, *algas sitis seqvitur. Bibe itaqve, pater*, ait, traditoqve cornu, cum avidè hausisset. *Heus pater*, respondit, *delusi sumus*; *lac*

enim bibimus, frustra deinceps morituri. Qvin surgimus: tu funebre carmen filio facito, ego tabulis inscribam, denique si placet, moriamur: neque enim convenit, ut careat filius exeqviali carmine: carebit tamen diu, anteqvam filius tuus Thorsteinus id faciat. Is cornu, qvousqve dentibus poterat, morsu disrupto, mox etiam projecto, se inediâ prope confectum, vix suffecturum versibus pangendis, periculum tamen facturum, respondit: orsusqve componere, procedente carmine, viribus etiam proficiebat. Qvo absoluto exsurgens, uxori filiæqve tradidit: justisqve ritè filio alteriqve juniori nuper mortuo factis, filiam abeuntem donis honoravit. Post longum deinde tempus, cum Arinbiornum cum Blodoxii filiis in Norvegiam rediisse, âqve consiliis intimis præfectumqve totius militiæ Regiæ constitutum cognovit, carmine honorario eum illustravit, qvod ex Islandia ei misit; cujus exemplum ex membrana magnam partem mutilatum penes me hodieqve existit.

Nonagenarius ferme erat, cum decederet, jamdiu ante cæcus, senioqve adeo confectus, ut sæpius incedens offenso gradu pronus in terram caderet, ancillisqve jacens sæpius in se impingentibus casum causaretur. Apud privignam suam, eandemqve fratris filiam, Thordisem, qvæ Grimo, postea totius insulæ supremo judici, nupsit, in prædio meridionalis Islandiæ Mosfelle, in tractu, qvæ Mosfellzsveit dicitur, post uxoris excessum mansit; eam namqve propriis liberis carius dilexit. Fortè ad anniversaria comitia qvodam tempore jam decrepitum cæcumqve proficiscendi cupido cum incessisset, hospitem & affinem Grimum, ut id sibi permitteret, rogavit. Qvod cum is superfluum duceret, uxorem exqvirere jussit, qvo fine id expeteret? sciscitanti retulit: *esse sibi in animo, arcas, qvas dedidisset sibi Rex Adalsteinus, eò deferre, argentumqve omne in publicum projicere, saltem ex tumultu, dum plebs omnis insulana ad legendum concurrat, mox etiam in prælium ruitura, voluptatem, qvam oculis non posset, auribus capturum.* His ad maritum relatis, petivit, ut morem ei gereret, & momentaneam voluptatẽ ex certamine hausturo indulgeret. Ille tantam se perniciem insanâ indulgentiâ causaturum omninò negavit; Eigiliqve senii imbecillitatem excusavit, qvominus ad comitia proficisci posset. Id verò adeo displicuit, ut vespere qvodam, dum in publico foro variis negotiis Grimus distineretur, materqve familias domo abesset, domesticis omnibus qviescentibus, duobus Grimi servis mandaret, ut eqvum sibi ad termas profecturo insternerent. Profectus deniqve utramqve arcam, servis comitantibus, secum avexit. Postridie manè procul a prædio ambulans, eqvum pone ducens deprehensus, domum deducitur. Arcas defodisse, servosqve occidisse, confessus fidem meruit, cum neutrum postea inventum sit, ne locus qvidem, ubi defossæ sunt, postea cognitus; duo licet suspecti sint, alter ad orientem, ubi specus monetâ Anglicâ postea inventâ suspectior; alter verò ad austrum, ubi termæ, nec procul inde specus alter vastus, nocturnis ignibus sæpius arsisse notatus. Fidem narrationi, ut mihi qvidem videtur, derogat, recentia defossorum vestigia nusqvam apparuisse, nisi lacui aut baratro imersæ fuissent.

Eodem autumno Eigill ex morbo decessit, optimi generis veste armisqve, Grimo exeqvias celebrante, indutus, in isthmo Tialdanes dicto conditus est. Postea Grimus cum uxore Thordise atqve universa familia Christianam religionem, totâ insulâ receptam, & ipse professus, ædem sacram in prædio Mosfelle, in loco Kirkiubru/ ædificari fecit: qvò postea Eigilis sarcophagum, non (ut *Arngrimus* habet) Thorsteinus filius, sed

ſed privigna Thordis, refoſſum deferendum curavit. Translata deinde æde eâ, in eum locum, ubi deinceps viſitur, vetus etiam cæmiterium effoſſum, humana oſſa, Chriſtianorum aliorum, qvi ibi humati erant, longè majora, produxit. Inventus qvoqve in eodem ſepulchro gladius fidem fecit Eigilis eſſe. Id enim homines ſenes, ſed præteritorum curioſi indagatores, cum relationibus veterum concordare affirmabant. Aderat ibi paſtor qvidam, haud mediocriter eruditus, nomine Scaptius Thoroddi, qvi oſſeam capitis compagem in cæmiterio ſtatuit, palam conſpiciendam. Omnes magnitudinem, ſed nihilominus pondus, mirati ſunt. Cranium erat, ut *Arngrimus* rectè vertit, undiqve undulatum, continuis veluti ſuturis ſibi invicem undarum in morem ſuccedentibus, & paululum qvaſi aſſurgentibus, id qvod ad firmitudinem cranii profuiſſe exiſtimatur. Craſſitiem deniqve idem paſtor exploraturus, ſecuri vel malleo grandi frangere neqvivit, ſed albitudine qvadam tantùm ictum repræſentavit calvaria. Repoſita deinde ſunt oſſa ejus in extrema cæmiterii parte ad templum Mosfellenſe.

Inſigne formæ, animoſitatis, roborisqve decus, longo deinceps tempore in familia Eigilis remanſit; qvidam etiam ſapientia præpollebant. Filius ejus Thorſteinus prædium paternum inhabitavit, Chriſtianamqve religionem profeſſus, factis etiam exprimere nitebatur, ædemqve ſacrã primus ibi ædificavit: vir ſincerus, fidus, formâ elegantiſſima, moribusqve comptiſſimis. Formoſiſſimi ex poſteris Eigilis habiti ſunt, filius Thorſteinus, neposqve ex filia Thorgerde Kiartanus, Olafi Pavonis filius, de qvo in Olafo Tryggvino, Helga etiam formoſa, Thorſteini filia, de qva Hrafnus poëta & Gunnlogus Ormstunga certantes mutuis vulneribus occubuerunt. Kiartani etiam ex ſorore filius, Hallus nimirum Gudmundius his annumeratur. Extiterunt etiam alii ex ejus poſteris valde deformes, Thorgeir Thorſteini filius, robuſtiſſimus, Skulius autem bellator inſignis acerrimusqve ſeptem præliis interfuit, partesqve Eirici Comitis ſecutus eſt in bello Svoldurenſi, qvô Rex inclytus Olafus Tryggvinus ſuperabatur. Is patri Thorſteino in prædium Borg ſucceſſit, ubi ad finem vitæ habitavit, interqve præcipuos viros, eosqve fortiſſimos, numerabatur. Ipſe Eigill non modò conſtantia fortunæ, qvæ ipſum ê periculis omnibus, etiam impeditiſſimis, ſupra omnium fidem & expedivit, & eodem tenore vitam, eamqve felicem, ad extremos humanæ conditionis terminos conſervavit, felix erat; ſed etiam poſterorum proventu, qvi memoriam ejus, per ſe qvidem ſatis memorabilem, magis tamen factis ſuis illuſtrem reddiderunt. Mirenſis Eigilis Skallagrimiqve familia, a tractu, qvem incolebat, appellabatur: ortum traxit a magna illa Hrafniſtina, qvæ latè per totam Islandiam diſperſa eſt. Cum autem ab *Arngrimo* in annis ætatis Eigilis diſſentiam, noſtram ſententiam rationibus ſtabiliendam exiſtimamus. Is *Crymogeæ Lib: II. pag: m 125.* eum natum tradit circa annum Domini CMXIX. *Pag:* autem *135.* ſupervixiſſe ad tempora Haconis Apoſtatæ, Norvegiæ præfecti, jam nonagenarium, perhibet. Hacon autem Apoſtata cæſus eſt anno CMXCV. id qvod ſubſiſtere neqvit. Si enim nonaginta annis annos CMXIX. adjeceris, annus MIX. emergit, qvo tempore Chriſtiana religio per novem annos in Islandia publicè exercitata fuerat, ad cujus primordia Eigill non pervenit, neqve ad proximum, qvod præceſſit, qvinqvennium, qvo Olafus Tryggvinus imperavit. Haconis enim Hladarum Comitis, qvi & Apoſtata, tempore mortuus eſt. His evictis, fundamenta noſtra detegamus. Adalſteinum Angliæ

 Regem

Regem ad Regni ſceptra admotum anno CMXXV. in confeſſo eſt. Anno ſeqvente CMXXVI cum Scotis Regeqve Hoelo bellavit, & debellavit, cui bello Eigilem interfuiſſe certum eſt, hyememqve ſeqventem ad Regem manſiſſe. Ejusdem anni æſtate in Norvegiam trajecit, nuptiasqve cum fratria celebravit, qvi eſt annus CMXXVII, alteramqve hyemem ibidem ſubſtitit. Æſtate proxima anno CMXXVIII. in Islandiam delatus eſt, poſt duodecim annorum abſentiam, qvi dempti ab anno CMXXVIII, relinqvunt annum, qvo primùm ê patria migravit, CMXVI. natalem Eigili conſtituunt, annum CMII. An vero nonaginta annos vixerit, exprimere neqveo, cum exemplaria, qvæ ſeqvor, ejus extrema ad nonum ætatis ſuæ denarium tantùm referant.

Hucusqve me a ſcopo Eigilis geſta abripuerunt; exitum namqve ejus ut exponerem, reqvirere videbantur. Nunc unde digreſſi ſumus, redibimus.

CAP. VII.

DE REGE HACONE JAMTIAM SUB JURISDICTIONEM SUAM TRADUCENTE, CHRISTIANAQVE SACRA CIVIBUS COMMENDANTE.

IAmptiam a Ketille Jamptio primùm cultam denominatamqve, Helſingiam a Thorere Helſingo nepote ejus priùs traditum eſt. Verum qvo tempore Pulchricomus viam ſibi ad Monarchiam ſtruxit, magna pars Thrandorum Naumdalenſiumqve, ſuperbiores, qvàm ut imperio illius, cui nullo jure obnoxii erant, ſubjici vellent; imbecilliores, qvàm ut reſiſtere poſſent, mutatis domiciliis, in transmontanas illas partes, fortunarum ſuarum ſedes, opes, familias, mobiliaqve omnia transtulerunt, magnamqve partem provincias illas auxerunt. Et Helſingii qvidem comercia cum Svecis, qvibus obnoxii ſubjectiqve ex omni parte erant, exercebant. Jamptii autem medii, neqve Svecis, neqve Norvegis parebant, neqve qvisqvam libertati eorum vel invidebat, vel inſidiabatur. Hacon autem Adalſteini alumnus, ſecuritate jureqve commerciorum inter illos & Norvegos conſtituto, optimates humanitate & blanditiis delinitos ad ſe allexit, inqve domo ſua benignè & hoſpitaliter exceptos, ultro ſe dedentes, ſubjectionemqve & tributa pollicentes, in poteſtatem redegit. Horum exemplum plebs ſecuta, famâ etiam clementiæ Regiæ accenſa, malebat Norvegis, unde ortum traxit, qvàm Svecis, ſubjici. Hos igitur, datis ſcriptisqve a ſe legibus obſtrictos, in tutelam fidemqve accepit; qvos etiam Helſingii, qvotqvot ex Norvegica ſtirpe deſcenderunt, imitabantur. Nam felicibus & tempeſtivis terræ marisqve proventibus, Hacone imperante, in omnia frugum & piſcium genera fæcunda Norvegia abundabat, longoqve tempore pax mari terraqve, ſecuritasqve per totum Regnum fundata, indigenas cum extraneis mercatoribus ſumma fide negotiandiqve comercio miſcuit. Adhibitaqve a Rege cautio, ne qvis alteri vel mari vel terrâ noceret, utrosqve intra fidei officiiqve limitet continuit. His incrementis cum Regnum auxiſſet, aliud tamen longe majus animo agitabat Hacon. Nam cum eſſet aſſiduus Chriſtianæ religionis Numinisqve divini devotus cultor, firmiterqve propoſuiſſet, univerſa

niverſam gentem, cui præerat, ad veræ religionis cultum ſacraqve, qvibus ipſe imbutus erat, convertere. Propoſitum tamen iſtud tam pium generoſumqve, non modo diferre, ſed & omnino diſſimulare viſum eſt, qvòd eſſet gens univerſa gentiliſmo mancipata, proceresqve annua in idolorum cultum ac venerationem ſacrificia celebrarent: cum novo Regi, & (ut de meo addam) nullo ad regnum jure fulto, eorum ſtudiis auxiliisqve opus eſſet, ad conſervandam populari aura partam poteſtatem, cujus gratia inſanoqve favore illud obtinuerat. Nihilominus tamen privatim ea, qvibus adſvevit, ſacra coluit, diesqve memoriæ Dominicæ reſurrectionis paſſionisqve dicatos, ferias nimirum cujuslibet hebdomadis primam & ſextam, ut & præcipua feſta celebravit. Qvo verò facilius feſtum ethnicorum, Jol dictum, in id, qvod natalitiis Servatori ſacrum eſt, qvandoqve converti poſſit, etiam conſcriptis legibus inſerendum curavit, de illo feſto iisdem temporibus celebrando, qvibus Chriſtiani natalitia Chriſti celebrant. Singulis autem incolarum certam menſuram Zythi ut coqverent, ([illegible] vaſis, qvod tonnam vulgò appellant, triens) imperatum, ſecus facienti multa indicta: feſtum autem, qvoad cereviſia ſuppeteret, celebrandum, ut *Codex Flateyenſis* & *Chronici Ms aliud exemplar* habent: *Chronici* autem *Ms.* aliud, ut & id, qvod typis impreſſum eſt, ſacra qvoad feſtum Iolenſe duraret, celebranda tradunt. Obſervandum autem, triduanum Iolenſe feſtum atiqvitus celebratum fuiſſe. Auſpicabantur illud a nocte, qvam appellant [illegible], aliud Chronicon, idqve vetuſtius, [illegible] (cujus ut etymon, ita & rationem, ignoro; neqve enim alibi legiſſe memini. Codex etiam Flateyenſis omiſit) nocte nimirum, iisdem interpretibus, qvæ mediam hyemem dividit, in duas partes æqvales, menſemqve Thorrium orditur. Incipit illa in Calendario Juliano, cum primùm, â nono Januarii; cum noviſſimè, a decimo ſexto ejusdem menſis, omnibus etiam intermediis diebus, pro annorum feſtum moventium ratione. Illo tempore, ante Haconis hujus reformationem feſtum Iolenſe celebrabatur; a Procopii tempore diverſum. Si tamen per feſtivos dies, excipiendo Soli jam reduci dicatos, idem feſtum intellexit, toti Scandinaviæ ob eandem rationem haudqvaqvam comune, qvæ ultimæ Finnmarchiæ incolas tantùm tangit. Ab Odini cognomine [illegible] *Codex Flateyenſis* feſti hujus nomen derivatum perhibet, *in Halfdano Nigro, col: 296*, vel potius Odinum ab illo cognomen illud ſortitum.

Rex Hacon, qvo Chriſtianam religionem per occaſionem poſtea faciliùs iuſtitueret, cum aucto Regnò, firmatisqve omnibus domi, ad belli ac pacis uſus, proprio conſilio, nec ſemper alieno arbitrio, imperium adminiſtrare liceret, ab intimis amicorum ſalutare negotium orſus eſt, qvos familiari ſibi maximè conſvetudine conciliaverat. Hos præclaris monitis, innocentiæqve exemplo, precibus etiã & verborum illecebris, beneficiis præterea multis, eò deduxit, ut Chriſto nomen darent, & gentilibus ſacrificiis abſtinerent: ad qvorum exemplum magnus hominum numerus ſacro ſe lavacro tingi curârunt. Qvod autem Thrandia præ cæteris Regni provinciis, copiarum robore, populi freqventiâ, opumqve affluentiâ præcipuè floreret, ibi plerumqve ad colligendas vires, animosq; nobilitatis plebisqve ſibi conciliandos, conſedit. Ut verò tantis ſe præſidiis nobiliorumqve civium ſtudiis muniviſſe, &. qvantum ad auſpicandam Chriſtianam profeſſionem reqvireretur, providiſſe viſus eſt, excitis per legatos ex Anglia ſacrorum præſidibus, cumqve ſummo præſide,

fide aliqvot Sacerdotibus publicè professus est, se Christiana sacra in universum Regnum, singulasqve Regni partes, inducturum, obtenebratas falsâ persvasione, idolorumqve cultu, civium suorum mentes, cælestis lucis fulgore, Dei beneficio, irradiaturum, Mæris autem & Raumsdalis, qvos primo de his sollicitabat, ad Thrandorum arbitrium rem tantã remittentibus, ipse idgenus sacrorum aliqvot ædes consecrari curavit, Sacerdotibusqve cōmisit. In Thrandiam deinde rediens, cives ad concionem vocat, iisq; nova sacra ritusq; Christianos imperat. Illi rem tam arduam, qvam, qvæ ad Deorum cultum, totiusqve Regni ordines, attinerent; subsecuturamqve felicitatem, si justa imperentur & accipiantur, spondeat, secus damna malaqve insanabilia, ab irritatis Diis expectanda minetur, publicam omnium consultationem consiliumqve reqvirere respondentes, ad comitia Frostensia eam rejicerunt. Ubi in publico omnium conventu singulis suam sententiam liberè dicere liceret, cōmuniq; omnium judicio subjicere. Unde populi universi decretũ expectandum.

CAP. VIII.

DE CHRISTIANO CULTU IN COMITIIS FROSTENSIBUS A REGE IMPERATO.

FUit Sigurdus Hladarum Comes, pariter ac pater ejus, idolorum cultor assertorqve acerrimus, sacrificiisqve valde deditus, solebatqve Regis nomine per universam Thrandiam sacrificiorum tempore convivia procurare. Veteri more traditum est, qvoties sacrificia peragerentur, ut cives omnes ad ædem sacram convenirent, qvæqve ad usum cōmeatumqve necessaria, dum convivium duraret, unà deferrent, singulis suam cerevisiæ portionem conferentibus. Animalia omnis generis, etiam eqvi, im̃olabantur, unde profluens sangvis, vernaculè Hlaut; vasa, qvæ eum excipiebant, hlautbollar/ qvasi ollæ sangvine plenæ; aspergilla autem hlautteinar vocabantur, ita formata, ut in extremitate penicillum, vel spongiam, aut simile qvid, affixum haberent. His confuso victimarum sangvine, aræ parietesqve delubri intus & extra illiti, homines qvoqve aspersi sunt.. Carnes hostiarum medio pavimento, suspensis supra focum ahenis, elixatæ, epulis destinabantur. Supra qvoqve focum pocula porrigebantur. Ipse convivator, qvi & sacrorum præses, pocula omnia sacrificalemqve cibum consecrare tenebatur. Et primo qvidem scyphus honori Odini consecratus inferebatur, pro Regis victoriis, Regniqve amplificatione, exhauriendus. Alter deinde in Niordi Freyrisqve memoriam, pro annonæ fertilitate paceqve exsiccandus. Multis deinceps Bragii poculum exhaurire mos erat, magnificis votis honoratum. Nec defuerunt, qvi propinqvorum suorum, illustrium virorum, prælio cæsorum, aut aliorum amicorum defunctorum, memoriam recolentes, crateres evacuarent, Minne/ id est memoriales, appellatos. Præcipuè Comitis Sigurdi munificentia memorabilis erat; semel enim suis sumptibus convivium magnificentissimum instruxisse, etiam carmine poëtæ Kormachi, nondum intermortuo, celebratur. Unde facilè colligitur, qvàm gratum acceptumqe populo epulare illud munus fuerit. Ad Comitia

mitia deinde Frostensia, magno populi confluxu celebrari cæpta, Rex qvoqve accessit, præmissâ solenni formulâ, qvâ publicæ paci securitatiqve de more cavebatur. Ipse in concionem procedens, postulat: *ut omnis ordo, sexus, & ætas, divites juxta ac pauperes, domini & servi, nobiles & ignobiles, viri & fœminæ, senes & juvenes, abnegatâ gentili idololatria, antiqvatoque sacrificiorum usu, Christianam pietatem fidemque amplecterentur: unum Deum, ejusque filium IESUM CHRISTUM, natum ex Maria virgine, colant & venerentur: diemqve septimam cujuscunque hebdomadis sacris celebrandis dedicent, âqve omni opere ferientur, ciboque abstineant.* Cum finem orationi imposuisset, magnum subitò plebis murmur exortum, Regis postulatis obstrepebat: patribus familias regerentibus; *operas diurnas abrogari, sine qvibus ne terra qvidem excoli possit, non victus terra marique comparari, qvibus qværendis diuturni labores vix tamen sufficerent. In antiquam solitudinem omnia reditura.* Servi autem & mercenarii negabant: *se assignatis muneribus fungi posse, corporaque laboribus exercere, si cibus, statis temporibus præbendus, dematur. Agnoscere se hic Regiæ familiæ ingenium, majores namque ejus cibi alimentorumque parcos, auri licet prodigos, fuisse.* Sedato deinde tumultu, Asbiornus Medalhusiæ dominus, Gaulardali civis, assurgens, orationem Regis verbis in hunc sensum excepit.

Equidem, Rex, cum primùm te in publico Thrandiæ conventu Regem constituimus, juraqve allodialia agrosque nostros abs te recepimus, existimavimus nos in cælo esse. Tantam enim novus Rex spem de te in omnium animis repente excitâsti, ut omnis ordo, sexus, ætas, faustis acclamationibus cælum in tui favorem fatigaret, universis & singulis festam illam diem, publicâ lætitiâ, conviviis, mutuisque gratulationibus, tanquam unicuique natalem, effusissimo studio celebrantibus. Sed quorsum isti applausus, ista totius civitatis studiorum certamina, reciderint, jamjam experimur. Videris enim beneficium illud, libertatis certissimum argumentum, novo argutoque commenti genere corrupturus, dum ignotum majoribus jugum cervicibus nostris imponere tentas. Rem enim Diis juxta ac hominibus invisam, & ad hunc usque diem his in terris inauditam, imperas: nimirum, ut abjecto Deorum nostrorum cultu, nova sacra, novos ritus, novosque Deos asciscamus. Atqui parentes nostri avique â prima usque stirpe, viri ingenio, virtute, & sapientia insignes, in qvorum comparatione n nos eorum soboles nullâ ex parte venimus, hujus fidei professionem ab ultimâ memoriâ traditam, simul cum ipsis Diis cæptam fundatamque, rogorum pariter ac tumulorum seculis, in hunc usque diem continuatam, perpetua veneratione coluerunt, nobisque suis posteris religiosè conservandam, tanquam unicum vitæ præsidium, sacrumque memoriæ suæ depositum, reliquerunt. Hæc ipsa per omnes ætates, ætatumque gradus, sine intermissione profuit, hodieque prodest. Hâc res nostræ, tum privatæ, tum publicæ, â parvis initiis ad fortunæ culmen optatamque metam provectæ, ab externo jugo metuque liberæ, nullam mortalem vim extimescunt. Quod si nostra in te studia affectusque perpendere libet, effusissima caritate te prosecutos deprehendes. Imperium enim in nos fortunasque nostras, liberosque & posteros, prope in infinitum tradidimus, cùm legibus in omne ævum duraturis civitatem nostram pro arbitrio tuo formandam commisimus, eandem vitæ morumque justi æquique normam habituri, quam in Frostensi foro præscripsisti, nec eas in posterum seqvi, nec tibi obtemperare, pigebit. Imo quotquot superfumus, qui eas tunc abs te accepimus, illas dignâ observantia revereri, tuamque Majestatem omni studio, votis, verbis, suspiriis, officiis, operis, opibus, armis, corpo-

corporibus denique nostris, tueri & propugnare constituimus: si tamen modum in imperando adhibueris, nec ea postulaveris, quæ sine summa impietate, Deorum immortalium offensâ, nostraque pariter ac tua totiusque gentis pernicie, præstare possimus. Quid enim nobis de peregrinis Diis pollicebimur, quorum ne nomina quidem tenemus, quæque a lingva nostra gentisque labio adeo abhorrent, ut vix exprimi sine molestia possint? Nec quibus ceremoniis propitientur, scimus; nec scire nostra refert. Nam sive Regni hujus res antiquas, sive recentiores, intueamur, inveniemus omnia prosperè evenisse patrios Deos sequentibus. An igitur, facto cum iis dissidio, destructis delubris, excisis lucis, demolitis vel fractis simulachris, abrogatis victimis, antiquatis sacrificiis, sublatis sacris, pessundatis religionibus, quas patres nostri cum hac civitate per manus traditas acceperunt, & summa cum laude sustentârunt, in peregrinorum Deorum castra tutelamque transfugæ pupilli concedamus? An res nostras iis curæ cordique futuras speremus? An fidem illam aliquid pondus apud eos habituram, quam nostris Diis datam devotamque, tot beneficiis meritam provocatamque, turpitèr fregimus? Quod si inter Deos perinde atque Principes ex æmulatione certari constaret, proditionem forte gratam fore iis, ad quos transitur, in animum inducere possimus, proditores certe utrisque exosos. Mitte igitur insanum inceptum, dogmaque dissolvendis religionibus confictum animis nostris instillare desiste. Ad alia omnia obseqviis nostris, uti libet, utere. Arma, pecunias, copias, classem, commeatum, ad tuam Regnique dignitatem, vel conservandam, vel amplificandam, impera: promptos nos paratosque habebis, nec corporibus nostris aut sanguini in periculis Tuis in nos recipiendis parcentes deprehendes. Sed nec segniores in causa Deorum propugnanda, si armis nos ab avita religione inveteratoque Deorum cultu seducere paras. Isto enim casu, omnes unanimi consensu conclusimus a te deficere, aliumque nobis Principem eligere, qui liberam nobis religionis professionem exercitiumque concedat, libertatemque sacrorum illibatam conservet, nosque adversus te & quemlibet alium strenuè protegat. Jamque ex his duobus alterum tibi, antequam concio dimittatur, eligendum erit.

Ut finem orationi Asbiornus imposuit, clamor undiqve cum strepitu oritur, confusis vocibus suffragiisqve sententiam ejus confirmantium. Qvo sedato, Comes Sigurdus in medium procedens, specie qvidem, ut Regis nomine iis responderet; reverâ ut idololatriam stabiliret, causamqve optimatum & plebis promoveret, imperato impetratoqve silentio; *mirari se* dicit, *inter Regem populumque ex unico tantum postulato subitum dissensum discordiamque exortam, socialium fæderum, arctissimique nexus, dissolutionem minari; id vero ne fiat, Regem sedulò curaturum. Scire enim se ab illis patris loco coli diligique; id enim officiis obsequiis indefessis declaratum, nec hac in parte ab iis superari velle, eorum enim salutem, commoda & progressum, felicitatisque incrementa ei maxime curæ cordique. Nec alio fine nova sacra imperare, qvàm ut iis cives suos sibi exæquet, cui firmitèr persvasum sit, nihil perinde ad veram beatitudinem conferre, quam religionem, quam ipse colat; secus se ipsum vera felicitate privaturum. Si enim alium Deorum cultum meliorem, quàm ipse sequeretur, sciret, omnia mala ab iratis & irritatis Diis ipsi metuenda. Non itaque mentem ejus propositumque sinistrâ interpretatione in deterius detorquendam. Ei quippe constitutum, datam acceptamque fidem, initamque societatem, tot mutuis benevolentiæ monumentis testatissimam, nunquam dissolvere, nec secessionem ab iis facere.* Illi contra postulabant, *ut statis sacrificiis Diis pro pace annonæque fertilitate, more patris sui, unà secum supplicaret, libaretque.* Sedato

deinde moto, forô exceſſum eſt. Inde Comes ſeorſim Regem allocutus monet: *ne obſtinatè populi poſtulatis refragetur; lenibus remediis utendum, concitatos animos flecti, qvàm frangi, qvum tutius, tum facilius eſſe: apparere, proceres paritèr ac plebem, obſtinato in patriam religionem ſtudio, hæc ex compacto inter ſe agitare. Ne igitur experiri vellet imperium, cujus vis omnis in conſenſu obædientium conſiſteret: ſe propediem viam ad compoſitionem tutam inventurum.* Cujus promiſſis perſvaſus Rex deinde acqvievit.

CAP. IX.

DE REGE A CIVIBUS AD SACRIFICANDUM IDOLIS ADACTO.

HYemis initio ad ſacrificium, gentis pro more conſvetâ magnificentiâ Hladis celebrandum, Rex qvoqve ipſe conceſſit. Sed inter ſolennia rituum in ſegrege domunculâ, ut aliàs conſveverat, cum intimis amicorum, qvi Chriſtianis ſacris addicti erant, epulabatur; ne vel ex impuris ethnicorum libamentis ulla contagionis labe inficeretur, vel inviſi ſpectaculi nauſeâ infeſtaretur. Id vero cives valde ægrè ferebant, in contumeliam ſui, Deorumqve ſuorum, Regumqve priorum interpretantes, qvorum mores manesqve contemni videbantur: *cur enim eos regat, protegat, ab injuriis vindicet, qvorum conſeſſus tunc, cum maximè ſolennis in ipſo Deorum conſpectu, tanquam pollutorum, ei villeſcat ſordeatque. Haud eqvidem ritè litari, nec ſolemnia ordine peragi ſine Regis præſentia, imo & operâ, poſſe. Pro victoria Regis auctuque Regni Diis ſupplicari invito Rege: Quò tandem illam civium devotionem ſpectare? an & invito optatam populo felicitatem obtruſuros? an a peregrinis Diis expectandam? an & illi rem Noricam tot ſeculis â malis omnibus liberaverint? tot commodis & emolumentis auxerint? adque id faſtigii, in quo jam conſiſtat, provexerint? idque gratis? Neque enim eos unquam a patribus ſuis honoratos, aut ullis ſacrificiis cultos: nullis iis victimis litatum: nulla fana, nullas aras exſtructas; non lucos dedicatos, non munera oblata, non ſupplicationes decretas, non vota: nec eos vel ſemel de re ullius momenti conſultos. Sine tamen Deorum veneratione fruſtra munera ſperari. Sequi hæc hominum merita, non præcedere. Sed nec conſtare, quâ ex parte patriis Diis præferenda ſint peregrina illa numina, niſi forte quod plus ponderis habeat, ex longinquâ fama, quàm patrum notitia, qui genus ſuum per ſingulos gradus ad eos Deos referunt, qui res, humanas vires ſuperantes, in his terris geſſerunt, hic regnârunt, triumphârunt, mortalique habitu depoſito ad Deos, Dii ipſi, conceſſerunt.*

His talibusqve Comes Sigurdus ad Regem delatis, ſvaſit ut morem civibus gereret, ſecus rem ad ſeditionem ſpectare. Paruit ille monitis, ingreſſusqve palatium in ſolio conſedit. Jamqve pocula in honorem Deorum epotanda inferebantur. Qvorum primum Comes ſolenni formula Odino conſecratum Regi propinans, epotum iterumqve repletum porrexit. Qvi acceptum, ſignaculo crucis, anteqvam ori admoveret, manu ſuperindictô, adeo Karium de Gritingio commovit, ut protinus exclamaret; *Quorſum hoc? an adhuc etiam ſacrificare recuſet?* Comes factum excuſaturus, more omnium, qvi propriis viribus roboriqve conſiderent.

Thori craterem hunc dicâſſe, idqve hac mallei notâ, anteqvam biberet, indicâſſe. Atqve his dictis gliſcentem tumultum illo veſpere compeſcuit.

Poſtero die contumeliâ Deorum acrius irritati, nec ultra ſui compotes, exutâ reverentiâ impetuq; facto expoſcunt; ut Rex unà ſecum eqvinâ veſceretur. Qvòd cum præfractè negaret, ut juſculum ſorberet, urgent, abnuentem, ut adipem deguſtaret, rogant; neganti prope erat ut manus injicerent, ni Comes ſe medium interponens, remittere impetum jusſiſſet, dum eos conciliaret. Orabat itaqve Regem, ut ad ſiſtendum furibundi populi, extrema minantis, tumultum, ſeditionemqve in herba extingvendam, ſaltem ſuper anſam lebetis, qvo caro eqvina coqveretur, fumo & evaporatione madentem, diducto ore hiaret. Arguto fortè temperamento cautum ſectæ utriusqve ſacris præſentiqve periculo reputans Rex, ſolio deſcendit, adqve lebetem progreſſus, anſam linteolo circumvolutam ore apprehendit, iterumqve ſolium repetivit; haud minus in proceres populumqve, ut ſeditioſos & rebelles, qvàm illi in eum, ut minus morigerum pervicacemqve, animo infenſo. Non igitur immerito ab Olafo Tryggvino, qvi cæptum ab eo, ſed turpitèr omiſſum, Chriſtianæ Religionis negotium feliciter promovit, reprehenditur, qvòd iniqviſſimam conditionem dedecoris plenam, etiam cum animæ periculo conjunctam, qvovis ſacra Chriſtiana profitenti, nedum Rege, indignam & execrandam, martyrio hac occaſione oblatâ, Rex inclytus, adverſusqve hoſtile ferrum intrepidus, adq; pericula omnia animo ſemper alias obfirmato & invicto, id temporis prætulerit.

Eadem hyeme, cum feſti Iolenſis ſolennia in Mæria (Thrandia habet Fagurſkinna, ſed, ut puto, perperam, ut ex contextu de incenſis tribus templis patet) celebranda, Regis qvoqve præſentiâ exornanda, apperent; octo Thrandiæ primates, qvorum in ſacris maxima authoritas fuit, in cladeſtinos cætus coëuntes, ad Chriſtianam Religionem funditus exſtirpandam inter ſe conjurârunt. Id verò duobus potiſſimum modis fieri poſſe videbatur, nimirum ſi Regem ad ſua ſacra nolentem volentem traherent, & templa incenderent, eorumqve præſides trucidarent. Hæc igitur inter ſe ſortitis, ſacrorum perſecutio ulterioris Thrandiæ proceribus obvenit. Erant autem Karius de Gritingio, Asbiornus de Medalhuſis Thorbergus de Varneſia, Ormus de Laxis (Liora habet Kringla). Citerioris autem Thrandiæ magnatibus, ejusdem conjurationis ſociis, negotium adigendi Regem ad ſacrificandum idolis comiſſum erat. Iſti fuerunt Botolfus de Aulvishaugo; Narfius de Staſo, Veradali civis; Thrandus Hakius, ſeu Mentum, de Eggis, Thorer Skeggius, ſeu Barbatus, de Huſabæ, inſulæ Ydriæ villa. Ulteriores Thrandi prima qvaqve occaſione, qvatuor navibus Mæras devecti, tribus templis incenſis totidem Antiſtites interfecerunt, iisqve peractis in Thrandiam redierunt. Regem deinde cum Comite in Mæriam profectum freqvens colonorum turba excipiebat. Et primo ſtatim ſacrificiorum die accedens, jam non precibus, ſed pro imperio mandat, ut victimâ Diis ſuis faciat, ſecùs vim ſe adhibituram minatur; apparabatqve omne diſcrimen adeſſe, omnem Regiæ Majeſtatis reverentiam metumqve pectoribus eorum velut proſcriptum exulare. Comes autem Sigurdus videns qvanta tempeſtas concitata eſſet, cupiens Regem præſenti periculo, cui jam propulſando impar eſſet, qvacunqve ratione eximere. Cum nulla media via, qvâ utrisqve ſatis fieret, amplius in tanta conſternatione ſuppeteret, reputans: *nullo damno aut dedecore Regem aſpergi, etiam ſi depoſita pervicacia paternum imitetur exemplum,*

plum, morem gentis, in qvâ natus esset, a qvo ipse temerè, vel certè non sui ipsius potens, defecerit, seqveretur, populoqve hac in parte gratificaretur; eo rem deduxit, ut Rex aliqvot eqvini hepatis bucceas comederit, poculaqve omnia a nobilibus Regni colonis sibi propinata sine ullo sacræ crucis signaculo exhauriret. Finito demum convivio, unà cum Comite retrò ad Hladas celeriter profectus, plenus iræ atqve indignationis, mox inde cum universo satellitio profectionem adornavit, minatus se majoribus copiis ad Thrandos vi compescendos rediturum, vimqve Majestati illatam armis vindicaturum. Comes antem obnixè oràvit, ut insanientis vulgi, amore religionis ad eam indignitatem provecti, molestiam ex animo exspueret, secumqve prudenter expenderet, qvàm ê re ejus non esset, civile bellum concitare, præsertim contra eos, qvibus ad resistendum virium plurimum suppeteret, opulentissimarum nempe & populosissimarum provinciarum incolas, certè in ea causa, qvam gens universa suam duceret, ubi de Deorum Majestate vindicanda ageretur. Verum Rex secreta æstimatione pensitans, qvàm gravitèr in Deum, tam intempestivâ, sive indulgentia, sive metu, delinqveret, dum ad tantum in se crimen admittendum se adigi passus esset, qvantaqve contumelia infame factum, contemptusqve apud Christianos seqveretur, adeo irâ & indignatione excanduit, ut nullis consiliis aures præbere aninumve applicare sustineret. Itaqve sine mora in Sunnmæriam profectus, qvod reliqvum erat hyemis, verqve seqvens, ibidem transegit. Per æstatem verò copiarum classisqve magno delectu habito, opinio & rumor de bello Thrandis inferendo latè pervasit.

Hæc *Fagurskinna*, seu compendium Chronicorum, paulò aliter exponit. Anno nimirum Regni ejus decimo sexto, qvi est æræ Christianæ CMLI, in Mæriæ freqventi comitiali foro, ê duobus alterum Regi eligendum colonos proposuisse: videlicet ut vel more priorum Regum, secundum priscas leges pro felici annona paceqve sacrificaret, vel, si perinde ut in exercendo imperio, tributisqve exigendis, ita qvoqve in mutandis sacris, novaqve religione instituenda, authoritatem sibi præ civibus arrogare perseveraret, regno cederet. Cum autem nullo pacto ad sacrificandum idolis adduci posset, intercessisse intimos amicos Regis, multosqve alios, qvi colonos oràssent, ut manus ab eo abstinerent; monstrando, qvàm esset populo suo utilis & necessarius, ut qvi salutares cunctis civibus, cujuscunqve ordinis status-ve, leges juraqve dederit. E diverso vero Regem adiisse, obnixeqve efflagitasse, ut recentem tumultum sedare dignaretur, aliqva ex parte iis gratificando, ne sacrificuli eum solvisse leges clamitarent. Miti animo Regem amicorum supplicationibus precibusqve tantum tribuisse, ut sacrificaret. Ego qvoqve, si qvid in rebus tam remotis â nostris temporibus divinare licet, qvamvis probè perspiceret exemplo Domaldi Sveciæ, & Olafi Lignarii Vermiæ, Regum, sua victima Diis gentilitiis omnino faciendum esse, nec pingviori alia sacrificari ex eorum persvasione posse: magis tamen eorum, qvàm proprii periculi metu motum existimo, cum sciret iis omnibus unà secum moriendum esse, qvos hortationibus ad mortem pro Christo fortiter oppetendam accendere, qvàm fragilem vitam turpissima mercede redimere præstitisset. Annus a *Compendio* assignatus his temporibus convenire videtur, in cæteris a reliqvis Codicibus non dissentit, si receptæ hactenus calculationi standum. Cum autem ex nostra hypothesi de cæde Grafeldi, ad Annum 9:2 referenda, imperium Haconis Anno 940 terminetur, hæc Anni 945 gestis annumeranda statuo.

CAP. X.

DE IRRUPTIONE FILIORUM EIRICI IN VIKAM, RECONCILIATIONE TRANDORUM CUM REGE, PUGNA AUGVALDZNESIÆ GESTA, CÆDE GUTTORMI, ET EIRICIANORUM FUGA, PYRIS PER TOTUM REGNUM INSTITUTIS.

IAmqve in procinctu ſtabat Rex, impoſitis in naves copiis, cum nuncius repentè advolans refert, filios Regis Eirici Blodoxii magna claſſe ex Dania in territorium Vikenſe, irruptione facta, Regem Tryggvium, claſſe ad Sotaneſiam exutum, in fugam compuliſſe, territoriumqve Vikenſe latè populatos magnam partem ad obſeqvium reduxiſſe. Hac neceſſitate adactus, ad externum hoſtem avertendum, qvàm cives ulciſcendos, curam convertens, Comitem Sigurdum aliosqve proceres ad defenſionem evocat. Is, aſſumptis in auxilium omnibus Principibus, eorumqve copiis, qvi proximâ hyeme eum ad ſacrificandum adegerunt, ſtatim cum magno exercitu eum accedit, interceſſioneqve ſua pervincit, ut in gratiam ſinguli reciperentur, impunitateqve cum univerſa plebe donarentur. Jam enim in gemino periculo conſtitutus Rex jure metuebat, ne, ſi ſpem illis gratiæ hoc ſtatu abrumperet, aggregarent ſe hoſtibus, qvorum vires ad reſiſtendum jam oportunè affluxerunt. Jus qvoq; in petitione Regni paterni prævaluit. Thrandi verò, gnari, qvàm facili & benigno Rege Hacone uſi eſſent, qvidqve de patre Eiricianorum meruiſſent, & qvid ſibi ab illis, ſi rerum potirentur, expectandum eſſet; in primis Comes Sigurdus, cujus dictis cæteri audientes erant, maluerunt in gratiam cum Hacone redire, qvàm illis, niſi id omnino neceſſarium eſſet, ſe aſſociare, unumqve mitē & clementem Regem, multis & eo nomine pluris indigentibus, aſperis etiam & exacerbatis, âqve ſacris ſuis perinde abhorrentibus, permutare. Et jam unitis copiis in auſtrum tendunt: qvousqve Stadas prætervecti certis nunciis comperiunt, ad ſeptentrionalia Agdarum hoſtes perveniſſe. Inde in mutuum occurſum properantes, in inſula Cormte conveniunt. Utrinqve exſcenſu in terram facto, ad Augvaldsneſiam magnis utrinqve copiarum viribus numeroqve ſtrenuè confligunt, Rege Hacone in mediam hoſtium aciem intrepide ſe inferente, ubi eam Rex Guttormus Eirici filius forte ducebat, ita ut collato cominus pede; mutuis ſe ictibus impeterent donec vexillo Guttormi dejecto, ipſe multa ſuorum ſtrage circumfuſus concideret. Inde trepidatio terrorqve per univerſam aciem circumlatus, reliqvos omnes effusè ad naves fugientes abripuit. Magna clade acceptâ, in auſtrum, qvantùm viribus eniti poterant, tendentes, inſeqventem ſe victorem, qvoad in auſtrales Agdarum partes pervenerant, fugiebant. Tum vero velis in auſtrum verſis, transmiſſo oceano, in Daniam redierunt: ubi deinde longo tempore qvieverunt, Hacone Septentrionalia Regni repetente. Extant duo Guttormi Sindrii rhythmi, ordinem prælii, fugæ, & perſecutionis, deſcribentes, majoris fidei, qvàm Fagurskinna, qvæ Guttormum in oriente occiſum perhibet. Secundùm hanc victoriam Rex proviſurus ſibi incolisqve ab impendente a Gunnhildidis, auxiliô Danorum ſuccinctis, repentinâ in ſingulos annos irruptione, totius Regni Norici mari-

maritimas provincias, qvousqve ſalmones flumina invadentes longiſſimè pertingunt, in minutiores partes deſcripſit, qvas vernacula lingva Skip-reidr ſeu ſocietates nauticas, appellavit, qvarum certum numerum ſingulis ſatrapiis (Fylke nuncupant) definivit: unde iis etiam certus ſuppetendarum navium numerus conſtabat. Nam ſingulis ſocietatibus ſingulæ naves ad belli uſum inſtructæ imperabantur: certus inſuper locorum in ſingulis numerus, & magnitudinis menſura, certus etiam nautarum, claſſiariorum, armorumqve modus, certa cibariorum pondera aſſignata. Tum ut Rex, qvoties infreqventi comitatu provincias obiret, adverſus improviſa pericula claſſe militeqve ubiqve tutus inſtructusqve foret; tum ut ad omnem externorum hoſtium inſultum omnes viri liberi armisqve ferendis idonei, ſinguli viritim clypeo, haſta, teloqve ad ictus inferendos idoneo inſtructi, in ſuis qvisqve ſocietatibus præſtò adeſſent, idqve ſine exceptione, aut ullo excuſationis prætextu. Tributorum autem, qvæ pater ejus per totum Regnum in ſingula capita impoſuit, tantum ad extruendas naves ordinavit, qvantum à maritimis Thrandiæ cæterisqve tractibus exigi ſolviqve ſolebat. Et ne ulla memorabilis clades improvisò accipi vel latius ſpargi poſſet; de pyris in excelſiorum montium jugis præparandis, ſtruibus nempe aridorum lignorum erigendis, nec longiore intervallo inter ſe diſtingvendis, qvàm ut mutuo conſpectu notari poſſent, (Vita lingvâ patriâ vocant) legem tulit. His, qvoties notabilis hoſtium claſſis accederet, facibus ſubjectis, ſignum ab iis, qvi primi ad auſtrum obſervâſſent dandum, perpetua deinde ſerie â proximo qvoqve excipiendum ordineqve continuandum, donec ardentium pyrarum flam̃a indicium ad ſeptentrionis ultima pertulerit. Septem dierum ſpatio ab auſtrali Regni limite, ad eam Halogiæ partem, qvæ in ſeptentrionem longiſſime protenditur, coruſcum hoſtilis incurſûs indicium deferri fama eſt. Hoc autem inſtitutum ad patriæ penatumqve defenſionem, publicamqve ſecuritatem, magis revocatum, qvàm excogitatum, plurima tamen incom̃oda ſecum traxit. Sæpius nam̃qve accidit, ut qvi phari illius auſtralis cuſtodiæ præfecti erant, unde adventantes naves primò conſpiciebantur, vel excurſus in maritima, agrorum̃qve populationes, hominumqve cædes obſervabantur, ut ſtruibus illicò ſuccenſis, ſigna periculi in viciniam, & deinceps longius, circumferrent. Unde tumultu toto Regno exorto, concurſus incolarum ex omnibus provinciis, magnis impenſis per longa viarum ſpatia fiebat, priusqvam iis, qvi ex borealibus regionis partibus profecti erant, conſtaret, neqve Eirici filios, niſi fortè paucis navibus inſtructos, neqve Daniæ Regis claſſem, ſed prædonum piratarumqve copias, qvæ poſtqvam oras qvasdam diripuiſſent, illicò diſceſſerunt, aliòqve vim tranſtulerunt, metum illum incusſiſſe. Iſtis qvippe temporibus complures piratæ unius ducis ductu magna claſſe maria terrasqve infeſtabant. Qvi ſæpius ad Brenneyas, Vardeyas, Myl, & Myſtraſundas, excubuerant. Tantas moleſtias pertæſi incolæ, ſe toties eludi, adqve impenſas laboresqves haud mediocres nulla neceſſitate adigi, dolebant. Ipſeqve Rex adeo ægrè tulit, ut ſub capitis vel membrorum pæna ſanciret, ne qvis hoſtilem irruption̄e vano rumore nixam publicaret. Inde metûs etiam ſuſpectæ nunciandæ omnes invaſit. Nam viſum ſæpe unum aut alterum navium agmen, declinans deinde terram in altum evectum, ultra non comparuit. Novo tamen fom̃ento deterriti Gunnhildidæ, in orientem prædandi licentiam libidinemqve ut plurimùm verterunt, unde magnam prædarum vim ſpoliaqve domum qvotannis convexerunt.

CAP. XI.

DE BELLO CUM FILIIS EIRICI IN FRIDAREYA, CÆDEQVE REGIS GAMLII.

ANno Regni Haconis vulgari computatione vicesimo, numerosâ classe, majore tamen ex parte Regis Daniæ auxiliariâ, Vendilâ Jutiæ solventes Gamlius, Haraldus, & Sigurdus, prospera usi navigatione, ventorumqve miro favore, Agdas in conspectum nacti, dies inde noctesqve, nulla interjecta mora, ad ulteriores borealis tractus oras contendentes, prius ad Ulfasundam pervenerunt, qvàm vel levis qvidem adventûs eorum fama innotuisset. Nam & illo tempore, ob causas antea memoratas, pyrarum qvoqve indicium omissum est: tum etiam qvòd in orientali tractu inde signa expectabantur, navigationem eorum nemo observârat. Integros septem dies in illa statione constiterunt, donec nuncii ad Regem, qvi in insula SunnMæriæ Frædey (compendium NordMæriæ australis insulam Freidarey appellat) in villa sua Birkistranda, solo satellitio aulico colonisqve nobilioribus, qvos ad convivium invitaverat, stipatus diversabatur. Illi namqve per superiora isthmi Mærensis transgressi, iminens periculum ab hoste, ad australe Stadense latus stativa habente, detulerunt. Digna res visa, de qva seniorum consilia exqvireret, an cum sextuplò majoribus copiis (tantò enim superabant) confligeret? an cedendo tempori, in aqvilonem ad colligendas vires majores secederet? Inter præcipuos colonos Eigill, cognomento Ullserkus, præstò erat, vir claris admodum natalibus, & qvi inter paucos rei militaris scientiæ fortitudinisqve laude gestorumqve fama superiori ætate inclaruerat, longoqve tempore Haraldo Pulchricomo vexillum prætulerat. Hic primus Regi his verbis respondit. *Multis ego præliis cum patre tuo interfui, sæpe majoribus, sæpe etiam minoribus, qvàm hostes, viribus instructo. De numero autem parùm solicitus, manus conseruit, perpetuò victor: nec memini eum cum amicis unqvam de fugæ consiliis deliberasse, neqve enim illis instrui ab iis volebat, neqve nos ista te docebimus. Videmur enim ducem strenuum nacti: strenuos qvoqve milites tibi spondebis.* Multis sententiam senis laudantibus, Rex eam qvoqve maxime sibi probari respondit, missisqve in omnem circa viciniam nunciis, qvotqvot in tanta festinatione colligi poterant, ad bellum pro patria penatibusqve gerendum evocat. Tum iterum Eigill lætitiâ exultans: *timui*, inqvit, *dum diuturna ista pax, qvâ patria nostra hactenus floruit, durabat, ne anili morte intra tecta mea in stratis inglorius defungerer. Jam vero gaudeo, qvòd optatâ solvi liceat, cum prælio mihi, collatis signis, sub auspiciis ductuqve Regis, inter gloriosa facta & gesta fortiter & ex voto occumbendum prævideam.* Ut primùm secunda aura afflavit, Gunnhildidæ transmisso Stadensi mari, in Regem, tunc cum novem navibus in freto Frideyensi juxta rupis Freydensis latus aqvilonare stativa habentem, plus viginti navium classem ad australe latus dirigunt, ibiqve consistentes, ad pugnam per fecialem in campis Rastar-Kalfensibus, diffusis & planis, gerendam a Rege evocantur. Supra illos collis haudqvaqvam editus in longitudinem panditur, ad cujus aversum latus Eiriciani navibus exscendentes, copias omnes, circuita Freydensi rupe trans collem, in destinatam certa-

mini planiciem educunt, aciemqve ordinant. Eigill autem Ullſerkus, paucitati ſuorum dolo ſuccurrendum ratus, decem tantùm milites, totidemqve vexilla a Rege poſcit, qvibus impetratis, ultra diverſum monticuli latus hoſtibus inobſervatus cum ſuis ſe recipit; dum interim Rex Hacon in camporum plana effuſus, aciem in longum extenſam, ne a tergo â multitudine circumveniretur, inſtruit. Jamqve exercitus coëunt, pariqve animorum viríumqve ardore pugnam capeſſunt, ſummaqve vi & contentione, pari qvoqve ſpe & fiducia, gerunt; aliis amiſſa repetentibus, aliis poſſeſſa defendentibus, cum Eigill Ullſerkus decem illos milites, qvos ex acie ſubtraxerat, ſecundum collis radices ſparſim circumducens, paulatimqve procedens, ſigna ita diſpoſuit, ut haud parvo diſcreta intervallo, diſtinctis locis ſupra montem prominerent, ſpeciemqve ingentis agminis inſidiarumqve præberent. Ingens inde metus eos, qvi in ſuperiore loco pugnabant, invaſit, ne ab altero exercitu integro feſſi fatigatiqve opprimerentur, vel reditu ad naves intercluderentur. Qvi repentè ex immenſo ſigna monſtrantium clamore, aciem totam pervadente, auctus, omnes ſubitò in fugam abripuit. Qvo viſo, Reges qvoqve ipſi, haud ultra conſiſtere auſi, diſſipatorum veſtigia prementes, ad naves celeriter ſe proripiunt, Hacone fugientium tergis cum infeſto perſeqventium globo inhærente, magnamqve ſtragem edente. Ut vero Rex Gamlius in colle, unde liberior proſpectus evaſit, aciem Haconianam nullo ſupplementorum accurſu auctam, nec plures fugientes inſeqvi, qvàm in acie dimicabant, animadvertit, aſtu ſe deluſum ſentiens, fugientes tubâ revocans, denuò in ordines dirigit, aciemqve inſtruit: ſoli qvippe Norvegi ſubſtiterant, Danis ad naves properantibus. Horum qvippe conditio diſpar, pericula fortè diſparia fecit. Iſtis enim exilii, laborum, periculorum, ærumnarumqve finem, opum ſatis, gloriæ abundè, potentiæ nimium, imperium ſtabile, victoria pollicebatur: illis pro alieno imperio periclitandi neceſſitas deerat, nec ſpes major, qvàm partis ſpoliorum in præſens ſtipendiorumq; invitabat. Nihilominus Reges Haconem ad ſe provectum iterum fortiter excipiunt: ſed Danis dilapſis, numero inferiores tamen expectatione longiùs reſtiterant. Tandem Gunnhildidis in fugam ſparſis, pars per auſtralia clivi diſſipabantur, pars ad meridionalia rupis abrepti, ab Hacone premebantur, perqve camporum plana, qvi ab oriente per collem ad rupem usqve protenſi, in abrupto præcipitio occidentem verſus terminantur, palantes, cum in rupem evaſiſſent, nihilominus intrepidè & contemptim ex inferiori loco impetebantur, donec conſcenſa rupe, & illos occideret, & eos, qvi ſe in ſubjectam planiciem projecerunt, eodem ardore momento inſeqvens, pariter trucidaret, adeo, ut ne unus qvidem vivus evaderet. Ipſe qvoqve Rex Gamlius, ex colle in plana ad auſtralia clivi latera fugâ abreptus, iterum ſubſiſtit, excipiensqve invadentes, accurſu ſuorum vires colligit, donec omnes ſimul fratres cum ſingulis cohortibus in juſtam aciem confluerent. Qvo viſo, Eigill Ullſerkus, cum robore copiarum, qvibus præfuit, acriter invectus, in ipſum Gamlium impetum facit, cominusqve congreſſi, poſt mutuos ictus vulneraqve, Gamlio admodum ſaucio, ipſe memorabili editâ pugnâ parta tot ante decora glorioſâ ad ultimum morte, inter medias hoſtium ſtrages fortiter occumbendo, cumulavit, cujus caſu conſternati cæteri, paſſim ab irruentibus hoſtibus cædebantur: donec Rex Hacon maturè ſuperveniens turmas ſuas in media hoſtium agmina induxit. Ipſe acer & infeſtus, utraqve manu gladium vibrans, & nutantem ſuorum aciem reſtituit, & eos, qvi ſeqvebantur,

exemplo ad omnem periculi contemptum accendit, & hostibus metum stragemqve, qvacunqve pervaserat, intulit. Tum demum Eiriciani, visa suorum, catervatim occumbentium, fæda ruina, spem ulterioris progressus abjicientes, certatim ad naves trepidâ fugâ accelerabant, qvarum alias recedente æstu in littore stantes, alias vadis inhærentes, offendunt. Namqve ii, qvi priores fugientes ad naves pervenerunt, conscensis navibus, procul a littore in altum se recepêre, residuas littoribus in undas propulerant, qvarum pars aqvâ destituta littoribus aut vadis continebatur, pars non procul a littore fluitabat: eas igitur conseqvendi cum sola spes superesset (neqve enim sine præsenti vitæ discrimine, hoste jam tergis inhærente, qvæ in littoribus stabant, in tanta trepidatione protrudi in mare poterant) cuncti fratres cum universis copiarum cladisqve reliqviis enare occipientes, ingenti sagittarum telorumqve vi è littore impetuntur: pars vulneribus debiles vorticibus absorpti, duplici cladis genere opprimuntur. In his etiam Rex Gamlius, fratrum maximus, gloriosam cæteroqvin Regis Haconis victoriam sua insuper morte nobiliorem fecerat. Reliqvi omnes ad naves, ægrè licet, connixi, funestam desideratorum commilitonum memoriam luctumqve ad propinqvos amicosqve in Daniam secum reportârunt. Rex autem Hacon qvicqvid hostilium navium, vel in sicco, vel vadis, reliqvum erat, subduci jussit. Tum conqvisitis ad sepulturam mortuorum cadaveribus, Eigilem Ullserkum cum omnibus, qvi suarum partium illo prælio ceciderant, in unam earum impositum, aggestâ terrâ, sabulô, & saxis in tumuli formam digestis, condidit; cipposq; excelsos in perpetuam memoriam reiqve gestæ monumentum erigi curavit. Plures etiam naves sepeliendis mortuis adhibuit, tumulosqve simili apparatu imposuit, qvi etiamnum (authoris verba sunt) juxta rupem Freydensem austrum versus visuntur.

Extat unus tantùm versus Guttormi Sindrii, qvo ingens Regis Haconis alacritas & invicta fortitudo hoc prælio declarata artificiosè describitur. Alium Eyvindus Skaldaspiller, seu Poetarum Crux, post mortem Haconis a Glumo Geirino Haraldi Grafeldi pöeta inter præclara ejus gesta, etiam Regis Haconis cædem ad laudes exaggerandas rapiente, lacessitus fecit, cædemqve Gamlii opposuit: de qvo infra *in vita Grafeldi.* Fagurskinna uno tantùm cippo tumulum Ullserki exornatum memorat: refertqve paulò aliter ordinem pugnæ, Gamliumqve in littore multis gravibus vulneribus ab Hacone sauciatum, dum nando evadere conaretur, sub undis suffocatum. Haraldum autem & Sigurdum ad naves pervenisse, universas autem trium navium cohortes a Rege in littore occisas, Regem qvoqve eos diu classe, sed frustra, persecutum. Addit præterea, Gunnhildidas, accepta clade, morte præsertim Gamlii, valde qvidem consternatos, magis tamen irritatos, acriùs in ultionem exarsisse. Regem qvoqve Danorum suorum cædibus exacerbatum, magnis pollicitis magnam iis fiduciam instillâsse qvo metu compulsum Haconem tunc primùm pyrarum præsidia excogitâsse. Verùm mihi hìc, ut plerumqve alias, potior Chronicorum authoritas habetur. Incidit hæc victoria in añum gratiæ CMLV. Veteri calculo, nobis CMXLVIII. Fuit Gamlius subditis suis longè acceptissimus. In ejus satellitio Thordus, *Hræda* posteà dictus, ab anno ætatis suæ duodecimo triennium versatus, magna virtutis suæ documenta edidit, bello semper eum præcedere solitus, & maxima qvæqve pericula sibi deposcere; hinc celebre sibi nomen & Regis magnam gratiam conciliavit. Exacto deinde triennio, veniam reditûs in patriam, ad bona hæreditaria invisenda,

da poſtulabat. Rex, laudata ejus usqve ad eum diem operâ, baltheum, a qvo acinacis, qvem qvotidie geſtare ſolebat, dependebat, ſibi detractum, utrumqve ei donabat, præfatus: *fortunam dono, ſuam quoque gratiam, adnexam fore, nec alienandum munus, niſi vitæ redimendæ cauſa.* Thordus *ſe rediturum teſtatus eſt, nec deſerturum, quoad ejus militia ſibi pateret.* Rex: *id fatis negatum videri*, reſpondit, *illo enim die ſe noviſſimè viſurum.* Contriſtatus igitur Thordus, bona cum venia discesſit. Patet hinc, qvàm præſago animo Gamlius fuerit, animoqve in ſuos propenſo: nam & hæc paulo ante bellum hoc rerum ejus ultimum contigiſſe tradunt.

CAP. XII.

DE NOVISSIMO REGIS HACONIS BELLO CUM EIRICI FILIIS, EJUS LETHIFERO VULNERE, ET SUBSECUTA MORTE.

Sexennio inde (nobis biennio) elapſo, anno qvippe ab egreſſu Blodoxii Monarchiaqve Haconis viceſimo ſexto (nobis decimo qvinto) Gunnhildidæ iterum comparata majore claſſe, copiisqve in altum evecti, ne conſpicerentur, littoribus Norvegiæ evitatis, perqve ſcaphas tantùm acceſſis, manſionum Regiarum vices explorabant; qvi tunc fortè in inſula Hordiæ Storde, villa Regia Fitiis, cum aulicorum ſuorum ſatellitio, multisqve nobilioribus colonis, ad convivium invitatis, epulis meredianis accumbebat, cum obſervata excubitoribus ex improviſo advecta numeroſa bellicarum navium claſſis, ad inſulæ littora curſum dirigens, nec procul diſtans, pauliſper eos ſuſpenſos tenuit: ſi nunciarent Regi, gravis offenſa, periculumqve ingens animis oculisqve obſervabatur, ſi forte errore ſubducti, aliam qvamcunqve conjunctarum navium ſimulqve navigantium ſeriem pro hoſtili claſſe vano metu venditâſſent, definitamqve legibus pœnam in ſe arceſſiſſent, ſupprimerent: prodi Regem, inevitabileqve periculo exponi, id qvod omni ſcelere atrocius ducebant. Placuit itaqve ut unus eorum triclinium ingreſſus, Eyvindum Skaldaſpillerem citò arceſſeret, inqve mora evidens periculum indicaret. Qvi oppidò egreſſus, ex editioribus locis, unde proſpectus latè patebat, hoſtilem claſſem agnovit, actutumqve ingreſſus, Regem his verbis compellat: *Labens hora brevis eſt; prandii verò prolixa.* Rex, converſis in eum oculis, qvid afferret? qværit. Cui ille carmine extemporaneo, *hoſtes prope; præque foribus Blodoxii filios*, annunciat. Rex, *novi*, inqvit, *te eſſe virum bonum prudentemque, nec vanum irruptionum hoſtilium nuncium allaturum.* Mox menſas removeri juſſit, ipſe proſpectum egreſſus, ut verè afferri cognovit, conſilio amicorum convocato, ne qvid in re ſubita temerè aggrederetur, eorum ſententiam exqvirit. *Cederetne in præſens, navibusque in aqvilonem directis, robur provinciarum in auxilium exciret? an cum paucis, qui præſto adeſſent, tantam tempeſtatem exciperet? Sæpe qvidem imparibus viribus cum illis conflixiſſe, nec multitudinem unquam moratum. Jam vero tantum numero hoſtes ſuperare, ut priores pugnæ in comparationem non veniant.* Omnibus ad rogata ſilentibus, Eyvindus carmine eleganti ad certamen hortatus, aſſenſum Regis conſiliiqve intrepidi laudem promeruit.

 Intellectâ

Intellectâ Regis ſententiâ pari omnes alacritate certamen poſcebant, profeſſi, *malle ſe ad unum omnes mortem fortitèr oppetere, locumque ſtrage ſua nobilitare, quàm omnibus inexpertis Danos, toties a ſe, etiam numero inferioribus, victos, fugere.* Rex collaudata tantâ rei benè gerendæ fiduciâ, omnibus gratias egit, armaqve capere juſſit, confirmaturusqve ſatis alioqvin excitatos ſuorum animos, *nihil referre* ait (ut habet Fagurſkinna) *quot Dani adverſus unum Norvegum manus conſerant.* Ipſe loricam pectori, cingulo gladium Kvernbit / Regis Adalſteini donum, capiti caſſidem inauratam, haſtâqve manu comprehenſâ, lateri clypeum aptat, ſatellitibus & colonis in ordines digeſtis, erectisqve ſignis, in aciem procedit. Jamqve hoſtium claſſis littori allapſa, ingentem protinus multitudinem oſtentabat. Egreſſi in terram duce Haraldo, qvi poſt cædem Gamlii inter fratres principem locum tenebat, aciem diſponunt, tantumqve ſtatim diſcrimen animadverſum eſt, ut vel ſeni ſingulis Haconis militibus obveniſſe viderentur. In primis Regum avunculi, Eyvindus Skreya & Alfus Alſchmannus, de qvibus in præcedentibus mentio facta eſt, in exercitu eminebant, viri audacia, virium robore, & cædium aſſvetudine terribiles. Fama eſt, Haconem, poſtqvam aciem inſtruxiſſet, loricam exuiſſe, qvo tanto pondere levatus, ad belli munia obeunda habilior, & prope infatigabilis, dimicaret; duobus id verſibus Skalldaſpilleris teſtantibus. Conſvevit etiam, more patris ſui, corpori ſuo circumdare viros, qvorum robur & animi fortitudo inter alios emineret. Inter qvos Thorolfus Skolmius, ab ingenti corporis robore Robuſtus cognominatus, facilè tunc principem locum tenuit. Is tunc ab alio latere Regi proximus, caſſide clypeoqve tectus, haſtam gerebat, & gladium ſibi a Rege Hacone donatum, â latitudine, qvâ pedis menſuram æqvabat, Fetbreid, qvaſi latipedem, appellatum, qvi ſolus Regem viribus æqvare credebatur, uti id Thordus Siarechi filius, in oda, qvam in honorem Thorolfi compoſuit, prodidit. Et primo qvidem congreſſu, jaculis & haſtis eminus pari ardore multaqve cæde pugnatum, mox ſtrictis gladiis cominus. Tum qvoqve Rex Thorolfo comitatus concitatior ante ſigna procedens, utrâqve manu cæſim punctimqve obvios circumfuſosqve lateribus pugnatores ferit ſternitqve. Verum qvod inauratâ galeâ, qvam capiti impoſuit, radiis Solis illuſtrata præ cæteris conſpicuus eſſet, in ſe unum hoſtium oculos, armaqve & impetum convertit, ſingulis occiſi Regis decus, vel vitæ ſuæ impendio ſibi deſtinantibus, donec Eyvindus Skaldaſpillir, præſenti eum diſcrimine liberaturus, pileum galeæ ſuperinduxit. Qvod animadvertens Eyvindus Skreya, qvi jam furibundus ab utroqve latere per hoſtium ſtrages invectus, viam ſibi ad Regem ſternere ceperat, voce Stentoria amenti ſimilis exclamat. *Ubi nunc Rex Nordmannorum? latebrasne qværit? an ex acie fugit? qvid de inaurata caſſide factum eſt?* ſimulqve cum fratre cæpto furore per aciem graſſatus, ultrà ſemper procedit. Qvem Rex inclamans, *perge qvà cæpiſti*, inqvit, *ſi Regem Nordmannorum convenire cordi eſt.* Itaqve infeſto gladio in Regem proruens, ambabus manibus ictum intentat; qvem Skolmius objectu clypei a Rege avertens, Eyvindum ſimul impulit, ita ut ictu fruſtrato nutaret. Rex igitur gladium Kvernbitum utraqve manu complexus, in caput Eyvindi tanto niſu dejecit, ut per galeam caputqve bipartitò diſſecta, ad humeros usqve penetraret: eodem momento Skolmii gladio Aſchmannus concidit. Hunc Regis ſingularem cum infeſtis fratribus congreſſum glorioſamqve victoriam duobus verſibus perpetuæ memoriæ commendavit

Eyvindus

Eyvindus Skaldaſpiller. Fagurſkinna hanc relationem paulùm variat, Regisqve invictam illo bello fortitudinem miris laudibus celebrat. Adeo enim nulla in inexpectato periculo metûs indicia in illo apparuiſſe tradit, ut ſingulari inſuper animi vultusqve vigore in certam victoriæ ſpem ſuos accenderit. Cum enim aciem in ordines digeſſiſſet, tradit Eyvindum rhythmum, qvem etiam recitat, protinus feciſſe ad exhilarandos pugnatorum animos, Regemqve ſtatim alium eodem momento â ſe factum repoſuiſſe. Mox mirâ alacritate, vultu interrito, fronte exporrecta, milites in aciem eduxiſſe, ipſum ante exercitus ſui principia pugnantem, nunqvam fruſtrato ictu, hoſtes ab utroqve latere arma inferentes concidiſſe, Eyvindum autem Skreyam magno impetu ad vexillum Regium ſe inferentem, Norvegisqve metum improperantem, poſtqvam truci & incondita voce Regem, ut retuli, provocâſſet, reddito reſponſo: *ut ſi Nordmannorum Regem congredi vellet, qvà cæpit, pergeret*; nec inſultum ejus expectâſſe, ſed projecto in latus clypeo, gladii capulum ambabus manibus complexum, ante ſigna provolaſſe, Thorolfoqve ſibi id negotium depoſcenti, reſpondiſſe: *me depoſcit, me qvoque conveniet*; protinusqve in Eyvindum, rem utraqve manu gerentem, gladium ambabus manibus impegiſſe, unoqve & eodem ictu, qvô galeâ capiteqve humerotenus diſſectis, immani vulnere exanimis corruerit, ſtraviſſe, Thorolfum qvoqve complures eodem impetu neci dediſſe Thordus Siarechi filius refert. Secundùm cædem fratrum Gunnhildis, Rex Hacon cum univerſis ſuorum agminibus acrius invectus, territos fortiſſimorum pugilum ſingulos repentinâ clade ad tantam conſternationem adegit, ut omiſſis, non vindicandi modo, ſed etiam reſiſtendi conſiliis, pro ſe qvisqve ad naves fugeret. Ipſe in acie ſuorum primus fugientibus inſtat, multosqve media via, multos in littore obtruncat: multos pavore in aqvam compulſos ad naves properantes, gurgites hauſerunt: multos etiam nandi peritos laſſitudo & vulnera & pavor degravârunt. Ingens clades in acie, ingens in fugâ accepta eſt, omnes tamen Eirici filii magnis agminibus ad naves pervenerunt, qvas ſummâ feſtinatione ê littore molientes in fugam ſe conjecerunt, Haconianis inſeqventibus. Verum dum Rex fugientes avidiùs perſeqvitur, ex improviſo ſpiculum qvoddam, lingva Norvegica Fleirn appellatum, in brachium ejus infra ſcapulas incidens, grave ei vulnus ingeſſit. Multorum relatu fides facta eſt, ſervum qvendam, Reginæ Gunnhildi â calceis, nomine Kiſpingum, inter fugientium turbam exortum exclamâſſe: *cedite interfectori Regis*. Moxqve jaculum in Regem conjeciſſe. Alii autem negant conſtare, qvis emiſerit, id qvod a vero non abhorret, in tanta telorum undiqve conjectorum denſèqve incidentium grandine. Duos verſus Thordus Siarechi filius de his reliqverat. Editio Danica tradit, cum fugatis hoſtibus, Hacon iterum ſuos ab ulteriore perſecutione inhibitos recollegiſſet, inqve campi planicie, capta ſtatione, exſpectaret, experturus, ſi fortè novis ſupplementis ê navibus aucti, iterum bellum inſtauraturi redirent, rem admirandam incidiſſe: jaculum nempe in aëre pendulum, ultro citroqve ſupra Regis exercitusqve capita, directo cuſpide oberrans, omnibus metum injeciſſe, ad ultimum brachio Regis, qvà humeris jungitur, illapſum. Creditum, magicis incantamentis artibusqve Finnicis Gunnhildem, qvarum ſatis gnara erat, illud procurâſſe. Qvod cum in nullo manuſcripto exemplari inveniam, credo interpretem id ex Saxone deſumptum ſuæ verſione inſeruiſſe. *Saxo* enim *Lib. X.* id his verbis exponit, qvæ adſcribere

bere non pigebit. *Repetentè* (ait) *Haqvino classem petenti, incredibile memoratu, monstrum incidit; jaculum namque vago ancipitique discursu, superne inter auras oberrare conspectum, non minore intuentes metu, qvàm admiratione, complevit. Siqvidem in diversas partes, dubiis reflexibus agitatum, figendi vulneris locum exploratius prospicere videbatur, qvod miraculum cunctis immani stupore proseqventibus, incertis qvidnam res tam inusitata portenderet, subito casus in solius Haqvini caput, suspectum omnibus periculum transtulit. Arbitrantur qvidam matrem Haraldi Gunnhildem, procurato maleficiis spiculo, filii pœnas â victore sumpsisse.*

Rex accepto vulnere navem ingressus, cum nullis remediis profluvium sangvinis sisti posset, viriumqvè defectu, procedente die, magis magisqve langvesceret, se in villam suam Alrechstadas transferri mandat. Ubi ad Petram Haconianam ventum est, navem littori admovent, Regemqve semimortuum fixis tentoriis inferunt. Qvi convocatis amicis, ultimam suam voluntatem de Regno post fata sua disponendo declarat: *Qvòd simul cum satellitio suo, eò qvod masculæ prole, & omni insuper præter unicam filiam sobole, nomine Thora, destitueretur, consignatis tabulis, filiis fratris sui testamento legaret.* Simul *pro amicorum suorum, propinqvorumque incolumitate & emolumentis procurandis seria intercessione precatus est.* Palam deinde testatus: *si vel maximè mortis periculum eluctatus sanitati restitueretur, se tamen Regno ad Christianæ sectæ confessores excessurum, delictorumque veniam vitæ emendatione, piisque pænitentiæ lachrimis, a Deo exoraturum.* In primis vita impiè acta studiumqve purioris dogmatis propagandi alacritèr cæptum, sed turpiter omissum, pupugit, dissidiaqve & bella cum fratris sui filiis acerbè exercita gestaqve angebant. Nec id imeritò, cum ereptum patri eorum Regnum, idqve injuriâ duorum insuper filiorum cæde cumulatâ tantisper detinuerit. Itaqvè directis ad eos nunciis, tabulas testamenti, qvibus hæredes scripti sunt, statim perferri jussit. Fagurskinna solum Haraldum hæredem institutum refert. *Qvod si*, adjicit, *hic me mori contingat, sepelite me ut vobis videtur.* Offerentibus deinde amicis se ad corpus ejus in Angliam transportandum, ut ibi Christiano ritu conderetur; *minimè*, respondit. *Eô enim indignus sum; ut ethnicus vixi, ut ethnicus itaqve sepeliar.* Isto ultimo pœnitentiæ argumento piis ad Deum suspiriis vitam clausit. Eadem petra, qvæ nascentem exceperat, morientem recepit; qvæ in hunc usqve diem partum tam memorabili, eoqve geminato, casu nomen tenacitèr conservat.

Tum vero non circumstantium modò ploratus & lamenta præsentem comitatum, sed nuncii etiam præproperi fati viciniam, mox repens fama totam qvaqva versum gentem, non amicos modò, sed etiam inimicos, illos desiderio, hos etiam admiratione ejus accensos, ad lachrymas & largiores fletus concitabat. Omnibus velut uno ore clamantibus, *ostensum in illo, non boni tantum Regis, sed boni etiam viri, exemplar, Invidia Deorum ereptum, qvo desiderium ejus majus, & amissi pretium acceptumqve damnum conspectius foret: cui parem gens Norica nec habuerit unqvam, nec in posterum habitura videatur, qvem oportuerit, aut nunqvam nasci, aut nunquam mori.* Isto tam præclaro omnium judicio concitatior, ad funebrem ei pompam parandam, exqvisitâ diligentiâ magno undiqve concursu ex singulis curiis domibusqve freqvens civium turba proruens, in oppido borealis Hordiæ Sæheimo, ad sinum Lygrensem, ut habet *Fagurskinna*, convenit; excitatoqve, suo more, magnifico tumulo

tumulo, corpus ejus vestium suarum pretiosissimâ indutum, cum universa armatura, nullâ adjecta pecuniâ, nullo cimelio, inferunt. Idqve, uti colligo, magis ex ipsius mandato, tantillum Christiani ritus fortè deposcentis, qvo & cineribus suis a posterorum avaritia consultiùs provisum foret, qvàm amicorum parsimoniâ: qvi nullo observantiæ studio omisso, qvicqvid ad nominis ejus famam, laudes, gloriamqve propagandam, latiusqve ad posteros spargendam, facere existimabant, avidè congerebant. Nam funebri oratione ritè laudatum, solenni formulâ in Valhallam ablegârunt. Nimirum ad Odini, inferorum præstitis, seu Plutonis, aulam, ubi Divorum ministerio excipiendus, inqve eorum consortium commilitiumqve, contra fatalem iis hostem Fenris-Ulfum, seu *Lupum Fenrensem*, recipiendus, omni delitiarum genere, ad extremum usqve diem, qvo universi compages solvetur, perpetuâqve & inexhaustâ voluptate perfrui debebat. Utqve nullo unqvam tempore gloriosa ejus memoria interiret, Eyvindus Skaldaspiller cognatus ejus epicedium ad imitationem carminis, qvod Gunnhildis marito Blodoxio fieri curavit, palam decantato, artificiosè perseqvitur: qvomodo in aula Valica magnificè post mortem exceptus diverterit (cujus bona pars, veriùs integrum, utriusqve Chronici manuscripti exemplari continetur.) Haconar mal / seu *Oda Hàconiana*, appellatur. Ubi Hacon fratrum suorum nonus cruentâ morte consortium Deorum meruisse dicitur; cum octo ante eum prælio cæsi immortalium collegio inserti, jam veniente gratulentur. Magna pars carminis ab optimo *Thoma Bartholino*, *Antiqvitatum Danicarum Lib*: *II. Cap*: *XI*, verbo tenus explicata extat.

Viginti sex annos Hacon regnâsse traditur, alii annum demunt, utriqve computatione facta ab anno, qvo Eiricus Regno excessit, de qvo tamen nihil, qvippe Synchronismis ab exoticis scriptoribus erutis, destituti, pro certo affirmare possumus. Secundum nostrorum asserta, incidunt hæc in annum Christi CMLX vel LXI.

CAP. XIII.

DE DUOBUS ISLANDIS, QVI ISTO BELLO INTERFUERUNT, ALIISQVE, QVI HORUM NOTITIAM AD ISLANDOS TRANSTULISSE VIDENTUR, UTET SAXONIS HALLUCINATIONE.

DUo Islandi, Regias partes secuti, huic bello interfuisse memorantur. Thorgeir nimirum, ab adverso vulnere genæ illo prælio impacto Hogginkinne / id est, Scissa Gena, Hafnar-Ormi, seu Ormi Portuensis, viri inter primos insulæ illius aborigines, Stafangriâ profecti, priusqve memorati, filius. Alter Finnus Bardi filius, ejus, qvi ex Halogia migrans, sedem ibi fixit; cujus pater nobilis ille Sogniæ Baro, Biornus de Heiangria. Et hic qvidem eodem prælio corium bubulum perforatum loricæ loco induit. Per hos totius prælii series certaqve gestorum notitia in Islandiam delata videtur, unà cum Eyvindi carmine exeqviali, aliisqve rhytmis in rei testimonium citatis. Fuisse qvidem videntur plures istius gentis homines, si non in aulâ Regis, passim tamen vel per Norvegiam sparsi, vel etiam Regi noti. Inter eos, qvi satellitum jura digni-

dignitatemqve consecuti sunt, memoratur vir genere præclaro ortus, Hosculdus Dala-Kolli filius, Thorsteini Rufi Scotiæ Regis ex filia nepos, qvi Regem in Brenneyis (qvò tertio qvovis anno ad comitia Regniqve statum ordinandum concedere solebat) fortè commorantem accessit, increpatus a Rege, qvòd non prius adiisset. Sub discessum tanta lignorum copia ad ædes exstruendas donatus est, qvantam una navis capere poterat: armillâ etiam aureâ, qvam Rex suo ipsius brachio detraxerat, selibræ pondere, gladio etiam selibræ auri pretio, satellitisqve purpurati, tradente *Laxdæla*, honore ornatus. Abeuntem more seculi ipse Rex ad navem prosecutus est, manseruntqve in familia longo deinceps tempore Regia dona.

Eo ipso tempore locoqve Hosculdus Melcorcam Myrkiartanis Hiberniæ Regis filiam, raptam a pyratis, inq; servilem statum redactam, mutum se simulantem, ipse, cujas qvalisve esset, inscius, servæ loco freqventibus nundinis mercatus est. Ex qva filium genuit Olafum Pa/ seu *Pavonem*, â formæ elegantia sic dictum, de qvo ad calcem vitæ Haraldi Grafeldi plura.

Ex his talibus aliisqve, qvi, etiam regnante Hacone, sedes in Islandiam transtulerunt, mox etiam memorandis, certior de gestis Regis cognitio ad Islandos pervenire poterat, qvàm Saxo conqvisivit. Cui sicut aliqvid de eo constitisse apparet, ita qvoqve planum est, magnam ejus partem vel fictam, vel confusam, ad ejus aures pervenisse. Itaqve ut in iis, qvæ ei magis liqvere poterant, qvàm nostris, fidem ei neqvaqvam derogamus, ita nostros in iis præferimus, qvæ ipsi meliùs nosse & omnino non ignorare poterant, ejus itaqve narrationem paulisper perpendendam paucis exponam. Tradit enim: *Haraldum Cærulidentem Daniæ Regem, natum ex Thyra Edelradi Angliæ Regis filia, ab avo materno Angliæ hæredem testamento scriptum, præterito proprio filio Adalsteino. Eum vero, rescisso inofficioso testamento, regnum vindicâsse. Cæterùm gravi bello a Rege Norvegiæ (qvi præter Pulchricomum alius esse non poterat) impetitum, cum eo transegisse, ut filio ejus Hacone admodum tenero educationis officia præstaret, eiqve Regnum testamento legaret, atqve ea ratione adjunxisse sibi Noricas vires, ut eas Regnum repetenti Haraldo Cærulidenti opponeret. Haraldo autem Haconem in Norvegia prius bello aggredi satius visum, qvàm arma in Angliam transferret, ut illo debellato, faciliùs destinata exeqveretur. Verum maturanti talia, occurrisse Haraldum Gunnhildis filium, adversus Haconem auxilia petentem, pollicentemqve se tributa daturum, si possessionem Norvegiæ ipsius operâ acqvireret. Donatum sexaginta navium classe, receptis Hevindo atqve Karlhofto pugnæ adjutoribus, navigationem remensum, non suppetente navalis pugnæ copia, terrestrem exercuisse.* De Eyvindo & Karlhofto, qvi nostris Aschmannus est, haud dissimilia iis, qvæ tradidimus, narrat: *Illum scilicet Regis, hunc Thorolfi, gladio occubuisse.* Deinde ea, qvæ descripsimus de morte Regis, subjungit. Haud levis momenti res est, de qva agitur, qvam omnino scire expedit, fundamentum scilicet juris Danorum, tum in Norvegiam, tum etiam Angliam. Ista enim qvæstio non atramento, sed multo mortalium sangvine longo deinceps tempore disceptata, orbem septentrionalem ingentibus periculis cladibusqve involvit, milleqve damnis & molestiis affecit. Qvod ad Angliam attinet, constat primùm, Adalsteinum Edelredi Regis filium non fuisse, sed Eadvardi, qvi imperare cæpit anno salutis CMI. decessit CMXXIV. Atqve is præter Adalsteinum tres alios reliqvit, qvorum duo

duo post Adalsteinum regnârunt ', ut absurdum videatur, omnibus præteritis, nepotem ex filia hæredem scripsisse. Ut taceam, an id ei per leges facere licuerit, certè Ordines Regni repugnaturos credam. Nec magis veritati litat, Adalsteino permissum, duobus fratribus vivis exclusis, alienigenam sibi successorem adoptâsse, aut si id præsens necessitas omnino exigebat, Regem Norvegiæ talibus promissis fidem habuisse; vel si fortè contractus intercessit, diutius tamen rutum futurum existimâsse, qvàm eadem necessitas, qvæ eum expresserat, duraret, eòqve amentiæ processisse, ut qvi idoneo pignore, obsidibusqve sibi cavisse debuit, filium oppignerâsse, obsidemqve dedisse. Non igitur statuendum, controversiam de Regni Norvegici jure, inter Daniæ Reges & Haraldi Pulchricomi stirpem, inde ortam, qvod Rex Norvegiæ jus hæreditatis in Angliam Danis unqvam præripere tentâsset. Dissidii causam prædones Danici primi præbuerunt; qvam nimis severa Haconis vindicta auxit, auxilia Gunnhildidis præstita sustentârunt, præmia belli, promissa tributa, non ultra triennium reddita, ut *Saxo* habet, denuo fortè resuscitârunt: donec totius Regni possessione repensa sunt. Tum demum funesta de Regno contentio nata est. De iis proinde in seqventibus prolixius agendum.

CAP. XIV.

HACONIS ELOGIUM.

PRimus Hacon omnium Norvegiæ Regum Christianam Religionem coluit, ejusqve cultum aliis persvadere tentavit. Naturæ fortunæqve bonis nemo ei id ætatis, vel proximis annis, in illa gente præstantior habebatur, animo hilaris, alloqvio blandus & affabilis, accessu facilis, comis & mansvetus: idem Dux bello egregius, milesqve strenuus, magnâ etiam sapientia jurisqve peritiâ: staturæ formæqve Majestate patri per omnia similis; robore corporis, qvod nemo præter solum Thorolfum Skolmium, qvem Islandum fuisse Ormi Storolfi filii vita persvadet, æqvaret. Indulgentior qvàm temporibus conduceret, vel cives ferre possint, credulus etiam, & insidiantium laqveis oportunus, unde artibus Comitis Sigurdi minus circumspectis, impunè se circumagi passus est. Is enim plebem per reformationis occasionem nunc concitabat, nunc demulcebat, adqve arbitrium suum versans, ab utraqve parte gratiam, hinc conservatæ & liberatæ libertatis publicæ, hinc incolumitatis Regiæ, imperiiq; conservati captabat, umbrâ saltem cum nomine, nec aliter qvam beneficii specie, Regi relictâ, vim & authoritatem maximam ad se trahebat. Commendabilis præterea a pietate in Deum cultusqve religiosi, sed privati, constantia, bonoqve in eo, in publico propagando proposito, maxime vero a seria circa suprema pænitentia, consilioqve præteritæ vitæ errores assiduo numinis cultu corrigendi, devotisqve precibus & morum emendatione, eorum veniam impetrandi, divinamqve gratiam conciliandi.

CAP. XV.

DE COLONIA NORDMÆRENSI HACONE REGNANTE IN ISLANDIAM MIGRANTE.

UNicam tantùm coloniam Haconis tempore Nordmæriâ in Islandiam translatam scriptis proditum est, duce familiæ Thorbiorno, cognomento Sure/seu *Acido*, qvi ê prædio Svinadali Stockis, occupata insula in sinus occidentalis qvadrantis partem australem delatus, ostiumqve Haukadals-Os ingressus, prædium in australi littore, Sæbol dictum, in valle Haukadalo coëmit, ibiqve habitavit. Cujus filius Gislius, novis ædibus proprio labore exstructis, id postea auxit & ornavit. Occasionem migrationis altiùs repetam. Pater Thorbiorni Thorkell Skeraukius (aliis Siraukius) satrapa tractus Svinadalensis, ex Isgerde uxore tres filios habuit; Arium, Thorbiornum, de qvo agitur, & Gislium. Erat Ario uxor, nomine Ingibiorg, viri primarii Isii, sinus Nordmæriæ Fibulii accolæ, filia; qvam athleta qvidam Biornus, cognomento Hirius, viribus & felicium scelerum successu ferox, Berserkii generis, a marito sibi dari postulavit, recusantemqve, moribus, etiam legum authoritate firmatis, ut fortioribus omnia paterent, ad singulare certamen in insula parva Svinadali, Stockaholmo dicta, post triduum provocavit. Arius dedecori tum suo, tum uxoris contumeliæ, certamen, qvantumvis arduum, & adversus vim majorem, prætulit, honestamqve mortem victus oppetivit. Cum igitur belli, tanqvam justi, jure Biornus uxorem agrosqve ejus & possessiones suas fecisse videretur, Gislius Arii frater, cui alias ultio incumbebat, præsentis ignominiæ impatiens, vitæ suæ periculo, &, si ita res ferret, impendio, injuriam a fratria propulsandam ratus, congredi cum eo decrevit. Læta hac leviri pietate Ingibiorg; *Haud ideò*, ait, *Ario elocata sum, qvòd nollem te potius maritum mihi obtigisse. Est mihi servus, nomine Kolus, domo paternâ mecum domo profectus, qvi gladium possidet, Grasidam dictum, gestanti semper victoriosum, eum ut tibi commodet, effice.* Ægrè servus, tanti tamen discriminis respectu causæqve necessitate motus, tandem commodavit, magno Gislii commodo, eo enim certamine Biornum occidit, elatusqve victoria a vicinis gratias laudemqve meruit, lætitia exultantibus: *esse sibi civem, ad qvem rebus dubiis & adversus inopinatas injurias tutum perfugium receptusque esset.* Jamqvè fratriam Ingibiorgem uxorem sibi deposcebat, ne mulier egregia in alienam familiam transiret, facileqve obtinuit, jam pridem votis sibi eum maritum deligentem. Atqve ita Gislius fratri in universa bona successit. Accessit ad has divitias hæreditas paterna.

Hoc eodem tempore, morte ejus ad eum delata, auctus tam repentino opum proventu, & inter provinciales authoritate ad cumulum gloriæ, omnes Biorni adjutores occidi curavit. Ad ultimum â servo cõmodatum ensem repetente, cum restituere nollet, nec is pretio oblato vendere sustineret, restitutionem impensiùs exigente, magno vulnere fauciatus, postqvam strictum ensem tantâ vi in ejus caput vicissim adegisset, ut calvaria gladiusq; paritèr frangerentur, una cum illo mutua cæde occubuit. Tanti ingrati animi crimen, avaritia, & iniqvitas, steterunt! Appa-

ret

ret hinc, qvod alias passim, potiorem servorum septentrionalium, qvàm aliarum gentium, conditionem, Tacito qvoqve profitente, fuisse. Ad Thorbiornum hæreditas universa paternâ fratrumqve morte pervenit, qvi & paternum prædium Stockas incoluit, ducta uxore Thora, Raudi Fridareyensis incolæ filia, cui frater Stirkar ejusdem insulæ post mortem patris incola, liberi ex illa nati; filia Thordis, natu maxima, Thorkell filiorum maximus, Gislius, & Arius, natu minimus, qvi etiam omnes in vicinia juvenes præstabant. Duo majores domi, Arius apud avunculum Stirkarem educatus est.

Erat juvenis, nomine Bardus, qvi nuper paternam hæreditatem creverat, inter Svinadalenses incolas, inhabitavitqve prædium Granastein. Ei cum Thordise magna conversatio, sed suspectior, qvàm intra honestatem, id qvod patrem Thorbiornum Gisliumqve malè habuit, adeo, ut pater minimè dissimularet: *haud gratuitam Bardo, si perseveraret, futuram, modo Arius fratrum minimus domi esset.* Qveîs cognitis Bardus, *insuper se puerorum minas habiturum, consvetoqve more Thordisem accessurum*, ferocitèr respondit. Thorkell autem fratrum maximus, longè aliter ac pater fraterqve in Bardum animatus, ejus amicitiam coluit. Fortè cum simul Granastein peterent, Gislius medio itinere Bardo lethale vulnus inflixit, ad qvod cum Thorkell majorem in modum excandesceret, eumqve increparet, Gislius mitigaturus oravit, *ne tanti cædem illam, nec sine causa perpetratam, faceret; se gladios cum eo permutaturum.* Jussitqve acutissimum eligere; qvi spreto officio, defervente irâ, funeri assidebat. Verum postqvam Gislius domum revertens, patri, qvæ gesta erant, nec ea qvidem ingrata, exposuisset, adeo ira recruduit, ut non solùm mutationem armorum abnueret, sed etiam domo excedens, ad cognatum Bardi Skeggium, â crebris provocationibus Provocatorem dictum, in insulam, ubi habitabat, Saugsö dictam, concederet, eumqve ad ultionem Bardi, sororisqve suæ Thordisis nuptias expetendas stimularet. Itaqve Skeggius, assumptis viginti comitibus, ad Thorbiornum profectus nuptias filiæ ejus petivit. Pater autem abnuebat. In causa visus est Kolbiornus qvidam juvenis, patrimonio nuper auctus, prædium Hellas in valle Surnadalo (hodie Surdal) inhabitans, qvòd Thordisem amare crederetur. Eum igitur Skeggius accedens ad certamen deposcebat. Is *conditionem se accepturum* respondit, *neqve enim se nuptiis Thordisis dignum, si conflictum extimesceret.* Triduo elapso, Gislius ad Kolbiornum profectus, qvæsivit, *an dimicaturus esset? Nuptiisne Thordisis victoriæ præmio?* respondit. Negante Gislio, negabat etiam *se nullo suo commodo periclitaturum.* Offensus Gislius, *placere ut deserti vadimonii probrum dedecusqve sibi haberet; se illius exsortem cum duodecim comitibus in insulam Saugsöem profecturum*, respondit; illicoqve profectus est. Ibi Skeggius cum viginti duorum armatorum comitatu adversarium opperiebatur, præstitutoqve tempore in campum duello destinatum processit, circuloqve loco pugnæ circumscripto, legibus etiam monomachiæ recitatis, ubi neqve adversarium, nec vicarium vidit, fabro suo Refo mandavit, ut statuas duas effigie eorum formaret, unam Kolbiorni, alteram Gislii, perenni ludibrio ita collocandas, ut alter post alterius terga ponè erectum contum latitaret. His Gislius in sylva, ubi se occultavit, auditis, *utiliorem operam fabro injungi posse* respondit, *se enim præsentem adesse, certamen haud subterfugiturum.* Gunnlogii nomine ensis Skeggii insignitus est. Qvô cum prior ictum inferret, magnus continuo stridor latè personabat: qvo audito, gloriabundus hemistichion

Skeggius fudit, hoc ſenſu. *Stridet Gunnlogius*, *Saugsö* (inſula) *lætatur*. Gislius vice ad ſe delatâ, haſtâ ad cædendum etiam habili (haugſpiot vocant) uſus, extremitate clypei præciſâ, pede ſimul adverſarium truncat, aliudqve hemiſtichion ſubjecit, hoc ſenſu: *præſultabat haſta, feriebam Skeggium*. Skeggius multam victori ex lege debitam ſolvit, ligneoqve pede deinceps ſemper uſus eſt. Tum vero Thorkell gratulatus victoriam fratri, domum eum comitatus, intentiu|deinde amavit. Adeo etiam inter fratres fortuna, qvarn ſangvis amicitiam interdum conciliat.

Erant Skeggio filii Einar & Arnius, qvi prædium Flidruneſiam, Thrandiæ boream verſus adjacens, incolebant, impatientes paterni damni, vulneris & dedecoris. Hi ſeqvente vere, collecto hominum manipulo, in Svinadalum (fortè Surnadalum) ad Kolbiornum profecti, *ni ſecum ad incendendum Thorbiornum, domum, familiamqve proficiſceretur, occiſurum minatur*. Qvo ſocietatem facinoris præſenti morte præferente, ſexaginta viris inſtructi, Stockas omnibus improviſi perveniunt, domum incendunt, familiâ omni alto ſomno indulgente. Profuit Thorbiorno, qvod in domuncula, â cæteris ædibus diſcreta, cum liberis omnibus dormiret: ubi vaſa duo ingentia, ſero lactis plena, ſtabant; qvibus coria caprina villoſa recentia immerſa ignibus objecerunt, haud nullo profectu. Arcebant enim vim incendii, terq; extinxerant, donec effracto pariete, ipſe ſuorum decimus occultè erupit, fumumqve ſecutus, in montem proximum evaſit; duodecim intra ardentia tecta conſumptis. Omnes autem periiſſe hoſtes exiſtimabant. Thorbiornus cum ſuis ad inſulam Fridareyam, ad uxoris fratrem Styrkarem pervenit; ibiqve qvadraginta viris comparatis, ad Kolbiornum ſimul proficiſcuntur, qvem pariter improviſum, cum duodecim domeſticis exurunt, prædiaqve ſua navibus permutant, iisq; qvicqvid avehi poterat, imponunt. Ad inſulas Æſundas cum appuliſſent, naves in portu collocant, duabusqve ſcaphis qvadraginta ſimul in auſtrum ad prædium Flidruneſiam tendunt, cognitoqve, qvòd Skeggii filii cum novem comitibus ad canones annuos ex prædiis colligendos profecti eſſent, in eos ſubitò movent, ſimul omnes occidunt. Tres Gislius, duos Thorkell trucidavit. Ad domum deinde eorum reverſi univerſam diripiunt, caputqve Skeggio, qvi jam ad filios migraverat, enſe demetunt. His peractis, relictâ Norvegiâ, vaſto ſe oceano committentes, ſexaginta integros dies in navigationem inſumunt, donec in Islandiam, ut dictum eſt, pervenirent. Thorbiorni filia Thordis ibi elocata eſt claris natalibus viro Thorgrimo Freyis Flamini, Thorſteini Thorskabiti filio ex uxore Thora, Olafi Feilani filia, Thorſteini Rufi Scotiæ Regis nepte. Thorſteini Thorskabiti pater fuit Thorolfus Moſtrobarbus, hujus Thorgrimi avus. Atq; ita Thorgrimo & Thordiſe natus eſt Snorrius ille curio Helgafellenſis, in antiqvitatibus celeberrimus, â qvo deinde magna in Norvegia familia orta eſt. Hoc modo una provinciæ Mærenſis familia ſeqvioribus temporibus in Islandiam translata eſt.

HIST:

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS SECUNDÆ

LIBER SEXTUS,

DE HARALDI GRAFELDI ET GUNNHILDIDARUM GESTIS.

CAP. I.

DE SUCCESSIONE IN REGNUM, SVCCESSIONIS JURE LEGIBUS LIMITATO INTER BLODOXII SOBOLEM CÆTEROSQVE PROVINCIARUM REGES, AULICORUM DISSIDIIS, ET EYVINDI SKALDASPILLERIS IN PRIOREM DOMINUM FIDE ET CARITATE, INVICTA CONSTANTIA, ET CONSEQVENTE PERICULO.

HAconem cum morte conflictantem nuncium cum tabulis teſtamenti ad fratris filios direxiſſe ſuperius retuli. Qvo accepto, læti, *tot labores, damna, cladesqve, tandem Regni poſſeſſione rependi, patruiqve animum, qvocunqve eventu, ad neceſſitudinis jura, omni depoſita hoſtilitate, converſum, quod antea eripuit, tantaque pervicacia tenuit & propugnavit, jam ultrò offerre*, & ipsi ab odiis inimicitiisqve diſcedentes, oblatam inexpectatam gratiam avidè arripuerunt. Cominus igitur cum eo congredi, novasqve amicitias ſanctiori fædere colloqvioqve firmare cupientes, ſine mora ad illum, qvanta poterant feſtinatione, profecti, illius citatiore fato præveniebantur. Erant autem tunc ſuperſtites Haraldus, Ragnfrodus, Erlingus, (*Codici Flateyenſi* Erlendus) Gudriodus, & Sigurdus, cognomento Slefa ſeu *Coluber*. Horum ſinguli, licet Regium nomen aſſumerent, communiterqve in Regnum ſummumqve jus imperii, qvod pater Blodoxius jure hæreditario obtinuit, anteceſſorqve Hacon civium voluntate uſurpabat, ſucceſſerint; tamen qvòd ætate, aviqve Pulchricomi mandato, Haconis etiam

etiam ultimi poſſeſſoris teſtamento, qvod diſpenſationi primi poſſeſſoris Pulchricomi ſuffragabatur, fulciretur; HARALDUS, id nominis Secundus, reliqvorum fratrum Princeps, totius Regni Norici Rex, etſi non Monarcha, ſalutatus, ad imperii habenas dirigendas admotus eſt. Forma autem imperii talis erat, ut ſummum jus penes ſtirpem Blodoxii eſſet, non tamen abſolutum, ſed legibus ita limitatum, ut jura ſua provincialibus Regibus ſarta tecta in ſubditos ſuos manerent: tantùm ut dimidium tributorum Blodoxii ſoboli in perpetuum penderent, in recognitionem imperii ſuperioris. Hæc illi, ſicut cæterarum provinciarum reditus, inter ſe dividebant, ordinis ſui principe Haraldo ætatis privilegio, jura Majeſtatis exercente. Cuncta tamen conſiliis matris Gunnhildis, qvæ exinde Kongamodir/ ſeu *Regum Genetrix*, uſurpabatur, gerebantur. Reliqvi Principes, licet Regio titulo clari, ditionumqve amplitudine potentes eſſent, horum tamen ſingulis dignitate inferiores erant, nec palam ſe iis poſt Haconis mortem opponere, aut de ſucceſſione in ſuprema Regni jura litem movere auſi ſunt, ſive Tryggvius Vichæ, ſive Gudriodus Veſtfoldiæ, Reguli, ſive etiam Comes Thrandiæ Sigurdus. Fuerunt & plures Uplandarum Reges ab Haraldo Pulchricomo prognati.

Et primam qvidem hyemem in media regione domicilii ſedem Gunnhildidæ habuerunt, qvòd intutum videretur, vel in Vichenſi, vel Thrandenſi, diſtrictu habitationi locum deligere, provinciis Regi Haconi nuper devinctiſſimis, potentiorumqve civium habitaculis valdè freqventibus. Qvo vero Regis Haconis ultimæ voluntati ſatisfieret, omnes ejus ſatellites aulicosqve miniſtros in famulitium ſuum aſciverunt, ſopitisqve odiis, in gratiam receptos ſuo ſatellitio miſcuerunt, ſine tamen æqvabili temperamento. Neqve enim facilè in unam ſocietatem coiverunt ingenia, tot mutuarum cladium cædiumqve irritamentis olim nuperqve exacerbata. Haconianis memoriam amiſſi Regis, tam clementis, tam profuſa liberalitate indulgentiaqve ſtudia laboresqve ſuos & pericula compenſantis, maximo cum deſiderio recolentibus, ſimul & indignantibus; *Se ſemper victores, tam repentinâ ſortis mutatione ad obſequium hoſtibus & Regis ſui interfectoribus, toties victis, ejus pariter ac propinquorum ſuorum, amicorumque ſangvine conſperſis, præſtandum, adactos, adque erubeſcendam conditionem devolutos.* Eiricianis ex adverſo ægrè ferentibus: *Infeſtos hoſtes, cladibus tantum ſuis nobilitatos, nullo merito, ſibi in gratia Regum præmiisque capeſſendis æquari. Illis, omnium rerum copiâ ubertateque intra patriam tot annorum ſpatio florentibus, opum honorumque poſſeſſionem continuari: ſe, qui illa ſibi præmia deſtinaverant, poſt diuturnum exilium, exactam in egeſtate præcipuam ætatis partem, præter gratuitas cicatrices nihil referentes, tantis emolumentis carere. Tantaque ſpe dejectis, inſultantes inſuper hoſtes, intque ſinu gaudentes, ſibique invicem tacite congratulantes, quoties vel cicatrices ſuas oculis ſpectarent, vel amicorum cædes fædæque fugæ veſtigia animo recolerent, tanquam ad nova ludibria, fratrum amicorumque loco colendos, novos convictores, ſociosque & commilitones obtigiſſe.*

Dum ſic ſuorum qvisqve Principum geſta laudibus extollunt, & comparatione Haconis Gunnhildidarumqve factâ, pro cujusqve gloria afferenda contenditur, damnorum & hoſtilium actionum mentio ultro citroqve, non ſine mutua exulceratione, inſtituta, inſuper fuſus â pöeta magnæ exiſtimationis Glumo Geirino verſus in laudem Eiricianorum cædem Haconis transferens, immane qvantum ſatellites Haconis offendit. Haraldo verò & cæteris fratribus ejus mirè gratus, qvòd vindicatam Gamlii mor-

mortem Haconis sangvine decantaret. Qvi ut primùm ad aures Eyvindi, Finnii filii, Skaldaspilleris dicti, pervenit, statim aliud pöema reposuit, qvo fortitudinem Haconis, victoriis de Gunnhildidis toties reportatis cædeqve Gamlii illustratam, laudibus extulit. Qvod ut Haraldo innotuit, (erat enim valde decantatum) admodum iratus respondit: *adhuc Haconis amore desiderioque tenemini*; *eum itaque accedite, ministeriaque exhibite*. Eyvindumqve capitis damnavit. Isto metu perculsi amici illius, viri præclari, deprecatoribus, qvi & Regibus familiares, & in Eyvindum benevoli erant, usi, Regem mitigant, culpam eodem, qvô comissa erat, modô expiandam dictitantes, imperantqve Eyvindo, ut alio poemate Regem celebrando prioris memoriam deleret, noxamqve purgaret. Alio igitur carmine, nec præmeditato, facto, ne tum Regi qvidem satisfecisse perhibetur, *quod ex parte, sed nimis parcè, laudâsset*. Glumum vero Geirinum subjecisse, *& nimis quidem parcè, si omni laude abstentum esset*. Tum vero Rex respondisse dicitur, *nunquam, quoad viveret, virum illum sibi fidelem futurum*, Glumus autem Eyvindum adhortatus, *ut alium adhuc versum in laudes Regis concinnaret*, eò adduxisse fertur, ut illum, qvi Chronicis ultimus ab eo in honorem illius factus memoratur, componeret, sensu, qvo contestatus est; *unum se prius, & hunc alterum, dominum habuisse, fidem verò semper illibatam servasse: jam vero, ingravescente senio, tertium non desiderare*. Inde exiguum tempus in aula trivisse dicitur, dimissionem petivisse impetrâsseqve, deinde domum rediisse, ibiqve longo tempore habitâsse, multosqve eorum, qvi Haconi prius famulati sunt, illius exemplum imitatos. Qvæ qvidem singula *Chronica*, perinde ut *Fagurskinna*, qvam hic seqvimur, ita referunt, sed multo posterius. Hoc vero tempore, de qvo sermo est, receptum in gratiam, veniam eâ lege impetrasse; *ut idem quod Haconi prius ministerium, Haraldoq; deinceps, præstaret, poetaq; Regius res ejus & acta rhythmis proderet*. Propinqva enim sangvinis necessitudo intercesserat, lineâ inæqvali, in certos gradus connexa. Versum autem qvem exposui, Chronica ultimum fuisse, qvo Haraldum affatus est, asseverant, cùm multam pecuniariam pænæ loco ei irrogasset, ut deinceps dicetur; qvod etiam vero propius est, qvamvis utrobiqve locum habere & consistere poterit, salvo historiæ contextu, cum utriqve materiæ, sed non pariter, conveniat: qvòd multa illa non in primos Haraldi annos, sed posteriores, qvadret, id qvod postea exponetur.

CAP. II.

DE GUNNHILDIDARUM PACIFICATIONE CUM PROVINCIALIBUS REGIBUS ET COMITE HLADENSI SIGURDO, MATRISQVE GUNNDILDIS INSIDIOSA ORATIONE.

PRima hyeme per legatos pacem fœderaqve, cum patruelibus suis Vichæ & Vestfoldiæ Regibus, Tryggvio & Gudriodo, iis conditionibus composuerunt, qvas Hacon prius secundum avi Pulchricomi constitutionem admiserat. Qvòd verò Comiti Sigurdo, tributa omnia & obseqvia detrectanti, compescendo impares sibi, viribus imperii non satis firmatis,

tis, viderentur, iisdem conditionibus præfecturam Thrandiæ, qvibus sub Hacone eam rexerat, ejus imperio & jurisdictioni fiduciario jure subjicere in præsens placuit. Fides in hoc ultro citroqve data & accepta, & jurejurando ad securitatis opinionem instillandam oportunè firmata. Jamqve universa de Regno controversia mutuo sanctissimi fœderis nexu composita videbatur: cum mater Gunnhildis hinc circumveniendi Comitis occasionem nacta, filios, qvi interdum communem aulam freqventârunt, interdum seorsim, Regiâ tamen pompâ subditisqve, gravi magnificentia, familiam qvisqve suam aluerunt, in qvodam conventu his verbis ad crudele facinus stimulare aggrdssa est. *Quousque tandem amplissimam Regni nostri provinciam Thrandiam, tanquam vilem pagum, contemptam & derelictam, aliorum libidini usurpandam permittitis? ipsi mediæ tantùm regionis limitibus circumscripti. Exiguum censum, vix unius domo sustentandæ capacem, multipartitò carpitis, Regios tamen titulos jure â majoribus accepto, haud immeritò vindicantes. Vikense territorium Tryggvius & Gudriodus possident, nec id nullo jure; quippe ex progenie Regia Pulchriconi descendentes. Certè Sigurdus à Regio sanguine alienus familiæ tantum vestræ per affinitatem, præter Comitis dignitatem, eique connexam potestatem, nihil habet, quod ultra sibi vindicet. Hic tamen Regum Thrandensium solio occupato, in summa rerum omnium abundantia, per otium patrimonium vestrum pro arbitrio versat, & tanquam ex specula quadam necessitatum vestrarum spectator, simul vobis insidiatur & insultat. Absurdum videri potest, vos singulis annis externas gentes, unam post aliam, fœdis latrociniis infestare, earumque spoliis, cum evidentissimo fortunarum vitæque periculo, vos familiamque vestram sustentare: opimi autem districtus intra patriam & ante oculos jacentis qvietam possessionem Comiti concedere. Haud magni res momenti avo vestro visa est, unius Comitis cædes, qui omnes & singulos imperii Norici Reges, & quicquid in eo excelsum erat, aut sustulit, aut sibi subdidit, & quantum possidebant, in suam ditionem redegit, adq; finem vitæ, longæ senectæ terminum; liberè detinuit. Ergone*; respondit Haraldus, *Comes Sigurdus, perinde nobis atque vitulus aut hædus lanioni jugulum nullo negotio secandum præbebit? Avus quidem noster Pulchricomus cum Regnum hoc inter filios suos divideret, Halfdanis & Sigrodo tribus filiis, quos Reges fecerat, soli Thrandensi agro ad dignam tanto fastigio sustentationem satis provisum existimavit, nihilque ea in re erratum postea, licet haud magno suo decore, expertus est. Cum Halfdanus Niger sola virium suarum fiducia inflatus, ipsi totius Norici Regni robore succincto, impia arma opponere ausus est, persvasus, vel iisdem patris potentiam, si non opprimi, retundi tamen, vel si nec hoc, certè sustineri posse, nec vim illius ultra extimescendam. Qvanto Sigurdus Halfdano potentior? tanto certe nos avo nostro imbecilliores sumus. Comes enim Sigurdus trium istorum Regum patrimonium solus tenet, sine consorte, sine arbitrio, pro lubitu dirigit, nulli obnoxius, omnes dicto audientes & ad obseqvium paratos habet, nec consilio, nec consultatione, nec suffragiis indiget, omnium vices solus implet, imperat, non obsequitur, nec invitis, sed volentibus, potentissimæ familiæ magnæque clientelæ præsidio tutus & inexpugnabilis, Comitis titulo Rex. Nos verò provinciarum, quas vastissimus Vikensium sinus alluit, obsequio auxilioque defecti, vix jam Sigurdo pares, si vires cum illis conjunxerit, mox inferiores futuri. Quid ab eo expectabimus, si insidias sibi â nobis aut apertum bellum parari præsenserit? nonne universam Thrandiam ad arma concitatam, in nos subitò incitabit, occultisque & sibi familiaribus artibus, etiam civium nostrorum subditorumque obsequia â nobis alienata, in se suamque familiam,*

liam, tandem etiam vim omnem imperii, vertet? Neque enim, mater, demeministi, his artibus patrem nostrum ab eo, titulo patrui Haconis pridem subversum, Regnum exilio repente mutâsse: nec est quòd nobis aliam fortunam polliceamur, nedum ut tutam nobis mansionem in vicinia Thrandorum, arma nostra metuentium, speremus. Tum Gunnhildis; *rectè quidem, fili, periculum ingens a Comite Sigurdo prævidisti, si apertis armis se impeti sentiat. Alium igitur modum, eumque longè tutiorem, inveniemus. Haraldus namque & Erlingus in Mæria hoc autumno considebunt, quibus ego præsens ero. Ibi in singula momenta intenti, idoneam rei gerendæ occasionem observabimus.* Id consilium omnium suffragio probatum est.

CAP. III.

DE CÆDE COMITIS SIGURDI, BELLO INTER FILIUM EJUS HACONEM ET GUNNHILDIDAS, EJUSQVE COMPOSITIONE.

FUit Sigurdo Comiti frater, ut ætate, ita & existimatione, longè inferior, nec ullo dignitatis titulo conspicuus, nomine Griotgardus: qvi nihilominus piraticam qvotannis exercere solitus, haud contemnendum militum globum sibi circumdedit, qvē spoliis devictorum exspoliatorumqve rapinis sustentabat. Hunc gloriæ opumqve cupidine incensum cum Gunnhildidæ animadverterent, facilè colligebant: *præsenti statu haud diutius contentum fore, qvàm affulgeret idonea occasio ad par fraternæ dignitatis fastigium conscendendi.* Ideoqve rebus suis consiliisqve promovendis oportunum rati, legatos ê Nordmæria, qvò tum deventum erat, in Thrandiam mittendos decreverant, ad Comitem fratremqve ad se invitandos; qvi specie arctioris cum Comite amicitiæ, qvalis ei cum Hacone Rege antea fuerit, jungendæ, fæderumqve sanctiorum conditione oblata, verborum lenociniis, muneribusqve in sinceri animi testimonium utriqve fratrum missis, eum ad se allicerent. Comes legatis comiter exceptis, occupationes, qvibus distineretur, qvominus accederet, obtendit, blandisqve verbis honorificisqve donis ad Regem remissis, illecebras istas annosa vulpes elusit. Qvi ad Griotgardum deinde conversi, prolatis muneribus, Regio nomine eum invitant. Is, qvæ ad sui honorem facerent, ambitiosè captans, legatis honorificè dimissis, compariturum se promittit, &, ut constituerat, in Mæriam profectus, magnificè exceptus, summo honore ac dignitate cultus est: breviqve favor Regius eò crevit, ut secretioribus consiliis adhiberetur, nec majoris momenti negotia, nisi illo præsente consultoqve, in deliberationem venirent. Talibus delinimentis ut Griotgardi animum captum, inqve suas partes abstractum, animadverterunt, sortis suæ eum admonent: *istam namque, quam nascendi conditio æqualem ei cum Comite fecerit, totam penes fratem. Solum eum communem utrique dignitatem, communes proventus, debitum utrique pariter civium studium obseqviumque, in se vertisse, in filium deinde suum, eo præterito, post obitum translaturum, ni maturè præveniat. Suis itaque laqveis irretiendum, præsentemque occasionem avidè arripiendam: fore enim illi copiam in universam ejus sortem, honores, Comitatum;*

tatum; sed beneficio suo, iisdem, qvibus ille, conditionibus succedendi, si clandestinam operam in hoc tantum conferre velit, ut itinera egressusque illius omnes, locaque & tempora cuncta ac oportunas occasiones ad eum de improviso invadendum exploret, dein per fideles internuncios sibi notificet. Facilè æger avaritiâ & ambitione animus pollicitationibus præmiisqve in præsens, majorumqve spe in posterum, inescatus, in proditionem consensit, dataqve & accepta in scelus perfidiamqve fide, domum promissis muneribusqve gravior, sed prostituta pietate levior, rediit. Hic jam in dies fortunis fratris inhians, qvas vivo neqviret, per parricidium sublato potiturus, occasiones omnes captans, unam eodem autumno oportunam nactus est. Cum enim frater in Stioradalum, & inde in Öglam, ad convivia pro more, sed recentis amicitiæ cum Regibus initæ, denuoqve redintegratæ, fiduciâ infreqventiori, qvàm consvevit, dum Reges metueret, comitatu profectus esset. Nunciis igitur ad Reges extemplò missis, Griotgardus *hoc ipsum tempus, vel in posterum nullum, aut certè in longius expectandum, observandum* monuit. Haraldus igitur & Erlingus, nulla mora interjecta, eadem nocte qvatuor naves in id ipsum paratas militibus instruunt, inqve Thrandiam, stellarum micantium splendore usi, cursum dirigunt. Hos Griotgardus occurrens excipit, adqve negotium commodissimè peragendum instruit. Præcipite nocte ad prædium Öglam pervenitur, immissoqve incendio Sigurdus cum omni comitatu ædibusqve concrematur. Populosæ deinde viciniæ metu, ne, cognito facinore, concitatæ multitudinis impetu opprimerentur, eadem, qvâ venerunt, celeritate primo mane in Mæriam naves referunt. Hæc altero post excessum Regis Haconis anno gesta sunt, æræ Christianæ CMLXII. nobis CMLII.

Atqve ita Sigurdus incendio, occultaqve fraude Regum, fratrisqve sui, de cujus fide nunqvam dubitavit, occulti adversus Christianam religionem Odii, inqve Regem suum, qvi ei item maxime fidebat, concitati incendii pænas, justo Dei judicio tandem pependit. Hacon autem filius ejus in Thrandia id temporis moratus, annos natus viginti qvinqve, *Codici Flat.* tantum non viginti, veriùs qvindecim, ut patris cædem cognovit, illicò concitatis universis provinciæ incolis, atrocitate sceleris commotis, navibus, qvotqvot bello aptæ erant, undiqve, sed magna festinatione, conqvisitis, omnium ordinum consensu, propensisqve studiis & acclamationibus, Comitis titulo novo investituræ genere a tumultuante populo insignitus, exercitui præficitur. Qvo duce copiæ universæ navibus impositæ, ê Thrandia in Mæriam ad perseqvendos Gunnhildidas dum transportantur, cognoscunt eos metu sui in Raumsdalum & Sunn-Mæriam fuga se proripuisse. Inde per exploratores, qvid agitaretur utrinqve cognitum, trienniumqve (ultima parte hujus anni unà computata & qvinqvagesimi qvarti prima) mutua strage, variis bellis exactum. Hacone ditionem paternam liberrimo jure, nullo Regibus præstito obseqvio, nulla tributorum parte, cognatorum amicorumqve auxiliis propugnante. Tum demum utriusqve partis cives anxii, ac fortunas suas miserantes, tædioqve rerum adversarum, omnia bello interno & civili potiora ducentes, magnis qverelis suos qvisqve duces ad pacis consilia flexerunt; qvæ ea lege tandem coaluit, ut Haconi eadem regni portio, qvam pater olim obtinuerat, habenda & possidenda permitteretur. Regibus autem idem obseqvii tributiqve genus, qvod Haconi antecessori pater ejus, deferret. Addit *Thomas Skinna* exilio multatum Griotgardum cum

cum aliis, qvos Hacon ipse delegeret, qvos deinde ab eo cæsos tradit, sed falsò. Isto fædere amicitia sincerè rediisse visa est mutuaqve inter Gunnhildem & Haconem proximo inde triennio (primi ultimiqve anni partibus in summam deductis) fides, fuco licet interdum interrupta, duravit, tantoqve tempore pax & a civilibus turbis induciæ. Sigurdi Comitis fatum Eyvindus Skaldaspiller in oda *Haleya tal* dicta duobus versibus decantat. Einar autem Skalaglamus Islandus carmine vitam Haconis continente, *Vellekla* dicto, hæc, qvæ relata sunt, qvatuor versibus complexus est.

Exinde Haraldus cum reliqvis fratribus plerumqve in Hordia vel Rogia domicilium habuit; maximam tamen partem cum universo satellitio in Hardangria. Eò qvadam æstate navis Islandica mercibus referta, qvarum potissimæ stragulis Islandicis constabant, devenit. Credidit enim mercator merces ibi pluris qvàm alias venire, ob aulicorum freqventiam populiqve ad domum Regiam identidem confluentis concursum. Verum nullo emptore invento, opinione frustratus, Regem colloqvio familiari sibi notum accedens, de prævisо damno qveritur. Rex inspecturum se merces pollicitus, deinde ad navem lembo freqventi comitatu se vehi curavit, ibi, qva erat humanitate, (nulla enim superbiæ macula inqvinatus est, comem magis & facilem hilaremqve semper se exhibuit) inspectis mercibus, *num unum stragulum sibi dare velit*? negotiatorem rogat, qvi ne unum qvidem, sed plura etiam, modò accipere liberet, respondit; Rex igitur uno, coloris cineracei, vernaculè Grafeld/ accepto, se protinus induit. Mox singuli comitum suum qvisqve exemplo Regis se ornaturi coemerunt, paucisqve diebus omnia distracta ne dimidiæ emptorum turbæ suppetebant. Inde Grafeldus deinceps cognomine ex ridiculo rei gestæ eventu salutabatur. Qvod si ordo historiæ ad ordinem rei gestæ digestus est, Haraldus hoc cognomen memoratæ pacis tempore reportasse videtur. Ne autem lector miretur, qvomodo stragulum in usum vestis verterit, sciendum, textilium illud genus & vicem straguli de nocte, de die autem togæ præstitisse. Danica versio *pellem* perperàm reddit.

CAP. V.

DE NATIVITATE COMITIS EIRICI HACONIS FILII, FÆDERIBUS COMITIS HACONIS CUM REGIBUS GUDRIODO ET TRYGGVIO, REGUMQVE CÆDE.

Qvadam hyeme, qvâ ætatis Haconis annus decimus qvintus, teste *Fagrskinna*, currebat, æræ Christianæ CMLII, Comes Hacon in Uplandas ad convivium profectus ex ignobili fæmina virilis sexus prolem procreavit, qvæ cum aqva soleñi more aspergeretur, Eirici nomine nuncupabatur, qvem matre deinde deferente, pater alacriter acceptum educandum tradidit viro nobilissimo, amicoqve integerrimo, opibus ingentibus & authoritati pollenti Thorleifo, cognomento Sapienti, illius qvi Halfdano Nigro in legibus ferendis â consiliis fuerat, ê filia nepoti, in Medaldalo habitanti. Is est, qvi Haconi Regi in colligendis legibus Gulathingensibus adju-

torem ſe præbuit, vir celebris: qvæ res maxime Eirico puerulo incrementa egregiæ virtutis dedit. Qvi ut primùm adolevit, licet patri minus acceptus eſſet, animi tamen corporis viriumqve incrementis & formæ ſingulari decore polluit, indolisqve excelſæ manifeſta indicia protulit. Adultior ingenio viribusqve inſignis multa rei militaris facinora edidit, qvæ ſuis locis explicanda, haut exiguam nobis materiam præbent. Conceptus itaqve videtur Eiricus, ut dixi, vel ſub exitum anni CMLII vel initium ſeqventis, qvem & ei natalem fuiſſe minùs dubito. Anni CMLVIII vel potius LV, autumno in Uplandas Heidmarkiam usqve profectus Comes (*Tomas-Skinnæ* in reditu ê Dania) cum Tryggvio & Gudriodo Vikæ Regibus, & Gudbrando Dalorum dynaſta congreſſus eſt, cumqve multa ſecretò longo tempore invicem volutâſſent, familiari communis fæderis amicitia fideqve data acceptaqve conjuncti, ad ſuos qvisqve Lares receſſerunt. Magnam Gunnhildi filiisqve conventus ille ſuſpicionem initorum adverſus ſe fæderum conſiliorumqve præbuit, multaqve per hyemem animo volventes, qvo conjurationem in herba, ut dicitur, extingverent, ſub initium veris expeditionem pro more ſe, vel in Orientem, vel etiam Occidentem, ſuſcepturos proclamârunt: Omnibus deinde, qvæ ad eam neceſſaria erant, comparatis, poſtqvam ſingula navigia, navigationi accincta in ſtatione collocaſſent, vale tandem dicturi, proceres lauto convivio adhibent. Ibi omnibus vino incalescentibus, varia ſermonibus agitata. Inter alia procerum comparatio, mox etiam Regum inter ſe, inſtituta. Inter cætera qvidam Haraldi Regis immodicus æſtimator, eum omnibus & ſingulis fratribus, non per partes, ſed in univerſum, præferre, ſingulas ejus virtutes enumerare, laudibus evehere, multorum etiam aſſentatorum conſenſu ebuccinare, ſupraqve reliqvos fratres extollere. Ad hæc Gudriodus ringi; *iniqvis auribus fratrem ſibi præferri audire, ſeqve illi aliàs, ut videri voluit. nulla ex parte minorem poſtponi, nihilo tamen minus in ullo ei negotio ceſſurum, idque re ipſa demonſtraturum*, regeſſit. Hinc inter ipſos fratres contentio orta, ad arma utrosqve ſingulareqve certamen provocâſſet, ni proceres, qvi mentium compotes mero temperabant, arma jam capientibus, medios ſe interpoſuiſſent, inqve ipſo iræ furore ab invicem dirémiſſent, ſpe tamen ſociæ expeditionis ulteriore penitus abſciſſa. Nam eodem calore ad ſuas qvisqve naves ocius ſe proripuit, & Gudriodus qvidem in auſtrum, Haraldus autem in Oceanum, curſum, velut in occidentem navigaturus, direxit; inſulas autem ſcopulosqve omnes procul terræ conſpectu, prætervectus, rurſus in auſtrum vela vertit. Publicæ navigantium viæ Gudriodus inſtitit, inqve Vikam delatus, ſinum Foldenſem transmiſit. Inde per legatos, qvibus cognomines duo Thordi præerant, matribus Eigileiſe unus, alter Ingileiſe nati, Tryggvium Regem ad ſe in piraticæ prædæqve ſocietatem accivit. Qvibus ille reſpondit, *oblatam qvidem conditionem & ſpecioſam & qvæſtuoſam videri, ni dolus ſubeſſet, Gunnhildidas autem ob perfidiam ubique traduci, ipſorum tamen, quos fide & probitate conſpectisſimos, nec ulla ex parte ſuam operam ad circumveniendos homines collocaturos, agnoſcat, verbis confiſum, poſtulata Regis ſe executurum. Ipſe nihil ſibi aliud conſtare, quàm omnia ex fide agi*, aſſeverabat. Fuit Tryggvio uxor, ſingulari forma ſapientiaqve, nomine Aſtridis, Eirici Biodaskallii de prædio Offruſtadis, â ſacrificiis ſic dicto, nec in Jadria, ut vulgò putatur, ſed in Vichâ, qværendo, filia. Hic Vikinga-Karii, ſeu *Karii Piratæ* filius, fratres habuit, Bodvarem, patrem Olufæ, cujus filius erat Giſſur Albus dictus, primarius in Islandia vir, ut qvi cum genere ſuo Hialtio Skeg-

Skeggino præco, authorqve fuit plantandæ in Islandia Christianæ religionis; alterum Vigfusem Vaursiæ satrapam, Astridis patrem, cujus filius ex Eyolfo Hruga fuit Vigaglumus, seu Glumus homicida, celebris inter Islandiæ proceres. Liberi Eirici præter Astridem fuêre, Sigurdus, Josteinus, Karlhofdius & Thorkell, cognomine Dyrdill: incertum an eadem matre procreati. Hæc ut maritum a legatis Gudriodi ad societatem expeditionis persvasum percepit, dissvadere conata, *malè sibi animum præsagire commemorabat, monstratam nempe in somno instantem calamitatem, viso annulo, quem gestabat, pretioso, in duas partes confracto, unde sangvis emanasset, profecto imminentis ei mortis nuncio.* Sed morituros neqve consilia unqvam vel preces stiterant, surdas semper sanioribus monitis aures adhibentes. Itaqve Tryggvius, nihil hæc se morari passus, *certum se de Thordorum candore, perspectæ fidei virorum, qui dolos & mendacia omni semper studio exosi sint*, respondit. Unum igitur lembum instruxit, qvòd copias exiguas Gudriodo esse audivisset, adqve eum tendens, ad promontorium Sotanesiam occurrit, juxta locum Vigginem dictum. Ibi dum colloqvuntur, undiqve simul ex insidiis a Gudriodianis, ad hoc subornatis cursim invaditur, & unà cum duodecim comitibus trucidatur, sepultusqve est in loco, qvi postea de nomine ejus Tryggvaror / seu *Tryggvii rudera*, nuncupatur. Thordus autem uterqve, insidias, qvas illi neqvaqvam præsenserant, execrati, perfidiam, tum ipsi, tùm fratribus ejus palam exprobrantes, actutum satellitio ejus renunciarunt, execrationeqve sceleris, odium ejus deinceps sibi accersiverunt. Interea Rex Haraldus vitatis littoribus in Vikam delatus, Tunsbergam noctu appulit, cognitoqve, Gudriodum in vicinia convivio indulgere, eò se cum armata suorum phalange illicò contulit, egressum cum suis, salutemqve armis deffendentem subitò opprimit, occiditqve, unà cum multis, qvi resistere ausi sunt. Hunc tam luctuosum exitum crimine fæderis, vel contra supremi Regis Majestatem initi, vel certè eo invito insciòqve icti, sibi hi Reges accelerârunt, patris patruiqve, talia prius molientium, exemplis neqvicqvam moniti. Ut verò turpitèr occisos fatear, insontes minimè statuo.

Inde, ut convenerat, inter fratres, mutua jurgia irasqve ex composito simulantes, qvo faciliùs circumstantes, in primis, qvibus ad Tryggvium legatio decreta erat, & ipsi deciperentur, & eum deceptum faciliùs ad se allicerent, ad Gudriodum fratrem, recenti patruelis cæde calentem, ipse alteriùs sangvine conspersus, triumphans ad triumphantem se contulit, mutuoqve gaudio & gratulatione perfusi, communibus viribus universam sibi Vikam subjecerunt. Plures qvoqve Regulos, Comites, & Regni proceres ab Gunnhildidis occisos *Fagurskinna* memorat, adducto in testimonium Glumi Geirini versu.

CAP. VI.

DE HARALDO GRÆNSKIO GUDRIODI FILIO NORVEGIA IN SVECIAM PROFUGO, IN COMMILITIUM SKOGLAR-TOSTII ADMISSO, EJUSQVE FILIA SIGRIDE.

EX nobili uxore, eujus nomen Scriptores prætermiſerunt (*codex* tamen *Flateyenſis* uno loco Ceciliam nuncupat) filium Gudriodus reliqvit, nomine Haraldum; annos jam circiter undecim natum, in Grænlandia, apud illius tractus ſatrapam Rojum, cognomento Album, educandum, Grænskium a provincia poſtea dictum. Filius Hroii fuit Hrahius, a peregrinationibus deinceps Peregrinator, ſeu Multivagus, dictus, pari cum Haraldo ætate, ejusdemqve contubernii ſodalis. Hic Haraldum poſt patris cædem in Uplandas cum paucis ad cognatos ſuos fugientem ſecutus, ibiqve biennium moratus eſt. Poſtqvam nec ibi præ ſollicita Gunnhildidarum perſecutione adverſus omnes ſuos inimicos, tum præcipuè eos, unde emergendi ſpes, & conſeqvens vindictæ metus, expectaretur, amplius tutum eſſet, hortatu amicorum, voluntarium ſibi exilium indixit, Sveciamqve petens, piratarum ſocietatem, unde ſpes opum naviumqve comparandarum affulgeret, reqviſivit. Inter præcipuos Svecorum eos, qvi illuſtrioribus titulis carebant, potentia & nobilitate Toſtius qvidam facilè eminebat, bellator inſignis, piraticæ ſectator induſtrius aſſiduusqve, dictus â talibus exercitiis Skoglar-Toſti, qvaſi Toſtius Gladiator. Ad eum Haraldus ſe contulit, inqve contubernium admiſſus æſtatem hoc ſtudio tranſegit, qvo piratico belli tyrocinio ei commilitonibusqve omnibus probabatur, mox inſeqventem hyemem in familiam receptus, univerſum ibi qvinqvennium exegit. Fuit Toſtio filia, nomine Sigridis, formâ ſpecioſisſima, nec magnanimitate inferior, qvæ deinde Eirico Victorioſo Sveciæ Regi, jam ſeni, nupſerat, filiumqve ex eo celeberrimum Regem Olaſum Sveonem poſtea dictum ſuſcepit.

CAP. VII.

DE OLAFO TRYGGVINO ANTE NATIVITATEM, ET CUM USURA LUCIS PERSECUTIONI GUNNHILDIS EJUSQVE FILIORUM OBNOXIO, INQVE SVECIAM DELATO, IBIQVE CONSERVATO.

POſt cædem Tryggvii uxor ejus gravida, ut ſe paritèr ac fætum hoſtium manibus, duroqve captivitatis jugo, fortè etiam imminenti, vel ante partum, vel ſimul, cum prima lucis uſura, certiſſimæ morti eximeret, ablatis qvæ in tanta trepidatione avehi poterant, domo clam omnibus profugit, adſcito comite, nomine Thorolfo Luſaskeggio, jam ſene, viro fidisſimo conſtantisſimoqve, ut qvi nec eam, nec fidem, qvoad vita ſuppetebat, unqvam deſeruit. Secutus unà filius ejus ſexennis, nomine Thorgils. Igitur amicorum fidisſimis, ad exploranda hoſtium conſilia, itinera ſtationesqve, qvoqvo verſus ablegatis, ipſa in ſtagni cujusdam exiguam inſulam ſecedens, cum paucis delituit. Ibi puerum eximium, illud toto deinceps ſeptentrione celeberrimum decus enixa eſt, qvem de avi paterni nomine, ritu ethnico aqva luſtrali aſperſum, Olafum nuncupavit. Neqve tamen poſtea tanti Principis nobilitas, vel prædii paterni,

ni, vel ſtagni inſulam, ingentis Regis exiguam patriam illuſtrare poſteritati potuit; niſi qvod *Codex Flateyenſis* ſtagno Raund dicto circumfuſam inſulam, cæteris ſilentibus, tradit. Verno ſtatim tempore natum conſtat, anno a nato Servatore, ut volunt, CMLXIX, de qvo tamen haud ſine cauſa dubitatum Oddus Monachus veriſſimè prodit. Nos ſexennio ante cædem Grafeldi ex authoritate graviſſimorum ſcriptorum natum ſtatuimus: illum autem anno CMLXII. cæſum pluribus aſſeruimus, anno igitur CMLVI. natus erit. Ineunte autumno, cum noctes produci, diesqve corripi, frigus intendi, tenebræ induci cæperunt, inde ſe cum exiguo comitatu per avia, procul villis, niſi ſi per noctes occultatè præterirentur, recepit, nec iter prius ſtiterat, qvàm veſpere qvodam ad parentem Eirlcum, Offruſtadis habitantem, latenter perveniret, præmiſſisqve nunciis adventum ſuum notificavit. Is paterno exceptam affectu in ſolitariam domum deduxit, menſæqve lauto apparatu inſtructæ adhibuit, pauloqve poſt comites omnes, præter Thorolfum Luſaſkeggium, filiumqve ejus, duasqve pediſſeqvas, dimiſſi, domum ſuam qvisqve repetiverunt. Haraldus autem Grafeldus cum Gudriodo fratre, ſtatim poſt necem Tryggvii, ad prædium, ubi habitavit, cum armata manu ſe contulerunt. Aberat tunc Aſtridis, nullâ itineris ſui famâ relictâ, incuſſo tantùm vano in præſens, exitu tamen Gudriodo certè haud contemnendo, metu, concepti utero fætus, cædis paternæ qvandoqve futuri vindicis: iſtud enim domeſticorum rumor ſparſerat; illud meritum in orbatam parente ante nativitatem prolem facinorisqve conſcientia dictitabat. Sub autumnum Gunnhildidæ in Thrandiam moverunt, reverſiqve ad matrem, qvæ geſta erant, expoſuerunt; qvæ admodum ſollicitè de rebus ſtatuqve Aſtridis exqviſivit, nec ab ulteriore inveſtigatione ceſſâſſet, cognito qvòd uterum ferret, ni præpedita bellis cum Hacone Comite per integram hyemem fuiſſet. Primo autem vere per ſpeculatores in Uplandas, & inde in Vikam, ad hæc impenſius inveſtiganda miſſos, cognovit, famâ vulgatum, eam apud patrem cum filio latere. Ad puerum igitur ad ſe reducendum Haconem qvendam ſenem, & inter intimos amicum, cum triginta militibus, armis veſteqve egregie ornatis, ablegavit. Haud procul ab Offruſtadis erant, cum veſpere qvodam Eiricus de adventu eorum prope inſtante per amicos certior, filiam cum puero confeſtim comitatu, commeatu, fidoqve itineris duce inſtructam dimittit, adqve Haconem qvendam, Senem dictum, veterem amicum, piraticaqve ſocietate longo tempore familiarem, potentem in Svecia virum, ablegat, eiqve pro veteri amicitia filiam, cum nepote finibus patriis profugam, commendat. Filia mæſta non patriâ ſolum, ſed patria etiam domo, exulare coacta, præcipite nocte profectionem inſtituit, ſeqventisqve diei veſpere in pagum, nomine Skaun/ delata, villam ibi inter plures eminentiorem conſpicit. Habitabat illic vir qvidam opulentus, nomine Biornus, cognomine Eiturqveiſa /. qvod a moribus aſperis, ingenioqve immiti contraxiſſe videtur (virulentam namqve febrem ſeu papulas denotat; malusqve fuiſſe perhibetur.) Is minime hoſpitalis hoſpitio eos excluſit, ſqvalore veſtium impulſus. Itaqve in pagum proximum parvo intervallo inde diremptum, qvi Viſkom ſeu Vithom uſurpatur, eodem veſpere ſe contulerunt. Thorſteinus erat villæ illius dominus, apud qvem diverſabantur, hoſpitalitèr & magna benevolentia excepti. Per noctem in cubilia inſtratosqve lectos deducti ſomnum qvietè capiebant. Mane ejus diei Hacon Gunnhildis legatus ad prædium Offruſtadas delatus, Eiricum ut

filiam

filiam cum nepote exhiberet, jussit. Illo neutrum apud se detineri respondente, ædibus diligenter lustratis, aliqvid tamen per susurrones qvosdam de itinere illius subodoratus cum maximam diei partem ibi trivisset, recessit, vestigiisqve fugientium insistens, adulto vespere Skaunem ad Biornum Eiturqveisam pervenit, ibiqve pernoctavit. Hic sciscitanti de Astride legato retulit, fuisse ibi qvosdam, & inter eos eximiæ formæ fæminam puerumqve, qvi hospitium expetiverint, qvos tamen mendicos existimans, genus hominum sibi exosum expulerit, credere nihilominus alicubi intra pagum receptos. Fortè qvidam servorum Thorsteini eodem vespere ê sylva egressus, prædium Biorni in media via situm præteriens, hospites illuc esse animadvertit, causamqve adventûs cognovit, idqve domino suo retulit. Qvi vicissim suos hospites, cum triens noctis superesset, asperis verbis excitatos domo excedere jussit, egressosqve prosecutus secretò admonuit; *inhumanius compellatos domo expulisse, nullo eorum odio, aut naturæ suæ pravitate, tantum qvo saluti eorum securitatique consuleret, qvod asperior objurgatio ignorantiam hospitum arguens, ad excusationem sui multum profutura videretur.* Adesse namq; ad vicinum Biornum Eiturqveisam legatos Gunnhildis, qvi filium ejus parvulum eamq; perseqvantur. Visum autem sibi parvulum illum, qvi jam ætatis innocentiæq; causa, commiseratione, bonorumq; omnium auxilio dignus sit, etiam talem futurum, ut subduxisse illum periculo beneficioqve affecisse aliqvando gaudendum sit. Monstrabat deinde viam ad sylvam ducentem, ibiqve lacum, exiguæ insulæ, arundine vestitæ, circumfusum, qvo vadis facilè perveniri possit, eoqve ut se reciperent occultarentqve, hortatus est: *credere se, qvòd nota sibi loca omnia essent, ad inqvisitionem illorum adhibitum fore, tum vero ad avertendum aliò investigatores facultatem sibi affulsuram: mandavitqve ut ibi remanerent, qvoad ille ad eos rediret.* His dictis eos dimisit, domumqve rediit. Illi haud secus ac mandavit ad insulam se conferunt, qvam Oddus Monachus lacu Miors circumflui testatur. In Vika ergo, & non Jadria, Olafi patria paternaqve sedes qværenda est; neqve enim Astridis plurium, nedum unius diei itinere ê Jadriâ ad istum lacum pervenire poterat. Mane ejus diei Hacon cum suis per pagos profectus, ubiqve de itinere Astridis inqvisitione habitâ, ubi ad Thorsteinum pervenit, confitentem nactus est: *excepisse se qvidem eos, sed inscium qvinam essent: anteqve diem excessisse.* Adhibitus itaqve ad inqvisitionem, aversos ab illo loco, ubi delituerant, ad infantem vagientem, servâ natum, qvem ipse in solitudinem seposuit, proximos (sparsim namqve ibant) convertit, qvi dedidisse puerum fugitivos, qvo salvi evaderent, invicem clamitantes, ubi vestes sordesqve reliqvæ servilem aut omnino humilem partum prodiderant, delusos se, non tamen Thorsteino authore, agnoscebant. Tota deinde die in inqvisitionem insumpta, domum re infectâ reditum est. Deinceps Thorsteinus, promissi memor, ad Astridem rediit, commeatuqve ad viaticum tribus veredis imposito, ministris etiam itineris viarumq; gnaris instruxit. Atq; ita Regina in Sveciam ad Haconem Senem, prout proposuerat, pervenit, summaqve humanitate excepta est. Nec sic qvidem Gunnhildis â perseqvendo infante destitit: qvo salvo suorum salutem, fortunas, imperium, non periclitari modò, sed omnino subverti, credidit; vanissimâ conjecturâ, cùm crudelitatis pæna, non eo ministro exacta, longo ante adultam ejus ætatem tempore præcipitaverit, inqve potiores filiorum, satis jam matu-

maturos, redundaverit, ſolo patris interfectore vindictæ filii reſervato. Igitur comperto, Sveciam ſaluti ejus refugium electam, ad Regem Eiricum Victorioſum legationem ſplendidam, cujus Princeps idem ille Hacon fuerat, magno qvidem verborum honore, pretioſis donariis cumulatam, direxit, pariqve benevolentia excipitur. Hacon expoſito legationis ſcopo obnixè petivit, dare ſibi copiam militum, ad depoſcendum ab Hacone Seniore Olafi Tryggvini deditionem, ut is in Norvegiam reductus patriis moribus ac inſtitutis a Regina Gunnhilde educaretur. Annuit petitis Rex, datoqve in auxilium militum numero, legatum ad Haconem Senem ablegat. Miniſtrabat eodem tempore in aula Regis Haconis filius, nomine Rögnvaldus, qvi, cum legatio exponeretur, præſens, ſtatim militari manu ad patrem profectus; *legatum Norvegicum prope diem venturum, cum militum Regiorum copiis, Olafumqve abducturum*, nunciat. Pater, laudato filio, nec tamen ſe imparatum, ſola licet colonorum manu, dictitabat. A legatis deinde accedentibus honorificè compellatus, blandis verbis rogatur: *ut Olafus puer ejus permiſſu in ſuum comitatum receptus in patriam remittatur; ejus enim educandi pro dignitate Regia curam Gunnhildem ſuſcepturam; miſertam pueri, parente, nimiâ filiorum ſuorum præcipitantiâ, orbati. Hanc enim viam ad ſatisfactionem idoneam reputâſſe, ſi parentis ſui ditionem ei adultiori & ætate maturâ in illam ſpem educato reſtitueret.* Hacon, *ſuſpecta qvidem ſibi Gunnhildis promiſſa, fictâ ſæpius humanitate colorata*, reſpondit: *notas pueri matri technas inſidiasque prætextu benevolentiæ, qvas exilio tantùm evitaverit, velatas. Easdem qvibus deceptus pater artibus corrüit, puero protinus tollendo ſtrui. Invita igitur matre nunqvam eum cuiqvam ſe redditurum.* Renitente deinde matre, opemqve hoſpitis impenſiùs implorante, legati indignatione frendentes ad Regem Eiricum redierunt, eiqve eventum ſuſcepti negotii expoſuerunt. Qvi *nihil ab illo Sene alienum referri* reſpondit, *qvem nec majore qvidem vi, qvàm legati intenderent, unqvam ceſſiſſe aut ſuccubuiſſe, probè noverit, ſibi qvoque ipſi olim interveniente controverſia negotium faceſſiviſſe.* Demum Hacon reditum in patriam moliens, cohortem militum a Rege petivit, qvô vel invito Hacone puerum reducere qviret. Trecenti dati ſunt; qvibus comitatus illicò ad prædium Haconis profectus, haud eum imparatum offendit. Contraxerat enim ſatis ad vim repellendam firmam manum. Fretus ſubſidiis legatus, puerum ſibi reddi poſtulabat. Negabat Hacon, *ni conſenſus matris accederet, impetraturum; fidei namque ſuæ tum eum, tum matrem, commiſſam, receptamque cum prole neqvaqvam proditurum. Deſiſteret vano incepto, qvo nihil amplius proficeret.* Inde indignabundus legatus minis eum extorqvere tentavit. Tum Hacon, *eqvidem ſcias*, inqvit, *nihil tibi de libertate mea ereptum iri, ſed ne ii qvidem, qvi te longe potiores ſunt: neqve enim vires ad illum defendendum mihi deerunt.* Erat ei ſervus, nomine Buſtius, ſtolido robore ferox, licet domino ſuo fidus. Hic ligone ſterqvilinium rotans, ut dominum excandeſcere cognovit, aſperis verbis legatum maledictisqve inceſſens, juſſit vel actutum cum ſatellitio domo excedere, vel ignominiam exſpectare; ligonemqve fimo repletum intentabat, haut dubiè aſperſurus verberaturusqve. Veritus igitur ſervilem impetum, ignominiâ qvàm damno cumulatiorem, ilicò receſſit, parumqve aberat, qvin ſervile verbere contumelioſè vapularet.

Inde (ſecundum *Codicem Flat:*) primò ad Regem Sveciæ, deinde rectà in Norvegiam rediit, nullo alio effectu, qvàm ut referre poſſit Gunnhil-

di: *visam sibi Astridem cum filio Olafo in Svecia, potiundi tamen nullam protinus spem superesse.* Atqve ita Gunnhildis consilia irrita fuerunt. Olafum qvippe Deus verbi sui præconem tot gentibus convertendis delegerat. Falluntur autem *Oddus & Theodoricus Monachi*, qvi Comitem Haconem Hladensem hanc legationem obiisse tradunt, idqve exilii metu minisqve Gunnhildis territum. His enim temporibus variâ fortunâ cum iis certavit, ipseqve *Codex Flateyensis* hanc traditionem ex professo refutat.

CAP. VIII.

DE IIS QVÆ INTER REGES ET COMITEM INTERVENERUNT, MUTUIS DISSIDIIS, COGNOMINEQVE BONI HACONI INDITO.

PAcatâ Vikâ, magno ibi exercitu collectoq; Gunnhildidæ in aqvilonem tendunt, navibusqve & milite ê singulis provinciis conscriptis, Thrandiam se petituros, Comitemqve Haconem impetituros, proclamant. Qvo ille cognitò, anxiè conqvisitis navibus copias imponit. In Mæriam movet, & qvocunqve accedit, agros vastat; villas exspoliat & exurit; multis potioris sexûs, qvocunqve pervadit, occidit. His peractis, Thrandos agricolarumqve gregem omnem domum remisit. Inde per Mæriam utramqve & Raumsdalum cædibus rapinisqve grassatus, omnium, qvæ per australiores Stadæ provincias gerebantur, per exploratores certior factus est. Ut vero de propero hostium adventu, qvi in Fiordis ventum faventem exspectabant, cognovit; portu protinus solvens, navium suarum cursum in altum, tam procul â terra medio dirigit oceano, ut vela sua conspici ab hostibus neqvirent, classemqve Gunnhildidarum prætervectus, illæsus & intactus in evrum profugit, nec cursum stitit priusqvam in Daniam perveniret; mox in mare Balticum, ubi universam æstatem totum orientem prædatus exegit. Interim Gunnhildidæ Thrandiam, jam defensore vacuam, rectà petunt, longumqve per æstatem tempus ibi morati, reditus omnes exigunt. Inclinante verò æstate Sigurdum Slefam cum Gudriodo fratre toti provinciæ præficiunt. Haraldus autem reliqviqve fratres orientalem regni oram hyematum repetierunt. Eodem autumno Comes sinum ingressus Botnicum ad Helsingiam pervenit, ibiqve relictis navibus terrestri itinere regionem permensus, Jamptiâ peragratâ, superatoq; monte Kiolo, in Thrandiam delatus naves militesqve certatim ad se confluentes collegit. Tantus inde terror Reges invasit, ut consensis navibus emenso sinu absqve mora in Mæriam se suosqve reciperent, ibiqve hybernarent, Hacone Hladis remanente. Inde mutua damna cædesqve ab utraqve parte data acceptaqve sunt. Anni inde aliqvot Haconi (chronicon impressum tres exprimit) hoc tenore traducti: hyemes Hladis, æstates expeditionibus, terrestri primùm per Jamptiam Helsingiamqve ad classem itinere; mox in oriente piraticis irruptionibus rapinisqve, qvædam etiam domi præliis cum Gunnhildidis exactæ, qvibus tractu omni â Stadis in boream protenso pulsi sunt, neqve enim classis ibi tuta, neqve in Thrandia ulla securitas incolis tyran-

nidem

nidem & avaritiam eorum execrantibus; Haconi vero omni ſtudio obſeqventibus, qvem ob propenſum in ſe affectum Boni cognomine inſigniverunt.

CAP. IX.

DE CÆDE REGIS SIGURDI COLUBRI OB VIOLENTUM STUPRUM UXORI KLIPPI SATRAPÆ ILLATUM, EJUS GENUS EXPONITUR.

HIs temporibus Sigurdus Coluber ad domum Klippi nobilis & potentis in Hordia ſatrapæ abſentis profectus magnificoqve ab uxore ejus Alofa convivio exceptus, eadem nocte per vim ei ſtuprum intulit, expugnatoqve muliebri decore ferox inde profectus eſt. Sub autumnum proximè inſeqventem Haraldus unà cum fratre Sigurdo in provinciam Vorſiam conceſſerunt. Ibi ruſtici ad indictum Comitiale forum confluentes, qvacunqve Reges incedebant tumultu concitato, in eos irruptionem feciſſent, occidiſſentqve, ni maturè elapſi manus eorum effugiſſent. Haraldus in Hardangriam, Sigurdus prædium Alreckſtadas (Thordi Hredæ vita Uplandas habet) repetivit, declinatoqve præſenti periculo, inſtans tamen fatum vindictamqve neqvaqvam evaſit. Nam Klippus congregata conſangvineorum amicorumqve magna manu, eò illum perſeqvitur, conſtituto manipuli duce Vemundo qvodam, cognomine Vaulubrioto, magni nominis viro: qvi cum domum Regiam ingreſſi eſſent, Klippus juſto dolore accenſus gladio pectori adacto Regem transfodit, mox ab Erlingo (*Compendium Chronicorum* Sigurdum, Thordi Hredæ, qvi frater Klippi erat, & inter vindices præcipuus, vita Hroaldum Augmundi filium, Horda-Karii nepotem, nominant) ſatellitum fidisſimo in ultionem Regiæ cædis viciſſim occiſus. Is deinceps vitam ad ſeniles usqve annos produxiſſe, atqve inde ſeu Erlingus, ſeu Sigurdus, Senex demùm cognominatus traditur; disſentiente Thordi Hredæ vita, qvæ Hroaldum ab eo protinus in ultionem fratris occiſum tradit. Tanta læſæ alieni matrimonii pudicitiæ pæna eum manebat! Generis Alofæ Schema tale refertur. Pater ejus fuit Asbiornus, frater Reidaris, cujus filius fuit Styrkar de Gymſum (*Codex Flat*: eum nepotem ex filio Reidaris Endridio facit) Styrkare natus fuit Einar Thambaskelfir, ſatis deinceps celeber. Reidaris alter filius fuit Asbiornus, Endridi Ilbreidi, ſeu Panſæ, pater. Fratres Alofæ eodem patre ſati fuêre Erlingus Ivaris Liomii pater, cujus filius fuit Thorſteinus Uxafott ſeu *Tauripes*, memorabilis Islandus. Alter Alofæ frater erat Jarnskeggius de Yriis, nobiliſſimus vir. Nec erat ignobilius Klippi genus, qvod a Ketille Horda-Kario dicto deducitur, cujus filius inter cæteros Thordus Hardius Klippi pater fuit; ut et fratris ejus Thordi Hredæ, celebris poſtea Islandiæ incolæ, qvi ob hanc eandem cædem ſolum verterat. Extat adhuc geſtorum ejus memoria ſingulari hiſtoria comprehenſa. Audio extare adhuc in Islandia ædificia qvædam ejus manu ſtructa, qvæ & artem & induſtriam, & pro illorum locorum conditione magnificentiam prædicant. Patrui Klippi fuêre Thorleifus Sapiens; alter Augmundus Thorolfi Skialgi pater, cu-

jus filius erat Erlingus de Solio, Regis Olafi Tryggvini fororius. Tertius pater Aulmodus Askelis pater, cujus filius erat Aslacus Fitiaskallus. Amitæ Klippi fuêre, Thora Ulflioti mater, ejus qvi primus leges in Islandiam transtulit. Altera Vilgerdis Flochii tertii Islandiæ inventoris ejusqve eponymi mater. Sed hæc in Flochio antea exposui, ut et in Bodvare Albo ê Vorsia, ubi avorum etiam series ad Norem usqve recensetur. Hæc tamen scriptores alii paulo aliter recensent, *specie namqve legationis in Angliam a Sigurdo Klippum* (qvem etiam proprio nomine Thorkelem dictum volunt, Klippum vero cognominatum) *missum ad exigenda ab Adalrado Angliæ Rege tributa* tradunt. *Interea uxorem domum Regiam per vim ductam, ibique per longum tempus detentam sub reditum mariti demum remissam. Illum vero reducem Regem in judiciali foro adivisse, pecuniam, resque alias pretiosas ad eum, qvorum causa ablegatus esset, detulisse, inspectantemq; Regem rogâsse, num probe mandatum executus fuerit. Qvo industriam laudante, partem ergo officii sui impletam respondisse, eductoque, qvem sub pallio occultaverat, gladio, lethale Regi vulnus inflixisse, âqve patruo suo Augmundo, strictum tenente gladium, ilico confossum. Facinusque ut patruo adversus nepotem justo dolore provocatum indignum, reliqvos cognatos adeo commovisse, ut Augmundum incensa domo unà cremaverint. Gunnhildem autem Regum Matrem, uxorem Klippi Alufam, ut necis filii malorumqve omnium causam perseqvi decrevisse, nullo non ignominiæ genere vexandam. Qvibus evitandis concessisse eam in Islandiam, transportatam ab Halli de Sida fratre, nuptias ejus hac mercede pacto, cui etiam postmodum elocata fuerit. Matrimoniô vero per mortem mariti dissolutô, statuqve Norvegiæ, sublatis Gunnhildidis, mutato, iterum in Norvegiam rediisse, relicta in Islandia filia ex Klippo, nomine Gudruna, qvæ postmodum nupserit Einari Eyolfi filio de prædio Thvera, viro nobilissimo, omniumqve in patria sui temporis prudentissimo, Gudmundi Divitis fratri.*

CAP. X.

DE COMITIS GRIOTGARDI CÆDE, COMITIS HACONIS LATROCINIIS PER ORIENTEM, ACCESSU AD REGEM DANIÆ HARALDUM CÆRULIDENTEM, GUNNHILDIDIS THRANDIAM SIBI SUBIGENTIBUS, REGEQVE ERLINGO IBIDEM CÆSO.

SIgurdi fratris cæde Gunnhildidæ nonnihil territi, tantam jacturam adjectione Thrandiæ resarcire gestientes, australibus Regni partibus magnas copias boream versus educebant. Sed nec Hacon, qvantumvis viribus impar, gratuitam illis victoriam concessurus videbatur, armat milites impositosqve navibus in Mæriam transportat. Excepit eum armata manu patruus Griotgardus, patris ejus, idemqve sui fratris, proditor, a Regibus Mæriis exercituiqve colligendo, belloqve ipsius conatibus reprimendis præfectus. Ibi certamine commisso, Griotgardus cum duobus filiis multisqve aliis occiditur, mitius mortis genus, qvàm parricidio meruit, expertus, fatumqve tardius: qvod tamen nullo illius honore metro inclusum Einar Skalaglamius posteritati reliqvit. Vindicata hoc modo

do patris nece, Mærensi ex portu profectus, libero mari vela in altum vertens, cursum in austrum Daniamq; dirigit, moxqve Haraldum Cærulidentem Daniæ Regem adiit. Cavebat namqve vir prudens, ne illius regnum unqvam excursionibus piraticis infestaret, id enim jam dudum moliebatur, *qvomodo eum, licet Gunnhildidarum summum fautorem & promotorem, totiusqve eorum fortunæ secundum Deum authorem unicum, nunc consvetudinis amœnitate, nunc largitionum illecebris, & officiosis obseqviis, sibi qvàm optimè conciliaret, qvo volens propitiusqve authoritate sua, alumnum Haraldum cum fratribus ad æqvas pacis conditiones deduceret, vel, si fieri possit, ab iis alienatum in partes suas traheret. Consvevit itaqve, dum Orientem, Vandaliam, Curlandiam, Esthoniam, vicinasqve Daniæ regiones Sveciam & Gauthiam æstivis expeditionibus popularetur, per hyemes in Dania diversari, Regemqve magnis muneribus sibi divincire, ejusqve arctiorem gratiam in se transferre*: *Fagrskinna* id totidem verbis tradente. Et jam magna benevolentia exceptus, Haraldum qvoqve Grænskium in Oriente sibi obvium eò deducit, qvi simul in Daniæ Regis aula hyemem transegerunt, tradente Thomas-Skinna.

Eodem fortè tempore diversarum nationum spoliis, diuturno rei piraticæ exercitio comparatis, onustus Haraldus, ab ingenti auri acervo, qvem jam diu cumulaverat, Gull-Haraldus, seu Haraldus Aureus, appellatus, in aulam Regiam accessit, dignoqve tanto genere sangvinisqve nexu cultu ibi per hyemem divertit. Interqve eum & Comitem Haconem arctissima necessitudo fraternitatis nexu roborata coaluit.

Interim Gunnhildidæ Thrandiam, nemine resistente, invadunt, censuqve universo, qvi cæteroqvin Regibus jure debebatur, collecto, magnam insuper multam Thrandis irrogant; *qvòd Comitis partes secuti, ipsum jam apertè rebellem formidandis militum copiis instruxissent, tantoque tempore tributis sibi fraudulenter præreptis sustentâssent.* Appetente autumno, Haraldus copias omnes, qvas ex australibus provinciis conscripserat, eo deduxit, maturatoqve reditu, fratrem Erlingum ibi relictum iis præfecit: qvi tributa superbè avarèqve exigendo murmur tantum irasqve concitat, ut coloni se invicem colligentes, eum in convivio qvodam magno numero adorti, prælio commisso, eadem hyeme cum multis satellitum occiderent, Hacone Comite per clandestinos nuncios ad amicos missos, ut id per hyemem facerent, instigante, maturè enim reditum suum verno tempore auxiliaqve iis pollicebatur. Hinc ferociores facti vim Gunnhildidarum parùm timebant. Contigit cædes illa anno Salutis CMLXI.

CAP. XI.

DE GULL-HARALDO, QVÆSTIONEM DE DIVISIONE REGNI DANIÆ MOVENTE, IPSIUSQVE UT ET REGIS CUM COMITE HACONE SUPER TANTA RE CONSULTATIONE.

Interea Hacon Thrandiæ Comes in aula Regis Daniæ tempus haud otiosè terebat. Animus enim inqvietus recuperandæ paternæ ditionis, possessioneqve in posterum firmandæ, assiduè torqvebatur, adeo ut his curis diu noctuqve fatigatus, ægritudine contracta, corpus suum lecto affixerit, mul-

 tumqve

tumqve meditabundus afflixerit, cibo potuqve, ſomno etiam, parciſſimè, nec præterqvam ad conſervandam valetudinem omnino reqvireretur, uſus, remotis etiam miniſtris, ſolitudinem amabat, admiſſis oppido paucis, iisqve qvorum fidem longi temporis famulitio expertus erat. Cruciatibus tamen acerboqve dolore caruit. Amentiæ deinde morbo contractæ opinio cum invaluiſſet, ad eum inviſendum ipſe Rex acceſſit, nulloqve operæ pretio receſſit; Hacone colloqvium abnuente. Interim inſidias Gunnhildidis per amicos tendere, eorumqve operâ armorum loco uti parat, misſisqve, ut ſupra relatum eſt, ad familiares ſuos clanculum in Thrandiam nunciis fidiſſimis Regis Erlingi data occaſione ex inſidiis interficiendi mandatum dat, qvod omnes Thrandi ei gratificandi gratia, injuriis etiam provocati, promptè executi ſunt. Jamqve Gull-Haraldus ex mutua conſvetudine Hacone ob ingenii dexteritatem familiariſſimè uſus, vicem illius, tum mente non ſatis ſana, tum ipſe, tum univerſa aula, qvem viribus integris ſapientiſſimum reputabant, dolens, ad eum inviſendum progreſſus eſt. Inter mutuos ſermones, ut ad mentem rediiſſe animadvertit, intima cordis ſui cogitata patefecit: *ſibi haud minore jure partem dimidiam Regni Danici, quàm patruo, competere. Tædere ſe amplius vitæ piraticâ ſuſtentandæ. Mutaturum Regno inquietum illud, periculisque undique obſeptum vitæ genus. Quæſivit deinde, an & patruum in diviſionem Regni ex æquis partibus facilè conſenſurum duceret, ſi illud poſceret?* Cui Hacon reſpondiſſe fertur; *Regem qvidem ei, quod jure exigeret, haud videri denegaturum, illud tamen plenius cogniturum cum experiretur. Illud certum eſſe, niſi diviſionem urgeret, nec impetraturum; quantumvis ad ſuum patrimonium jus ei haud minus quàm patruo velificaretur. Neque enim Haraldum ſceptra Daniæ unquam vivo patre ejus Knuto obtenturum, cui tum pater Gormus, tum cives univerſi ſuffragaturi fuiſſent, cujus filius jam ad piratarum ſortem redactus, ſi jus ſuum exigeret, univerſos Danos in ſuas partes facilè tracturus videatur, plurimos etiam ultro conceſſuros.* His animatus Gull-Haraldus, haud multo poſt ab ipſo Rege in publico primatum conſeſſu, comuniqve utriusqve amicorum præſentia, dimidiam Regni Danici partem ſibi jure ſangvinis familiæqve debitam (ſva ſem burdir hans varo til / oc ætt par i Danaveldi / habet *Chronicon manuſcriptum*, qvem locum cum evincat jam tum temporis Regnum Daniæ hæreditarium fuiſſe, integrum & ex avtographo depromptum huc adducere libuit, qvo facilius cum interpretatione hac conferri poſſit) dedi poſtulabat. Rex valde indignabundus reſpondit; *neminem unquam cum patre ſuo Gormo expoſtulâſſe, ut ſe dimidiæ tantùm Daniæ Regem agnoſci vellet: avum certe Horda-Knutum, proavum Sigurdum Angvioculum, aut atavum Ragnarem Lodbrokem contumeliæ tantæ impatientes procul dubio futuros videri, ſi quis iſtam litem movere auſus fuiſſet.* His dictis ira Regis magis magisqve concita colloqvium diremit. Majorem in modum Gull-Haraldus, tam infelici expoſtulatione nihil præter iram Regi elicuiſſe dolebat. Itaqve ad Haconem iterum redit, eiqve ſucceſſum ſpe longè inferiorem; *præcluſum etiam aditum ad Regnum offenſâ Regis videri*, retulit, *conſiliumque* efflagitavit *fidele & ingenioſum, quod viam propoſito optatam panderet: ſibi armis exprimendum videri, quod amica compoſitione, licet ipſa æqvitate jureque debitum, obtineri nequeat. Illud*, reſpondit Hacon, *propoſitum cavendum, ne ulli pateſiat, quod palam factum, poſtquam Regi innotuerit, viventium illum numero protinus eximeret. Vires potius ſuas prudentius exanimaret, nec quod ſupra eas eſſet, temerè aggrederetur*, monuit. *Omnibus accuratius expenſis poſtquam decre-*

tum

tum quicquam aggredi, tum fortitèr strenuè & audactèr cœptis insistendum, modisque omnibus, turpibus honestisve, pariter enitendum, ut perficeretur. Nihil enim, inqvit, *turpius, quàm sublimia inchoare, quibus perficiendis cum impar fueris, maximo cum dedecore, forte & præsentissima pernicie, desistas oportet.* Gull-Haraldus, *eo ardore occepisse se portionem Regni repetere, ut vel propriis manibus Regem, data occasione, de medio tollere haud sit dubitaturus, si in deneganda parte illa Regni, quæ optimo jure sua sit, perseveraverit.* Finito deinde colloqvio discessit, jamqve Haconem parùm revaluisse relatum est. Ad eum igitur Rex accessit, expositisqve, qvæ Gull-Haraldus de Daniæ partitione palam proposuerat, & qvæ ipse responderat, adjecit: *sibi in animo esse, nullam Regni sui jacturam ac diminutionem pati, quod si in proposito perseveraret, facilè morte ipsius controversiam hanc componi posse, dubiæ qvippe fidei, sibique timendum, ni temere mota controversiâ maturè desistat* Ad hæc Hacon perturbato similis, speciemqve vicem Regis dolentis præferens, cunctantèr & ex intervallo respondit: *eo quidem proposito Gull-Haraldum hanc quæstionem movisse autumem, ut se inde dimoveri nunquam passurus videatur. Quod si armis eam propugnare occeperit; cui dubium est, quin magnas turbas sit concitaturus, plurimâ populi parte ad eum patrii nominis favore confluxurâ? Neque tu eorum offensas evitabis, non sine magna pietatis honestatisque, famæ & æstimationis jactura. ut qui nepotem occideris, quem omnes ad hoc usque tempus innocentem periisse pronunciabunt. Neque tamen consuluero, ut partitione Regni Majestatem tuam infra paternam Gormi demittas, qui regnum suum ex omni parte auxit, nunquam vero diminuit: nolim enim quicquam tibi minus ex voto accidat, dum me in tua aula maximis beneficiis obligatum detinueris. Quid ergo consilii affers?* ait Rex. *Video enim nostras res tibi cordi esse; quandoquidem sine Regni diminutione metu hoc & periculo nos liberari posse putas.* Illo aliqvot dies ad perplexissimæ qvæstionis deliberationem poscente, Rex acqviescens recessit.

CAP. XII.

DE CONSILIO HARALDI GRAFELDI DOLO TOLLENDI, REGI DANIÆ A COMITE HACONE DATO.

INterea Hacon aliqvot dies ac noctes remotis arbitris, varias curas consiliaqve animo volutat, qvoad Rex ad eum, avidus percipiendi consilii, rei intricatissimæ expediundæ adinventi, rediret; qvi Comite benignè compellato, an qvod sibi consilium pollicitus fuerat, excogitâsset? percontatur. Ille animo lætus, *Regem salvere, atque spe bona esse jubet, noctes enim diesque insomnes huic se cogitationi impendisse. Sententiam demum eam omnibus prætulisse, ut tu*, inqvit, *imperium tuum, quod sine ulla consortione alterius â parente accepisti, sartum & tectum tuearis, integrumque conserves, Gull-Haraldo autem aliud Regnum procures, quò contentus, Daniæ portionem oblivioni traditam animo suo prorsus exspuat. Ubi quæso*, ait Rex, *illud Regnum, quod ei reddere possim, Dania integra mihi soli retentâ? Illud*, respondit Hacon, *Norvegia est, gravibus jam & superbis Regibus, civibusque suis & omni populo, haud immerito invisis & odiosis, variisque*

que maleficiis mortem promeritis, per complures annos regnata. Quod si exemplo patris tui Gormi, qui totam Daniam inter multos Reges divisam acquisivit, eorumque ditionibus amplificavit, aliud insuper æque validum Regnum nepoti de alieno tradideris, illud demum gloriosum & verè Regium ducendum est. Neque aliter patrem tuum facturum tali in causa existimarem, quam ut auctis de alieno propinquis, nulla vero ex parte imminutis, gloriaretur. Illud quidem, ait Rex, *ut dixisti, Regium sanè est. Norvegia tamen spaciosa regio, bellicosis propugnatoribus haud expugnatu facilis, id quod nos nostro ingenti damno variisque cladibus didicimus, cum in Gunnhildidarum gratiam Haconem Adalsteinium impugnavimus, nulla unquam victoria. Gunnhildidæ etiam duces sunt strenui, bellis assveti, plerumque etiam feliciores, quàm ut victoriam nobis de illis facilem polliceamur.* Tum Hacon; *dudum quidem novi complura, eaque ingentia, beneficia in illos te contulisse, patriisque sedibus restituisse, id quod illi nulla re, præterquam ingrato animo, pensârunt; nos autem longè faciliorem viam ad Norvegiam in potestatem tuam redigendam inveniemus, quàm ut universam Daniam in eum finem armemus. Evocà ad te alumnam tuum Haraldum Norvegiæ Regem specie provinciarum Danicarum, quas tua munificentiâ & beneficio olim ad suam suorumque sustentationem impetravit, iterum in fidem feudumque recipiendarum. Huc si accesserit, parvo momento universum Norvegiæ Regnum, eo occiso, lucrabitur Gull-Haraldus. Atqui*, ait Rex, *proditio, præsertim alumni sui, & quidem sacramento impositionis genuum gremio recepti malè audiet, & ubique gentium magna cum execratione traducetur. Imo vero*, respondet, Comes, *Dani piratam Norvegum, quam nepotem ex filio Regis, occisum malint.* His longa oratione in utramqve partem disputatis, evicit sententia Comitis, in qvam Rex deinceps concedens, miris consilium datum laudibus extulit, lætusqve recessit. Exinde Hacon lecto exsurgens sanitati se restitutum asseveravit. Morbum simulâsse videtur, qvo fama vel mortis suæ vel amentiæ in Norvegiam delata Reges securiores redderet.

CAP. XIII.

DE LEGATIONE REGIS DANIÆ IN NORVEGIAM AD INVITANDUM REGEM GRAFELDUM SPECIE PROVINCIARUM JUTIÆ AD PUBLICÆ INOPIÆ LEVAMENTUM ACCIPIENDARUM.

SEcundùm colloqvium Regis, Gull Haraldo accedenti narravit: *rem se illius apud Regem summa fide & industria procurâsse, eòque promovisse, ut parte Daniæ, qvàm peteret, longe majus Regnum, nimirum Norvegiæ, obtineret: tum præclaram sibi occasionem bene de eo merendi ultro obventuram, adque initam semel cum eo amicitiam arctiori nexu firmandam. Cum enim in patria plurimum possit, in id omni studio enixurum, ut res ejus & commoda ex omni parte promoveantur, & quidem in tantum, ut nemo externorum negotium ejus magis adjuverit. Jam verò Regnum hoc, quod facilè pateat, gratis accipiendum. Cogitandum deinceps, patruum ejus senem esse, ævi quidem perbrevis, nullo præter unum è pellice filio, nec in spem Regni, nec patri satis conciliatum, relicto: morte ejus Daniam etiam accessuram.* His per-

persvasus Gull-Haraldus, oblatam conditionem lætus arripuit, atqve ita crebro colloqvio inter Regem & illum, solo Comite præsente, instituto, lis omnis hac spe sopiebatur. Mox missi in Norvegiam oratores splendido comitatu, perqvam benignè excepti sunt. Hi, qvæ in mandatis habebant, retulerunt inter alia, *Haconem Comitem in Dania exulantem, cum lethali morbo conflictantem, etiam imminuta mente, lecto longo tempore affixum, jam prope depositum teneri.* Inde legationis scopum exponebant; *ægre tulisse Regem Norvegiam summa rei frumentariæ inopiâ tot annos premi, nec colonis suppetere, quæ ad necessarios usus requirantur, vel unde reditus canonesquè annuos ad sustentationem familiæ Regiæ pendant. Commotum vicinæ gentis calamitate, Regumque amicorum necessitate, qvorum ærarium in singulos dies necessario exhauriatur: ex dignitate ducere, istam penuriam aliqua ratione sublevare, nec aliam potiorem visam. quàm ut provinciæ Iutiæ, quas olim beneficio suo ad fortunæ suæ subsidium tenuerant, iterum recipiant in publicæ inopiæ subsidium, tantum ut in Iutiam ejus rei gratia se ad certum diem accedere ne graventur, postulare.* Audita legatione, Haraldus rem ad matrem detulit, amicosqve intimos de itinere illò suscipiendo unà secum in consilium adhibuit, diversisqve sententiis excepta est: alii dolum subesse statuentes, profectionem ut suspectam dissvadebant; alii, iiqve plures, ad eam propensiores erant, qvorum etiam sententia vicit, propterea, qvod annonæ inopiâ universam Norvegiam graviter flagellante, unde Reges classes milites qve tuerentur, unde commeatibus præbendis sufficerent, nihil reliqvum, tum in Hardangria esset regione depasta, turpiqve facie macilenta. Danis autem frugum & victualium copia passim prospera fuit. Publicam ergo penuriam Danicis opibus sublevatum iri vulgo censebatur. Accessit innocentiæ fiducia, qvòd nullum Regi damnum, nisi qvod evitari non poterat, illatum fuerit. His rationibus persvasi creduli Regis ingenio minusqve prudenti adqve dolos præcavendos circumspecto, nec minus sibi ipsis famelici consiliarii imposuerunt. Conclusum; *ut Rex ipse legatis jam abitum maturantibus polliceretur, se proxima æstate in Daniam transgressurum.* Hoc responso dimissi Daniam repetunt, Regiqve Haraldum ad provincias in fevdum recipiendas expectandum referunt.

CAP. XIV.

DE PROFECTIONE REGIS GRAFELDI IN DANIAM, GULLHARALDI EXPEDITIONE ADVERSUS EUM, COMITIS HACONIS CONSILIIS DE UTROQVE VIVIS EXIMENDO.

EAdem æstate Haraldus Grafeldus tres naves è littore Norvegico solvit, qvarum qvælibet octoginta classiarios portavit, unam earum Arinbiornus Fiordorum satrapa, sæpius antè nominatus, duxit. *Codex Flateyensis*, sed solus, sex navibus instructum Regem expeditionem illam suscepisse refert. E vika in Jutiam itum, ingressusqve fretum Limicum Rex, anchoris ad Halsicum sinum projectis, terræ naves applicuit, adventum Danici Regis præstolaturus: fama enim præcesserat, primò eum qvoqvo tempore illuc accessurum. Ad qvem rumorem excitus Gull-Haraldus,

novem myoparones, singulos magnos, militibusqve paratissimos, adqve piraticam expeditionem instructissimos, ê portu educens, Regem Grafeldum oppugnatum ibat. Qvo abeunte Hacon, qvi tum duodecim majoribus navibus instructus expeditionem piraticam apud exteros sectaturus putabatur, Regem accedens: *Hanc*, inqvit, *quam paravi, expeditionem rescindere, stipendiumque militibus pendere, consultissimum duco, qvin Gull-Haraldus, qui jam in procinctu est, Haraldum Norvegiæ Regem opprimat interficiatque; Regnumque ejus victoriæ præmium in suam potestatem redigat. Cum vero, te procurante, illo auctus fuerit, an ideo existimabis Danici Regni curam omnem abjecisse? tibique partem Regni, quam nullis omnino subsidiis fultus intra non modo limites Regni tui, sed & aulæ tuæ parietes, in potestate tua manibusque constitutus, non modo vi Regiæ, sed cuivis etiam privati injuriis insidiisque oportunus, tanta contentione extorquere conatus est, ut mihi seriò hac hyeme asseveraret, non proprias manus â cæde tua temperaturum, ni cederes, jam ad summum potentiæ provectum, viribusq; ad jus, quod prætendit, armis persequendum affatim instructum, æquo animo permissurum? Hoc autem metu certissimoque periculo ut te liberem, maxima tua in me merita, concessa commeatûs per Regnum tuum libertas, tutusque receptus, ornatus & munera qvàm plurima exposcunt, nec deficit materia gratiæ uberrimo cum fænore referendæ. Gull-Haraldum oppugnatum ibo, recentique cæde Grafeldi calentem, imminutis prælio viribus, facilè opprimam occidamque, unaque die, uno duntaxat prælio, universam Norvegiam in tuam potestatem redigam. Tu modo facilem ad veniam cædis apud te impetrandam, quasi rogatu amicorum, quo suspicionem abs te amoliare, aditum præsta. Exinde Comitis titulo legatum seu vasallum tuum constitues, præstitutoque tibi fidelitatis submissæ juramento, sub certa annui tributi conditione imperium illud jure clientelari tibi obstrictum ex arbitrio tuo moderabor, id quod maximo tibi cedet honori, te duobus amplissimis Regnis imperitantem, Regiam magni parentis gloriam, maximam quidem illam, ob magnam Daniæ partem devictam, tot Regum patrimonia paternæ ditioni nunquam subjecta in potestatem redacta rerum magnitudine tanti Regni accessione longe lateque exsuperâsse.* Qvibus auditis, tanta formido novarum rerum Regi incussa est, satis credenti vera esse, qvæ afferebantur, ut facilè in nepotis necem consentiret. Inde Hacon lætus ad Gull-Haraldum cum duodecim illa navium classe, qvam præparatam habebat, inqvirendum abiit.

CAP. XV.

DE HARALDO GRAFELDO A GULL-HARALDO CÆSO IN JUTIA, CÆDEQVE ARINBIORNI, HARALDI ELOGIO.

INterim Gull-Haraldus in sinum Limicum ad Halsum usqve evectus, Grafeldum ad pugnam exposcit, aciemqve sine mora instruit. Prius tamen, qvàm acies concurrerent, Grafeldus suos acri adhortatione ad prælium capessendum acuit, exemploqve præit, inqve primam hostium aciem facto impetu, ex utroqve latere feriendo invectus, dubiam primò victoriam, numero licet longé inferior, fecit; nec tamen longo tempore pauciores plures sustinuerunt. Videns autem Grafeldus suorum

cædem,

cædem, nec Gull-Haraldo resisti posse, eum his verbis alloqvitur. *Video*, inqvit, *telam hanc Haconem cognatum meum texuisse, neque enim tu hujus victoriæ diuturnum fructum capies. Nos cum occideris, è vestigio aderit, cædemque nostram in te vindicabit: id qvod mihi risum movet.* His dictis tela gladiosqve in hostes vibrat, tandemqve fortiter pugnando occiditur cum plurima copiarum suarum parte, hostibus neqvaqvam incruentâ victoriâ concessâ. Ibi etiam Arinbiornus nutricius ejus, fidelisqve prius patris, deinde illius individuus comes, vir & memorabilis & longiori vita dignus, nobisqve toties memoratus, occubuit. Duobus rhythmis horum cædem pugnamqve Glumus Geirinus in oda Grafeldiana cecinit. Hæc gesta sunt anno decimo qvinto a cæde Haconis Adalsteini Alumni, decimo tertio postqvam Sigurdus Hladensis Comes incensus est, teste *Ario Polyhistore*. Tredecim tunc annos Hacon patrimoniali seu hæreditaria ditione sua Thrandia abfuit (utor enim verbis Chronicorum) eodem *Ario* tradente, qvorum sex ultimi mutuis cum Gunnhildidis præliis, variisqve victoriis, mutuis item exiliis, consumpti sunt. verum ordinem temporum penitiùs inspicienti facilè apparet, Regem Daniæ his annis bello cum Imperatore Ottone Secundo distentum, Norvegiæ simul subligendæ non vacâsse, tum etiam, qvòd hic idem annus, nimirum LXXV. ab anno LXII. Haraldo fatali, decimus tertius sit, qvo evocatus in auxilium adversus Imperatorem Comes Hacon fide dignis testimoniis traditur; de qvo *in Serie Regum Daniæ* pluribus actum est, itaqve reponendum, qvòd hæc gesta sint anno duodecimo a cæde Haconis Adalsteini Alumni, decimo postqvam Sigurdus Comes Hladensis incensus est.

Atqve ita artibus Haconis, Daniæ Regem, a pluribus aliàs virtutibus commendabilem, ad proditionem parricidiumqve impellentis, Gull-Haraldus imprudentiæ, Grafeldus occisi per proditionem Sigurdi Comitis, ejusdem Haconis patris, aliorumqve scelerum, Deo exigente, pœnas dedit. Erat autem omnium Eirici filiorum præcipuus, tantæqve existimationis, ut cum Comes Hacon Regi Haraldo, ut eum in Daniam pelliceret, svaderet, ibiqve occidendum curaret, Rex solius ejus morte omne Gunnhildidarum imperium ilicò concisurum conjectaret. Erant qvidem omnes illi fratres Christianis sacris imbuti, privatimqve ea coluerunt: fanis etiam ethnicorum compluribus destructis publicum odium in se concitârunt, licèt religionis arbitrium cuiqve liberum permitterent, nec Christianæ religioni promovendæ operam singularem adhiberent. Latas ab Hacone Adalsteini Alumno leges, nisi qvantum iis conducebat, haut observabant. Inaudita toto imperii eorum tempore annonæ caritas totam Norvegiam afflixit, id qvod ethnici iræ deorum ob destructa delubra temerataqve sacra sua adscripserunt. Mediis æstatibus tantæ tempestates sæviebant, ut nives perinde ac hiberno tempore terram tegerent, armentisqve pabula intra bovilia receptis ministrari necessum fuerit, sed & pisces halicesqve tanqvam proscripti circumfluum mare fugiebant. Publica inde fames omnem regionem pervasit, ne ad reditus Regibus prædiorumqve annuum canonem censumq; & tributa pendenda satis suppeteret, cum tamen nihilominus colonis emungendis sedulò incumberent, nec tamen haberent, qvo famulis ministrisqve stipendia solverent, sola indulgentiâ & comitate sibi devinctis. Nec cibo hominum usui idoneo, sed canina potius escâ vescebantur; id qvod Eyvindus Skaldaspiller carmine qvestus est. Nam Halogiam pestis hæc maximè urebat, ubi

inusitata tempestate sata interierant, frugesqve terrestres & piscationes marinæ defecerant, densæqve nives media æstate agris campisqve, cum intenso frigore obductæ, frugum ac graminum proventum impediebant, majoremqve ea de causa annonæ caritatem, vitæqve discrimen & afflictionem inducebant, id qvod idem Eyvindus suo exemplo probat. Is enim carmen qvoddam celebre in omnium Islandorum honorem composuit: præmium pro singulis capitibus nummum probatæ monetæ reportavit, qvorum qvilibet tribus nummis appensis æqvivalebat, qvem publica authoritate in forum generale, seu supremam totius insulæ curiam judicialem collegiumqve, qvod ad statum publicum liberi tum populi pertinebat, retulerunt. Inde hasta, cujus tubus hastili detractus veste condi possit (Felldar dalc propria lingva nuncupant) conflata, affabreqve elaborata fuit, qvæ præter fabri mercedem qvinqvaginta marcas valebat, qvam deinde, indigentia premente, in frusta dissectam pecoribus in alimenti usum mactandis permutare necesse habuit. Subqve veris ineuntis initium artem sagittandi monstrare pro halecibus comparandis, consumpto qvippe dono sibi ex Islandia misso, id qvod is duobus rhythmis testatur, ubi Islandos poetico artificio *indigenas extra orbem* nuncupat. Huic viro antiqvæ virtutis & fidei studium amorqve prioris domini semper obstabat, qvominus Haraldi Gunnhildidarumqve gratiam conseqveretur. Cum enim Haconis liberalitatem avaritiæ horum sordibusqve compararet, cognosceretqve, aurum eos pretiosamqve gazam minutorum rusticorum more in terra defodisse, qvam ipsi contra omnes hostium insultus defendere tenebantur, non temperavit sibi, qvin pusillanimitatis tam abjectæ argumentum carmine satyrico duobus versibus constante perstringeret. Qvod ut Grafeldo innotuit, criminis eum læsæ Majestatis reum egit, *sibi namque fidei juramentum præstitisse, inque suum famulitium concessisse, pœnam ruptæ fidei supplicium capitis meruisse* dictitabat. Interventu amicorum pænam arbitrio suo permissam armillæ pretiosæ multâ, qvæ Moldius nuncupabatur, qvòd in pulvere, qvi vernaculè mold est, inventa fuerit, remisit, qvam tamen Eyvindus ægrè reddidit. Adeo libertas illa nimia, qvæ Haconis Adalsteini Alumni regnum mercantis indultu incolis data est, in immensum excrevit, ut juris Regii reverentiæ, & debiti obseqvii obliti cives, iiqve cultiores, injuriam sibi fieri existimarent, etiam tum maximè, cum leniter ipsiscum & indulgenter actum est. Eyvindus longa senecta memorabilis ultra piratarum Jomicorum, seu Julinensium, conflictum vitam produxisse, vel inde conspicitur, qvòd ille carmine ab eo celebratus in Chronicis Snorrio Sturlæo adscriptis decantatus extet, qvi in annum æræ Christianæ CMXCIV a Chronographis refertur.

Multis curis negotiisqve Haraldus, dum regnabat, occupatus fuisse continuèqve implicitus traditur, nullo Regni vel subditorum emolumento, qvòd diversorum Regulorum distractis habitationibus, pluribusqve aulis satellitiisqve numerosis in dies sustentandis exhaustum, magis ad eversionem spectabat. Expeditiones Grafeldi dum in Norvegia regnaret, nulla certa annorum serie, diversis tamen æstatibus, hæ numerantur. Prima in Daniam, ubi in Scania piratas profligâsse memoratur, forte Danorum hostes, qvibus confœderatus erat. Secunda in Scotiam & Hialtlandiam, tum fortè Comitibus rebellem, victoriis utrobiqve clara. Tertia in Gautiam magna mole motuqve & indigenarum clade suscepta. Qvarta in Biarmiam magnis copiis directa: ubi in ripis fluvii Vinæ, seu

Dvinæ, magno prælio profligatis incolis, victoriam ingentibus ſpoliis locupletavit, magna auri argentiqve & pretioſarum mercium prædâ domum devectâ. Hæc tamen dum pax inter Haconem & eum duravit, magnam partem geſta videntur. Hujus ultimæ Glumus Geirinus etiam verſu qvodam meminit. Tradit *Codex Flateyenſis*, Færeyas bifariam inter Haraldum Regem & Haconem Comitem diviſas, eorum beneficio Færeyenſium primariis clientelari jure adminiſtrandas traditas. Dimidiam partem Hafgrimus a Rege præfectus accepit, reliqvam duo fratres Breſter & Beiner Haconi Comiti ſubjectam eodem jure tenuerunt, ut in *Rebus geſtis Færeyenſium* dictum eſt.

CAP. XVI.

DE GULL-HARALDO A COMITE HACONE CÆSO, CÆRULIDENTIS EXPEDITIONE IN NORVEGIAM, VIKENSIUM AD EUM TRANSITIONE, HARALDI GRÆNSKII ET COMITIS HACONIS INVESTITURA, FUGA GUNNHILDIS ET FILIORUM, THEODRICI MONACHI ET CODICIS FLAT: ABSURDA NARRATIONE, GUNNHILDIS ELOGIO.

NOndum Gull-Haraldus feſſas vulneribusqve ſaucias militum claſſiariorumqve ſuorum reliqvias refecerat, cum eum recenti victoria, magis etiam improba ſpe Regni Norvegici, protinus in ſuam poteſtatem nullo negotio redigendi, exultantem ex improviſo amicus ſummus, tantarumqve rerum promotor deſtinatus Hacon, copiis claſſeqve ſuperior infeſtus invadit. Nec difficultèr ſaucios & defatigatos adhuc ex ſuperiore congreſſione milites, integer ipſe viribus, ſuperat, captumqve Gull-Haraldum in crucem agit. Præmium victoriæ claſſis univerſa, cum omnibus ejus opibus gazaqve pretioſa, in qvibus tanta auri vis eminebat, ut exemplo careret, unum aliqvem virum tantam copiam in ſeptentrionem invexiſſe. Duas arcas *Codex Flateyenſis* auro refertas tradit, ſingulas tanti ponderis, ut vix â duobus robuſtiſſimis viris levari poſſint. Illud aurum in auſtralibus regionibus longa injuria partum cognomen ei Gull-Haraldi, qvo titulo ubiqve poſtea innotuit, Haconi autem potiendi cupidinem, indidit, eumqve tandem poſſeſſoris ſui exitio ditavit. Hinc ad Regem Cærulidentem cum victrice claſſe reverſus, expoſito certaminis exitu, facta mortis Regio juvene indignæ compenſatione, in gratiam rediit. Tantam prædam Haconi nullo alio intuitu permiſſam exiſtimo, qvàm ut tantis devinctus beneficiis fidelem Regi operam in Norvegia ei ſubjicienda, inqve obſeqvio retinenda, navaret. Et jam celeritate opus erat, ut famam interempti Grafeldi ipſe cum claſſe copiisqve ingentibus præſens præverteret. Itaqve qvàm ociſſime, collecta ingenti multitudine, claſſeqve ſexcentarum navium exercituqve ex omni Regni ſui angulo navibus impoſito, in Vikam Haraldus trajecit, ad commilitium unà ſecum trahens Haconem Comitem & Haraldum Grænskium, id temporis circiter octodecim annorum juvenem, e Svecia ad ſe ſive evocatum, ſive ultrò accedentem (Membrana pervetuſta *Thomas-Skinna* ab Comite Hacone orientalia rura diripiente, in aulam Regi-

 am

am proxima hyeme amicè deductum consilia de subvertendo Grafeldo miscuisse perhibet) cum magnâ turba nobilium virorum, qvi Gunnhildidarum tyrannide & crudelitate extorres patriâ, ad eum auxilium imploratum convenerunt.

Regem in Vikam venientem omnes indigenæ, vicinarumqve provinciarum incolæ, obviam procedentes effuso studio prosecuti, qvàm obseqventissimè exceperunt, ultroqve se suaqve omnia in ejus ditionem dediderunt. Cum vero Tunsbergam oppidum opulentum ventum esset, ilicò ad eum ingens multitudo confluxit, seqve pariter in ejus potestatem tradunt, imperata facturi. Omnia enim Dano in illis oris prona Haraldi Grænskii, istarum provinciarum justi hæredis dominiqve, jamqve designati Regis, authoritas, longumqve desiderium, tum etiam Gunnhildidarum metus & odium, fecisse videntur. Omne deinde militum robur, qvod ad illum, dum in Norvegia moraretur, confluxerat, Haconi tradidit, ad Rogiam, Hordiam, Sogniam, Fiordos, Sunnmæriam, Raumsdalum & Nordmæriam, Gunnhildidarum ditiones pacandas, deinde ea lege, qva Haraldus Pulchricomus olim filiis suis, regendas comisit, villis præterea omnibus Regiis, cum annuis eorum reditibus, tam in Thrandia, qvàm in reliqvis provinciis, in perpetuam ejus possessionem adjectis, pecuniâ etiam Regia universa, qvoties hostibus resistendum esset, ad eos propulsandos concessa. Modus ordinariorum tributorum centum selibræ auri cum sexaginta falconibus qvotannis definitus. Inde *Oddo Monacho* notatum, eum Norvegiam suam Haukey/ seu *insulam accipitrum*, appellare solitum. Ex præda Gull-Haraldo erepta primi triennii censum omnem solvisse *Codex Flateyensis*, sed solus, refert. Adjectum conditionibus præterea, eodem, sed solo, teste, ut semel tantùm, cum Rex maximè indigeret, Hacon militem totâ Norvegiâ conscriberet, inqve Daniam deportaret, ipse verò omni tempore, qvoties Rex eum accerseret, ejusqve præsentis consilia reqvireret, absqve mora in Daniam ad eum proficisceretur. *Oddus Monachus* omissa limitatione pactis comprehensum tradit, ut si qvando ad regni sui defensionem Rex Haraldus auxiliis indigeret, Hacon qvoqve præsens eâ conferre teneretur. Haraldo Grænskio Vingulmarchia, Vestfoldia & Agdæ usqve ad Lindisnesiam cũ Regio titulo, eadem conditione, qvâ majores ejus a tempore Pulchricomi eos obtinuerant, concessæ exinde is potentiâ in dies creverat. His ordinatis Haraldus Daniæ Rex magna cum gloria & splendore in Daniam rediit. Hacone autem cum exercitu versus aqvilonem tendente, Gunnhildis cum filiis exercitum conscripserunt. Ut verò plures tergiversantes militiamqve detrectantes animadverterunt, idem qvod prius consilium cæperunt, voluntarium sibi exilium indicentes, transmissoqve oceano cum manu, qvæ sponte secuta est, in Orcades primùm delati sunt, ibiqve aliqvantisper morabantur.

Eo tempore Thorfinni Hausakliufi filii, Ludovicus, Arnvidus, seu Arnfinnus, Liotus & Skulius, simul insulis istis præfuerunt; Havardus namqve Arsæll/ seu Felicis Annonæ, insidiis uxoris suæ, horum sororis, tunc occubuerat. Neqve nobis ex eo tempore qvicqvam de Gunnhilde aut ejus exitu constat, nam qvod *Theodoricus Monachus* & *Codex Flateyensis* narrant, fidem non merentur. Verba ejus ex historia de Regibus Norvegicis capite sexto hæc sunt. *Hacon*, inqvit, (Comitem intelligit) *commentus est hujus modi dolum. Mittit ad Regem Daciæ* (Haraldum scilicet Cærulidentem) *sibi tunc amicissimum, qvia adhuc paganum: rogat ut mittat literas ad*

ad Gunnhildem occultè, petatqve ſibi eam in matrimonium, aſſerat felicem fore Daniam tali Regina. Nec illi animo appetendas juvenum nuptias, ſe qvoqve jam provectæ ætatis, optimè eos poſſe convenire. Suſcepit itaqve mulier Regias literas, oppidoqve lætata, & muliebri levitate nimis credula ad Daciam tendit, qvam Rex mox comprehendi & in qvandam paludem demergi fecit. Et hic fuit finis ſcelerum & maleficiorum Gunnhildar.

Iisdem fere verbis *Codex Flateyenſis columna 74 & 75* hæc deſcribit. Verum præterqvam qvod abſurdum videtur, fæminam ſagacisſimam, recenti Regis dolo filio orbatam, Regno propemodum exutam, cumqve omni familia tantùm non ſubverſam, hoſti jam aperto, prius occulto & inſidioſo, ſe fortunas vitamqve ſuam commiſſuram, paſſamqve novis technis, inſtrumentis ſibi ipſi per omnem vitam maximè familiaribus, id eſt, ſuis ipſius laqveis irretiri, etiam ætas accedit, qvæ illam conjugio, magis etiam Regis, inhabilem reddidit. Nam *ex Thorolfi Skallagrimii vita*, ubi de primis Eirici Blodoxii expeditionibus agitur, ſatis conſtat, eam ante annum nongenteſimum natam. Hoc igitur tempore, qvo Rex eam in uxorem expeteret, octogenariæ vel certe ſeptuagenariæ propior erat, provectior ſenio mulier, qvàm ut ipſa ſibi perſvadere poſſet, nuptias ſuas eum ſeriò ambire. Jam vero ſatis conſtat, Chronicis omnibus ac *Codice* etiam *Flateyenſi* teſtantibus, eam cum filiis ſuis hoc eodem anno, qvo Haraldus Gormius in Norvegiam movit, Haconqve inſtructa claſſe in aqvilonares Regni partes ad eos perſeqvendos progreſſus eſt, Regno excesſiſſe, ut ſupra relatum, nec usqvam Gunnhildis iterum rediiſſe legitur. Fuit qvidem facie honeſta, admodum formoſa, eximia corporis ſpecie, cultuqve ſplendido conſpicua, ſtatura mediocri, ingenio ſubtili, judicio arguto & ſolerti, eloqvens & multiloqva, blanda pariter & alloqvio etiam amicis inſidioſa; rarò etiam fida, crudelis, avara & imperioſa, magicis artibus dedita, divitiarum proferendorumqve limitum valde cupida, tum etiam virorum appetentiſſima.

CAP. XVII.

TESTIMONIA ET RATIONES DE ANNO HARALDO GRAFELDO FATALI.

PRomiſimus nos cap. 15. idoneis teſtimoniis adſtructuros, exitum vitæ Haraldi non ut vulgo putârunt, ſed ad annum 962 eſſe referendum. In *Trifolio* autem noſtro, & qvidem de Gormo Grandævo, invictis teſtimoniis rationibusqve monſtravimus, propugnationem munimenti Danavirkii duce Hacone in annum 976. incidiſſe, idqve poſt annum decimum qvartum ex qvo Haraldus cæſus eſt. Confirmat hæc *Jonis Loptii Encomiaſtes*, qvi imperio Comitis Haconis a morte Grafeldi triginta tres annos asſignat, qvi a 995. fatali ejus anno ſubducti initium ejus in eodem anno figunt. Confirmat & *Odilus Monachus* diſertis verbis ſine ambagibus, huc neceſſariò inferendis, nam poſtqvam cædem Grafeldi & Gull-Haraldi expoſuiſſet, hæc ſubjungit. Sidan ſetti Haraldr Konungr Hacon Forradzmann og Jarl yfer Noreg/ enn hann ſcylldi giallda Skatta Dana Konungi a hverio ari/ og for ſva Þrettan ar/ at Nordmenn voro lydſcylldir undir Dani/ oc a Þrettanda ari bardiz Otto Keyſari vid Dani/ og þa flydo Þeir Haraldr Konungr oc Hacon Jarl i Limafiord/ enn Sidan

flydi

flydi Hacon Jarl til Noreos og gallt sidan allori Skatt Dana Konungi. Hoc est. *Post ea rex Haraldus constituit Haconem gubernatorem & Comitem Norvegiæ, is autem regi Daniæ ad annua tributa obligabatur; idqve tredecim annos ita tenuit, ut Norvegi Danis subjicerentur. Anno autem decimo tertio Imperator Otto cum Danis bellum gessit, tunc rex Haraldus & Comes Hacon in sinum Limicum confugiebant. Deinde Hacon fugit in Norvegiam, nec unqvam in posterum Daniæ regi tributa pendebat.* Prius dixerat, Ottonem hunc Rufsum fuisse cognominatum, qvo Ottonem Secundum nobis monstrat. Probat qvoqve hæc *Compendium Chronicorum*, seu *Fagrskinna*, nam postqvam cædes Haraldorum Grafeldi & Gull-Haraldi descripsisset, addidit: *regem numerosâ classe in Norvegiam movisse, pulsisqve regnô omnibus Gunnhildis filiis totam sibi subjecisse, aqvilonaribusqve provinciis usqve Lidandisnesiam Haconem præfecisse; atque his feliciter expeditis Daniam repetivisse. Exactâ deinde hyeme, Ragnfrodum regnum repetentem manum cum Hacone conseruisse, acceptâque clade alteram hyemem in Sognia remansisse, proximo deinde vere bello cruento superatum, cum matre & filiis regno exactum.* Tum verò subjicit. A hinu þrettanda ari rykis Hakonar Jarls Komu bod or Danmorku at Jarlinn scyldi koma med her at veita Styrk og lid Haraldi Konungi Gormssyni i mot Otto Keysara. Hoc est. *Decimo tertio anno imperii Comitis Haconis per nuncios e Dania mandatum est, ut Comes cum exercitu veniret, Regique Haraldo Gormio adversus Imperatorem Ottonem auxiliaretur.* Clarum est, ab initio præfecturæ Comitis Haconis hos annos numerari; nec aliter in annum munimento Danavirkio fatalem posse desinere. Idem annus 964. qvo Comitatus Vingulmarkiæ & Raumarikiæ Comiti Eirico, Comitis Haconis filio, anno ætatis suæ duodecimo cum Comitis dignitate a Rege Haraldo collatus, evincit, non enim ei ante cæsum Grafeldum ullum in Norvegiam aut ejus provincias jus fuit. Annum ex Comitis Haconis ætate Eiriciqve nativitate & gestis memorabilibus facilè exqvirimus hoc modo. *Historia Olafi Tryggvini Partis prioris cap: ultimo* tradit, Comitem Haconem duo de sexaginta annorum fuisse cum jugularetur; id vero factum anno 995. natus ergo erit anno 937. *Compendium* autem memorat, eum anno ætatis decimo qvinto Comitem Eiricum procreâsse: ejus itaq; annus natalis erit æræ Christianæ 952. Eum vero Snorrius author est occidisse Scoptium Famigeratorem; anno ætatis decimo vel undecimo, hyememqve apud nutritium suum mansisse; vere proximo ad Regem Haraldum navigâsse (qvod tamen *Compendium* eodem autumno (idqve vero similius) factum affirmat, ibiqve hyemem transegisse; seqventi vere Comitis dignitate ab eo ornatum inqve Norvegiam remissum, id qvod in annum 964 incidit: undè facile colligitur, occisum tunc fuisse Grafeldum, & Haraldum Cærulidentem sceptris Norvegiæ potitum.

His admissis, magna pars annorum, qvibus Hacon Adalsteini Alumnus regnâsse perhibetur, illi perit, sed qvo damno nescio, cum nullis, qvod sciam, synchronismis externis scriptoribus notatis illustretur, imo totam Historiam narrationesqve, sibi satis alioqvin consentaneas, spississimis tenebris obscuret, tricisqve vix extricabilibus involvat. Si enim ex allatis testimoniis statuamus, anno 962. Grafeldum occisum fuisse, firmatur omnium nostrarum antiqvitatum constans assertio de Olafo Tryggvino partes Cæsaris illo bello secuto. Tradunt enim eum natum sexennio anteqvam Grafeldus cæsus est. Cum ex Gardarikia solvit, annos octodecim natus dicitur: anno post uxorem duxit Geiram Burisleifi filiam: seqventi

qventi anno bello ad Danavirkium interfuit, annorum viginti, id qvod comuniter in annum 988 referunt: verùm si hæc ætas referatur ad annum 976, omnia congruunt; si natum statuimus anno 956, Haraldumqve Grafeldum anno 962 cæsum, sexennis tunc erat Olafus, & anno 976 vicenarius, Burisleifumqve socerum Ottonis ducibus aggregatum facilè seqvi poterat. Favet qvoqve huic hypothesi Gull-Haraldi ætas, qvæ si anno 962 finiebatur, viginti septem annorum fuerat, si anno 935. eodem anno, qvo pater mortuus est, natum supponimus, aut si tum puerum, tamen non nimium provectum, cum litem de regno movere cæpit, qvod qvinqvagenario minus convenit. Favet & destinatæ in Islandiam expeditioni Haraldi (qvam tum, cum Norvegiam sibi subjecit, non postea, cum ditionem Haconis vastavit, meditatus videtur) synchronismus Thordi Gelleris, qvem anno 965 mortuum annales notant. Qvod si Annales & Historia Nialis cum anno cædis Grafeldi examinentur, deprehendentur omnia consistere, si ab anno 962 numeratio instituatur. Sin vero ab anno 975 vel 76, certè ethnicismus in Islandia longe ultra annum millesimum producitur, qvod qvàm sit absurdum, neminem in gentis illius Historia aliqva ex parte versatum latere poterit.

CAP. XVIII.

DE GENERE RUTI ISLANDI; EO IN NORVEGIAM AD REPETENDAM HÆREDITATEM A SOTIO OCCUPATAM UNA CUM PATRUO AUSSURE PROFECTO; IIS A GUNNHILDE HYEMATUM INVITATIS, ET RUTO REGI FILIO AB EA COMMENDATO, INQVE SATELLITIUM REGIUM RECEPTO: GUNNHILDIS IN EUM HUMANITATE, IN LASSIVIAM ET PROCACITATEM DESINENTE.

Libet hic coronidis loco subjicere, qvæ inter Gunnhildem, jam sexagenaria majorem, & civem qvendam Islandiæ gesta sunt. Is fuit vir, nomine Rutus, Heriolfi filius, Eyvindi Elldi, viri inter Norvegos primarii, nepos. Frater ei consangvineus vir Norvegus Eyvindus: patruus alter, similiter Norvegus, Aussur dictus: uterinus verò frater Hauskuldus, Kolli ejus filius, qvi ab occupata Dalorum provincia DalaKollus dictus est. Horum mater, ut superius dictum est, Thorgerdis fuit, Thorsteini Rufi Scotiæ Regis filia, qvæ post prioris mariti DalaKolli mortem ad cognatos suos in Norvegiã migravit, magnaqve benevolentia a propinqvis excepta, nupsit ibi satrapæ cuidam Heriolfo, ex qva Rutum hunc procreavit, qvi tamen in Islandiam concessit, ibiqve in vicino fratri prædio habitavit, qvod ab ejus nomine hodieqve Rutstadorum nomen retinet. Contigit autem, ut cum frater Eyvindus in Norvegia diem suum obiret, fratre Ruto peregrino & absente, sed solo hærede in publico Gulathingensium foro â se prius pronunciato, vacantem hæreditatem Sotius qvidam occuparet. Ad eam igitur repetendam Rutus cum patruo suo Aussure, qvi ê Norvegiâ cum mercibus in Islandiam navigaverat, potissimum tamen ad nepotem Rutum arcessen-

dum, in Norvegiæ provinciam Vixam provectus est. Transtulit tunc temporis Haraldus Grafeldus cum matre domicilium, non tamen perpetuum, Konghellam: id verò ante annum nongentesimum sexagesimum nonum fieri non potuisse, qvamdiu Tryggvius & Gudriodus sedes ibi fixas tenuerunt, ex præcedentibus facilè colligitur; imo nec ante septuagesimum, aut ex nostro calculo sextum supra qvinqvagesimum.

Cognito peregrinam navem ex Islandia in Vikam delatam, Gunnhildis per exploratores, qvos homines præcipuos veheret? muliebri curiositate reqvisivit. Auditoqve Rutum patruumqe ejus Aussurem adesse; *Novi*, inqvit, *cujus causa adsint, hæreditatem nimirum, qvam Sotius invasit, postulatum*: protinusqve Augmundum qvendam sibi a calceis ad eos mittit, qvi referat; *utrumque Reginam ad se hyematum invitare, suamque gratiam favoremque polliceri, Ruti etiam causam, si suis consiliis obtemperet, promoturam, gratiamque Regis consiliaturam.* Hæc cum ille mandata exponeret, in Reginæ gratiam perhumaniter exceptus est. Interim illi, *qvorsum tam inopina gratia immeritusque favor tenderet*? deliberant. Aussur, *notum sibi Gunnhildis ingenium* memorat, *oblatam gratiam favoremque debita cum veneratione agnitum acceptumque liberaliter impensuræ; recusatum ut contemptum sui interpretantis proscriptione bonorumque omnium publicatione protinus repensuræ.* Nuncium igitur magno verborum honore dimissum, actis impensé gratiis, Reginæ referre jubent; *se, prout mandaverit*, accessuros. Qvibus relatis, *optimè eos sibi consuluisse* respondit: *Rutum etiam famâ sapientem virum haberi. Tu vero adventum eorum observa, mihique statim nuncia.* Cum autem illi Konghellam venissent, â cognatis suis qvàm amicissimè excepti sunt. Id verò, ut præceptum erat, Augmundus Reginæ maturè nunciavit. Eum igitur ad eos remisit, cum mandatis; *ut Regem qvàm primum accederent, Rutusque intrepidè in satellitium illius adsciscì expeteret; se verò verbis in subsidium causæ subsecuturam.* His vestem optimi generis donum adjecit, qva Regem accessurus amiciretur. Postridie Rutus Aussure & undecim comitibus stipatus ad Regem a prandio potantem aulam ingressus honorificè salutavit. Rex oculos in eum, ut veste præ cæteris cultiore indutum, intendit, & qvinam esset rogavit. Illo nomen professo: *Tu ne*, ait Rex, *Islandus es*? qvo confitente, *qvid illum ad se accedendum impulerit*? qvæsivit. *Cupido*, respondit, *gloriæ tuæ coram conspiciendæ, tum etiam causa hæreditatis, mihi qvidem jure debitæ, sed absque Regio favore vix impetrabilis, maximè autem desiderium tuæ Majestati serviendi, gloriosumque satellitum tuorum commercium societatemque nanciscundi.* Adhæc Rex cum conticesceret, mater eum confestim affata, *videri* ait *hunc virum officiosa ambitione Regi qvidem honorem deferre: cui si singuli aulici pares essent, splendore illustris satellitii universam Regiam radiaturam. Ergone sapiens vir est?* ait Rex. *Et prudens & fortis*, respondit. *Matrem qvidem te promotum velle conspicio*, ait Rex: *verum Majestatis nostræ respectus, publicaque consvetudo, duarum hebdomadum tempus exigit, quo elapso, nostro inserère famulitio, matre interea sustentante victurus.* Illa Augmundo in suum deducere triclinium mandavit, lautoqve excipere convivio. Qvi, ut mandatum est, eos exeuntes comitatus, in palatium marmoreũ, splendidisqve instratum tapetiis, cum introduxisset, solium Reginæ superbum ostentans: *Jam primum*, inqvit, *verbis meis*, *qvibus benivolentiam in*

in te Reginæ prædicabam, fidem habere discito, propriâ experientiâ confirmandam, in eo nempe solio te collocari imperavit, eundem summi honoris locum, ipsa etiam præsente, retenturum. Post exiguum temporis intervallum Regina accessit. Ei loco cessurus Rutus assurrexit. Illa inhibens ibidem assidere jussit, nec locum, qvoties ejus convivio adhiberetur, unqvam mutaturum. Vesperam potando transegerunt. Cubitum ituro; *mecum*, inqvit, *solus in superioribus ædibus pernoctabis.* Qvi facilè obseqvium dominæ pollicitus est, pessuloqve foribus obducto lecti societas per universas qvatuordecim noctes duravit, nullo ad prolem effectu. Tanto tempore cum anus ba-cata, Rutusqve a complexu esset dimittendus, silentium famulis omnibus sub capitis pæna imperavit. Noctium fortè præmium panni Islandici ulnæ centum cum stragulis duodecim discessurus Reginæ donat, magnæ qvidem, ipsa judice, æstimationis, nec id im̃eritò; utpote infami scorto & ætatis exactæ stupri causa donatum. Egressus domo, officiosis verbis gratiam ejus extollens, osculum meruit. Triginta deinceps comitibus succinctus Regem adiit. Qvi promissa exacturum ut adesse cognovit, eum satellitem suum creavit: locum verò inter cæteros assignandum poscenti, â matre monstrandum respondit, qvæ & idoneum delegit: hyemsqve hoc modo in aula Regis transiit.

CAP. XIX.

DE RUTO SOTIUM IN DANIAM PERSEQUENTE; CONGRESSU CUM PIRATA ALTIO EJUSQ; CÆDE; OCCISO A GUDRIODO SOTIO, ET RUTI IN NORVEGIAM REDITU; PROFECTIONE IN PATRIAM; EJUS ELOGIO: DE MELCURCA MYRKIARTANI HIBERNIÆ REGIS FILIA, EJUSQVE FILIO OLAFO PAVONE HIBERNIÆ REGNUM RECUSANTE, ET AD GUNNHILDEM, CUJUS SALACITAS DESCRIBITUR, DIVERTENTE.

INeunte vere, Rutus Sotium in Daniam cum cum universa hæreditate concessisse cognovit. Reginam itaqve accedens, sibi eum perseqvi propositum retulit: qvæ binas ei naves longas, cum nautis classiariis, armis, præfectoqve earum acerrimo, Ulfo Uþvegnum/ seu *Illoto*, carissimo amicô suo, suppeditavit, Regemqve ante abitum salutare mandavit. Cui cum propositum exposuisset, qvanto auxilio mater eum instruxisset? rogavit. *Duobus*, inqvit, *myoparonibus, qvibus Ulfus Illotus emissariorum princeps præfectus est.* Auxilium qvidem ut validum Rex probavit, tantundem tamen se adjecturum pollicitus, nec tamen ad perducendum ad effectum qvod intenderet nimium futurum conjectabat, eumqve jam paratum ad naves ipse prosecutus, felicem expeditionem apprecabatur. His auspiciis Rutus dimissus anchoram solvit, iterqve nauticum absqve impedimento ad fretum Sundicum, seu Hellespontum Danicum, emensus est. Ibi myoparones haud gratuitum transitum permissuros offendit. Tum Ulfus Illotus, *qvid jam*, Islande, *animo volutas? Eodem*, respondit Rutus, *cursu, qvo cæpimus, absque*

ullo diverticulo procedere: neque enim animus, antequam nos invicem cognoverimus, demittendus est. Aussuris meaque navis præcedent, tuam vero in ordine pro arbitrio colloca. Rarò, respondit Ulfus, *aliis pro clipeo ad me protegendum usus sum*; pariterqve cum illis in medias freti angustias processit. Qvod ut piratarum præfecto relatum est, venationem lucrosam futuram præsagiens, naves omnes ad prælium subitò instruxit. Is erat Atlius, Comitis Arnvidi illius filius, qvi post fraude interceptum censum Regium, legatosqve Haconis Adalsteini Alumni astu interemptos, subornatasqve in Eigilem Skallagrimium insidias, e Vermia in Austro-Gothiam celeri fuga promeritum supplicium prævertit, pessimi patris nihilo melior filius, ut qvi toto septentrione proscriptus esset, cum singulos Reges sceleribus suis lacessivisset. Ex Austro-Gothia in Daniam trajecit; jamqve in his faucibus cum octo myoparonibus excubavit, accedentemqve Rutum compellans. *Vos*, inqvit, *improvidè vagamini, nonne bellicas naves, transitum impedientes, observatis? vester autem ductor qvis est?* Rutus cum id indicâsset, seqve satellitem Regis Grafeldi professus esset: *Jam longo tempore*, respondit Atlius, *familia nostra Regibus Norvegis invisa est. Et id qvidem vestro infortunio*, excepit Rutus. *Nec tamen tu ejus in posterum nuncius eris*, ait Atlius: simulqve hastam in navem ejus projecit, & qvem collineavit, occidit. Inde prælium magnis animis statim incaluit; nec videbatur Ruti navis expugnatu facilis. Ulfus ab utraqve parte feriendo hostes passim concidit, memorabilemqve pugnam edidit. Asolfus nuncupabatur Atlii proreta: hic in navem Ruti insiliens, qvatuor prius occidit, qvàm Rutus ascendisse animadvertit. In eum igitur conversus est, & prior qvidem Asolfus clipeum ejus pugione perfodit. Verum eodem momento uno Ruti ictu exanimis concidit. Id conspicatus Ulfus; *grandiores jam ictus infligis*, inqvit, *memor qvidem Gunnhildis, cui plurima debes. Et tu qvidem*, respondit Rutus, *ore imminentis mortis præsago isthæc effutire videris*, dumqve hæc diceret, Atlius Ulfum ex una parte nudum animadvertens, hastâ trajecit. Qvo occiso, qvasi de novo pugna redintegrabatur; Atlio navem Ruti conscendente, magnamqve stragem edente, dum in eum Aussur invehitur, alterius intervenientis gladio petitus, pronus in foros cadit. Rutus autem Atlium excepit, qvi tamen primo ictu clipeum ejus in duas partes dissecuit, alterumqve intentaturi ictu lapidis, aliunde conjecti, brachium adeo graviter pulsatum est, ut gladius manu excideret; qvo Rutus absqve mora correpto, pedem ei alterum præsecuit, mox etiam occidit. Magna ex illa victoria præda congesta est; præcipuæq; naves in Norvegiam sub autumnum relatæ. Interim Sotius diverso itinere Norvegiam repetivit, delatusqve ad latus Lungardense (aliud pariter vetustum exemplar MS. Unngardense appellat) in terram ascendit. Ibi eum Augmundus Gunnhildis famulus offendens, *qvamdiu ibi moraturus esset?* qvæsivit. *Triduum*, respondit; *inde in Angliam profecturum, nec umqvam in Norvegiam rediturum, qvoad Gunnhildis vel filii ejus rerum ibi potirentur.* Hæc ille absqve mora ad Reginam filiumqve Gudriodum, non procul inde convivio indulgentes, detulit. Ea ergo impellente Gudriodus ilicò eo profectus, eum imparatum oppressit, laqveoqve suffocandum curavit, omnibus opibus, & in his Ruto debitis hæreditariis bonis, ad matrem relatis, qvæ Konghellam ea convehi mandavit.

Eodem

Eodem autumno Rutus cum universâ prædâ ad Regem & Gunnhildem rediit, tantumqve inde decerpendum obtulit, qvantum liberet. Trientem Rex accepit. Ibi ex Gunnhilde occisum auspiciis ejus Sotium, receptamqve hæreditatem cognovit; qvi actis impensè gratiis semissem ei donavit, aliamqvè hyemem in aula Regis transegit.

Ineunte vere animo cæpit langvere; id animadvertens Regina, *num tristaretur*? qvæsivit. Ille *verum esse vetus diverbium* respondit, *qvo ne saginato qvidem satis bene sit. Islandiam igitur repetere meditaris*? ait; dissimulanti, id tamen ita se habere respondit. Interjecto tempore Rutus Regem adiit, eumqvè salutavit. Rex *qvid expeteret*? qvæsivit: *veniam*, inqvit, *in Islandiam remeandi. Ibine*, respondit Rex, *honoris majorem qvàm hic accessionem expectabis*? *minime qvidem*, respondit Rutus, *fata tamen etiam invitos trahunt.* Mater itaqve intercessit, & qvamvis frugum magna inopiâ laboraretur, farinæ tamen, qvantum poscebat, suffecit. Omnibus ad profectionem paratis, cum patruo Aussure Regem Reginamqve salutabat, qvæ ei seorsim ducto annulum donavit. Ille multa sibi donâsse respondit. Brachiis deinde complexa, osculataqve, hæc adjecit: *Si tanta in te potestas mihi est, qvam mihi imaginor, inhabilis eris uxori, qvam proximè ducturus es, fæminis tamen omnibus aliis idoneus: neuter tamen nostrum culpa vacat, tu qvod mihi propositum tuum celaveris, ego pænam hanc exigendo.* Is subridens statim discessit. Verum non caruit effectu ista ligatio. Mordi namqve Giæ viri primarii filiam, Unnurem nomine, qvam desponsatam sibi, cum primò ê patria proficisceretur, reliqvit, jam redux cum uxorem duxisset, dimittere hanc unicam ob causam, qvod devotus esset, coactus est, cum illa astu aufugisset, unde de dote ejus repetenda lis postea orta est, ut prolixius in historia rerum Islandicarum exponendum est. Hæc ex historia, qvæ Niala inscribitur, exposui. Laxdæla vero his omissis Rutum prius qvàm in Islandiam migraret, Grafeldi satellitem fuisse perhibet, inqve magno honore ob raras animi corporisqve dotes: Reginæ autem Gunnhildi adeo carum, ut si qvis ullum alium ei componeret, confestim ringeretur; testata id fieri, vel ex virtutis ejus imperita existimatione, vel invidia. Extat ejus in discedentem palam pronunciatum elogium, qvem in viam prosecuta, donato annulo, togâ capiti obvolutâ propero incessu in aulam regressa est. Videntur hæc, qvæ descripsimus, contigisse postqvam ex Islandia rediit, primusqve ejus ad Reginam accessus cum reditu confundi.

Fuit qvidem Rutus ut a bellica fortitudine, ita compluribus aliis virtutibus, maximè tamen a moderatione animi, tum præcipue candore & rerum futurarum præsagio, commendabilis. Nam ad convivium fortè a fratre Hauskuldo invitatus, cum filiam ejus miræ formæ virginem tenellam propiùs inspiceret, rogatusqve de venustate sententiam. *Imò*, respondit, *forma qvidem præclara est, sed multis damnosa: unde vero furtivi oculi in familiam nostram irrepserint, nescio.* Postqvam verò primum suum maritum interfici curavit, secundo, licet non suâ voluntate, mortis tamen causa fuisset, & â tertio Gunnare de Hlidarenda, viro illustri, forte etiam nobis infra memorando, supra etiam in primis Islandiæ incolis, & *Arngrimo Crymogeæ Lib: II. Geneal: XI.* ex parte memorato, uxor peteretur, non temperavit sibi Rutus, qvin & patre præsente, nec repugnante, vitia ejus omnia indicaret, licèt inimico tunc temporis suo, dissvaderetqve eam ducere. Tanta fides & integritas illis viris inerat!

 Id

Id autem, qvod præſagivit, furtum, illa poſtea miniſterio ſervi commiſit, viroqve poſtremo Gunnari mortem, negato auxilio, acceleravit. Hoc inter multa libidinis Gunnhildis argumentum literis proditum eſt, nec caſtiore amore filium fratris ejus, Olafum Pavonem, virum fortunæ naturæqve donis ingentibus memorabilem, complexam ſcriptores ſuſpicatum tradunt. Matre is natus erat Melcurca, Myrkiartani Hiberniæ Regis filia, qvæ qvindecim annos nata, in piratarum, diſtrictum, ubi educabatur, ex improviſo invadentium, poteſtatem, mox etiam ſervitutem, recidit. Vendita deinde tandem inter novem alias fæminas in Brenneyas, ubi tunc publicæ nundinæ celebrabantur, a celeberrimo mercatore Gillio Girskio, ſeu Ruſſo (eſt enim Girskius gentile eorum nomen, qvi in Gardarikia, vel, qvod idem eſt, Ruſſia nati ſunt) venundata ab Hauskuldo tribus marcis argenteis pretio ſervarum trium, (ſingulæ namqve ancillæ ſingulis id temporis ſelibris veniebant) licet viliore longe qvàm cæteræ veſte, muta inſuper, ut putabatur, formâ, omni remoto cultu lenocinioqve, tantùm nudâ commendante, empta eſt. Hacone Adalſteini Alumno & regnante, & in Brenneyas pro more ad comitia tertio qvovis anno ad Regni ſtatum ordinandum id temporis profecto. Ubi Hauskuldus primò Regem inviſit, increpatus ab eo, qvod non prius, donatusqve ſub abitum tanta aſſerum copia, materiâ ædium ædificandarum, qvantam navis mercatoria capiebat, armillâ etiam Regis brachio detractâ, qvæ ſelibram pendebat, gladio item dimidiæ auri ſelibræ pretio: honorisqve cauſa Rege ipſo eum pro more ſeculi ad navem diſceſſurum proſeqvente. Domum deinde deducta Melcurca uxori domini ſui ſerviebat, usqve dum filius Olafus Pavo, ab eximia forma, magnaqve, ſed decenti, ſtatura, qvaſi pavo inter reliqvas aves, dictus, bimulus eſſet. Tum fortè Hauskuldus exſpatiatus æſtivo tempore ſummo mane voces loqventium obſervavit, offenditqve matrem cum filio colloqventem (nam & is tam tener, & locutus eſt, & incedebat, qvatuorqve annorum alios ſtaturâ æqvabat) qvæ ut fandi ſe facultatis convictam animadvertit, & genus & fatum nimis aſperum, calamitatisqve ſeriem expoſuit. Filio demum octodecim annorum in argumentum generis annulum tradidit, donatum ſibi a patre, cum dentes primò in ore ſuo apparuiſſent, baltheum inſuper & cultrum a nutrice (qvod veritati minùs litat, captivam, toties venundatam, inqve varias terras translatam, hæc potuiſſe occultare) qvibus cognoſcenda hæc eum exhibere cum ſalute ſua, modò viverent, jusſit. Is primùm in Norvegiam ad Haraldum Grafeldum Gunnhildemqve profectus, in Ruti gratiam primò benignè exceptus eſt: mox etiam propriis virtutibus intimiore etiam cum Regina conſvetudine commendatior, navem cum ſexaginta militibus generis optimi impetravit, inqve Hiberniam longo per oceanum errore devenit. In littore, refluente maris æſtu, navis fixa ſtabat; irrupturi in eam indigenæ metu multitudinis armatæ ſubſtiterunt. Mox Regi peregrinam navem in æſtuariis ſtantem denunciantes, eum fortè in vicinia convivio indulgentem exciverunt. Qvi unde? cujusqve gentis eſſent? cum qvæſiviſſet, Norvegosqve comperiſſet, ulteriora qværens, ducem Hibernicè a matre edoctum loqventem nepotem agnovit, præter lineamentorum ſimilitudinem, generis notam infallibilem, prolatis etiam indiciis idem evincentibus. Ibi hyemem magno in honore tranſegit. Et licet avus prole non careret maſcula, eum tamen ſucceſſorem ſibi deligere conſtituerat. Verùm Olafus, ſive animo ad tan-

tantum faſtigium capiendum minor, ſeu prudentiâ major, haud æqvo animo ſe peregrinum, peregrino ſtemmate ſatum, in ſolio Regio indigenas paſſurum conjectabat. Cultum igitur ruris Islandici ſceptris Hiberniæ prætulit, qvaſi apud avum, jam lingvæ gentis perito, moribus ejus asſveſcere, leges, jura, artesqve imperatorias in aula Regia addiſcere, populoqve & ordinibus Regni, Rege annitente, ſeſe commendare ſupra vires eſſet. Donis igitur Regiis ornatus, accepta magna pecunia opibusqve, in Norvegiam ad Gunnhildem Regemqve rediit, qvi multa eis pretioſa cimelia donavit, tantumqve honoris apud eos, qvantum peregrinorum alius nemo, aſſecutus eſt. Feſto vero Jolenſi veſte pretioſa a Rege donatus, &, cum inſeqvente vere diſcederet, nave lignis onuſtâ. In patriam redux Thorgerdem filiam Eigilis Skallagrimii uxorem duxit, eam, qvæ faceto commento patrem, mortem ſibi per inediam illaturum, a propoſito revocavit, qvatuorqve filios, totidemqve filias, ex ea progeneravit, qvos omnes filius Kiartanus, partem nominis avi ſui referens, præſtabat: de qvo plura in Olafo Tryggvino dicenda ſunt. Horum congreſſu Gunnhildis, imo & brutorum venere, teſte *Reenhielmo in notis ad caput qvintum vitæ Thorſteini Vikingii*, infamis fuit. Qvam autem citat *Jomsvikingorum hiſtoriam*, non vidi, neqve enim *in codice Flateyenſi* hoc de ea legitur, fama tamen iſtius adhuc in Islandia remanet, ejusqve de ſalacitate eqvi, tauri, arietis, qvas omnes experta traditur, cenſura. Sceleribus ſceleratisqve præterea patrocinium præſtare haud tergiverſabatur. Memorabile Sockius qvidam exemplum præbet, qvi amicitia ejus filiorumqve fretus, ſine ulla prævia offenſa domos incendere, hominesqve occidere, nec ſimplici qvidem mortis genere, conſveverat, rogatus cauſam, *piratas legibus haud teneri* reſpondit. Hæc plenius fortasſis *in Olafi Tryggvini Vita* exeqvenda ſunt, cum Hallfredi Vandræda-Skaldi, ſeu Periculoſi Poetæ, vita, parentes, genusqve recenſenda erunt. Qvæ aliàs â Gunnhilde, filiisve, dum Norvegiæ Regnum tenerent, bene maleve geſta ſint, vel annotata non ſunt, vel etiam penitus interciderunt. Hæc tamen ex Holmverienſium hiſtoria ſubjiciam, cum Haraldi Grafeldi moderationem commendent.

CAP. XX.

DE HARALDI GRAFELDI IN GEIREM, QVI AULICUM OCCIDERAT, MODERATIONE, EODEM GEIRE ET SOCIO HORDO IN VESTRO-GOTHIAM AMANDATIS, IN PATRIAM REVERSIS, ET IBI AD LATROCINIA CONVERSIS; EORUM INTERNECIONE, ET UXORIS HORDI INCREDIBILI FORTITUDINE.

Hördo Grimkelis filio in Norvegia peregrinante, ſocius ejus, nomine Geir (â qvo parva inſula in ſinu Islandiæ Hvalfiordenſi, poſtmodum præſidio ſimul & latronum latriciniorumqve receptaculo delecta, nomen ſortita eſt) in continentem exſpatiatus, cum in aulicos qvosdam incidiſſet, ludibrio expoſitus, ira incaleſcente cuſtodem pecuniæ Reginæ Gunnhildis occidit, adqve ſocium ad naves derepente aufugit. Fuit

præ-

præfectus navis, qvi ipsos patria avexerat, vir Vikensis, nomine Brynjolfus, indolis bonæ & opibus abundans, qvi deprecatorem agens, qvatuor & viginti Islandis, qvos Hordus ilico navibus, inter qvos præfectorum unus Tindus Hallkelis filius nominatur, exciverat, se conjunxerat, qvi Regem adeo flexit, ut satisfactionem ad arbitrium suum exigendam, pro sua parte, non item pro matris, admitteret, missoqve Hordo Geireqve ad patrem suum Thorbiornum in Vikam, qvi vindictæ Gunnhildis eos per proximam hyemem subtraheret, cum ei non constaret, ubi laterent. Sed nec ibi diutiùs tutum fuit; tempore itaqve verno Thorbiornus utrumqve in Vestro-Gothiam ad amicum suum Comitem Haraldum amandavit, ubi Hördus tanta facinora edidit, ut Comitis filiam Helgam uxorem impetraret; qvi tandem in patriam reduces, cum insolentiùs se gererent, alimentorum penuriâ ad latrocinia conversi viciniam infestabant, collectaqve facinorosorum turba ad ducentos usqve insulam illam parvam insidentes, crebris excursibus continentem lacessebant; ad ultimum spe pacificationis illecti a civibus, in abdita latebra congregatis, capti occiduntur. Integra horum historia extat, nomina qvoqve ab ipsis eorumqve gestis locis indita hodieqve rei veritatem abundè testantur, mihi qvoqve haut ignota. Magnam qvidem admirationem Hördi tum animi, tum corporis, fortitudo meretur: uxoris tamen ejus Comitis filiæ omnia excedit; nam inclusa insulæ sola, cum duobus filiis, octenni altero, altero qvadrimo, cum occisis omnibus se postridie peti prospiceret (nam & illam cum duobus pueris neci cives destinaverant) eadem nocte in continentem enavit, singulos pueros binis vicibus humeris sustinens, ingentemq; viam emensa ante diem ad mariti sororem per montana pervenit.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS SECUNDÆ

LIBER SEPTIMUS,

DE GESTIS HARALDI CÆRULIDENTIS DANIÆ NORVEGIÆQVE REGIS.

CAP. I.

BREVIS SUPERIORUM REPETITIO. COMES HACON GUNNHILDEM CUM FILIIS REGNO PELLIT, ETHNICA SACRA RESTITUIT: ANNI FRUGIFERI REDEUNT.

ANnus erat ab incarnatione Salvatoris veteri ſcriptorum calculo, nobis *in Serie Regum Daniæ* adductis rationibus improbato, CMLXXV. aliis CMLXXVI, noſtro CMLVII, cum Haraldus Cærulidens Gormi filius, poſt occiſum, ut relatum eſt, Haraldum Grafeldum, partim metu potentiæ ſuæ, partim etiam ſpe annonæ, ſuo qvoqve beneficio, ut qvi frugiferis & opulentis terris dominaretur, levandæ, tum etiam Gunnhildidarum tyrannidis duriqve imperii tædio odioqve, vulgi præterea in Haraldum Grænskium, ut hæreditarium principem, paternæ avitæqve ditioni reſtituendum, ſtudio, omnes Vikæ incolas in deditionem accepit. Inde univerſo regno, tanqvam jam ſuo, rectores impoſuit, provinciasqve, anteqvam in poteſtatem ſuam conceſſerint, diſtribuit, ſolo nominis ſui terrore. Comitisqve Haconis, copiis qvàm maximis inſtructi, fiduciâ certus, partem reliqvam deditæ, licet longe majorem, acceſſuram. Inde per legatum, eundem Comitem, omnium ordinum ſtudium ſibi conciliantem, Gunnhildem cum duobus ſuperſtitibus filiis (ut Glumus Geirinus carmine memorat) Gudriodo & Ragnfrodo, regno exegit, ſibiqve univer-

ſam Norvegiam ſubjecit; atqve ita ſolus ſupremum imperandi jus ſibi vindicavit. Proxima hyeme Haconem in Thrandia manſiſſe, carmen, cui *Vellekla* nomen author Einar Skalaglamus inſcripſit, luculenter cum cæteris, qvæ acta ſunt, teſtatur. Æſtate ſeqvente auſtrum verſus regionem percurrens, partes dubias reliqvis adjecit, nutantemqve, aut ex parte collapſam, religionem ethnicam ſacrificiaq; edicto ſevero revocavit, reſtituitqve, qvod in *Vellekla* nec omiſſum eſt. Mox annonæ frugumqve proventus ingens affluebat; nam prima imperii ejus hyeme halecum magna copia per univerſam regionem capta eſt, felixqve frugibus, qvi ſeqvebatur, autumnus, colonis omnibus, qvantum ad ſementem faciendam reliqvo vere reqvireretur, abundè ſuppeditavit; reductaqve cum religione fertilitas terra mariqve videbatur.

CAP. II.

DE GESTIS HACONIS CUM RAGNFRODO, EORUMQVE EVENTU.

POſt hyemem in Orcadibus exactam, Ragnfrodus cum valida claſſe magnisqve navibus, delecta militum manu, ad regnum armis repetendum in Norvegiam infeſto animo pervenit; jamqve compertis per ea tempora Haconis apud Thrandenſes ſtativis, per mare Stadenſe in Sunn-Mæriam populabundus tranſcendit, ingentemqve prædam collegit, magnaqve pars incolarum metu perculſa, ut fieri aſſolet, ad hoſtilem vim avertendam, cui majori aliàs reſiſti neqviret, deditionem fecit. Qvo cognito, Hacon militem ex omnibus Thrandiæ provinciis, per telum miſſum in qvatuor viciniæ plagas, publiciqve periculi armatiqve conventus certiſſimum indicium, raptim collegit; qvem claſſi impoſitum in Sunn-Mæriam deportavit; in diſtrictus illius parte borea Ragnfrodum offendit. Militum numero Hacon, navium magnitudine Ragnfrodus præſtabat. E proris, recepto ſeculi illius more, acriter ex utraqve parte pugnabatur, minore Haconis commodo, cum ex inferiori loco tela minus commodè conjicerentur, & miſſa ab hoſtibus, utpote ſuperiore loco, gravius inciderent. Deinde æſtu maris ad litus utraqve claſſis ferebatur; ipſeqve Hacon occaſionem terreſtris pugnæ capturus, remis eò adnixus, terram idoneo loco conſcendit, naveſqve in litus deduci curavit, ne hoſtibus prædæ fierent, inqve patenti campo acie ordinata, Ragnfrodum ad certamen terreſtre provocavit, qvi illud omnino detrectabat, neqvicqvam aliqvoties litus aſcendere juſſus. Pugnatum eminus jaculis, arcubusqve & ſagittis, majori diei parte, non ſine utriusqve clade, Ragnfrodus indigenas, ne fortè Haconi ſe adjungerent, veritus, trans mare Stadenſe auſtrum verſus claſſe refugit; nec Comiti eum iterum adoriri è re ſua viſum, utpote oportunitate navium ſuperiorem. Inde in Thrandiam hyematum reverſus eſt, grandiores ibi naves comparaturus, Ragnfrodo omnibus provinciis tractuqve maritimo Stadas ab auſtro ſpectantibus potiente, magnaſqve ibi copias in hybernis habente, ita ut Fiordi, Sognia, Hordia & Rogia ejus imperium agnoſcerent. Inde proximo vere, qvi anni erat CMLXXIII, nobis CMLXIV, ex omnibus illis provinciis magnam

gnam militum manum, naves, commeatum & cætera, qvibus ad magnum bellum opus esset, collegit. Nec minor Haconi in Thrandia exercitus concitur, omnem belli molem in hostem versuro. Ibi Halogensium ingens numerus: ibi Naumdalensium valida manus: Ibi ex Thrandiâ assvetus pugnæ miles ex singulis subjacentibus provinciis delectus: Ibi Raumsdali non infimum in bello momentum. E qvatuor populis a Byrda ad Stadas usqve exercitus collectus. Septem Comites, singulos magnis præfectos copiis, auspicium ductumqve Haconis secutos, inqve pugnam eductos, author *Vellekla* duobus versibus cecinit. Omnibus ad bellum præparatis, Hacon per mare Stadense in hostem classem suam dirigit. Comperto autem, Ragnfrodum in Sogniam concessisse, eò qvoqve illum persecutus est, pugnæqve loco in Thingnesia, qvod promontorium Sogniam ab Hordia dirimit, delecto, manus magnis animis vehementer utrinqve conferunt. Ad ultimum tamen Hacon, qvi numero militum præstabat, victoriam obtinuit. Ragnfrodus amissis suorum trecentis ad naves confugit, Norvegiâqve, sine ullo animo, vel spe, vel conatu in posterum eam recuperandi, excessit. Hacon autem, dimisso domumqve remisso exercitu, ad ordinandum provinciarum statum ibi per æstatem autumnumqve remansit. Singula hæc Glumus Geirinus versibus mandavit.

CAP. III.

EIRICUS COMITIS HACONIS FILIUS OCCIDIT SKOPTIUM FAMIGERATOREM DICTUM; DEINDE EXULAT IN DANIA, AQVE REGE HARALDO COMITIS DIGNITATE AUGETUR, VINGULMARKIÆ ET RAUMARIKIÆ PRÆFICITUR. THORGILS ORRABEINI ALUMNUS AB HACONE IN HÆBUDAS AD COLLIGENDA TRIBUTA MITTITUR.

DUxerat jam dudum Comes Hacon uxorem filiam Skagii Skoptini, illustris viri, nomine Thoram, eximiæ formæ ac pulchritudinis virginem, ex qva filios Svenum & Hemingum unà cum filia Berglíote, postea Einari Thambaskelfero nuptâ, suscepit. *Compendium* huic proli duos Sigurdos, Erlingum & Erlendum adjicit; qvæ affinitas magnam uxoris fratri Skoptio Skagino ad ipsum Comitem gratiam conciliavit, ut haut spretus gener filiam ipsius Haconis Ragnhildem (*Compendio* Ingibiorgem) nomine, pellice natam, in matrimonium acciperet. Eorum filius Ormus, Comes postea factus; unde Comes Erlingus genus ducit. Tanto autem Comes conjugem amore complexus est, ut ejus consangvineorum qvemqve in intimam receptum amicitiam cæteris omnibus præferret. Inter qvos tamen gener Skoptius primum obtinens locum præcipuo honore a socero colebatur, qvi & Mæriæ parti præfectus erat. Hujus navem, qvotiescunqve expeditio susciperetur, in singulis stativis portubusqve lateri suæ proximam jungi Comes præcepit, nec ulli interjungere fas erat; qva intima admissione potens Skoptius, novis semper rumoribus aures Principis exsatians, vicissim ab illo de incidentibus qvibuscunqve primus omnium certior, publica invidia laborans, Tidinda Skopti/ seu Scoptius Famigerator, usurpabatur. Evenit autem æstate qvadam, Comite expe-

 ditionem

ditionem moliente, ut Eiricus tum decem aut undecim annorum, nave nutritii sui Thorleifi Sapientis, ipso præsente rectoreqve, vectus parentem comitaretur, singulisqve vesperis, qvoties classis in portum recipiebatur, proximum prætoriæ navi locum in statione caperet, donec in Sunn-Mæriam ventum esset; tum namqve Skoptius longa nave bene instructa in occursum Comitis procedens, magna voce Eiricum inclamat, *ut loco sibi cederet*. Eirico contra vociferante, *aliam ei stationem qværendam*; qvo audito Comes nimium jam fastum Eirici crevisse existimans, statim palam increpabat, mandans, *ut actutum genero cederet, ni deteriora exspectare, verberibusqve & vibicibus abigi mallet*; qvo audito, Thorleifus ilicò navem solvi, inqve alia stativa deduci jussit: atqve ita Skoptius solennem navigii sui situm, nemine repugnante, a latere Comitis obtinuit.

Proximam hyemem Eiricus tanta offensa exacerbatus cum apud nutricium exegisset, collecta militum manu, navi qvindecim loculorum, commeatibus, armis, aliisqve apparatibus necessariis, abundè instructâ, a nutritio Thorleifo donatus, sub redeuntis veris initium è Thrandia solvit. Sunn-Mæriæqve appropinqvans, obvium sibi Skoptium pari navigio militumqve numero, villas suas invisendi gratia, instructum, infestis armis mox adortus, qvanto fervore militum potentior erat, tanto faciliùs vicit, eoqve cæso reliqvos, qvi stragi superfuerant, vita donavit, id qvod Eyolfus Dadeskald seu *Admirabilis Poeta*, duobus versibus testatur. Deinde cursu in meridiem directo, ad Haraldum Daniæ Regem properat, a qvo comiter exceptus cum hyemem ibi transegisset, primo vere provinciarum Vingulmarkiæ & Raumarikiæ Comes eadem conditione, qva tributarii olim Reguli gaudebant, a Danorum Rege constitutus, in Norvegiam remittitur, illustris postea factus princeps; eodem Eyolfo hæc carmine celebrante. Hæc ad annum circiter CMLXIV nostro calculo referenda sunt, cum constet, Eiricum anno CMLII vel seqventi natum esse, & Haraldum Grafeldum CMLXII cæsum, eodemqve anno Norvegiam in Gormii potestatem redactam: prius enim Eirico nullam Norvegiæ provinciam conferre potuit. Sed & observationem meretur, qvòd Vingulmarkiæ eum præfecisse dicatur, cum eam prius imperio Haraldi Grænskii submiserit: fortè alia ditionis parte hanc ei lacunam rependerat.

Hoc vel præcedenti anno Comes Hacon ad repetenda tributa ex Hæbudis Thorgilsem Orrabeini Privignum misisse videtur. Is haut parem Ruto aut Olafo Gunnhildis gratiam consecutus est, licet genere factisqve nobilis; erat enim Atlii Sogniæ Comitis nepos. In Norvegiam profectus in Hordia ad civem locupletem, nomine Olafum, divertit; qva hyeme cum Rex Haraldus Grafeldus provinciam lustrans variis conviviis exciperetur, etiam ad Olafum invitatus, cum variis ludicris exercitiis tempus fallerent, Thorgils qvoqve ad ea admissus magna se dexteritate ita Regi approbavit, ut eum pugilem pronunciaret. Cognito deinde, qvo genere ortus esset, qvòdqve avitam hæreditatem repeteret, jam longo tempore in fiscum Regium redactam, respondit: *agros illos matrem suam possessione tenere, ejus itaque gratiam implorandam*; Illam igitur accedens Thorgils haut difficilem expertus fuisset, si ei, ut Regii satellitii societatem expeteret, svadenti obtemperâsset. Cum autem occupationes alias obtenderet, adeo in iram accendit, ut pede qvoqve eum accessu solii repelleret, dictitans, *indignum honore, qvi æstimare nesciret; nec deinde hæreditatis obtinendæ spei qvicqvam reliqvum.* Rex autem occultè ipsi favens, etiam munera largitus ad mercaturam instituendam idonea,

idonea, incunctanter se accedere, non tamen in præsentia matris, jussit. Et hæc qvidem penultimo Grafeldi anno contigisse videntur, nam primo vere indignationem Gunnhildis evitaturus, mercaturæ unà cum Olafo proxima æstate operatus, autumno in occidentalia Vikæ pervenit, ubi cum hyemem peregisset, &, ut videtur, partem qvoqve æstatis, qva Comes Hacon & suam hæreditariam ditionem recepit, & majorem partem beneficio Daniæ Regis huic adjecit. Hospitem igitur suum consulens Thorgils, nomine Biornum, *an & eum de avita hæreditate sollicitandum censeret*? responsum accepit; *rem esse ambigui eventus*; *nam & Comitem inexplebili avaritia & hæc & cætera sibi vindicaturum videri*: *occasione tamen se offerente se postulata ejus ad eum relaturum.* Nec segnius qvam promiserat executus est. Cumqve eum coram adduxisset, Comiti statim placuit, qvi *haut infortunatum videri* pronuncians, eum in aulam suam invitavit, se deinceps causam ejus cogniturum pollicitus. Eo tempore Thorsteinus qvidam, cognomento Hvitius, seu Albus, in aula Comitis versabatur, qvi prædia in Sognia avitis Thorgilsis villis vicina possedit, cum qvo ille amicitiam junxit, muneribusqve datis confirmavit. Illo qvoqve tempore Eiricus Rufus, is qvi Gronlandiam postea invenit, tunc juvenis, sed valde scitus, ibi mansisse, interqve eum & Thorgilsem arctior amicitiæ nexus coaluisse, perhibetur. Qvodam tempore cum Thorgils Comiti postulata de hæreditate exponeret, tale responsum accepit. *Mores qvidem tuos valde probo; sed qvàm sis strenuus, experire decrevi; hoc si mihi qvoque approbaveris, voti compos fieri poteris: itaque censum ex Hæbudis proximo triennio intermissum repetes*, Thorgils, *legationi idoneum principem providendum; se eum, qvâ posset alacritate & industria, comitaturum.* Comes *ei hoc munus se delegaturum* respondit, *materiam ostentandæ virtutis amplissimam.* Comitem igitur Thorsteinum Album deposcenti, Comes id in arbitrio ejus futurum respondit: ille autem ultrò operam suam cum obtulisset, cum duabus navibus, nec satis a milite instructis, dimittuntur. Hæbudas devecti tributa exigunt, sed parum accipiunt: autumno deinde digressi ad Cataneasiam navium merciumqve jactura facta ipsi vectoresqve singuli incolumes pervenerunt, omnes a Comite loci, nomine Olafo, cognito qvòd essent Comitis Haconis satellites, invitantur, perqve hyemem liberaliter sustentantur.

Infestabat autem ditionem (verba sunt *Arngrimi Crymogeæ Lib: II. Genealog: VI. pag: 150.*) *vel ducatum Scotiæ Katanes, pirata qvidam terribilis Surterus, cognomento Jarnhaus, qvasi ferreo capite. Ferrum & ignem, extremamque desolationem Olai ditioni interminatus, nisi sororem Gudrimam sibi nuptum daret. Hic Thorgisellus* (ita Thorgilsem appellat) *pro dicta virgine monomachiâ est cum Surtero congressus. Magicâ ille arte calybem perstringere solebat, & gladiorum aciem obtundere: cujus rei Thorgisellus certior factus, duos attulit in præsens certamen gladios, qvorum alterum summo humo occulebat, ad primum hostis aspectum altero magi oculis exposito, qvem solum etiam incantabat. Mox autem occultato illo arrepto, hostem Thorgisellus ferociter invadentem strenue excipit & fundit. Non solum virgine a pirata cupitâ, sed ejusdem navibus ac sociis, reliqvoque belli apparatu potiturus; qvibus etiam Hebrides ad obseqvium redegit & Norvego triennii vectigal restituit, qvo factum ut favente etiam Norvego, bona avita a Pulchricomo occupata receperit, qvæ in provincia Sognia sita fuêre. Alios præterea ferocissimos pugiles monomachia delevit, Snæcollum, Snæberne-*

bernonem, Gyrderum pede præfecto vicit. Randidum eo monomachiæ genere, qvo pugnantes vace qvodam capaci includebantur, occidit, & patriam revisit.

CAP. IV.

GESTORUM HARALDI, QVÆ AD HISTORIAM NORVEGICAM ILLUSTRANDAM PERTINENT, BREVIS EXPOSITO.

QVamvis in libro, qvem *Seriem Regum Daniæ* inscripsi, abundè exposuerim, qvicqvid in publicum incognitum de gestis Haraldi in libris Mss, huc usqve inveni, ad intellectum tamen seqventium necessarium videtur, ut id hic summatim repetam; inde enim cognoscitur causa odii in Regem, qvod impendio vitæ ejus deinde stetit: tum etiam, qvi qvalesqve fuerint illi, qvi Jomsvikingi, seu piratæ Jomici, usurpantur, qvi longè acerrimum bellum Norvegis postea intulerunt. Natus est patre Gormo Daniæ Rege, matre Thyra, Comitis Holsatiæ Haraldi Klakii filia, vel potius nepte, nostro calculo circiter annum ab incarnatione Domini DCCCXCV. fratre Knuto Danaast / seu Danorum deliciis dicto, longè junior, matri qvàm patri multo acceptior. Fratrem tandem, ut regnum sibi soli pararet, oppressisse, sed variantibus relationibus falsò, ut existimo, perhibetur. Patre vivo partem aliqvam Daniæ tenuisse videtur, & illo effæto totam rexisse, idqve per triginta annos *Knytlingorum historia*, eamqve secuti alii historiæ Danicæ Scriptores, tradunt, Nos *Arildi Hvitfeldii* authoritatem secuti, qvindecim annos præferimus. Illo tempore videtur Akium Fioniæ principem calumniis patrui Fiölneris circumventum per insidias sustulisse. Res ita se habet.

Tokius Fioniæ princeps tres filios reliqvit. Akium & Palnerem ex legitima uxore, & Fiolnerem, extra conjugium natum; qvibus de hæreditatis paternæ divisione dissidentibus, cum oblatam sibi tertiam tantùm bonorum partem ut justo minorem interpretaretur, nec tamen plus obtineret, in aulam Regis se contulit, breviqve ei a consiliis secretioribus, potentiam fratris Axii, ut suæ æmulam, suspectam ei reddidit, eòqve Regem perpulit, ut illum nihil hostile cogitantem, qvippe nullius criminis sibi conscium, de medio tolleret. Justo itaqve dolore perculsus frater Palner, cum ulciscendi spem omnem præreptam cerneret, securitatem suam nobilis affinitatis præsidio firmaturus, uxorem duxit Ingibiorgem, Ottonis Gautiæ Comitis filiam: qvæ qvàm primum genialem thalamum conscenderat, visa est sibi per qvietem telam texere, cujus pondera in humana capita conversa, unde unum, qvod Regis erat, deciderit. Qvâ visione erectior maritus, de vindicta qvandoqve expetenda non omnino desperavit. Natus deinde ex eo conjugio filius, de patris aviq; nomine Palnatokius dictus, patri tandem in principatum Fioniæ successit, ingenio acri, industria pari, assiduis rei piraticæ exercitiis rem familiarem auxit: tandem etiam Comitis Britanniæ Stephani filiam Olufam cum dimidia ditione Comitisqve dignitate uxorem nactus potens repentè evasit, ex qva filium, nomine Akium, deinde suscepit. Ad eum cum Rex

Rex fortè diverteret, ministerio suo admotam fæminam pauperem, nomine Æsam, ab opere sartorio, qvo vitam tolerabat, qvod patria lingva sanmr dicitur, Saum-Æsam appellatam, stupravit. Natus inde filius Svenus, qvem Palnatokius deinde proximum triennium enutrivit. Tum verò Rege pro more Fioniam lustrante, cum idem hospitium repeteret, adductus a matre filius, a Rege, fidem fortè Palnatokii, alienum partum sibi obtrudere molientis suspectante, ut vulgò qvæsitus repudiatur, non sine gravibus minis, si sibi mater eum affingere perseveraret, ipse qvoqve Palnatokius officia sua in gratiam Regis, tum matri, tum etiam puero erogata imputans, offensam sponte contractam incurrit: qvi deinde eum impensioribus educationis studiis prosecutus, Regem ad eum pro suo agnoscendum permovisse videtur, si, ut tradit *Adamus Bremensis*, pluresqve eum secuti, sacris Christianorum unà cum ipso Rege initiatus. Sven-Ottonisqve, vel, ut alii scribunt, Otto-Sveni nomen a susceptore & fidejussore ipso Imperatore Ottone Magno consecutus est. Postea vero interveniente calumniâ proximorum fortè regni hæredum astu prosemi-natâ, iterum Regi suspectus, a tanti germinis nobilitate explosus videtur. Ad annos igitur qvindecim provectum impulit Palnatokius, ut Regi generationis confessionem qvovis modo extorqvere conaretur, aut confessionis redemptionem. Primò anno tres naves, centum militibus instructas, cum omni apparatu impetravit, totidem a nutritio instructus; svasu ejus regni partes remotiores latrociniis percurrens, exitu autumni in Fioniam rediit; transactaqve in domo nutritii hyeme, duplo plures proximo vere patri extorsit, paribus subsidiis ab alumno adjutus, ipso authore duodecim navium classe partes regni vastabat, patre qverimonias civium dissimulante. Tertiò minis, nec dubiâ provocatione ad conflictum, speqve virium aliò vertendarum injecta, duodecim expressit, Palnatokio totidem suppeditante. Tum vero toti regno infestus, patrem ad bello secum decernendum, tanto subditorum periculo avertendo, compulit: qvod qvidem nostri scriptores cum ultimo illo patri interne-cino confundunt. Constat tamen ex peregrinis scriptoribus cum *Suenone Aggonis* collatis, victum Regem ad Slavos confugisse, inqve illo exilio fide illius urbem Hymsburgum (nostris Jomsburgum) ædificâsse, operaqve Palnatokii, tunc a Sveno alienati, filium in potestatem Slavorum redegisse. Compositâ deinde controversiâ in gratiam cum filio rediisse *Vilhelmus Gemeticensis* testatur; nec id, ut videtur, sine conditionibus utriqve comodis, ut restituto patre pars tamen haut contemnenda regni ipsi adempta filio cesserit. Et tum qvidem Palnatokius utriqve Regi conciliatus in Daniam rediisse videtur; post vero annum CMLXX. iterum qvacunqve de causa offensam Sveni denuo incurrisse, relictoqve domi filio, qvem scivit Sveno esse acceptissimum, in Britanniam rediisse, eaq; gessisse, qvæ *codex Flateyensis* confusè describit. Vagnum enim post paucos annos suscepisse perhibetur, circa annum CMLXXXVIII. annorum duodecim.

CAP. V.

DE GESTIS PALNATOKII PER BRITANNIAM ET VANDALIAM POSTQVAM DANIA EXCESSIT, PRÆFECTURA JOMSBURGENSI, ET LATIS AB EO LEGIBUS.

Pal-

PAlnatokius, relicto domi filio Akio, Bretlandiam petivit. Ibi eodem autumno uxor ejus Olufa morbo correpta naturæ concessit. Illius orbitatem adeo indoluit, ut rerum suarum tædio luctuosam domum diutius inhabitare non sustinuerit. Remedium luctûs, qvi otiô plerumqve alitur, negotium adhibiturus, nullum piraticâ, utpote exercitio nobili viro digno, & cui adolescens assveverat, magis placuit, & qvidem tali, qvod omnibus terrori, sibi lucro immenso, majori etiam famæ, futurum prospiceret. Biorno igitur Bretskio (Britoni) dotali ditioni summa cum potestate præfecto, ipse triginta naves ad piraticam delegit, Scotiæqve & Hiberniæ proxima æstate, tanqvam subitus turbo incubuit; accedentibus passim ad hanc, qvam tenuit, classem, novo navium militumqve numero, donec ad sexaginta excresceret; qvam ex occidente deducens, ad oras Vandaliæ convertit. Valde igitur Burisleifus (Bolislaus) vim hominis prudentis & strenui, perpetuoqve victoriarum cursu celebrati, extimuit. Satius igitur visum est, aliqva rerum suarum jacturâ virum præpotentem sibi allicere, potentiamqve ejus in usum suum convertere, qvàm belli fortunam periclitari. Missis igitur protinus ad eum legatis, pacem conditionesqve obtulit manendi intra limites regni sui cum universo exercitu, ibiqve sedem figendi; concessâ ad alimenta vitæqve subsidia, provinciâ amplissimâ, Jome dictâ. Adjunctum muneri honore mistum onus sub custodis limitum titulo arcendi â finibus orisqve regni sui omnes hostiles piraticosqve insultus. Accepit conditionem pirata, inqve littore ingens oppidum, qvod â provincia, ubi situm erat, Jomsburgum nominabat, tunc primum è fundamentis exstruxisse perhibetur. Cum autem constet, Haraldi, non Burisleifi, auspiciis ædificatum, author originem oppidi. qvæ forte eodem Palnatokio duce, sed longe prius, cæpit, cum hoc reditu in Vandaliam confudisse videtur. Jam enim Jomsburgum qvocunqve modo Danis ereptum, vel ultro conferente Rege Haraldo navatæ operæ præmium, in Burisleifi potestatem recidisse videtur, Palnatokioqve cum reliqva provincia in fevdum ab eo concessum, conditionibus antea relatis. Miscet deinde scriptor originem urbis cum legibus, qvas Palnatokius hoc demum tempore tulisse videtur, hoc modo. Oppidum ingentis amplitudinis munitum valdè ædificâsse traditur. In medio portus erat trecentarum longarum navium capax, qvem porta januâ ferreâ (forte cataractâ) clausa, qvà pelagum spectat, claudebat; supra portam pons erat lapideus januæ demittendæ vel extrahendæ idoneus? supra pontem turris erat, ubi ballistæ reservabantur. Omnes naves portu includi poterant. Id oppidum alio nomine Sæburgum, seu maritimum, appellatum est, eo qvod supra mare ædificatum esset. Seqvuntur jam leges, cum ædificationis primordiis confusæ, qvas Palnatokius, dum Haraldi Regis obseqvio tenebatur, neqvaqvam ferre poterat; argumento, hoc ipso tempore, de qvo agimus, latas, & qvidem, ut habetur, optimatum consilio, ad potentiam viresqve & famam nominis sui propagandam. Primâ *qvi minor esset octodecim annis, aut qvinqvaginta major, eò recipi vetabatur, ut nec is, qvi alteri armis pariter instructo congredi recusaret.* Secundâ *receptus qvilibet ad sociorum vindictam se astringere, perinde ut filii aut fratris, tenebatur.* Tertiâ *calumniæ cavebatur.* Qvartâ *admissorum securitati, adeo ut si postea licuerit, sociorum*

ciorum cujusdam fratrem vel cognatum receptum occidiſſe, eijci tamen non poſſet, ſed res ſolius Palnatokii judicio remitteretur. Qvinta *rumorum ſpargendorum licentiam coercebat, adjecta pœna expulſionis, ſi qvis qvicquam novi ſpargere auſus fuerit; ſolus enim Palnatokius novorum omnium percipiendorum referendorumque privilegium ſibi reſervaret, ſeditionum cauſis amputandis.* Sextâ *fœminæ a civitate arcebantur, tanquam viris militaribus minus aptæ.* Septimâ *ultra trinoctium abſque Palnatokii venia exeſſe vetitum.* Octavâ *præda omnis bello capta ad haſtam referri jubebatur* (locus fuit erecta haſta notatus, ubi ſpolia dividebantur) *ne viliſſima qvidem parte ſuppreſſa: ſecus facienti abſque conditionis ſtatusve diſcrimine relegatio impendebat.* Nonâ *meticuloſa verba, metusque omnis, etiam in manifeſto periculo, exulare juſſa.* Decimâ *omnium diſſidia coërcebantur, adeo ut nulla cauſa emergi poſſit, quæ diſcordes eos redderet: ſolius namque Palnatokii judicio omnis controverſia dirimeretur: non amicitia, non intercedens ſangvinis nexus, non ſociorum commendatio qvicquam prodeſſet ineptis ad ſocietatis illius communicationem.* His legibus firmato civitatis ſtatu, juſtitiâ & pace, ſervatæ diſciplinæ proventu, fruebantur.

Singulis æſtatibus magna pars civitate emiſſa, opum & gloriæ comparandarum gratia, diverſas regiones infeſtabant, nominisqve ſui fama omnem ſeptentrionem implebant: nec multum abfuit, qvin pares non habere (tali fortè politiæ formâ) judicarentur. Illud præterea cum initiis urbis confundit author, qvòd ab hoc tempore Jomsvikingos, ſeu piratas Jomicos, dici cæpiſſe tradit. At Svenus, qvem jam Regem factum laudatus author memorat, merita Palnatokii educationisqve officia, qvæ ei abſenti non poterat, filio AKIO qvàm impenſiſſimè rependit, educationisqve ſocietatem amoris arctiſſimum vinculum reputans, qvibusvis eum officiis, Regali etiam gratia & favore, cumulavit, Fioniæ loco patris præfectum. Liqvet hinc & ex ſeqventibus, totam Daniam, exulante patre, aut partes qvasdam poſt reditum ejus Regio titulo tenuiſſe Svenum.

CAP. VI.

DE CONGRESSU IMPERATORIS OTTONIS SECUNDI CUM HARALDO CÆRULIDENTE, ET COMITIS HACONIS AUXILIIS.

HOc rerum Danicarum ſtatu Imperator Otto, ejus nominis Secundus, intellecto, Haraldo jam antea ob ſtudia in Henricum Bavarum patruelem ſuum de imperio contendentem, lataqve ei auxilia, vaſtatamqve Saxoniam, infenſus, arma in Daniam moviſſe videtur; ſive anno, qvo ab Haraldo in fugam compulſus Saxoniam repetivit, ſive poſteriore, cum bellum denuo inſtauraret, anteqvam Comes Hacon cum auxiliis Norvegicis acceſſit. Qvicqvid ſit, his certè annis hæc Ottonis expeditio applicari debet, cum neqve in Primi nec Tertii Ottonis, nec fundati in Dania Chriſtianismi tempora, qvadret, ut in *Trifolio* noſtro operosè monſtratum eſt. Nos rei geſtæ ſeriem explicabimus; lectoris arbitrio relinqventes, noſtramne opinionem an veterum traditionem probare malit. Verùm cùm conſtet, fidei negotium Ottonis Primi tempore pulcherrimè

in Dania processisse, causam supra allatam tam memorabilis expeditionis magis probamus. Hoc belli terrore perculsus Haraldus, limitibus ubiqve præsidiis firmatis, valloqve Danavirkio dicto (qvod corruptè Danorum opus exposuerunt scriptores, etymologia a verk / qvod opus denotat, petitâ, cum vallum virki patria lingva dicatur) instaurato, Haconi Comiti delectum militum ê provinciis omnibus jurisdictioni suæ subjectis habendum, proximoqve vere copias omnes classi impositas ad se deducendas imperavit. Is jussa Regis magna sollicitudine executus, ut præceptum est, in Daniam exercitu omni transportato, magna benevolentia a Rege exceptus est. Complures alii principes cum auxiliis ad Regem confluxerunt (nec dubitandum, licèt non exprimatur, in his fuisse Haraldum Grænskium.) Imperator etiam magno studio exercitum ê Saxonia collectum in Daniam eadem æstate traduxit. Adversus eum Haraldus procinctum movit.

Ut primùm concurrerunt, atrocissimum prælium utrinqve, non sine ingenti utriusqve partis clade, majore tamen Imperatoris, per integrum diem ad noctem usqve gestum est. Inde novis apparatibus consiliisqve triduanæ induciæ datæ; qvibus finitis prælium majori mole redintegratum Cæsarianorum plures absumpsit; donec adulto die Dani acrius invecti jam inclinantem hostium aciem in fugam vertunt, fugientesqve ad naves persecuti sunt. Eô die Imperator ex eqvo Cæsare dignam pugnam edidisse memoratur; cumqve fuga amplius sisti neqviret, suos ad naves præcessisse, inauratamqve hastam, capulotenus sangvine conspersam, maritimis fluctibus impressisse, reditum minitans; navibusqve conscensis Saxoniam repetivisse, ibiqve hyemem transegisse, Hacone Comite in Dania apud Regem reliqvum æstatis remanente, consiliisqve rem Danicam pro virili sustinente. Reparatum tum dicitur vallum Danavirkium, qvod postea valde decantatum est. Situm inter Slesvikam & fluentum Ægisdyram, hodie Eidoram, codex Flateyensis indicat. Hùc fortè referenda Saxonis relatio videtur, dum *fugæ simillimum reditum Imperatorem habuisse* tradit. Fretum autem hoc nomen ab Imperatoris hasta contraxisse author noster non asserit, nec locus prælii, qvippe longe remotior, arguit; alio tempore impositum conjicere licet. Sub hyemem Hacon in Norvegiam rediit.

Vere, qvi proximè seqvebatur, Imperator exercitum ingentem ê Saxonia, Franconia, Frisia, Vandalia, Holsatia etiam, collectum in Daniam duxit, comitante ipso Burisleifo (Bolislavo) Vandaliæ Rege. Tanto autem apparatu Cæsaris cognito, Haraldus ad Haconem in Norvegiam legationem direxit, qvæ, qvanto in periculo versaretur, probè exponeret; nec majoribus auxiliis unqvam se indiguisse, vel in posterum magis opus fore speraturum. Hacon ingruentem necessitatem perspiciens, centum navibus militem in Daniam devexit. Admotis ad litora Danica proris, ipse cum duodecim satellitibus Regem adiit; qvi adventu ejus majorem in modum gavisus, gratias ei impensè egit, *qvòd periclitanti sibi tam liberale auxilium tulisset: missurum protinus, qui copias navibus deducerent, singulis namque ductum ejus secutis gratiam se acturum. Aliter se res habet*, inqvit Hacon; *implevi namque pactum omni robore regni semel, ut convenit, tibi succurrendo: verum hunc tibi exercitum ad arma conciendi nullum jus est, nisi consentiam; me vero cum his duodecim Comitibus ad consilia auxiliaque jure tuo uti poteris.* Rex, *vera qvidem hæc esse, polliceri tamen sibi pro intercedente necessitudine promptissimum illius subsi-*

ſubſidium. Illud qvidem, reſpondit Hacon, *in poteſtate mea ſitum non eſt, ſubditis ad patriam tantùm armis tuendum, non item Daniam, laterum ſuorum objectu, ſed nullo ſuo emolumento, obligatos ſe exiſtimantibus.* Regi, *qvid præmii loco expoſceret*? qværenti, *libertatem provinciarum ſibi ſubjectarum ab imperio illius in perpetuum, remiſſionemque tributorum, qvæ reſtarent*, reſpondit; qvibus negatis, *copias omnes domum redituras, ſe verò cum duodecim comitibus ſecundum pactum remanſurum*, minatus eſt. Rex neceſſitatem auxiliorum ex alia parte, rigoremqve conditionum propoſitarum ex alia perpendens, *meritò illum qvovis homine prudentiorem haberi* reſpondit. Hacon *tributa oneraqve Norvegiæ impoſita parum illi, ſubductis auxiliis in Dania portinus morituro, profutura* reſpondit. Indigus auxilii annuit petitis Haraldus, exercitumqve omnem Haconis navibus eduxit: qvo in unum locum congregato, jus ſuum in partem illam Norvegiæ abdicavit, inqve Comitem contulit. Horum tenuis fama, ſed admodum confuſa, *Saxoni* innotuiſſe *ex Hiſt: ejus Lib: X.* facilè colligitur. Nam poſtqvam Styrbiorni geſta & eventum, Imperatorisqve Ottonis expeditionem expoſuiſſet, ſubjicit, *Haqvinum* (qvem Haraldi Regis, certe Grafeldi, filium pro ſucceſſore perperàm appellat) *patriam hæreditariæ penſionis ignominia exuere cupientem, cum Haraldi* (auditis, qvæ Cæſar apud Jutiam geſſerat) *Germanis diutulè bellis implicandum ſperaret, palam detrectandæ ſtipis audaciam præbuiſſe, plusque ſpei ac fiduciæ a Saxonibus armis, quàm ſuis viribus cepiſſe.* Inde facile concluditur, ſtipendiarium fuiſſe Haconem Regis Haraldi, eoqve ſe onere occaſione belli ab Ottone illati exſoluturum.

Rex convivio celebrato copiarum partem maximam navibus impoſitam ad Eidoram transportavit. Hacon autem terreſtri itinere exercitum omnem Norvegicum Slesvikam duxit. Ut verò Imperator Haconem in Dania ſuppetias Regi adverſus ſe ferentem cognovit, uſurus hac occaſione promovendæ religionis, duos Comites in Norvegiam, qvorum nomina Urguthriotus & Brimilsker, ablegavit, ad convertendos ad Chriſtianam puritatem abſente Comite indigenas, triginta navium claſſe, armis militibusqve inſtructiſſimâ, teſte Chronico Norvegico typis impreſſo, qvod tamen nomina eorum omiſit, qvæ *codex Flateyenſis* & *Oddus Monachus* retulerunt. *Chronicon Norvegicum MS.* eos, aut etiam alios duos, ab Haraldo jam Chriſtiano miſſos tradit, qvod nec â vero abhorret. Interea Haconem cum copiis Norvegicis vallo Donavirkio defendendo præfectum Imperator cum omni exercitu oppugnavit. Vallum *codex Flateyenſis*, â *Pontano* parum diverſus, his verbis deſcribit. *Duo*, inqvit, *ſinus ab utroque latere, alter ab occidente, ab oriente alter, terram ſecant. Inter intimos horum receſſus Dani fortiſſimum vallum, ingentis molis altitudinisqve, è ſaxis ceſpitibusqve & materia extruxerunt, profunda lataqve foſſa cinctum, portis centum orgiarum intervallo identidem diſtinctum: ſingulis turris una tresqve pontes adjecti. Pontanus Danos immenſi operis vallo, curante præcipue Haraldi matre Thyra, qvæ tunc adhuc ſuperſtes fuerit, ſupra Slesvikam & Gottorpum, inter utrumqve orientis & occidentis mare, octo aut novem circiter milliarium ſpatio, unà cum foſſa excitato, Germanos ab irruptionibus clandeſtinis arcuiſſe* tradit; *fuisſeqve in hoc aggere extructas turres vel ſpeculas potius, per intervalla ita diſpoſitas, ut ex iis eminus adventantem hoſtem facile eſſet animadvertere, atqve aditu prohibere, hodie Danavirkium* (*non Danavercam*) *appellari*; ubi ſpatium octo milliarium corruptè ſcriptum animadverto, cum duo non excedat. Thyram etiam ſuperſtitem ex iis,

qvæ in *Serie Regum Daniæ* de ea annotavi, id temporis minimè fuisse, perpendenti constabit: alio fortasse tempore illa svadente excitatum crediderim.

Singulis portis præsidia Hacon disposuit. Plures tamen per vallum dispositi propugnatores oppugnatores ingenti damno afficiebant; tandem etiam cum ingenti suorum clade repulerunt. Omissa igitur in præsens oppugnatione, Cæsar exercitum ad naves reduxit. Hacon etiam post discessum Cæsaris, relictis multis præsidiariorum militum turmis, ad naves conversus domum meditabatur, adverso detentus vento in sinu Limafiordo morabatur. *Chronica manuscripta* nec Danavirkium expugnatum, nec plures Cæsaris expeditiones memorant, unoqve tantum anno bellum gestum finitumqve tradunt; cæterorum relationes referam. His adjiciunt, hæsitantem de expugnatione munimenti Imperatorem, post varias consiliantium sententias, tandem consilio Olafi Tryggvini confirmatum. Ex virgultis deinde, doliis, & vasis pice oblitis, torridaqve stipularum materia repletis, incendio facto, munimentisqve ligneis admoto, una repente ruina omnia Danavirkii propugnacula hausta. Qvibus peractis Imperator trans sinum Slesvikæ adjacentem in Jutiam exercitum omnem navibus impositum transportavit; qvod ut Haraldo primùm innotuit, adversus eum copias omnes Danicas eduxit. Ibi longo tempore magnis animis viribusqve ab utraqve parte concursum est. Tandem victoria a partibus Imperatoris stetit. Haraldus vero ad Limafiordum fugiens, navibus in insulam Marseyam (Morsingiam hodie vocant) trajecit. Inde ultro citroqve missi legati rem eò deduxerunt, ut in ea ipsa insula Rex Imperâtorqve convenirent, paxqve inter eos componeretur.

Interea Comes Hacon secundos ad patrios penates captans ventos in Limafiordo excubabat, gestorumq; inter Regem Imperatoremq; omnium ignarus, accitu Regis Marseyam pervenit. Advenientem Rex ad novæ religionis cultum, solenni baptismatis sacramento, cum omni, qvod aderat, satellitio invitum adegit, tradiditqve abeunti præcones verbi Divini, qvi per totam Norvegiam salutare dogma prædicarent propagarentqve, lustraliqve aqva omnes ac singulos tingerent. Qvo labore in se suscepto, iterum ad fretum Limicum se convertit.

CAP. VII.
DE DEFECTIONE COMITIS HACONIS A FIDE CHRISTIANA.

DAniâ profectum Haconem Comitem, jam lustralibus undis, reluctante mente, corpore impuro ablutum, Limafiordum, classemqve ad Hallem stantem, repetivisse tradunt, ibi nactum faventem ventum, classem ê portu molitum, cum iterum exortâ adversa tempestate Norvegiâ prohiberetur, moræ ulterioris in Dania impatientem, omnes sacri ordinis & Christianæ professionis sacerdotes in terram exposuisse, erectisqve velis ad obseqvium ventorum conversum; fretum Sundicum petivisse. Inde utroqve Scaniæ Sellandiæqve littore infestato, amplissima spolia ex his imperii Danici partibus reportâsse. Scaniæ deinde latus emensum, cum scopulos Gothicos superâsset, classem litori admovisse. Ibi magno

sacri-

ſacrificio peracto, per ritum qvendam, Blotſpon patria lingva dictum (neſcio an amputatos frugiferæ arboris virgæ ſurculos, *Tacito etiam de moribus Germanorum* memoratos) conſulto Oraculo certiorem de victoria factum. Exemiſſe deinde dubitationem viſos geminos corvos alta voce crocitantes, exercitumqve ſemper comitatos. Inde Odino victimam placuiſſe: divinantem *incenſa claſſe exercitum in Gothiam expoſuiſſe, eamqve terreſtri itinere inſtructo agmine, incenſis direptisqve villis, populabundum pervaſiſſe, Ottaremque Comitem arma opponentem occidiſſe* (Compendium profligatis copiis in fugam vertiſſe aſſerit) *deinde Smalandias & occidentalem Gothiam direptionibus, impoſitis etiam tributis, penetrâſſe. Inde in diſtrictum Norvegiæ Vikam ſe infudiſſe. Oddus Monachus*, qvem Clar: *Verelius* ſecutus eſt, vaſtationem Gothiæ hoc modo exponit, qvam ejus verbis hic deſcribam. *Discesſit jam Haqvinus Norvegiæ Princeps ab Ottone Cæſare, & in itinere Veſtro-Gothiam hoſtiliter invaſit. Reſcivit autem de templo qvodam, in quo erant centum Dii, quod conſecratum erat Deo Thor. Illuc profectus, opibus direptis templum diruit, lateque actis prædis onuſtus, naves ſuas repetiit. Ottarus Comes, qvi Veſtro-Gotiæ tunc præfuit, lectis ſubito copiis eum aſſeqvi conatus eſt, ſed fruſtra; in tutiora enim ſe receperat. Convocatis igitur civibus Haqvinum latronem declaravit, eo nomine, ut prædo & ſacrilegus haberi deberet, quòd in ſumma pace & religionis ſanctitate ſupremum in Veſtro-Gotia templum violâſſet.* Id qvod vix fidem meretur, qvippe deſertorem Chriſtianismi, paganismiqve vindicem acerrimum, tunc temporis ſuſtinuiſſe ſuis ipſius ſacris vim inferre. Dum autem Gotiam Hacon diriperet, adventûs ejus fama Comitis Cæſareos Urguthriotum & Brimilskerum, qvi Vikam univerſam abſente eo, usqve ad promontorium Lindisneſiam, dirutis delubris ubiqve ethnicis, purioribus ſacris imbuerant, adeò terruit, ut protinus cum univerſa claſſe, qvam adduxerant, novemqve aliis navibus, aufugerent. *Chronica*, ut et *Compendium*, tradunt Haraldum Daniæ Regem ſevero edicto præcepiſſe, ut univerſum Vikæ territorium, antiqvatâ idololatriâ, Chriſtiana ſacra per ſolennem ſacri baptismatis ritum in poſterum profiteretur, neminem autem in ſubjectis Regi provinciis mandatis ejus obſtrepere auſum. Itaqve negotium promovendæ religionis illis in oris feliciſſimè ſucceſſiſſe, qvoad Hacon ê Dania redux contrario edicto omnes per totam Vikam vetuit ei religioni adhærere, qvam Comites obtruſiſſent; obedientibus auxilium ſuum pollicitus. Multi ergo ſacra lympha abluti, ejurata Chriſtiana religione, authoritatem ejus exemplumqve ſecuti, ad paganiſmum relapſi ſunt. Inde in Thrandiam profectus, provincias omnes (non, ut habet *Chronicon typis impreſſum* & *codex Flateyenſis*, totam Norvegiam) jurisdictioni ſuæ a Rege prius comiſſas liberrimo jure absqve ullo expenſarum onere tenuit. Vikam autem (qvo nomine ſcriptoribus pars auſtralioris Norvegiæ maritima â promontorio Lindisneſia venit) ut hoſtile ſolum direptionibus prædisqve deſtinatum vaſtabat, tradente *Compendio*, fidemqve traditioni per authoritatem Einaris Skalaglami (qvi celebre carmen, Vellerlam dictum, compoſuit, unde tres verſus adducit) & Eyvindi Skaldaſpilleris faciente. Patet ex his, longè prius Regem Haraldum Chriſtianis ſacris initiatum fuiſſe; non enim illo temporis puncto, qvo lis profeſſionem Chriſtianam recepit, per Norvegiam tot ethnica delubra deſtruere novaqve ſubſtituere poterat: jam diu ante extructa Comes tum deſtruxiſſe videtur. Defectionis Haconis meminit *Saxo Lib: X. loco â nobis cap: ſuperiore citato*, cum ad eam ulciſcendam Jo-

micos piratas ab Haraldo in Comitem Haconem immissos tradit; licet ipsius expeditionem, de qva mox dicendum, qvæ præcesfit, ignoraret.

CAP. VIII.

DE EXPEDITIONE HARALDI REGIS IN NORVEGIAM, EJUSQVE VASTATIONE.

HIs ad aures Haraldi Regis delatis, valde, ut par erat, commovebatur, proculcatam nempe religionem, direptionibus & incendiis vastatas regni sui partes, injuriam etiam defectionis per conditionum impudentiam, iniqvo tempore expressarum, ulturus, exercitum ex universo Danico territorio numerosissimum collectum in Norvegiam classe mille ducentis navibus constante deportavit, transgressusqve promontorium Lidandisnesiam, provincias obseqvium tributaqve detrectantes; qvæ Haconis imperio paruerunt, exspoliavit, omni maritima orâ penitus desolatâ, prædiis in favillas redactis, hominibusqve, qvi effugere neqvibant, ubicunqve deprehenderentur, occisis: promiscua plebe ad montes & mediterranea loca, cum iis, qvæ avehi poterant, subitâ fugâ confluente. Qvinqve tantùm villæ in Læradalo, paræcia Sogniæ, incendio superfuerunt. Omnem classem ad insulas Solundas seu Stadas direxerat, cum famam Haconis ad aqvilonare Stadarum latus cum ingenti classe exercituqve excubantis inaudivit. Proposuit igitur cum universis copiis navibusq; Islandiam oppugnare, ulturus opprobrium â gente illa famoso carmine sibi illatum. Senatus namqve consulto constitutum erat, ut pro qvolibet capite per totam insulam famoso versu infamaretur. Causa erant merces naufragio Islandorum in Regium fiscum per qvæstorem Birgerum, totius ea de causa carminis participem factum, redactæ, crebraqve per legatos qværimoniâ neqvicqvam restitutæ. Regni autem proceres & militiæ duces bellum Islandicum dissvadebant, prætendentes maris vastitatem & amplitudinem, remotissimamqve loci distantiam, periculosis etiam syrtibus ac procellis iter magnam partem infestum, ut ne una classe naves contineri, & uno tentamine simul littori insulæ appellere possent, portubus Danis ignotis, inaccessæ insulæ justo altioris & editioris soli præruptis rupibus vallatæ. Accedebat indomita incolarum durities, fortitudo invicta, & acerbitas intractabilis. Adjectum consilio portentum Chronica memorant, mago mercede conducto, qvi Islandiam peregrina forma assumpta exploraret, qvod etiam ille re ipsa sub specie balenæ exsecutus dicitur. Ut primum in regionis conspectum venit, aqvilonarem plagam perscrutatus, montes omnes & colles geniis diversæ staturæ majoribus minoribusqve repletam offendisse perhibetur; reflectens ad orientem versus Vopnafiordum, sinum ingressurus, indeqve terram ascensurus, obvium ê valle procedentem ingentem draconem, comitatum magno serpentum, ranarum lacertarumqve, venenum spirantium numero, habens abigebatur. Inde versus occidentem ad sinum usqve Eyafiordum conversus, sinum emensurus, avem vidit sibi obviantem tantæ magnitudinis, ut alis montes ex utroqve latere tegeret, ingenti illa avium magnarum parvarumqve comitatu stipata erat. Inde occidente transmisso, cum ad Breidafiordum pervenisset, taurus eum ingens

gens magna cohorte geniorum locorum præſidum comitatus, per mare vadens horrido boatu acceſſu prohibuit. Inde auſtrum verſus trajecto promontorio, Reikianeſia dicto, in Vikrſkeid ſe ſublaturo occurrit gigas monticola, ferreum baculum manu gerens, caputqve ſupra montes extollens, ſtipatus caterva ingenti gigantum. Legenti deinde oras inſulæ orientem verſus, nihil præter arenas & tesqva æſtibus marinis diverberata, ideoqve inacceſſa, occurrebat. Inter inſulam & reliqvas terras im̃enſus intercedens oceanus longis navibus haut facilè ſuperabilis videbatur. Hæc licet fabulæ qvàm veræ relationi propiora fortè videantur, rectorem tamen tenebrarum varia phantaſmata cultoribus ſuis objicere potuiſſe qvis ambigat?

Vixerunt eo tempore in Islandia viri primarii; in Orientalis qvadrantis provincia Vopnafiordo Brodd-Helgius: Septentrionalis provincia Eyafiordo Eyolfus Valgerde matre natus, Gudmundi Potentis pater: Occidentalis Breidafiordo Thordus Gellir. Auſtralis Aulveſio Thoroddus Curio. Horum cum qvidam ante hunc annum exceſſerint, præſtigias expeditionemqve hanc præcesſiſſe, adq; annum CMLXII, cum Haraldus Norvegiam cæſo Grafeldo claſſe petivit, referendas planum eſt. *Annales Flateyenſes* Thordum Gellerem ad annum CMLXV. Brodd-Helgium ad annum CMLXXIV. exceſſiſſe tradunt. Haraldus è Norvegia claſſe in auſtrum verſa in Daniam revertit. Hacon vero, qvantum vaſtatum erat, iterum refici curavit; neqve ex illo tempore tributum ullum Daniæ Regi pendebat. Hæc geſta videntur ante annum CMLXXX. aut forſitan prius, de qvo inſpici poterit *Series Regum Daniæ. Thomas-Skinna* hæc ſummatim ita exponit, nimirum *qvoad Hacon bellis cum Gunnhildidis diſtinebatur, permiſſum ei ad impenſas omnem Regis cenſum, poſtea miſiſſe illum Regi partem tantum tributorum, accipitres & eqvos, interdum ex cenſu Regio nihil, donec Rex de his expoſtularet, tandemque adeo ira efferveſceret, ut infeſta claſſe Norvegiam vaſtaret; exinde Comitem ab obſeqvio recesſiſſe, Haraldum autem Grænskium pacta conventaque illibata fide coluiſſe.* Ad hæc tempora referenda videntur, licet certus annus non occurrat, qvæ *Codex Flateyenſis*, & ex illo *Hiſtoria Olafi Tryggvini, Part: I. cap: LXIII. pag: 59.* ut et *Oddus Monachus*, de Comitis Haconis filia Audure memorant: nimirum, *qvod profectus in Sveoniam illam conjugio ſociaverit Eirico Victorioſo, poſtquam is uxori ſuæ Sigridi Imperioſæ nuncium remiſerat ob indolem intractabilem, qvam tamen ipſa de induſtria induerat, metu legis, qvæ conjuges Regias mortuis Regibus Sveciæ contumulari præcepit.* Jam vero pro certo cognovit, decem eum annos poſt cædem Styrbiorni non exceſſurum, poſtqvam ſe Odino pro victoria poſt tantillum annorum ſpacium devoverat. *Codex* qvoqve *Flateyenſis* teſtatur, eum nec vitam ultra prorogâſſe; & tamen conſtat, eum anno CMLXXXIV vixiſſe: unde facile patet, hæc ad Grafeldi tempora referri non poſſe, his autem melius convenire, cum poſt defectionem a Rege Daniæ neceſſarium ei fuerit Regis Sveciæ favore & arctiore nexu ſe adverſus vires ejus munire.

CAP. IX.

DE PROCERUM JOMICORUM GENERE, FORMA, INGENIIS, LITIBUS INTER EORUM PARENTES, EARUMQVE EXITU.

Hac

EAdem tempeſtate Borgundarholmo (Bornholmiæ) præfuit vir magni nominis, Veſetius dictus; qvi ex uxore Hildigunna tres, qvorum hic fit mentio, liberos ſuſceperat, filios nempe duos, Bujum, cognomento Craſſum, & Sigurdum Kapam appellatum, filiamqve nomine Thorgunnam, qvæ aliqvot ante annos viro cuidam elocata, jam vidua erat. Hanc Akius, procurante nuptias Rege Sveno, in matrimonium accepit; genuitq; brevi ex ea filium, cui Vagno nomen erat, puerilibus ſtatim annis corporis magnitudine, decoroq; oris habitu, magnã pluribus de ſe ſpem facientem. Hoc eodẽ temporis decurſu Sialandiam Comes qvidam, Haraldus nomine, adminiſtravit (Scaniæ præfuiſſe reliqvi Codices omnes tradunt) Strut-Haraldus vulgò appellatus, qvod ei prænomem â pilei ornamento, decem auri marcis conſtante, qvõd lingva antiqva Strutr vocatur, inditum eſt. Pepererat illi uxor tres liberos, qvorum acta ad hanc pertinent hiſtoriam; filii erant duo, Sigvaldius & Thorkell, cognomento Procerus, unaq; filia, cui Tofæ nomen fuit. Jamq; Vagnus apud Akium patrem in Fionia ſplendidè educatus, ut primùm adolevit, ingenii turbidi ferocisq; manifeſta protulit indicia, pronus ad injurias, cædesqve nullius penſi habens; nec erat inter æqvales alius æqvè inqvietæ indolis. Hic in Borgundarholmo, cum effrenem ejus animum & ad qvodvis periculum proclivem cöercere parentes neqvirent, apud avum Veſetium ſæpe commoratus eſt, Bujumqve præ reliqvis omnibus ſibi conſangvinitate junctis multùm dilexit, ejusq; maximè monitis, cæterorum pro libitu ſpretis, obſeqventem ſeſe præbuit; erat enim illi omnium conſangvineorum ingenio ſimillimus; verum corporis habitu & formæ venuſtate valde conſpicuus, eximiarum virium virtute ætatem antevertit. Bujus autem avunculus ejus verbis parcus, vir magni animi, im̃enſarum & incognitarum ferme viriũ fuiſſe perhibetur; qvem licet forma non com̃endaret, inſignem tamen athletæq; condignam, præſertim arma indutus, ſpeciem prætulit: frater autem Sigurdus Kapa formoſus & magna comitate, taciturnus qvoqve, ſed offenſarum impatiens fuit. De Sigvaldio autẽ Strut-Haraldi filio dicitur, qvòd naſo fuerit turpi facieq; pallida, ſed oculis nihilominus pulcherrimis, magnaq; & qvæ athletam ornaret, corporis ſtatura. Thorkell verò proceritate plurimos ſuperavit, unde & cognomen contraxit, ingentiq; corporis robore præpollebat: utrumq; prudentia com̃endabilem reddidit. Hoc rerũ ſtatu fratres Sigvaldius & Thorkell, duabus inſtructi navibus, Jomsburgum ſe petituros, Palnatokiiq;, modò poteſtas fiat, militiam ſectaturos patri referunt, ejusq; ſententiam expoſtulant. Probat ille conſilium, filiosq; ad profectionem inſtigans, *tempus adeſſe* dictitabat, *qvo tandem virtutem ſuam armis experirentur.* His dictis com̃eatum flagitantes reſponſum retulêre: *aut ipſis domi manendum, aut ea, qvæ ad profectionem inſtituendam neceſſaria eſſent, comparanda.* Deſtituti paternis ſubſidiis nihiloſecius duobus navigiis, centum viris armatis (conſtitit autem centuria duodecim denariis) qvos ex magna juvenum multitudine accuratè ſelegerant, impoſitis, ê patria profecti, ad Borgundarholmum appulerunt. Ibi exſcenſione in terram facta, latrocinia paſſim agere cæperunt; direptâqve opulentiſſima Veſetii villâ, præda onuſti ad naves revertuntur. Abitum exinde molientes, proſpera navigatione Jomsburgum delati, ad portûs clauſtra receſſerunt. Interrogati a Palnatokio, qvi adventantibus ſemper navigiis turrim

ſupra

ſupra pontem excitatam, freqventi comitatu conſcendere, indeqve cum advenis colloqvi ſolebat. Cognito qvinam eſſent, adventus ſui cauſam expoſuerunt: *admitti namque in eorum collegium* poſtulârunt, *cum tot comitibus, qvot ſecundom legum præſcriptum tam glorioſa ſocietate dignos approbarent.* Hanc poſtulationem ad collegas cum detuliſſet Palnatokius, genus eorum patriamqve & facultates, qvæ omnia ſplendidisſima eſſent, ſibi probè nota aſſeruit: deniqve, *admitti ne liberet?* qvæſivit. Arbitrio id ejus communi ſuffragio cum permiſſum eſſet, recluſis foribus portu recepti ſunt, examineqve ſingulorum pro more præmisſo, duces ipſi cum dimidia ſociorum manu probati admiſſiqve ſunt, reliqvis ut indignis rejectis. Ut verò Veſetius direptam â Strut-Haraldi filiis villarum ſuarum opulentiſſimam cognovit, licet illatam injuriam damnumqve iniqvo animo ferret, filios tamen ad illud mutuo latrocinio rependendum inhibuit, qvoad ipſe ad Regem profectus tantæ injuriæ qverelam apud illum deponeret. Is cognita cauſa, ut filios a vindicta abſtineret, donec accitum ad ſe Comitem Strut-Haraldum ipſe Rex, qvas filii injurias ei intulerint, edocuiſſet, & ad reſarciendum, ſi fieri poſſet, permoviſſet, ſvaſit; pecuniaria enim ſatisfactione ſingula tutiſſimè componi. Placuit Veſetio conſilium Regis; qvi deinde benignè dimiſſus domum repetivit. Rex vero haut ſecus ac promiſerat, Comitem per nuncios arceſſivit; accedenti qverelam Veſetii expoſuit, ſvaſitqve, *ut detrimentum a filiis illatum reſarciret, Veſetioque ſatisfaceret.* Is ferociter reſpondit, *nondum partas ſibi iſtas opes, qvibus oves bovesque aut cibaria aliaque ab adoleſcentibus aut pueris ad commeatum rapta rependeret. Domum igitur*, reſpondit Rex, *repete, qvandoqvidem conſiliis meis acqvieſcere recuſas; tu vero ipſe te ab inſultibus Veſetii filiorumque ejus indemnem præſtato: nec deinceps huic liti me ingeram, futurum tamen videre mihi videor, ut ſpreti tè conſilii qvandoque pæniteat.* Comes *vindictam Veſetii haudqvaquam ſe formidare, ſuo ipſius periculo, qvicquid moliretur, expectaturum*, reſpondit; atqve his dictis reſeſſit.

Interjecto tempore Veſetius cum filiis monita Regis ſurdis auribus Comitem excepiſſe cum percepiſſent, qvatuor naves ducentis nautis claſſiariisq; inſtructas filii ê portu moliti, ad Sialandiam curſum dirigunt, inopinatòq; ſupervenientes, tria Comitis ditiſſima prædia ſpoliant, collectaq; præda damno longe majori domum redeunt. Strut-Haraldus ut tantam rerum ſuarum jacturam cognovit, jam ſerò nimis conſiliũ Regis neglexiſſe pænituit, perpenſo vaticinium ſecuto eventu, haut qvaqvam vano. Ad Regem igitur nuncium miſit, petitum ut interceſſione ſua litem omnẽ ſe inter & Veſetium componeret. *Fruatur*, reſpondit Rex, *conſiliorum ſuorum proventu, meorum namque nullam facio copiam. Creverunt jam injuriæ, compoſitionemque difficiliorem reddiderunt; recordetur dixiſſe me, rebus ipſorum memet haut immixturum.* His ad Comitem relatis; *qvandoqvidem*, reſpondit, *Rex compoſitionem detrectat, meo certè arbitrio utar*; expeditisqve decem navibus in Borgundarholmum trajecit, ſpoliatisqve tribus Veſetii agris, haut minorem prædam domum devexit, qvàm damnum antè paſſus eſt. Qvæ cum Veſetius cognoviſſet, adito Rege, qvæ geſta eſſent, exponit, monetqve; *ni maturè ſe interponat, ad inteſtina bella rem ſpectare, plebemque in factiones ſcindi, compoſitionem deinde majoris molis futuram, nam paria in ſe & Strut-Haraldo injuriarum impatientia adque vindictam exardentia ingenia eſſe.* Rex *freqventem ſe conventum in foro Seyrenſi* (Seyrarping/ alibi Sjeyrarping habetur, Sc-

 ram

ram intelligendam puto) *celebrando cauſam cogniturum, eòque Strut-Haraldum citaturum, controverſiamque omnem ita compoſiturum, ut injuriis & inimicitiis amicitia & mutua benevolentia ſuccedant*, pollicetur: *ſibi enim videri Veſetium omnia moderatè & prudenter egiſſe.* Hoc reſponſo dimiſſo Veſetio, tempus conventûs pars utraqve opperitur. Die condicta Rex cum ſexaginta navium claſſe, univerſaqve militum manu, domo profectus eſt. Venit & Comes, haut procul habitans, cum decem navigiis. Aderat & Veſetius tribus tantum navibus; hic prope littus, Comes longiori inde intervallo tentoria figebat. Inclinante in veſperam die, decem naves ê domo Comitis ad forum, ubi conſederant, vela vertebant. Egreſſi inde filii Veſetii cum armata manu locum judicii petunt. In primis admirationi fuit veſtis, qvam Buius induit, ſupra ſortem pretioſa; magis etiam cum ipſo prodente Comiti poſt abitum exſpoliata domo eam eripuiſſe conſtaret. Decem auri ſelibris ſolus amictus, totidem etiam pileus, æſtimabatur. Hic Comitem clara voce, *modo amictum ſuum agnoſceret, ut repeteret, ſi vir eſſet auderetque, magnopere provocabat*, dictitans, *ſe continuo, modò illi ad certamen ineundum ſatis animi eſſet, ferro decernere paratum.* His auditis, Rex indignum ſua Majeſtate ratus, præſertim cum litis componendæ negotium ſuſcepiſſet, illis ad mutuas cædes proruentibus pugnandi copiam facere, infeſta eorum agmina, interpoſita cohorte ſua, diremit. Plurimis deinde verbis ultro citroqve ad mutuas irritationes profuſis, tandem ſolius regis arbitrio res omnis ab utraqve parte commiſſa eſt. Excepit tamen Buius ciſtulas duas auro repletas, qvas inter cætera ſpolia rapuerat, veſteſqve, qvas induerat, qvarum reſtitutionem plane abnuit. Rege vero negante, tanta ignominiâ paſſurum ſe Comitem affici, ut veſte ſpoliaretur (ſciverat enim ipſum pro ſummo id dedecore reputaturum) Buius ſententiam expectavit. Edictum, *ut veſtes ſine mora redderet, ciſtulis, ut poſtulâſſet, retentis; Comes filiæ Toſæ conjugio Sigurdum Kapam ornaret, prædiaque Comitis, qvæ diripuiſſent, in dotem cederent, nec damni titulo qvicquam Comiti ultra rependerent.* Hoc temperamento amicitiæ in poſterum jungendæ firmandæqve proſpectum eſt. Grata omnibus ſententia, in primis Sigurdo, tam inſperato gaudio perfuſo, cui Veſetius omnium bonorum trientem donabat, dataqve invicem & accepta fide ê foro ad Comitis palatium iter vertunt. Ibi nuptiale convivium, cui etiam Rex interfuit, magnificè celebratum. Inde Rex domum, Veſetius cum filiis & nuru in Borgundarholmum rediit.

CAP. X.

DE BUIO ET EJUS FRATRE SIGURDO, VAGNOQVE AKINO COLLEGIO JOMICORUM INSERTIS.

MOdico inde tempore elapſo, Buius gloriæ avidus inſeri collegio piratarum Jomicorum cum præoptaret nec Sigurdus domi conjugis illecebris detineri deſidiave torpere ſuſtineret, duobus navigiis, centum comitibus inſtructis, imitati filios Strut-Haraldi, domo profecti Jomsburgum petunt, adq; portum naves applicant. Principes ê turri advenas proſpicientes

tes â Sigvaldio, qvinam essent navium duces, edocentur. Prior Buius se cũ fratre comitibusq;, qvi id virtute mererentur, in eorum societatem recipi velle profitetur. Sigvaldius eventum litis inter parentes eorum sciscitatus est. *Longæ ambages*, respondit Buius, *nec paucis exponendæ; intercessione tamen Regia, quicquid intervenit, compositum est.* Palnatokius collegas rogans, *an sola dictorum fide in numerum sociorum recipi placeret? sibi quidem strenuos viros videri, plurimis etiam sociorum præferendos, nec societatem eorum abnuendam.* Illi *arbitrium recipiendi penes ipsum esse, judicium etiam, si postmodum quicquam emerserit, quod in præsens supprimeretur*, cum respondissent, aperta porta, intromissis navibus, lustrantur examinanturq;; bes in societatem receptus, reliqvus triens examini impar rejectus. Amicitia inde constanter culta, studiaq; militaria pro more celebrata. Interea Vagnus per vices apud patrem & avum in Fionia & Borgundarholmo educatur. Pueritiæ præferocis documentum tres homines ante completum novennium occisi præbuêre; crevit tamen cum ætate truculentia, nam seqventi triennio intolerabilis & indomitus visus parentibus sollicitudinem haut mediocrem incussit. Visum est duodecim annos natum suo ipsius arbitrio comitti, poscentem myoparonibus instrui, qvorum alterum pater, avus alterum suppeditabat, nautis tantùm delectis in singulos sexaginta datis, qvorum nemo viginti annos excederet, vel minor esset octodecim, præter ducem solum, minimis sexennio minorem. Arma & comeatus non reqvirebat, sibi ipsi suffecturum professus; nec segniùs, qvæ minatus erat, exsecutus, ubiq; per Daniam arma comeatumq;, &, si qvæ essent, qvæ ad apparatum desiderarentur, rapiebat, atq; hoc modo patriæ valedixit. Inde Jomsburgum mane diei sub Solis ortum delatus, navibus portûs claustris successit; proceres è turre egredientes ut vidit, *an Palnatokius domi esset?* qvæsivit; qvi & ipse præsens respondit: *adesse quidem se: illum vero, qui tam superbè se gereret, nomen suum profiteri jussit. Is Vagnum se dici* respondit; *verùm collegium eorum accessione sua aucturum eò processisse, cum parentes & cognati domi mansvefacere nequivissent, abitu tantum suo læti. Siccine fili*, inqvit Palnatokius, *hic tractabilis eris, domi rebellis? Minus videris*, inqvit Vagnus, *primo meo aditu nexui sanguinis ultro citroq; intercedenti tribuere.* Conversus igitur ad collegas Palnatokius, an admitti placeret? qvæsivit. Dissvasit Buius, qvantumvis sibi præ omnibus qvondam morigerum. *Obloquuntur tibi*, ait Palnatokius, *collegarum illi, qui & cognati tui sunt, & tuos mores optimè noscunt. Tu ne, Bui*, respondit Vagnus, *quominùs recipiar, obstas, & quidem præter spem & expectationem meam?* Is obstitisse confessus est, eo tamẽ temperamento, ut arbitrio Palnatokii nihil detractum velit. *Quid*, inqvit Vagnus, *Strut-Haraldi filii suadent? illud enim cognoscere mea refert. Ne unquam admittaris*, respondit Sigvaldius. Palnatokius, *quo ætatis processisset?* qvæsivit; cui duodecim annos respondenti, legem, qvo minus reciperetur, obstare respondit. Vagnus *mentem legis, non verba, perpendenda* regessit: *neq; enim se, ut scita sua violaret, vel ipse violari permitteret, optare: si enim ego*, inqvit, *cuivis octodecim annos nato impar fuero, ex præscripto legis rejice, sin minus, haut ei vim fieri putato; neq; enim singulis vestrum, etiam adultioribus, manus daturum existimem. Cessa fili*, ait Palnatokius, *& accipe conditionem liberaliter oblatam; dirige cursum in Bretlandiam ad Biornum Bretskium, dimidiamq; universæ ditionis meæ partem dono accipe.* Vagnus munificentiâ ejus laudatâ, accepturum tamen negabat. Instanti, qvid expeteret? Sigvaldium cum duabus navibus centumq; militibus ad pugnam deposcebat, sua repulsâ vel admissione certaturum; adjectô, detrectantem pugnam ignominiosam effæminati notam

 haut

haut effugiturum. Converſus igitur Palnatokius ad Sigvaldium; *quam contumelioſè provoceris*, inqvis, *præſens audis: non igitur congreſſu te prohibebo, utpote tam neceſſariô ad honorem & exiſtimationem defendendam. Præſta te virum, & quantum poſſis declara. Acrem tamen ab hoc juvene conflictum, me vate, expectabis. Non eſt quod ulli parcatis, præterquam duci, hunc orbe clypeorum in anguſtias compulſum vivum comprehende, occiſum namq;, quantumvis hactenus refractarium, ægerrimè me laturum ſcito.* His auditis, eductis in occurſum navibus, acerrimè ab utraq; parte pugnatur, jactu primò lapidum, mox cominus enſibus, tantoq; ardore in Sigvaldium Vagnus invectus eſt, ut tuendis tantùm corporibus ictibusq; declinandis diſtineretur; donec defectu lapidum ad litus eum ad nova miſſilia colligenda compelleret. Cedenti deniq; inſtat, veſtigiisq; preſſè inhærens, ne ſpatium qvidem ad lapides comparandos ullum reliqvit; nam protinus educto in litus milite, ad terreſtrem pugnam provocavit: ibi longè qvàm antea vehementiùs certatum. Palnatokius ê turri ordinem pugnæ ſpectans, Sigvaldi aciem inclinaturam proſpiciens, deſiſtere pugna utrumq; juſſit, laudatumq; Vagnũ recipi in commilitium cum ſingulis commilitonibus, editis hac pugna fortitudinis experimentis, collegio tanto dignis judicatis, ſvaſit & perſvaſit. Triginta e Sigvaldianis cæſi ſunt, â parte Vagni viginti, pluribus ex utraq; parte ſauciis. Impetratis cupitis honoribus, ferox ingenium ſola indulgentia in tantum ex eo correxit, ut arrogantiam moderatione, ferociam manſvetudine de ſubito caſtigâſſe appareret, nec mitius ingenium aliud toto collegio reperiretur, cũ tamen robore corporis pleroſq; anteiret, nemini cederet, belloq; longè fortiſſimum ſemper & imperterritum oſtenderet. Horum genus virtusq; principem inter piratas Jomicos locum tenuit. Annum autem, qvo ſinguli in ſocietatem recepti ſunt, aſſignare neqveo, præter ſolius Vagni, qvem anno ſeculi ejus LXXVI natum, LXXXVIII albo collegarum inſcriptum fuiſſe, in *Serie Daniæ Regum*, qvantum potui, monſtravi. Strut-Haraldi filios priùs eò conceſſiſſe ex dictis manifeſtum eſt. Veſeti filios vix ante annũ LXXXII, cum Buio in Borgundarholmo adhuc manente ibidem interdum Vagnus educatus fuerit. Hoc eodem aut proximè præcedente anno Biornus Breidvikingorum athleta in eandem ſocietatem receptus eſt.

CAP. XI.

DE EXPEDITIONE STYRBIORNI, EXPUGNATOQVE AB EO JOMSBURGO.

EXtremis vitæ annis Haraldus magna calamitate concuſſus, profligatiſſimo juveni Styrbiorno Sveciæ Principi, ſic Sveciæ Pugili, ludibrio fuit; qvæ neſcio an ſecutæ ſeditionis, cujus caput filius Svenus, cauſa, certè præludium fuit. Singula in *Serie Regum Daniæ* paulò prolixius expoſui, hic breviter repetenda.

Cum Styrbiornus, Eirici Victorioſi ex fratre Olafo nepos, duodecim annorum puer, dimidium regnum, qvod patruus ejus tutelæ titulo adminiſtravit, repeteret, nec legibus præſcriptam regno gerendo ætatem aſſecutus eſſet, nec ingenium tantæ moli juventæ vitio ſufficiens, qvin ra-

ra

ra inſuper rabie indomitum civibus formidabile, viſum eſt primos ejus impetus aliò convertendos; ſexaginta igitur navium claſſe patruus biennii peregrinationem inſtruens, abſentiam ejus, utpote rixarum cædiumqve inducias, redemit; qvi materiam exercendarum virium nactus orientem infeſtabat. Inde aucto delectu, poſt triennium Jomsburgum expugnavit. Tanta acceſſione ferocior in Daniam invectus, cruento bello eam laceſſivit. Pax tandem conditionibus coaluit, Thyrâ Haraldi Regis filia ei in matrimonium datâ, additis auxiliaribus navibus centum, in tria bella juſtis exercitibus gerenda. Nox una geniali thoro data: mox Jomsburgum rediit; eò namqve ingens ex oriente ad eum confluxus factus eſt, expeditioqve, ni maturè rediret, palam detrectabatur, ſingulis ad proprias domos relapſuris. Inde igitur copias omnes mille navium claſſe in Daniam reduxit, ſoceroqve nupera pacificatione ſanctisſimisqve fœderibus, arctiſſimo nexu firmatis, ſecuro, nihilqve hoſtile metuenti, de improviſo infeſtus ducentas in ſubſidium naves extorſit, ipſumqve ut ſe in Sveciam ad patruum oppugnandum ſeqvereretur perpulit. Qvo delatus Styrbiornus, cum ad præſcindendam ſpem fugæ militibus ſuis, necesſitatemqve vincendi imponendam, omnem ſuam claſſem incendiſſet, Rex Haraldus omni metu ſolutus ſuam incolumem in Daniam reduxit, Styrbiorno exitum belli ſua cæde & omnium prope internecione cumulante. *Saxonis* de his relationem in *Serie Regum Daniæ* expoſui, & cum his noſtris contuli. Palnatokio præfecturam urbis gerente, ſed fortè abſente, Jomsburgum Styrbiornum expugnâſſe, *Eyrbyggenſium hiſtoria* adſtruere videtur; qvæ Biornum Breidvikingorum athletam utriqve meruiſſe tradit, & Palnatokio ante expugnationem, Styrbiornum qvoqve in Sveciam ſecutum; ad Palnatokium deinde rediiſſe. Ex qvo colligitur, cæde Styrbiorni Burisleifum urbem recuperâſſe, eiqve Palnatokium denuo præfeciſſe.

CAP. XII.

DE REGIS HARALDI EXITU.

DE novisſimis Haraldi rebus diſſentiunt Antiqvitates. Chronica qvidem omnia aſſeverant, Svenum diviſionem regni a patre expoſtulâſſe, qvod magis habere qvàm ſperare volebat. Qvod cum pariter atqve antea pater partiri abnueret, filius ingentis claſſis atqve exercitûs vim magnam contraxit, prætextu expeditionis in piratas ſuſcipiendæ. Adfuit & Palnatokius, Jomicorum piratarum princeps, alumno ſuccurſurus, intrato ſinu Sialandiæ Iſafiordo, ubi tum pater expeditionem aliò moliturus ſtativa habebat. Qvem repentino bello adortus Svenus, multitudini undiqve ex oppidis & vicis ad patrem confluenti impar ſuperatusqve fugam capeſſivit: parricidio tamen ſuperior lethali vulnere genitori inflicto, mortuo victori victus victoriam extorſit. Hæc Chronicorum MSS. conſtanti & conſentienti traditione perhibentur. Typis impreſſum exemplar Palnatokium vulneris authorem aſſeverat. Compendium Chronicorum ex morbo occubuiſſe tradit. *Adamus Bremenſis* & *Helmoldus* odio Chriſtianæ religionis, qvam profeſſus fuerat pater, Svenum

 eum

eum persecutum cum ejusdem furfuris complicibus memorant,belloq; victum & vulneratum ex acie fugientem Julinum elapsum, ibiqve contra spem, qvòd pagani essent, receptum, post aliqvot dies ex eodem vulnere deficientem in confessione Christi defecisse, cujus corpus in patriam ab exercitu reportatum, Roskildiæ in æde sacra, qvam ipse primus in honorem Sanctæ Trinitatis construxerit, sepultum. Danici scriptores præter religionis odium, etiam ob assidua bella aliaqve onera, qvibus excitando Thyræ matris monumentum impensiùs plebem fatigabat Haraldus, concitatum populum, Svenum qvoqve filium induci se passum, ut ejuratâ, qvam suis sciebat esse exosam, Christiana religione, arma adversus patrem capessere, ejectumqve regno apud Vandalos Julini, qvod Danicis tunc erat præsidiis refertum, exilio suo receptum invenisse: ibi mixtis Danorum Sclavorumqve copiis bellum adversus filium Svenum reparâsse, semel iterumqve victum, ac demum apud Helganesiam promontorium, dum factis induciis incautiùs in proximum littus evagatur, a Tokone qvodam, miro jaculandi artificio præ cæteris prædito, sagittâ vulneratum, mori in exilio apud Julinenses adactum. *Codex Flateyensis* eandem pugnam in Borringia, seu Borgundarholmo, gestam exponens, utramqve confusè hoc modo perseqvitur.

Postquam classes per vesperam in unum locum coivissent, congressuque tenebris prohiberentur, nox in stativis peracta pugnam in summum diei posterioris mane distulit. Tùm verò absque cunctatione, ut primum per lucem licuit, navali prælio, summis ab utraque parte viribus, per integrum diem in noctem usque certatum est. Duodecim â parte Sveni, decem ab altera debellatæ, ipse Svenus in interiorem sinûs recessum sub vesperam compulsus est, Rege sinu ulteriori, navibus in pontis modum juncto, exitum præcludente, eumque angustiis inclusum obsessum tenente, cædique cum sociis illucente die destinante. His angustiis presso eadem nocte cum classe viginti quatuor navium supervenit Palnatokius, navesque ad aversum promontorii latus applicat, velisque tegit; quo peracto, gladio tantùm cinctus, telaque gerens, solus in terram exspatiatur. Ibi Regem intra sylvam undecim satellitibus comitatum, corpus in valle quadam ad focum calefacientem, vestibus substratis, depressis humeris, dum pectus foveret, elevatis posterioribus, in genua procumbentem, ê tenebris conspectum voceque notatum telo arcu emisso hoc situ trajecit, quod clunibus exceptum, penetrato corpore, medio ore exertum cursum stitisse perhibetur, Rege protinus exanimi jacente, defunctusq; ex somnio matris Palnatokius, tametsi serâ, gravi tamen innocentis patrui occisi vindictâ visus est. Inter comites Regis Fiolner jam præsens eminebat, qui attonitis ceteris; quisquis, inquit, tam stupendi facinoris author est, merito eum fortuna destituit, neque enim sine quodam prodigio cædes hæc peracta videtur; quid igitur consilii in præsens capiendum videatur, expromite. Omnes ei primas detulerunt, quòd esset eorum prudentissimus. Is exceptum ore Regio telum aureo filo involutum diligenter custodivit, illudque mortis genus ut ignominiosum reticendum monuit: prælio potius occisum Regem dispergendum. In hoc omnes consentiebant. His perceptis Palnatokius, qui probe patruum Fiolnerem cognovit, ad suos recessit, nemini, quæ perpetrâsset, indicans: assumptisque viginti comitibus eadem nocte per transversum promontorium ad Svenum profectus est. Tum in quanto periculo a patre circumsessus versetur, in crastinum morti destinatus, ad animum revocat, auxiliumque protinus suum nutritius pollicetur, jubetque ut statim

levatis

levatis anchoris, adque latera singularum navium religatis lucernis, illuni & obscura nocte in singulis puppibus erectis, celeri remigio classem Regiam perrumpant. Tanto impetu remi moti sunt, ut tribus navibus Regiis subversis omnes in iis nandi imperiti fluctibus absorberentur, Svenusque cum classe incolumis evaderet, obsidentesque prius Regios, vice repentè versa, auctus Palnatokii classe ipse obsideret. Nec tamen ei, vel ulli præter Palnatokium in exercitu ejus, quicquam de Regio fato constabat. Primo diluculo legati è classe Regia advenientes nunciant Regem prælio cæsum. Restant ergo duæ conditiones, respondit Palnatokius, *aut enim vobis Svenus loco patris Rex agnoscendus erit, aut nobiscum dimicandum. Facilè in priorem consensum est, cum non esset alius, cujus jus adversus Svenum propugnarent;* (fratre fortè mortuo, qvem ad Sembos concesisse Saxo memorat) *universi itaque Duces cum exercitu juramentum fidei ei præstiterunt. Inde Palnatokius eum per universam Daniam ducens, singulis conventibus solenni ritu Regem proclamari, juramento in obedientiam ejus ubique exacto, curavit.*

Hunc exitum Haraldi Cærulidentis *codex Flateyensis* memorat: *Meursius* paucis comitatum induciarum tempore in vicino Helganesiæ nemore, dum onus alvi deponeret, a Thocone Sagittario ex insidiis telo ictum ac lethaliter vulneratum naviqve impositum Julinum deportatum, ibi diem obiisse asseverat: favetqve illud, ut et *Saxonis* ipsius testimonium, *codici Flateyensi* de vulnere obscænis partibus excepto. Plurimis elogiis *Adamus Bremensis* Haraldum celebrat, qvæ ejus verbis hic apponere visum est. *At ille noster Haraldus* (inqvit) *qui populo Danorum Christianitatem primus indixit, qui totum Septentrionem ecclesiis & prædicatoribus replevit, ille, inquam, innocens vulneratus, & pro Christo â regno expulsus, martyrii gloria, ut speramus, non carebit. Regnavit autem annos quinquaginta. Obitus ejus in festivitate omnium Sanctorum oontigit, memoria ejus apud nos, & uxoris ejus Gunnhild, perpetua manebit. Hæc in diebus Adaldagi Pontificis facta comperimus, cum tamen non omnes ejus virtutes explorare potuimus. Sunt tamen qui affirmant, per eum gratias sanitatum factas, & tunc, cum adhuc viveret, & post mortem ad sepulchrum ejus, videlicet cæcos frequenter illuminatos fuisse, aliasque multas contigisse virtutes. Certissimum vero est, eum tam nostro populo, quàm Trans-Albianis & Fresonum genti leges & jura constituisse, quæ adhuc pro tanti auctoritate viri servare contendunt.* Saxones eas adhuc tenere *Meursius* author est, qvi & addit, Roschildense templum eum extruxisse, Sanctæqve Trinitati dedicavisse (ut *Adamus* antè retulit, cui ornando collegium sodalium sacrorum addiderit, admodum locupletatum.

Nec expertem elogii *Chronica Norvegica* eum relinqvunt; nam præconibus verbi Divini, edictisqve per universum regnum suum emissis, omnes ad Christianam religionem amplectendam adegisse, ipsumqve subsecutum refragantibus pænas irrogâsse, negotiumqve religionis omni ex parte promovisse, eamqve partem Vikæ Norvegicæ, qvæ imperium ejus agnovit, jugo Christi per Comites eò transmissos submisisse, qvæ tamen post obitum ejus ad paganismum sacrificiaqve idolorum relapsa sit, ut antea dictum est, testantur. Ut cætera ejus gesta laudem qvàm maximam, res etiam sacræ tanto studio promotæ, extremaqve vitæ ejus etiam immortalem gloriam mereantur; qvæ tamen in ne-

potem

potem & alumnum cognomines (ut taceam parricidium in fratrem , de qvo tamen fama variat) cædemqve Akii , qvem calumniâ circumventus occidi curavit (de qvo *in Serie Regum Daniæ* fusiùs actum est) nemo excusaverit. Paganus tamen qvæ commisit , Christianus factus pænitentiâ diluit , ingentibusqve, imo longè majoribus, pietatis operibus rependit. De anno ei fatali in *Trifolio nostro Historico* fusè disserui, Annaliumqve authoritate qvintum supra octogesimum ejus seculi retuli , ex conjecturis autem duos proximos adjeci.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS SECUNDÆ

LIBER OCTAVUS,

DE GESTIS SVENI DANIÆ PARTISQVE NORVEGIÆ REGIS, ET HACONIS HLADARUM COMITIS.

CAP. I.

SVENUS FURCATÆ BARBÆ PATRI HARALDO IN REGNUM DANIÆ PROVINCIASQVE NORVEGIÆ AB ORTU LIDANDISNESIAM USQVE, UT ET UPLANDAS, SUCCEDIT; PATRI JUSTA CELEBRATURUS PALNATOKIUM INVITAT, EJUS EXCUSATIONIBUS DELUSUS IN TERTIÆ HYEMIS INITIUM CONVIVIUM DIFFERT.

QVomodo inteſtina bella totam Norvegiam externo imperio ſubdiderint, nimiaqve in clientem ſeu vaſallum congeſta poteſtas magnam ejus partem iterum, etſi non juſtis hæredibus, indigenis tamen familiæqve Regiæ aſſeruerit, duobus præcedentibus libris expoſuimus. Jam qvibus rectoribus ab anno Chriſti nongenteſimo octogeſimo qvinto, aut duobus proximè ſeqventibus, ad CMXCV paruerit, resqve intra illud temporis ſpatium geſtas perſeqvar; rem qvidem haut expeditu facilem, utpote ſcriptorum vel incuriâ, vel inſcitiâ, partim ita confuſè traditam, ut provincialium Regum ne nomina qvidem, nedum geſta, explicari qveant, qvorum nullum præter Haraldi Grænskii occurrit, qvi Danorum Regis obſeqvio teneretur. Sedecim qvidem provinciæ maritimæ totidem Comitibus, more â tempore Pulchricomi recepto, ſubjectæ, imperium Haconis agnoverunt, usqve promontorium Lidandisneſiam, teſte

carmine Vellekla. Uplandorum Regulos in clientela mansisse Sveni certum est, Vingulmarchiam etiam & Raumarikiam Eirico Comiti Haconis filio in feudum ab Haraldo Rege Daniæ datas constat. Is verò neqve â Danis defecisse, nec feudo excidisse legitur, patri tamen adversus Jomsvikingos, Sveni Regis suggestione Haconem oppugnantes, militabat; qvod tamen fortè excusari poterit, eo qvod ipsi Danis subditi non fuerint, nec Sveni imperio sed suo arbitrio id egisse videri voluerint. Prima Sveni cura in parricidii notâ justis patri qvàm magnificentissimè faciendis utcunqve delendâ. Convivium igitur qvàm exqvisitissimè parentalibus ejus adornavit, maximâ freqventiâ celebrandum, nobilissimis regni proceribus, in primis Palnatokio cum popularibus Fioniæ incolis, unà invitatis. Verùm is legatis necessarias occupationes, qvæ obitu soceri Stephani Bretlandiæ, seu Cornaviæ, Comitis inciderint, excusationis loco prætendisse *codici Flateyensi* traditur; *crevisse nimirum uxorem cum ditione universam paternam hæreditatem: eò igitur sibi protinus concedendum; nec ante primas hyemis noctes, parentalibus pro more destinatas, otium sibi vacare.* Rex comperta excusationis necessitate, exeqvialia solennia in annum seqventem distulisse perhibetur, haudqvaqvam nutritio absente celebraturus. Verum confundit hic *codex Flateyensis* pro more tempora, nam obitum soceri, jam tunc ætate gravis, vicariiqve indigi, cum Palnatokius filiam ejus uxorem juvenis duceret, excusationis loco arripere non potuit. Alio ergo tempore invitatus a Sveno, partis cujusdam Daniæ Rege, absentiæ suæ causam hanc prætexuit; hunc errorem author deinde perseqvens, Palnatokium ê Fionia in Bretlandiam profectum, præposito Fioniæ filio Akio, curæ Regiæ commendato, refert, qvod his temporibus applicari non posse, cuiqve hæc nostra legenti liqvidò apparet. Occasionem narrationi præbuit Palnatokii e Britannia reditus, adventusqve in convivium, ut mox exponemus. Anno seqventi per legatos numero duodecim invitatus, sub abitum eorum morbi obtentu se excusabat; qvibus abeuntibus repentè convaluit. Nec hoc qvidem anno justa patri sine eo Rex facere sustinuit. Non licuit per leges Danorum aliarumqve gentium ultra tertiæ hyemis initium parentalia differre, cum successor ne legitimus qvidem Rex his omissis, vel ultra hos annos dilatis, haberi posset, inqve eo existimationis cardo præcipuus verteretur. Itaqve per eosdem legatos nutritium tertiò invitat, iram comminatus ni accederet. Is legatos referre jussit, *ut convivium quàm magnificentissimè pro Regiæ Majestatis fastigio appararet, se quidem maturè adventurum.* His cognitis, Rex convivio maxima celebritate convivantiumqve freqventia apparato, definito tempore eum in multam vesperam expectavit; tandem loco a Regio secundo, ei centumqve comitibus infra ordine collocandis destinato, vacuoq; relicto, triclinium cum convivis ingressus epulari cæpit.

CAP. II.

PALNATOKIUS AD CONVIVIUM FREQVENTI COMITATU ACCEDIT, INDICE TELO REUS REGIÆ CÆDIS PERAGITUR, FIOLNEREM OCCIDIT ET ELABITUR, JOMSBURGI DECEDIT.

At

AT Palnatokius, Biorno Britone comitatus, tribus navibus, unâqve comitantium centuriâ, cujus dimidia pars ê Danis, altera Britonibus constabat, in Daniam, locumqve, ubi convivium celebrabatur, delatus, in statione Regia, adultô vespere, naves, versis in altum proris, remisqve expeditis, velut ad subitaneum discessum instructas collocat. Inde Regiam ingressus, inter convivas locum honoratissimum, jubente Rege, cum centum comitibus sibi â latere ordine assidentibus, occupat. Perstrepebat jam Regia convivali hilaritate, cum Fiolner, id temporis, ut videtur, admodum senex, adito Rege, aliqvid ei in aurem adeo ingratum insusurrabat, ut repentè facies ejus sangvineo colore tincta appareret. Mox Arnoddo, qvi â candelis coram Rege stabat, jacnlum per universum convivium circumferendum singulisq; convivis monstrandum datum, cum mandato, ut qvisqvis possideret, profiteretur. Is orsus ab eo, qvi Regi proximus sedebat, per singulas interiores sedes triclinium ab intima usqve emensus, inde ad exteriora oppositi lateris progressus, singulis telum agnoscendum cum frustra exhibuisset, ultimo id Palnatokio, utpote secundo â Rege, monstrabat, & an agnosceret? rogavit. *Cur ni*, respondit, *meum telum agnoscerem? cedo, meum enim est.* Qvæ vox tumultu clamoreqve omnia intra aulæ parietes miscuit; qvô sedatô Rex ait; *ubi tu hoc, Palnatoki, spiculum novissimè reliqvisti? Sæpius qvidem, alumne*, respondit, *morigerus tibi fui, nec in præsens cæpto obseqvio desistam, qvandoqvidem exigis, ut in publico concessu, tantaque freqventia, qvàm paucis præsentibus, referam; in nervo dereliqvi, qvo tempore patrem tuum a posterioribus penetrato corpore spiculô per os dentesque evolante trajeci.* Tum vero Rex eum cum universo comitato protinus comprehendi occidiqve jussit, professus, *omnem amicitiam beneficiorumque memoriam tanto scelere corruptam, extinctam, emortuam.* Omnibus ad arma concurrentibus. Palnatokius primus, educto gladio, patrui Fiolneris caput cervicemqve ad humeros usqve concidit. Tanto autem aulicorum favore pollebat, ut arma ei inferre singuli detrectarent. Omnes itaqve incolumes evaserunt, præter unum tantùm ê Biorni Britonis militibus; qvô desiderato, cum Palnatokius spe minorem jacturam dictitaret, omnesqve ad naves acciret: *nec tu qvidem*, ait Biornus, *militem tuum tanto in periculo desereres, neque ego faciam.* Prosiliensqve in aulam, cùm mucronibus satellitem in sublimè raptùm mortuumqve conspiceret, altero in vindictam ejus occiso, de manibus eorum corpus exanime eripuisse, humerisqve impositum ad naves portâsse, audaciâ an temeritate majore, certè successu fidem omnem superante, perhibetur. Qvod tamen gloriosum facinus Eiricus Comes Thrandensis ei postea captivo, non sine laudis ejus commemoratione, suggessit, ut inferiùs dicetur. Hoc Biornus gloriæ tantùm qværendæ, non homini, qvem occisum sciebat, succurrendi causa perpetrasse traditur. Inde omnes obscura jam nocte elapsi naves ê portu moliebantur; nec prius destitisse ferunt, qvàm in Cornaviam reduces pervenerunt. Svenus autem cum reliqvo convivarum cætu exeqvias celebrâsse fertur. Hinc jam author omnem, qvam antea retulimus, historiam â Palnatokii piratica & condito Jomsburgo pertexit, qvam nos confusionem hoc, qvem retulimus, ordine restituendum duximus. Sed nec hoc triennio Svenus otio indulsit: statim enim post

mortem patris in Saxoniam & Friſiam arma transtulit: unde etiam *Adami Bremenſis* relatio illuſtratur, qvi Ottonem Tertium Danos domuiſſe memorat. In illa forte expeditione Olafus Tryggvinus Cæſaris partes ſecutus, ſi non Danavirkio in expugnando conſilia vel operas impendit, alio tamen modo operam ei locare poterat; indeq; fabula de Danavirkio conſiliis ejus incenſo effluxiſſe videretur; niſi certiora de anno nativitatis ejus a nobis monſtrata aſſertionem illam tuerentur. Poterat & utrobiqve militaſſe. Parum etiam dubito, qvin Aſcomannorum irruptio in Saxoniam & Friſiam, qvam *Albertus Stadenſis* ad annum CMLXXXVIII. refert; ut in exordio imperii Sveni, ita etiam ejus auſpiciis facta ſit.

Anno tertio â qvo Vagnus in collegium Jomicum aſſumptus eſt, in morbum incidit Palnatokius; qvem ut fatalem ſibi auguratus eſt, per legatos Burisleifum Regem ſe noviſſimè allocuturum invitavit, certiſſimâ mortem, ſenio etiam debitam, præſagiens, de ſtatu civitatis ſapientiſſimè diſſeruit, ſucceſſoreqve in ſuum locum deligendo, qvi oppidum præſidio regni deſtinatum in eodem ſtatu contineret, limitumqve & totius regni cuſtodiæ præeſſet; nullum autem Sigvaldio iſti muneri, tam ob rerum civilium prudentiam, qvàm belli gerendi peritiam fortitudinemqve aptiorem teſtatus eſt; haut tamen diſſimulabat, *qvin ſingulis aliqvid ad implendum ex omni parte ſuum locum eſſet defuturum*. Rex *conſiliis ejus ſe hucusque feliciter uſum* reſpondit; *qvorum cum copiam ulterius ſe non habiturum prævideat, certè noviſſimum hoc eo religioſius culturum*: *leges ab illo latas, ſtatui civitatis ſaluberrimas, immotas conſervandas decreviſſe.* Vagnum deinde nepotem cùm civibus ſuis Palnatokius magna cura cōmendâſſet, eiqve dimidiam comitatûs in Bretlandia ſeu Cornavia partem, Biornoqve Britoni, veteri ſocio & amico, reliqvam teſtamento legaſſet, fauſta omnia apprecatus, ſuamqve in eum benevolentiam paterno affectu multis indiciis, qvamqve obnixè ſtudium civiun ei conciliare contenderet, declarâſſet, deceſſit, non ſine publico civium ſuorum luctu & mærore, &, ut ſtatim præſagiebant, detrimento, anno Dominicæ incarnationis præterpropter CMXCI.

CAP. III.

SIGVALDIUS IN PRÆFECTURAM JOMSBURGI PALNATOKIO SUCCEDIT, DISCIPLINAM RELAXAT, FILIÆ BURISLEIFI NUPTIAS PACISCITUR, REGEM SVENUM ASTU CIRCUMVENTUM JOMSBURGUM DEDUCIT, REGESQVE RECONCILIAT.

MUtationem Principum mutatio morum ilicò ſeqvebatur, laxatisq; licentiæ frænis, fæminæ per duas tresve noctes in oppidum admiſſæ: noctes etiã plures ſæpiusq; extra mænia actæ ſunt, qvã cum Palnatokius vixerat, cædes qvoq; qvædam & crebriora vulnera audiebantur. Ad hæc Sigvaldius ad altiora aſpirans, ad Burisleifum profectus conditionem ei propoſuit elocandæ ſibi filiæ natu maximæ Aſtridis, ſpecioſisſimæ virginis & raræ prudentiæ, aliàs ſe abſceſſurum præſidiumqve univerſum deducturum minabatur. Erant Burisleifo tres filiæ; prima Aſtridis, Gunnhildis ei natu proxi-

proxima, tertia Geira, omnium minima, qvæ Olafo Tryggvino nupsit. Rex *majoris dignationis viro se eam destinâsse; spe tamen emolumenti. qvod ex præsidio Jomsvikingensium sibi polliceretur, de ea re deliberaturum* respondit; reqve ad filiam delata, necessitatem simul detinendi præsidii exposuit. Illa *conjugium qvidem tale minimè sibi cordi, necessitati tamen in præsens cedendum, spemque Sigvaldio faciendam*, *propositis simul conditionibus, qvibus illud mercaretur*, monuit, *nimirum ut ante nuptiarum tempus immunem â tributis omnibus Daniæ Regi debitis Vandaliam redderet; deinde ut Regem Svenum eò transportaret, inque potestatem Burisleifi redigeret.* Hæc cum Burisleifus proco proponeret, facilè amore ægrum animum ad consensum perpulit, impleturumqve ante tertium festum Jolense utrumqve Sigvaldius promisit, secus spe nuptiarum excisurus.

Vere proximo, postqvam Jomsburgum rediit, tria navigia, singula centum classiariis nautisqve irstructa, in Sialandiam directa, non procul â prædio, ubi Rex Svenus octingentorum satellitum præsidio stipatus convivabatur, ad promontorium qvoddam applicuit, procul ab aliarum navium statione, proris in altum versis, remisqve ad procinctum aptatis, singulaqve invicem ordine colligabat; missisqve ad Regem viginti nunciis referri jubet: *extremum se jam spiritum moribundum ducere: illud se maximè angere, qvòd cum habeat maximi momenti secreta, quæ ante obitum pandere vellet, valetudine prohibeatur; qvæ cum ad statum regni, salutem etiam Regis, fortunamque publicam attineant, obnixè orare, ut ad naves seque invisendum descendere haut dedignetur.* Qvibus auditis Rex ad litus profectus est, universo satellitum agmine comitatus. Tunc Sigvaldius, cognito Regis adventu, in eam navem, qvæ â litore remotissima erat, se contulit, lectoqve, simulato morbo, composuit; præcepit autem, *ut cum in primam navem triginta comites ascendissent, sublato ponte aditu reliqvos prohiberent, prætextu periculi, ne naves fortè mergerentur: idem observarent, cum viginti secundam conscendissent; Regem namque inter primos processurum.* Hoc tenore cum Rex in extremam pervenisset, Sigvaldium ægrotantem lecto detineri cognoscit. Ingressus itaqve ad eum, *num se loquentem percipere possit*? rogavit. Responsum est, *posse; propius tamen accedendum alloqventis vocem percepturo.* Rex lectum accedens percontari cæpit, *qvænam esset tanti momenti res, ad qvam se exciverit*? Tum Sigvaldius qvassa voce: *Inclina te, o Rex; nam ut vires, sic etiam vox me valde affectum prope deficit*; moxq; inclinantis Regis cervicẽ mediumqve corpus diversis manibus complexus, tantis viribus detinuit, ut se Rex nusqvam dimovere posset; nec tunc ex ulla parte debilis Sigvaldius videbatur. Magno deinde clamore singulos remos qvàm ocissime expediri jussit, nec nautæ segniùs imperata faciebant; atqve ita Svenum Regem cum triginta tantùm comitibus regno extulit; qvi, ut se in potestatem Sigvaldii redactum cognovit: *molimen qvidem ingens video*, inqvit, *resque maximas ante oculos versari, utut qvem eventum habituræ sint nesciam.* Ad ea Sigvaldius: *Tu qvidem, Domine, Jomsburgum nobiscum petes; ubi omnia, qvæ ad honorem gloriamqve tuam faciunt, a me abundantissimè expectabis, comitesque tui hospites erunt nobis acceptissimi: cum autem eò deveneris ad convivium, qvod tibi præparavimus, certior de omnibus eris. Interim tibi omnes, ut par est, digna veneratione ministrabunt, tuqve omnibus imperabis, summoque honore, qvem tibi maximum deferre possumus, afficieris.* Rex *id se haudqvaqvam hoc rerum suarum statu subitaque con-*

verſione detrectaturum reſpondit. Ubi Jomsburgum perventum eſt, Sigvaldius haut ſegniùs promiſſa executus, omni honoris exhibitione Regem veneratur, convivioqve qvàm ſumptuoſiſſimo excipit, ejusqve ſe famulos omne piraticum collegium profitetur. Tum demum Sigvaldius cauſam, qvòd regno eum extulerit, prætexuit, *nuptias nimirum virginis eximiæ Burisleifi Regis filiæ illi præ omnibus aliis deſtinâſſe, formæ adeo ſpecioſæ, ut cæteras omnes facilè anteiret, cujus exſortem eum ſe haudqvaquam paſſurum.* Omnes piratæ venuſtatem virginis moresqve paritèr comendabant. Rex nomen cum qvæſiviſſet, Gunnhildem dici accepit. *Alia tamen mihi*, ait Sigvaldius, *deſponſa eſt, huic tamen tuæ, ut par eſt, haut comparanda; interim ego profectionem ad Regem utriusque noſtri cauſa ſuſcipiam, fidemque, qvam mihi par eſt, ut tribuas, ſine fuco experieris: tu interea convivio ſecurus indulge.* His dictis, ad Burisleifum Regem, comitantibus centum miniſtris, profectum convivio Rex excepit magnifico. Mox nuptias filiæ, ut convenerat, poſtulavit, impletis â ſua parte conditionibus, Rege Jomsburgum deducto, ut liceat Burisleifo pro arbitrio de illo ſtatuere. Conſultatum deinde, qvid potiſſimum de Rege faciendum: Sigvaldio placuit interceſſione ſua nuptias filiæ Gunnhildis ei conciliare, immunitate tributorum redimendas; qvod poſtqvam perſvaſerat, ad Regem rediit, conditionesqve expoſuit, adjiciens, *ê dignitate Regis fore, ſocerum qvàm liberrimo jure regnantem nemini obnoxium habere; tributarios autem Reges reliqvis inferiores haberi. Compendium Chronicorum* refert, Sigvaldium Burisleifo, Svenoqve arbitrium hujus rei extorſiſſe, minatum Burisleifo reducturum ſe in Daniam Svenum; Sveno autem, traditurum ſe eum Burisleifo, ni ſe arbitrum deligerent, ſuoqve arbitrio ſtarent; qvod cum obtinuiſſet, his eos conditionibus reconciliavit, Svenus Daniæ Rex Gunnhildem Burisleifi filiam, & hic viciſſim ſororem ejus Thyram, conjugiis ſibi jungerent: Gunnhildi in dotem cederet pars Vandaliæ Danis bello qvæſita. Thyræ vero, qvæ Styrbiorno prius, vivo Haraldo, nupſiſſet, opulenta prædia â patre in Fionia, Falſtria & Borgundarholmo donata; dotium deniqve permutatione inſtituta, prædia patrimoniumqve Thyræ, per Daniam ſparſum Gunnhildi Daniæ, pars autem Vandaliæ â Danis occupata Thyræ Vandaliæ, Reginis reſtitueretur; egregio ſane temperamento, qvo ſingularum dotes dotiumqve remunerationes, qvas dotalitiorum nomine exprimunt, ſingulis regnis ad diſſidiorum occaſiones amputandas continerentur. Urbem autem Jomsburgum cum provinciis Vandaliæ, qvas ipſe delegit, compoſitionum, fæderumqve arbiter Sigvaldius ſibi retinuit. His ita compoſitis, tempus feſtivum nuptiarum in certum diem indicitur; conjunctim Sveno Sigvaldioqve ſponſis celebrandarum, &, ut addit *Compendium Chronicorum*, titulo etiam ſponſalium Burisleifi, Thyræqve abſentis; qvò & univerſa Jomicorum piratarum ſocietas duce & præſide Rege Sveno confluxit. *Compendium* Jomsburgi convivium tanta pompæ magnificentia concelebratum tradit, ut nemo Vandalorum unqvam par vidiſſe perhibeatur. Primo veſpere ſponſæ pro moræ velatæ haut facilè conſpici potuerunt; mane autem ſeqventis diei, ſublato peplo, omnium aſpectui patebant. Tum verò Svenus, utriusqve formis accuratè penſitatis, deceptum ſe â Sigvaldio, uxoris ſuæ ſpeciem præ Aſtride extollentis, animadvertit: ſed diſſimulata indignatione omnia, qvæ ad gloriam ſuam augendam facerent, intentè obſervabat, inqve uſum ſuum convertebat. Triens Vandaliæ poſt obitum Burisleifi Gunnhildi hæreditate debebatur. Hinc, credo, *Knytlingorum hiſto-*

hiſtoria cap: *XLIX.* huic Sveno laudem primo omnium Daniæ Regum ſubjectæ Vandaliæ tribuit. Finito convivio, Svenus cum uxore ſua ampliſſimis muneribus donatus triginta navium claſſe in Daniam rediit, ex qva (non, ut vulgò creditur, Sigride Eirici Victorioſi vidua) duos filios ſuſcepit, majorem natu Knutum, a vaſto imperio deinceps Potentem dictum, minorem Haraldum. Hos *Ditmarus Lib*: *VII.* ex Miſeconis Ducis filia Bolislai ſorore natos tradit, deinde eam repudiâſſe; cui *Emmæ Reginæ Encomiaſtes* ſuffragatur, qvi eam poſt mortem ejus â filiis ex Sclavonia reductam perhibet. Sigvaldius autem Jomsburgo magno legum â Palnatokio latarum detrimento præfuit, adeo ut omnes piratæ Jomici jam parvo tempore concordes Palnatokium deſiderarent.

Hujus captivitatis occaſione effluxit fabula de Sveni Regis tribus vicibus iterata captivitate, qvæ etiam qvatuordecim, (*Meurſio* ſeptendecim) annorum exilio nobilitata traditur; qvam nos in *Trifolio* affatim refutavimus. Thyra autem Regis Sveni ſoror, ut de his pactis a fratre certior facta eſt, minimè acqvievit. Cauſam afferunt noſtri Scriptores, qvòd Chriſtianis ſacris imbuta ethnici Regis conjugium, & tunc qvidem Senis, averſata fuerit, prætuleritqve in conſortio Chriſtianorum mori, qvàm in poteſtatem Regis â fide alieni redigi; ideoq; in Dania in agris ſuis conſediſſe annos aliqvot. Verum ſi hic Burisleifus (Bolislaus) Poloniæ Rex fuit, Vandaliamqve ſibi ſubjectam habuit, neqve ille ethnicus erat, nec, ut videtur, id temporis ſenex; nam Imperatorum Ottonum tempore tota Vandalia Chriſtianis ſacris initiata fuit, licet poſtea defecerit. Oddus Monachus eadem de dolo Sigvaldi refert, additqve, exilio ê patria â Sveno Rege poſtea multatum, idqve aliqvantiſper durâſſe; id qvod etiam *hiſtoria Olafi Tryggvini parte II. Cap*: *LXXXIII. p. 276.* innuit.

CAP. IV.

COMITI STRUT - HARALDO ET VESETIO MORTUIS REX SVENUS JUSTA FACTURUS CONVIVIUM INSTRUIT, AD QVOD SIGVALDIUM ET JOMSVIKINGOS INVITAT, QVI ET ACCEDUNT.

HOc eodem anno, qvo Svenus Daniæ Rex a captivitate Jomicorum piratarum liberatus in regnū rediit, Comes Strut-Haraldus deceſſit, filiis ætate matura Sigvaldio & Thorkele, cognomento Procero, Jomsburgi degentibus. Hemingi ætas minus idonea juſtis tanto viro pro dignitate celebranda viſa eſt. Rex igitur onus feralis convivii in ſe ſuſcepturus, ut illud ſua abſentia haut dehoneſtarent, per legatos monuit. *Chronica* eodem tempore Veſetium Borgundarholmi Principem fatis ceſſiſſe tradunt, exeqviasqve Haraldo patri filium Svenum ſimul celebraturum; qvod cum *Codicis Flateyenſis*, qvem ſeqvimur, traditione minùs conſentit. Illud certè patet, qvàm hæc diſſentiant ab æra obitui Haraldi vulgò aſſignata, cui poſt tredecim demum annos a morte ejus elapſos primò parentatum ſtatuere, & legibus & receptæ conſvetudini adverſatur. *Chronica* exeqvias Regis Principumqve horum confudiſſe exiſtimo, qvæ omnino diſtinctiùs *Codex Flat*: tradit; neqve tamen utrorumqve relationes ſeorſim

orsim exprimere pigebit. Comitis filii Regem ut convivium impensis suis, ê patrimonio decerpendis, qvàm magnificentissimè instruendum curaret, orârunt, se affuturos polliciti. Visum est collegis periculosæ plenum aleæ, in offensi & irati Regis, sed amicitiam simulantis, manus se ita tradere, ut penes ipsum esset, qvicqvid libuerit, de iis statuendi arbitrium. Verum sua promissa cum Sigvaldius fraterqve nullo modo retrectare vellent, commilitones virtute sua indignum rati Principes deseri, etiam ipsos comitari voluerunt, eâ tamen (ut habet *Compendium*) manu, iis copiis, qvæ Danos ab omni injuria viqve inferenda cohibere sufficerent. Itaqve armata, secundum *codicem Flat:*, centum septuaginta navium classe (constat autem, ut alibi relatum est, centuria qvælibet decadibus duodecim) *Compendio* sexaginta tantùm, *Chronicis* qvadraginta, vigintiqve aliis ê Scania navibus accedentibus. Constituto die, funebri convivio dicato, universus piratarum Jomicorum flos, cum plurima aliorum convivarum multitudine, totiusqve regni proceribus, undiqve simul affluentibus, in Sialandia Hringstadis, sub hyemis initium, qvod inter decimum & decimum septimum Octobris vertitur, præsens se sistebat (locum convivii solum *Compendium* exprimit.) Convivium ut sumptuosissimè apparatum erat, ita etiam magnificentissimè pomposissimèqve procedebat. In primis Rex se hilarem & affabilem Jomicis piratis exhibuit, iisqve fæcundissimos calices per pincernas ad id subornatos propinandos curavit. Primo vespere cum se majorem in modum ingurgitâssent, multa per temulentiam effutita, qvæ sobrii conticuissent, Rex observavit, occasioniq; intentus, *tantum tam frequentem & illustrem consessum, in hilaritatem effusum, novo quodam lætitiæ genere, perpetuæ posterorum memoriæ consecrando, insuper recreare ê dignitate Sigvaldii Jomicique collegii fore* dictitabat. Sigvaldius *Regem rectiùs auspicaturum* monuit, *cujus exemplum reliqui omnes, cæteroquin ad obsequendum ut obstricti, ita etiam proni, decentiùs sequerentur. Mos*, respondit Rex, *majoribus ab hominum memoria receptus invaluit, ut convivia magnifica votis etiam magnis ornarent: â vobis autem Jomicis, qui jam universum Septentrionem gloriâ nominis vestri gestorumque splendore ita implevistis, ut ne gens sit toto Aquilone ulla, quæ vobis æquari possit, nihil nisi magnificum promitti aut concipi posse persuasum habeo; non igitur votum meum amplius differam. Chronica* parentalium jure incubuisse omnibus necessitatem votorum, ad scyphum memoriæ Bragii dicatum, & Regi qvidem cum hæreditatem paternam adiret, testantur. Digna sunt verba Compendii relatu. *Cum*, inqvit, *prisco more justa fierent, eodem anno, quo is, de cujus hæreditate agebatur, defunctus est, celebrari debebant. Hæredi autem in ejus locum priùs succedere nequaquam licuit. Primo vespere funebris convivii freqventia pocula, ut hodie ea, quæ memoriæ dicantur* (Minni vocant) *amicorum aut propinquorum præcipuis, cornua liquore plena propinabantur, quibus id, quô Bragius celebrabatur, succesſit; quo accepto hæres, qui justa fecit, votum nuncupare tenebatur, cum convivis omnibus; quô peracto, successor locum defuncti licitè occupabat, inque bona honoresque mortui jure optimo successit, id quod occupare aliter illicitum.* Hinc votorum series hoc tenore describitur.

CAP. V.

DE VOTIS REGIS ET JOMSVIKINGORUM.

Pri-

PRimus Rex, ut habent *Chronica MSS*, antequam ſolium patris aſcenderet, cratere in ejus memoriam exhauſto, vovit, ante trium hyemum excurſum exercitum ſe in Angliam ducturum, Regemqve Adalradum (Ethelredum) vel occiſurum, vel regno expulſurum. Illum ſcyphum, qvotqvot convivio interfuerunt, evacuare tenebantur. *Compendium* his verbis votum Sveni deſcribit. *Primo veſpere, cum Rex Svenus & Sigvaldius patribus ſuis parentarent, Rex pincernas delegit ad implendos Principum Jomicorum calices. Maximo niſu tum potatum eſt, valdeque ebrii facti ſunt. Cum autem poculum Bragii impletum eſſet, priusquàm Rex ſolium patris ſui occupâſſet, votum nuncupavit, ante exactam tertiam hyemem cum exercitu ſe Angliam petiturum, Regemque Adalradum vel occiſurum, vel regno exacturum; quod ſi neutrum horum ſuccederet, ſe ibi moriturum.* Manifeſtum eſt, ritum ethnicis uſitatum *Compendium* huc falsò traxiſſe, Bragiiqve memoriæ in paganismo adhibitum. *Codex Flateyenſis*, qvi hoc convivio Haraldo Regi parentatum non tradit, hos ritus omiſit: auſpicatum tantùm Regem vota absqve ulla poculorum mentione refert, Regemqve, cum voviſſet, Sigvaldium magnopere hortatum, ne minoris momenti votum nuncuparet: pocula tamen votis concipiendis adhibita dubium nullum eſt. Poſtqvam poculum votivum memoriæ ſeu manibus Regis Haraldi conſecratum convivæ omnes hauſiſſent, aliud in Chriſti memoriam circumlatum, omnibus pariter exhauriendum, maximarum tamen virium potione ad ſumma usqve labra repletum, ut cætera omnia Jomicis Principibus propinabatur. Succeſſit huic tertium, Sancti Michaelis memoriæ dicatum, qvod recuſare nemini licebat (craterum Salvatori Michaeliqve Archangelo conſecratorum ſola *Chronica MSS.* meminerunt.) His præmiſsis, patris ſui memoriam Sigvaldius qvarto cratere celebraturus voto ſe obſtrinxit, ad Haconem Norvegiæ Comitem intra trium proximarum hyemum ſpatium vel occidendum, vel regno fugandum, etiamſi id propriæ vitæ impendio ſtaret. Votum Svenus magno plauſu excipiens: *macte eſto*, inqvit, *tanta virtute, qui rem maximam auſus, fortisſime etiam exſequi adnitere, quod feliciter vertat; regnum namque illud tibi libentius permittimus, quàm Haconi aut Eirico filio ejus: Hoc tu voto nobis optatior eſto: tu modo ſtrenuè exequitor, gnaviterque potato.* Converſusqve ad Thorkelem Procerum, ut dignum natalibus ſuis tantoqve fratre votum conciperet, hortabatur. Qvi voce Regia ſumma cum veneratione excepta, continuò vovit, ſe fidum belli Norici comitem fratri futurum, nec prius prælio exceſſurum navali, qvàm puppim ſibi duarum navium longitudine diſtantem fugiens obverterit, nec terreſtri, qvàm is disjectis ſignis acie exceſſerit. Illo qvoqve Rex collaudato, bonoqve viro fideiqve tenace pronunciatô, Buium ad votum æqvè ſtrenuum inſtigat. Vovit autem, commilitonem Comitis Sigvaldii in Norvegiam, illo duce, ſe trajecturum adverſus Haconem & Eiricum, nec fugam prius capturum, qvàm minor exercitûs ejus pars ſuperſtes eſſet, ac ne tum qvidem ducem deſerturum, ſed interfuturum bello, qvoad ipſe poſtularet. *Chronica* fugam Haconis Comitis ſua haut anticipaturum voviſſe tradunt. Hoc qvoqve voto Regio elogio ornato, Sigurdus Kapa, (Compendio Hvitius, ſeu Albus) hortatu Regis vovit, fratrem Buium ſe comitaturum, nec vivo eo fugam capturum. Qvo conſimiliter â pietate præcipuè in fratrem laudato, converſus ad Vagnum Rex, *tangit*, inqvit, *te jam*

ordo; aveo enim, quid concepturus sis, audire, juvenis maximis heroibus longa parentum serie prognate. Qvi haut trepidè absqve mora pollicitus est, se Buio cognato suo comitem in Norvegiam futurum, Sigvaldiiqve partes propugnaturum, nec fugæ se, qvamdiu Buius in vivis esset, mandaturum, sed nec in Daniam rediturum, priusqvam viri inter proceres præfectosqve Vikæ primarii Thorkelis Leiræ filiam lecti sociam accepisset, absqve patris ejus consensu, vel eum renuentem occidisset. *Chronica* rectius hæc exponunt, ut postea liqvet, vovisse namqve perhibent, non ante ê Norvegia reversurum, qvàm occiso Thorkele Leirà cum filia ejus Ingibiorge socio concubuerit lecto. *Codex Flateyensis* & *Compendium*, Biornum Bretskium (Britonem) inter Jomicos Principes funebribus his epulis interfuisse, patrem adoptivum Vagni, ditionisqve Bretlandiæ â morte Palnatokii pari cum eo jure possessorem ex semisse; verum admodum grandævum fuisse oportet, vix ipso Palnatokio ætate minorem. Hic etiam impulsu Regis in votorum nuncupandorum communionem tractus, filium suum adoptivum Vagnum se in bellum comitaturum, & qvoad vires virtusqve & prudentia suppeterent, salutem ejus propugnaturum spospondit. Havardus Hauggvandius, seu Sector, & Aslacus Holmskallius, Bujo a calceis, neqve dominum suum vivum, vel etiam, finito certamine, mortuum se deserturos obstrinxerunt, solo *Compendio* ita tradente.

Finitis votis cubitum itum est, somnusqve arctior Sigvaldium in primam usqve lucem complexus. Experrectum uxor Astridis rogavit, *an concepta vota recenti memoria teneret*? oblitumqve comperta, singula ei in memoriam revocavit; adjecto, frustra eum apud insidiantem sibi Regem ab oblivione patrocinium qvæsiturum, qvod prudentia animi alacritate juncta rectius asseqveretur. *Tu igitur*, ait Sigvaldius, *fœmina prudens & benevola cum sis, consilium in præsens exprome in re subita profuturum. Redeuntem in convivium hilarem se, omnique cura solutum ut exhiberet*, monuit; *Regi vero vota singulorum firma memoria tenenti, repetentiq; & exigenti responderet, tritum illud diverbium, cerevisiam alium esse hominem* (qvod denotat, vina hominem adeo immutare, ut a se ipso diversus alienusqve videatur) *nec se mentis compotem tantum unqvam animo agitaturum fuisse: statim tamen qvæstionem excusationi subjiceret, ecqvid Rex subsidii, & qvantum, qvo votum perficeretur, suppetere velit? valdèque vires suas extenuaret, Regis vero potentiam, tanquam inde spes suæ universæ successusque omnis in tantæ molis negotio dependeant, verborum magnifico apparatu extolleret, jam in sinu de se, tanquam decipulâ capto, gaudentis. In primis vero naves subsidiarias expeteret, nec abnuenti, numerum certum, eumque magnum intuitu potentiæ Haconianæ, extorqveret, proniori ad promittendum re adhuc integra, qvàm auxilium ferendum, cum in procinctu eos videat, promisso præsertim nullo ante cedente, votiqve propemodum compoti facto, illo Comiteqve Hacone in mutuam perniciem commissis, cum utriusqve interitum unice exoptet.* His præceptis pluribusqve aliis, qvæ seqvuntur, instructus Sigvaldius, cum convivium repetisset, vultum ad hilaritatem composuit. Rex exultans animo, votorum mentione facta, responsum juxta ac præceptum erat reportavit. Sigvaldio auxilium ejus unicé expetente, eó res deducta est, ut ei, cum primum procinctum moveret, viginti naves ad expeditionem paratas promitteret. *Subsidium*, regessit Sigvaldius, *opulento qvidem rustico magnificum; Rege verò indignum.* Rex paulo commotior, *qvanto indigeret*? qvæsivit. Qvadraginta naves, easqve

qve omnes magnas, optimeqve instructas expetivit; finito bello vel easdem restituturus, vel in amissarum locum alias substituturus. Rex harum defectum eum haut tardaturum respondens, promissa tantum ut fortiter exeqveretur, monuit. Sigvaldius actis gratiis, magnificè, ut opinatus esset, succursum respondit; naves autem statim expediendas monuit, eo qvod finito convivio ad votivum bellum suscipiendum, morâ omni amputatâ, proficisci decreverit, copias navibus imponendas, partim se, partim Regem suffecturum. His dictis Rex parumper conticuit, reliqvis similiter silentibus. Tandem respondit; *impetrabis qvidem qvod petiveras, adeo tamen properaturum non sperabam.* Astridis Sigvaldii uxor, *nullam ipsis spem ad superandum Haconem, tempus ad militem navesque colligendas nactum, âqve copiis instructum: illi vero ex adverso licet imparato, & horum omnium inscio, ad illos depellendos devincendosque haut exiguam occasionem oportunitatemque affulsuram, maturandam qvàm ocissimè expeditionem, famam imminentis periculi celeritate omnino præcursuram.* Consilio sapientis fæminæ communiter laudato omnes parent, expeditionemqve ilicò adornant. Tofa Strut-Haraldi filia maritum Sigurdum ad militarem fortitudinem operamqve viro dignam fratri ex voto navandam longô sermone exhortata, neminem eô vivo lecti socium se admissuram pollicebatur. (Continentiam qvidem fortitudini præmium constituisse videtur, non qvod aliàs vivo marito mæchari proposuerit, sed qvod divortium cum illo, more ethnico, forsitan etiam tum sub novellæ religionis primordium licitum, se nunqvam facturam obligare voluerit.) Ad Buium deinde levirum conversa. *Haut eqvidem dissimulabo,* dixit, *maluisse te mihi, qvàm fratrem maritum contigisse, qvod mutari cum neqveat, sorte contenta ero mea; affectus vero in te mei exiguum signum, duos tibi satellites ad hoc bellum dono; alter Havardus Hauggvandius, seu Sector, alter Aslakus Holmskallius nuncupatur: meruisti enim ut tibi qvam optimè consultum velim.* Buius accepto munere Aslakum sororis suæ filio Vagno dedit, reliqvum ipse retinuit. Adversatur hæc relatio Compendio, qvod eos voventium collegio inseruit. Hæc totidem ferè verbis *codex Flat:* exseqvitur: reliqvi authores compendiosius; nec Astridi consilii gloriam tribuunt, cujus mentionem non faciunt, ut nec auxilii Regii. *Chronica* com̃uni Jomicorum Principum collegio consilium de properanda expeditione captum lateqve per regiones sparsum tradunt. *Compendium* expeditionem famam omnem dum prævertisse asseverat, *Codici Flateyensi* consentit; nec minor scriptorum dissensus in expeditionis enarratione apparet.

CAP. VI.
DE EXPEDITIONE PIRATARUM JOMICORUM IN NORVEGIAM.

Codex Flateyensis tradit, non longo tempore ab elapsis initialibus hyemis noctibus, Jomicos piratas centum magnarum, in universum autem centum sexaginta qvinqve (qvi numerus ad centum octoginta qvinqve exsurgit, centuriâ duodecim decadibus constante, qvi tamen minor est, qvàm ab initio retulit Jomsburgo eductum, nec adjectæ qvadraginta

ta naves subsidiariæ a Rege impetratæ) *Chronica*, ut & *Compendium*, sexaginta tantũ (*exemplar vitæ Olafi Tryggvini*, cujus author OddusMonachus, qvem *Clarissimus Verelius Hervararsagæ pag*: 34 secutus est, centum septuaginta habet) navium classe in Norvegiam transfretâsse. *Chronica* tradunt sinum Limicum primò ingressos; inde in Norvegiam navigatum. Qvò vero primum appulerint, controvertitur. *Codex Flateyensis* in Vikam nocturno tempore delatos, improvisos Tunsbergenses, qvibus nihil de iis innotuerat, eadem nocte, capta demum direptaqve tota propemodum urbe, promiscuaqve cæde repleta, inter armorum strepitus civiumqve suorum planctus gemitusqve ê somno excitâsse memorat. Inter cæteros Augmundum Hvitium, seu Album, Haconis Comitis præfectum, excitum somno, cum resisti posse desperaret, superiores ædes ascendisse, indeqve se fortiter defendisse; tandem ne in hostium potestatem recideret, cum supernè desilîsset, gladio Vagni manu mutilatum in proximam sylvam evasisse, ibiqve dum qvid genus hostium piratarumve oppidum ceperit, exploraret, constitisse, qvo certum irruptionis nuncium Comiti, Ducumqve nomina referre posset. Cum autem Vagnus armillam, qvæ cum amputata manu deciderat, comprehendisset, unum ê piratis eum nomine proprio inclamantem audivisse, nominibusqve cæterorum perceptis certò cognovisse, Jomicosq; piratas hanc irruptionem fecisse; inde per deserta loca, montiumqve vertebras triduum vagatum, prius qvàm prædia habitationesqve hominum offenderet; tandem ad Comitem, convivio unà cum Eirico filio apud Erlingum Solii dominum, Comitis etiam præfectum, indulgentem (prædium id in Jadria situm est) adulto vespere pervenisse, eiqve incursum hostium annunciasse. Iratus Comes respondit, *nunqvam desituros homines talia ementiri, quoad pœnæ, supplicio crucis, exemplum in aliquem statueretur. Dudum desolatam Norvegiam fuisse, si quoties Danorum incursus annunciatus esset, toties etiam nuncius certus & evidens fuisset.* Hæc eum minitabundum jactantem filius Eiricus interpellans, *haut vanum esse nuncium* pronunciavit, *sæpius eos majori alacritate excipere solitum, quàm is humanitate in præsens excipiatur, Augmundum nimirum Hvitium, ipsius patris præfectum.* Comes ignorantiam excusans, propiùs accedere jussum, ultra de fide ejus se ambigere negabat, simul qvinam tanti exercitus dux esset? rogavit. Sigvaldium vocari respondit, auditaqve insuper sibi nomina Buii Vagniqve, nec nuda relatione veritatem stare professus, truncatum brachium exeruit, sufficiens bellici rumoris signum: Et, *hanc ego*, inqvit, *membri mei mutilationem, lethifero Vagni ense perpetratam ab inclamantis eum propriôque nomine nuncupantis quærentisque voce, an aliquid lucratus esset, didici, dum manum adhærentemque armillam me elapso levaret: nimio autem Panicoque terrore percitus videri verebar, ni tantisper consisterem, dum cognoverim, quis mihi vulneris, quis mutilati membri author esset. Nomina autem horum virorum Jomicos piratas indicare videntur.* Comes *rectè eum conjicere, superfluumque indicii sui testimonium attulisse* respondit; *eumque esse exercitum, eos duces, præ quibus, si optio daretur, quosvis alios hostes sustinere præoptet.* Ex hac *Codicis Flateyensis* narratione elicitur, totius Norvegiæ tunc temporis Haconem potitum, id qvod is etiam antea retulit, semperq; tuetur, haut omninò aliorum documentorum rationibus destitutus. Verum potior mihi est Chronicorum hac in parte authoritas, fulta testimonio Hrærechi, postea Cæci dicti, Uplandorum Reguli, qvi in oratione, qvâ dissvadebat defectionem â Danis ad Sanctum Olafum, conceptis verbis testatur; post bellum demum Jomicum reliqvas partes Norvegiæ

ad Haconem defeciſſe. Profectio etiam Comitis â Solio Jadriæ prædio per Raumsdalos ad militem conſcribendum, ut habet *codex Flat*: ſuſpectam reddit totam illam de Augmundi Hvitii ê Vika in Jadriam per triduanam ſolitudinem itinere relationem. Longè etenim Jadria â Raumsdalo diſtat. Reliqva omnia Exemplaria unanimi conſenſu tradunt, piratas hos ê ſinu Limico, qvo claſſem direxerunt, ad Jadriam appuliſſe. *Chronica* tamen *MSS.* diſtinctius Agdis primo advectos, mox inde Rogiam petiiſſe, ibiqve ſtatim cædibus rapinisqve omnia permiſcuiſſe: cum delati eſſent in provincias Haconi Comiti ſubjectas, eodem tenore omnes exinde in boream porrectas oras populatos. Qvæ autem Augmundo *Codex Flateyenſis*, cæteri Geirmundo, viro opulento in Jadria, tribuunt. De itinere ejus tantùm variant omnes, præter *Codicem Flateyenſem* & *verſionem Danicam*, lembis maritimo itinere effugiſſe, *Chronica MSS.* ad Haconem delatum referunt. *Compendium* prædium etiam, ubi is convivabatur, Haskinga nominat (qvod ubi ſitum ſit, nondum comperi) *verſio Danica* in Thrandiam terreſtre iter emenſum aſſeverat. Nec in tempore conſentiunt; præcedanea feſti Jolenſis nocte Jadriam appuliſſe *verſio Danica* & *Compendium* volunt. *Chronica* hæc omittunt. *Codex Flateyenſis* exiguo tempore poſt hyemis initium ê Dania moviſſe, citatoqve curſu Norvegiam petiviſſe, omnibusqve improviſos turbinis inſtar incubuiſſe, perhibet; prælium tamen Jomicum poſt feſtum Jolenſe geſtum, *Compendio* ſuffragante, memorat. At *Chronica MSS.* nihil horum Eiricum Comitem in Raumarikia degentem latuiſſe referunt, actutumqve delectum militum per Uplandas habuiſſe, patriqve in Thrandiam nuncium feciſſe, qvo hæc omnia ediſceret, teſtemqve aſſertionis ſuæ verſum ex Eirici oda, â Thordo Kolbeini filio compoſita, producunt, qvam tamen ex parte poſtea ſuſpectam reddunt, dum qvaſi ignarum omnium Comitem Haconem incurſum hoſtilem Ducumqve nomina primum relatu Geirmundi edoctum memorant.

CAP. VII.
DE COMITIS HACONIS PRÆPARATIONE AD EXCIPIENDOS PIRATAS.

HIs cognitis Hacon, accenſis in ſummis montium cacuminibus pyris, totius ditionis ſuæ incolas ad arma excivit, miſsisqve extemplò nunciis, qvi magnis itineribus in Thrandiam, ut habet *Codex Flateyenſis*, ad Svenum filium ſuum contenderent, mandata ferentes, *ut & inde, & Naumudalo & Halogia, omnes, qui armis ferendis habiles eſſent, omnia navigia grandiora ad patriæ defenſionem colligeret.* Ipſe autem, comitante Gudbrando Hvitio, propinqvo ſuo in primis charo, ê convivio cum ea manu, qvam raptim collegit, in Raumsdalum profectus eſt, omnesqve ſinus unico navigio ultro citroqve permenſus, nemini, ubi pernoctaret, conſtante, Eirico in Sogniam, Fialas, Fiordos, & Rogiam ad delectum militum qvàm intenſisſimè habendum miſſo. Facinoroſis piratis & ſeditioſis omnibus, Comitis militiam non detrectantibus, impunitas propoſita complures illexit. In his erat Thorkell qvidam, vel Thorſteinus, cognomine Midlangus, pirata celeber & potens, latrociniis Comiti inviſus & exoſus. Hunc in Hamarſundia Eiricus, dum ex inſulis juxta Naumudalum copias conſcri-

bit, myoparonibus prætemavigantem inclamat, intercessorem se inter eũ Comitemqve afferens, admissorum venia propositâ, si vires suas ei adjungere velit; cujus ille fidem secutus naves suas ei associat, nec prius desistunt, qvàm ad constitutum locum, in insulam nimirum Sunn-Mæria spatiosam, Hoddam dictam, deveniunt, ubi Comes Hacon, filii, copiarumq; Duces, & provinciarum præsides, qvisqve suos suorumqve civium triremes ducentes, convenerant, imperata facturi. Classis universa trecentis plus minus navibus constabat, ut habet *codex Flat*: reliqva *exemplaria MSS.* omnia centum qvinqvaginta, seu septemdecim decades. Sola *versio Danica* octo decades numerat. Eò confluxerat universa juventus ætasqve virilis, ex iis provinciis, qvæ direptionibus Jomicorum proximè patebant. Sinum Hiörungarvogum dictum cum universa classe Comes insidebat, ibiqve cum proceribus consultans morabatur, emissis in omnes partes maritimas, qvà navibus vel remigio agendis, vel per isthmos ducendis, iter patebat, speculatoribus. *Chronica MSS.* hæc concisè his verbis tradunt. *Hacon*, inqviunt, *& Eiricus telum belli indicem, per universam Thrandiam, nunciosque in utramque Mæriam & Raumsdalum boreamque versus in Naumudalos & Halogiam ad colligendum undique exercitum navesque emittunt*; citantqve & producunt in testimonium carmen ex oda Eirici. Ipse Hacon austrum versus in Mæriam speculatum, simulqve ad conscribendas copias, profectus est. Hoc factum referunt, cum primùm per Eiricum de voto Jomicorum iminenteqve ab illis periculo per nuncios ê Vika in Thrandiam missos certior factus esset, ante Geirmundi adventum. Postqvam autem ab eo irruptionem in Jadriam percepisset, per omnes sinus noctes diesqve vagatum, qvæ in territoriis superioribus, isthmorum interjectu distinctis, qvæqve in Fiordis agerentur, & qvæ in Septentrionalibus partibus, ubi Eiricus classem ducebat, per exploratores cognovisse, iterumqve carmine ex eadem oda hoc ipsum probant, Eiricumqve magna festinatione exercitum duxisse tradunt, Haconemqve in portu Hallkelis dicto cum universa classe consedisse; qvi fortè in sinu Hiorungarvogo situs est.

CAP. VIII.

DE PROGRESSU JOMSVIKINGENSIUMUS AD SINUM HIORUNGENSEM.

INterea piratæ Jomici provincias Noricas populabundi boream versus permeantes, ubicunq; veniunt villas diripiunt, direptas incendunt, qvicqvid virilis sexus occidere fas erat (sic habent *Chronica MSS.*) perimunt, armenta pecudesqve ad naves abducunt. Cum ad Ulfasundam ventum esset, statione non procul â Stadis, ne tum qvidem certiore nuncio ultro citroqve intercedente, pelagô nullis insulis clausô, sex milliarium (secundum *cód: Flateyensem*: hodie octo computant) longitudine transmisso, in Hereyas cum universa classe perveniunt, novos semper rumores exqvirentes, sed ab indigenis, qvos convenerant, verum dissimulantibus dolosè decepti, & in cognoscendis Comitum rebus, qvas præ manibus haberet, aut ubi locorum esset, fraudulenter frustrati. Ibi deficientibus alimentis Vagnus (cæteris Buius) prædatum in insulam Hoddam diripiendam

dam lembo vectus, exſcenſione facta, magnam vim hominum & pecorũ omnisqve generis prædæ trahens, ad portum ê ſuperiori inſulæ parte deſcendit. Tendentibus ad mare obviam factus eſt ruſticus, nomine Ulfus, jam ſenex, tres vaccas & duodecim capras agens; qvibus cum ad edictum Ducis ſe ſpoliandum cerneret; *hæc ad commeatum*, inqvit, *exigua præ aliis, quæ prope in manibus habetis, indignum eſſe viris militaribus, gloriam in peregrina terra fortibus factis quæſituris, vaccis tantum ac vitulis, ovium caprarumque grege, maximæ prædæ loco gaudere, ipſo interim pecoris tyranno urſo, in cubili deliteſcente, neglectô, facili labore ac conamine, ut qui non procul abſit, capiendo.* Qvi protinus uberius ſeu Vagno, ſeu, ut plures tradunt, Buio, qværenti, qvem urſum memoret? nonne eum, cui laniando operam dignè impendant? *Eum*, reſpondit, *qui ſi jam elabatur, omnes vos poſtea deglutiturus videtur.* Tum Dux ulterius qvæſivit; *ecquid novi de Hacone Comite communicare poſſet? præmium narrationis vaccas caprasque, cæteroquin prædæ acceſſuras, reportaturum.* Cui is ſubdolè reſpondit, *Comitem heſterno veſpere hoſtilis incurſionis ignarum, uno duobusve, certè haut plus tribus navigiis ſtipatum in ſinu Hiorungenſi* (*Compendium* apud Almundhamro) *conſtitiſſe, ubi univerſam claſſem copiasque expectaret, valde ſecurum, veluti cui ſubita mors immineat, aliàs ſemper providum & circumſpectum.* Qvibus auditis piratæ temere credentes, relictis medio itinere prædis omnibus, eiqve ſuis rebus relictis, poſcunt, *ut ſuam navem conſcendat, viamque ad Comitem monſtret*; qvo abnuente, indignumqve referente, ſe Comiti ſubditum ad ea arma proficiſci, qvæ contra illum ſumantur, Dux vel nolentem ſibi comitem futurum pronunciavit. Pactus igitur, poſt monſtratum portum, remiges, qvi ſe domum deferrent, navem conſcendit; ipſi vero feſtini ad naves properabant, inqve Hereyas converſi, Sigvaldium, qvo in loco Comes moraretur, qvantulo comitatu, qvàm captu facilis, certiorem reddunt; qvi, omnibus ad conflictum paratis, qvaſi cum magna claſſe, ut habet *cod: Flateyenſis*, manus conſerturus, non ut ad prædam accurſurus, ſinum petit. Qvem cum intrâſſent, Ulfus metuens, ne pœnam fraudis mendaciiqve de ſe, conſpecta Comitis numeroſa claſſe, ſumerent, nave exſiliens in undas ſe præcipitem dedit, ad proximum litus enaturus: qvô conſpectô Vagnus, vel Buius, haſtâ eum medium aqvis innatantem ilico trajecit & exanimavit. *Compendium* ruſticum in inſula relictum, magnaqve pecoris præda a Buio donatum refert, ipſum vero ſublatis ilico anchoris, ſignô tubâ datô, claſſi colligendæ tanta celeritate ad Haconem, jam nullo negotio capiendum, tanqvam ſibi prædæ deſtinatum, advolâſſe, ut miratus Sigvaldius, qvorſum tenderet, eum inclamaret, an aliqvid de Comite ei conſtaret? Is *remis quam maxime eos eniti hortatus, caudam namque vulpis, litoribus proximis oberrantis, ſe comprehenſurum.* Cui Sigvaldius; *nondum comprehendisſe, deceptum magis videri*, reſpondit. *Animum certe*, ait Bujus, *deſpondebis, nequaquam cum tota ejus claſſe congresſurus, ſi eum vix tribus navibus inſtructum ſexagintarum navium claſſe aggredi formidas.* Suos inde vehementer hortatus, ut qvàm ociſſime properarent, absqve mora naves ſolvit: eum Vagnus ſecutus eſt: mox etiam Sigvaldius, ſublatis anchoris inſulam Hoddam aqvilonem verſus tenui aura prætervectus, uti præcipitantem Buium animadvertit, im̃inens ei fatum præſagiens, *neque*, inqvit, *Bujus ille Craſſus urſum cubili extrahit, ad mortem vicinorum more ruit, haut ita facilè Haconem irretiturus.* Bujus agmen duxit, in medio Vagnus erat, Sigvaldius clauſit. Intra inſulas in ſinum Hiorungenſem navigatum eſt. Ibi navibus Comitis univerſa ſtatio repleta, ſecus

cus ac nunciatum erat, repentè apparuit. Sinus Hiorungenſis ab occidente orientem verſus terram ſecat; in oſtio lapides Hiorungi dicti, inter qvos unus præcipuè eminet, ſinum de nomine ſuo nuncupatum memorabilem reddiderunt. Medio ſinu ſcopulus jacet, æqvali ubiqve ſpatio â littoribus diſtans; ab Aqvilone inſula Primſigd dicta; a meridie alia, nomine Harund, ſitæ ſunt; ponè hanc ſinus Harundenſis panditur.

CAP. IX.
DE ACIEI ORDINATIONE.

DIſſentiunt ſcriptores de ordinatione aciei. *Codex Flat*: his eam verbis deſcribit. *Jomici*, inqvit, *aciem hoc modo inſtruxerunt: Sigvaldius mediam aciem tenuit, â latere ejus Thorkell Procerus frater ejus ſuam navem collocavit; Hujus cum fratre Sigurdo in ſiniſtro cornu; Vagnus cum Biorno Bretskio* (Britone) *in dextero locati. His Hacon Duces tres totidemque naves adverſus ſingulos Jomicorum oppoſuit. Svenum Haconis filium, Gudbrandum de Dalis, & Styrkarem de Gimſis Sigvaldio, Thorkeli autem Procero Skeggium de Yrium; Sigurdum Steiklingum de provincia Halogia, & Thorerem Hiortum, Bujo Thorkelem Midlangum, Hallſteinum Kellingarbanum de Fliotis, & Thorkelem Leiram, dignitate præfecturæ illuſtrem. Sigurdo Kapæ Armodum de Aunundarfiordo, cum Arnio filio ſuo. Vagno Eiricum Comitis filium, Erlingum de Skuggis, & Augmundum Hvitium, ſeu Album, manum gladio ejus amputatam ulturum. Biorno Bretskio Einarem Parvum provincialem præfectum, Hallvardum upſia, cum Havardo fratre ſuo de Flidruneſia. Ipſe Hacon ei parti deſtinatus, in quam a fortuna vocaretur, ubique aderat. Chronica* hæc aliter, ſed ſuccinctius, recenſent. *Sigvaldio* (ajunt,) *in medio claſſis pugna cum viginti navibus progredienti Hacon hoſce regni proceres oppoſuit: Thorerem Hiortum, ſeu Cervum, virum Halogenſem, & Styrkarem de Gimſis, omnium ſatraparum â Stadis Aquilonem verſus illuſtrisſimum, ad manus habens, ſexaginta navibus ſtipatus, medius occurrit.* (*Compendium* his omiſſis Skoptium qvendam & Rognvaldum de Æruvika ê Stadis ſubſtituit.) *Inde Buio Craſſo, ejusque fratri Sigurdo, ab uno claſſis cornu, viginti alias naves ducentibus, filium Eiricum & Gudbrandum Hvitium, ſeu Candidum, Uplandarum, Thorkelemque Leiram Vikæ ſatrapos, cum aliis ſexaginta navibus ſe invehentem objecit. Compendium* & diſtinctius & aliter Sigurdum Comitis Haconis filium, cum adjunctis Eyvindo Finnio & Erlendo Steik, Naumudali ſatrapis, ſoli Sigurdio Hvitio (qvem alii Kapam vocant) Buii fratri; Buio autem Eiricum Comitem cum Thorſteino Midlango, omnium Piratarum celeberrimo, & Thorere Hiorto, ſeu Cervo, ſatrapa de Vogis in Halogia, oppoſitos memorat. Adverſus Vagnum, ſeſe ab altero claſſis cornu cum cæteris viginti navibus proripientem, Svenus Eirici filius natu minor, cum Skeggio Yrienſi de Uphaugo, & Raugnvaldo de Æruvika ê Stadis, ſexaginta navibus inſtructus, conſtitutus eſt. *Compendium* Svenum qvidem ei oppoſitum, ſed cum Giſſure Hvitio, ſeu Candido (cæteri Gudbrandum vocant) ſatrapa Valdreſiæ, & Thorkele Leira Vikæ comitibus, tradit. Adjicit etiam (qvod *Chronica* prætereunt,) Thorkeli Procero Erlingum Haconis Comitis filium, adjunctis ſibi Jarnskeggio Yrienſi de Uthaugo (aliis Uphaugo) & Styrkare de Gymſis, omnium ſatraparum ad Stadas usqve nobilisſimis, adverſarium datum.

CAP. X.
DE ISLANDIS, QVI HUIC PUGNÆ INTERFUERUNT.

QVatuor Islandos *Codex Flateyensis* in exercitu Comitum Haconis & Eirici recenset. Primum Einarem, id temporis Skialdmeyar-Einarem, seu Amazonium, dictum, Helgii & Nidbiorgis Biolani Scotiæ Regis filiæ filium, Comitis Haconis poëtam, minori tunc in honore apud eum, qvàm prius fuerat: qvod is iniqvè ferens palam sæpe minabatur, se ad Sigvaldium transiturum; qvod suum propositum versu insuper publicavit: nec ultra moratus, ê navi sua ad pontem Sigvaldii navi contiguum se proripuit, vociferans, versumqve fundens, qvo significavit, haut inferiorem sortem suam apud Sigvaldium futuram, qvàm Haconem; moratus tamen paulisper, experturus, an Comes Hacon his moveretur; qvi ut eum ad hostes concessurum animadvertit, revocavit. Is mandato obediens accessit. Erat Comiti bilanx argentea inaurata, binis ponderibus, aureô alterô, alterô argenteo, adjectis, in utroqve humana effigies cælata erat; talibus enim veteres uti consveverant; id Hluti/ sive sortes, nominârunt. His Comes usus erat, ad exqvirendum rerum omnium majoris momenti eventum, conjectisqve in lances ponderibus symbolicis notas rerum investigandarum, pro arbitrio suo eis imposuit. Inqvietum erat, tinnitumqve edebat, qvod fatidicum habebatur. Hoc munere Comes Einarem donatū gaudentemqve jam a proposita defectione retraxit; qvi antiqvato priore cognomine, aliud a lancibus, qvas Skalir idiomate paterno vocant, &, ut colligo, â tinnitu, qvod Glamm dicitur, contraxit, qvo Skalaglamus in posterum dictus est. Hic poëta in primis celeber Haconem carmine eximio, cui Vellekla nomen inscripsit, toties nobis memorato, celebravit. Alter Islandorum fuit Vigfusius Viga-Glumi filius, Eyolfi Hrugæ ex Astride Vigfusii Vorsiæ satrapæ filia. Vigfusii satrapæ frater fuit Eiricus de Offrustadis, Olafi Tryggvini avus maternus. Tertius Thordus, cognomine Aurfhond/ seu Scævola. QvartusThorleifus Skuma, filius Thorkelis Divitis de Alvidra (Myras habet *Compendium*) occidentalis insulæ tractusq; Dyrafiordensis prædio. His addit *Compendium* Tindum Hallkelsonium, qvē carmine Haconem Comitē celebrâsse tradit; ubi multa de Jomicis piratis hocq; bello memorata, horumqve relatu plurima in ea regione excepta, posteritatiq; vel per rhythmos, vel traditiones, relicta asseverat. De Thorleifo Skuma *Codex Flat*: (qvod de Vigfusio *Compendium*) tradit, eum nimirum saltum ingressum ingentem clavam fabricâsse, qvam ad focum præustam cum Comes Eiricus (Hacon *Compendio*) conspexisset, qværeretqve, cui usui tantam clavam ferret? carmine respondisse hunc in modum fertur.

Qverneâ tundam capita hostium, atqve
Membra, Sigvaldum feriamqve, clavâ
Ossa confringam Buïi superbi, &
crura latronum.

Hæc sudes, vitâ mihi permanente,
Conteret Danos satis. Ast Haconi
Principi quantum valeat tuendo
experiemur.

Islandi deinde omnes Eiricum Comitem ſecuti, navem ejus conſcenderunt: dumqve Vigfuſius lanceam acueret, carmen aliud ad virtutem oſtendendam hortatorium fudit, magno ſimiliter plauſu ab Eirico Comite aliisqve exceptum, memoriæ deinde, & poſtea literis, conſignatum, inqve hunc diem conſervatum.

CAP. XI.

DE ORDINE PUGNÆ.

CLaſſibus deinde ex utraqve parte inſtructis paratisqve, acieqve, erectis ſignis, directa, ingens certamen contrahitur. Ipſe Hacon, licet nullum Ducem ſingularem ſibi oppugnandum depoſceret, ſed omnium curam gerendo claſſem circumiret, Sveno tamen filio ſe potiſſimum apud Sigvaldium adjunxiſſe (*codice Flateyenſi* Svenum ſemper cum Sigvaldio, non, ut cæteri dicunt, Vagno comitente) traditur; cui Sigmundus Breſterinus, navis partiqve claſſis præfectus, ſemper â latere adhæſit. Pugnatum eſt ab utraqve parte, magno animorum ardore, atroxqve cædes omnibus locis editur, neutra acie jam longo tempore vel minimum inclinante. Tandem animadverſum, Bujum aciei dextrum cornu, cum qvo illi res erat, impuliſſe, trepidantibus magis magisqve inſtare; Eiricum autem cum Vagno pari Marte dimicare. Is igitur cum fratre Sveno, duabus navibus, & in his qva ipſe vehi ſolebat, omnium maxima, a ferratis lateribus, vel ferreo roſtro, vel barbâ, Jarnbardi dictâ (ejusmodi naves *Oliverus Scolaſticus de captione Damiatæ*, & eum ſecutus *Matthæus Parienſis ad annum Chriſti MCCXIX.* Barbotas appellâſſe *Hofmannus in Lexico* autumat, ex authoritate *Scefferi*) ſuis nutantibus ſubvenit, ægreqve multoqve labore, ſudore, ſangvineqve reſtituit, Hacone cum reliqvis interea fortiter cum Sigvaldio pugnante. Rediens Eiricus Vagnum ſuam aciem labefactâſſe, perrupiſſe, qvarundam etiam navium latera deterſiſſe, deprehendit. Eum itaqve magna alacritate adortus, proris ligatis, cum eo qvàm acerrime conflixit. Imperterritus Vagnus cum Aslako Holmskallio in Eirici navem inſilivit, editâqve magnâ ſtrage, utraqve latera, qvà procedunt, hominibus vacuant; cæteri tantum impetum non ſuſtinentes paſſim relabuntur ad propiora puppi loca. Suos itaqve cum impelli cerneret Eiricus, magna voce adhortatus eſt, ad tantam peſtem ſubitò â ſe avertendam. Calvus erat Holmskallius, nulla tamen galea tectus, ictus namqve omnes refutabat. Lucente Sole tranqvillum cælum ſerenabat, dum ferveret per diem pugna; exuti itaqve exteriore veſte ſeminudi loricas induebant. Qvi dum in Aslacum fruſtra invehuntur, ictibus impervio capite tutum, impuneqve obvios qvosqve cædentem, Vigfuſius Viga-Glumi filius incudem roſtratam in foris jacentem, capiti obdurato tanto niſu impingit, ut roſtrum altè cerebelli compagibus impactum firmiter inhæreret, calvariâqve fractâ & cranio perruptô mortuum humi ſterneret: adverſus enim gladios, non incudes, incantationibus forté caput obfirmatum fuerat. Nec ſegnius Vagnus ab altero latere pugnans obvios qvosqve proſternit, qvoad eum Thorleifus Skuma, alter Islandus, clavâ illa qverneâ, proprio carmine celebratâ, caput galea tectum magno ictu pulſat vulneratqve. Tum demum de nave exſiliens ſuâ excipitur, Thorleifum tamen recedens gladio feriebat.

Nihil

Nihil hoc vulnere â consvetô ardore Vagnus remisit, sed acriùs institit, prælliumqve majori motu restituit. Tantam autem stragem cum Holmskallio in Eirici nave edidisse memoratur, ut magnam partem exinanitam militibus ex aliis navibus accitis replere necesse fuerit. Et jam in medio pugnæ ardore animadversum est, multas Norvegorum naves hostibus impares ad litus refugisse; itaqve Comes cum filiis etiam terram petit. Et jam parum cessatum est, utrisqve præliando defatigatis, sed resumptis post qvietem viribus majore mole mox congressuris.

Interea Comes, filiis ad naves relictis, multa de incredibili Jomicorum piratarum fortitudine qvestus, qvibus nullam aliam gentem bello parem, vel tantam, cui non præ iis congredi â principio se maluisse dictitabat, insulam Primsigd spatiosam ascendit, ibi in vireto qvodam prostratus, inq; Aqvilonem conversus, tutelaribus suis Numinibus Thorgerdi nimirum Haurgabrudæ sororiqve ejus Irpæ, pro victoria supplicâsse perhibetur, victimas multas offerendo. Omnibus repudiatis, tandem homines vovisse, optionisqve de omnibus, præterqvam se ipso & duobus filiis Eirico & Sveno, potestatem fecisse. Erlingus filius tum septennis Oraculo electus statimqve immolatus *Codici Flateyensi* perhibetur; qvem tamen inter Præfectos *Compendium* recenset; qvasi verò licuisset illi per filium Eiricum, cordatissimum Principem, fratrem mactare, qvi etiam hostes cædi destinatos de manibus inviti patris eripuit, ut postea dicetur; qviqve in Einarem Islandum in familiam suam adscitum, tantum non desertorem & transfugam, animadvertere neqvivit. Referam tamen qvod Author hic ê prisca relatione exceptum, qvorum *Saxo*, qvorum *Chronica* etiam mentionem faciunt, non item fidem adhibent, refert. Cruentatus filii cæde, sed propitiis jam Diis, ad naves rediisse fertur, intermissaqve pugna de novo redintegrata est, Haconqve in Sigvaldium majori qvam antea animo invectus. Jamqve fortuna cælumqve ipsum â partibus Norvegorum stabant; namqve ab hora diei tertia, in ferventissimo illo animorum concursu, acerrimoqve armorum conflictu, Vulturnus ab Aqvilone adversus Jomicos subitò exortus, denso grandine ac turbido imbrium nimbo, ipsa reluctantium ora involvente, omnem ademit prospectum, tantaqve vis venti cum tonitruis incubuit, ut vix in foris consistere milites possent, nedum adversam procellam, pugnatoresqve simul acerrimos, oportunitate illius acriùs in se invectos, sustinere, multo minus propellere. Accessit frigus indomitum, qvod derepente succedens in exutos nudatosqve magna ex parte veste ex improviso sæviebat. Fabulantur Havardo Hauggvandio Buii comiti primùm omnium lamiam Thorgerdis imagine (qvam tamen nunqvam antea vidit) deinde pluribus aliis, conspectam, tela singula ê singulis digitis emittentem, & qvolibet singulos homines transfigentem. Qvod ut Sigvaldius conspexit (vel forte, qvo ignaviam timoremqve excusaret, conspexisse simulavit) simulqve Buium, nihil grandine motum, magno impetu in hostes invectum, bellumqve acerrimè cientem, milites interpellans, non amplius adversus homines, sed trollos, seu genios malos, rem esse, fortiter tamen insistendum. Cessant nimbi, iterum Comes in preces versus alium priore longe turbidiorem impetrasse perhibetur. Conspecti tum iterum Havardo dæmones, Thorgerdis forma sorore Irpa comitata, ê navi Haconis tela in Jomicos ê qvolibet digito singula lethifera jaculantes, etiam Duci Sigvaldio apparuisse memorantur; qvi territus, *ilico fugam capi salvo voto posse* dictitans, *utpote ad pugnam adversus homines in Norvegia gerendam*,

 rendam,

rendam, non trollos, aut dæmones, suscepto: unius impetum præter voti legem sustinuisse; adversus duos nihil amplius tentaturum. His dictis Bujum Vagnumqve inclamans abscedere jussit; ipse retinaculo navis resecto, aversam ab hoste proram in altum vertit. Hoc eodem momento, Thorkell, vel Thorsteinus, Midlangus in Buii navem insiliens, uno gladii ictu inferius oris labrum cum mento jugulo tenus ei dempsit, dentibus per foros dispersis. Accepto vulnere Buius virgines Borgundarholmicas Danasq; invito posthac osculo se excepturas ominatus est, si unqvam domum redire contigerit. Mox Midlangum recedentem, verum in lubricis navigii foris, sangvine nimboqve madidis, cadentem vindice gladio bipartito dissecuit; inde veluti in rabiem versus hastam torqvens malleatam (Brimtroll vocant) in hostes ruit, suos vehementer & verbis & exemplo hortatus ad sui imitationem. Ibi promiscua strages editur, nemine furibundo athletæ occurrere auso. Spectabat res ad interitum, aliis occisis, aliis imminentem protinus mortem neqvicqvam levi subterfugio ad exiguum temporis momentum declinantibus. Itaqve Comes alarum naviumqve præfectos in eum magno studio neqvicqvam concitat, plerisqve vel fatigationem vel vulnera vice metûs excusantibus, cum formidabilibus Buii ictibus caput suum corpusqve subjicere singuli aversarentur. Mandat igitur Sigmundo Bresterino, cujus virtutem multis præclaris facinoribus cognitam habuit, *ut navem suam adversus eum dirigat, tantumque â se suisque malum submoveat*; cui Sigmundus respondit. *Eqvidem*, inqvit, *maximis tibi beneficiis me obstrictum agnosco, obseqvium autem in præsens haut leve exigis, Buii gladio me objiciendo.* Hacon *ut strenuissimum qvemque militem deligeret*, imperavit; qvi obsecutus in Buium movit. Magnis ibi viribus ab utraqve parte concursum, Buio insultum hostilem animosè fortiterqve excipiente; erat enim robore plane giganteo, qvod contractus ab ægritudine accepti vulneris furor supra modum concitabat; hinc monstrosi ictus, obviis qvibusqve exitiosi, inspectantibus terrori fuerunt; verum Sigmundus nihil isto pugnæ genere se profecturum animadvertens, navem ejus cum triginta classiariis conscendit. In prora adqve latera proræ proxima acerrimè confligitur, donec fortuna utrumq; Ducem inter se commisit. Robore Buius, agilitate Sigmundus præstabat; hic cum utraqve manu per vices ensem rotare familiare sibi fecisset, ad notam artem confugiens, glâdio sinistra rapto, alteram ei manum in medio internodii Brachialis carpo, mox eodem gladio dextra prehenso alam Buio, ictus hoc artificio illatos cavere nescio, pari modo amputavit, ut pugnus uterqve articulatim præcisus, una cum gladio strictè comprehenso in puppim prolaberetur. Qvo vulnere cum se amplius ad defensionem omninò inutilem Buius conspiceret, mutilos & mancos lacertos binis illis cistulis auro refertis, qvibus Strut-Haraldum spoliavit, ingerens, sonorâ voce exclamavit; *ê navi, ê navi in undas prosilite singuli Buii milites.* Hæc effatus, semet ipsum unà cum cistulis in mare præcipitem deturbavit: atqve ita hujus victoriæ gloria penes Sigmundum stetit. Hæc ex relationibus Hallbiorni Halii, Steingrimi etiam Thorarini filii & Arii flaminis Thorgilsonii *codex Flat*: excepta tradit. *Compendium* aliter enarrat, nimirum post fugam Sigvaldii & increpationem Vagni Comitem Haconem navem suam in aliud latus Buianæ navis direxisse, ibiq; acerrimè concursum, Aslakum Holmskallium & Havardum Haugqvandium in Haconianam navem irruptione factâ magnam stragem edidisse, Skumam autem (proprium enim nomen non exprimit, Thorleifus

sus vocabatur) & Thordum Scævolam, fratres Islandos, eum simul adortos, qvorum ille multis vulneribus saucius, hic præcisa manu recesserit, postqvam utroqve eum pede mutilâssent. De Vigfusio autem cum reliqvis consentit. Deinde adjicit, Eiricum cum suis Buii navem conscendisse, Thorsteinumqve Midlangum ei mediam frontem vulnerâsse, vicissim ab eo sub sinistra ala adeo sauciatum, ut tantùm non in duas partes dissectus sit. Mox arreptis arcis Buium in mare se projecisse, multosqve ejus exemplum secutos: tum vero omnes Danorum copias aut profligatas, aut in fugam actas, omnem deinde molem belli in Vagnum conversam.

CAP. XII.
DE FUGA SIGVALDII.

HIs peractis, Sigvaldium in fugam versum conspicatus Vagnus, versum, qvo dedecus deserti exercitus sui, uxorium animum â virtute Buii, vitam gloriæ postponentis longe alienum, exprobavit, cum extempore sudisset (ita *codex Flat:* habet) eum in malam rem abire jussit (*compendium* his verbis affatum refert; *qvorsum, canis ignave, fugis ê levi certamine. sociosque tuos & commilitones pretio vendis? illud te, qvoad vives, probrum manebit, perennisque post mortem fama lacerabit*) hastamqve amentatam in eum, qvi gubernabat, Sigvaldium ratus, conjecit; qvi ilico confossus exspiravit. Fortuna autem Sigvaldium ad novæ proditionis instrumentum conservans hoc periculo subduxit, dum remigis officio frigori propulsando fungeretur. Thorkell Procerus fratrem fugientem cum sex navibus, Sigurdus etiam Kapa, Buio sublato, secuti sunt, qvorum uterqve vota sua implevisse videbantur. Hi omnes Daniam cum universis viginti qvatuor navibus, belli reliqviis, repetebant. Qvi vero ê Buii reliqvisqve navibus evaserant, ad Vagnum confluxerunt, in qvem totius classis exercitusqve vis usqve in vesperam versa, non tamen expugnavit, singulis se fortiter propugnantibus, vela tamen & instrumenta navalia intercepta memorantur. Nox tandem prælium dirimebat. Hacon dispositis circa hostium naves custodiis, ne elabi possent, in terram descendit, fixisqve tentoriis corpora curantur. Ratione deinde potestatis Numinum muliebrium, appensis grandinis globulis, initâ, compertum est, singulos unciæ pondus æqvâsse. Nox vulneribus obligandis transacta est, Haconiqve & Gudbrando de Dalis vigilata.

CAP. XIII.
DE VAGNO ET EJUS SOCIIS.

INterea Vagnus cum Biorno Britône, *qvid hoc statu faciendum esset*, consultat; *si ad diluculum in navi manerent, in hostium perventuros potestatem; sin autem elabi tentarent, etsi dubia occasio manus hostiles evadendi affulgeret, aliqvam tamen nocendi sperandam.* Malo igitur in undas deturbato ipsi adhærentes in scopulum medio sinu situm, continentem

rati, per tenebras octoginta numero delati ſunt. Viginti eadem nocte valde ſaucios intenſum frigus abſumpſit; reliqvi etiam adeo affecti erant, ut ulterius progrediendi nulla facultas ſuppeteret, non modò vulneribus prope confectis, ſed etiam tam periculoſo vecturæ genere undis innatantibus, frigoreqve prope enectis; nam licet abitu Sigvaldii procellæ tonitruaqve continuo ceſſarent, parùm tamen frigus, præſertim durante nocte, remiſſum eſt; rigebant igitur veſtes, rigebant artus, adeoqve univerſa corpora, ut qvem locum vivi cæperant, nec morientes relicturi fuerint, ſi tenere licuiſſet. Primo diei diluculo, auditus emiſſi ex arcu teli ſtridor, haut eqvidem irritus; confeſtim enim per alam trajectus, qvi proximus Comiti aſſidebat, Gudbrandus Candidus exanimis in terram corruit, non ſine ingenti Comitis mærore. Illi igitur funus pro loco & tempore ſatis amplum factum eſt. Eiricus interea tentorium caſtrenſe ingreſſurus, offendit Thorleifum Skumam præ foribus ſtantem; qvem ut colore prope lurido animadvertit, qvî moribundo ſimilis palleret, qvæſivit; tetigit me reſpondit, infeſtus Vagni mucro, cum clavam capiti ejus impingerem. Ergo, reſpondit Comes, tutius apud patrem tuum domi, qvàm peregre profectus manſiſſes. Continuo Skuma reſponſum illius rythmo complexus, ſimul & ipſe exanimis concidit. Qvidam referunt Thorleifum Skumam eodem die Havardi Hauggvandii pedem utrumqve clava ſua attriviſſe, tum cum effræni impetu bacchatus obvios qvosqve proſterneret. Illuceſcente die miſſi ſunt, qvi ſpecularentur, unde telum, qvo Gudbrandus concidit, emiſſum eſſet. Hi nave, qvam Bujut duxit, aſcensâ, Havardum ibi Buii famulum, attritis pedibus ad genua uſqve mutilum, genubus tantum innixum repentiqve ſimilem, valdeqve alias ſaucium deprehendunt, qvi Comitem Svenum & Thorkelem Leiram cum propius acceſſiſſent, interrogavit, *an hac nocte nuncium aliqvem perſentiſſent?* *Certe*, reſpondent: *tu ne ergo miſiſti? imo*, inqvit, *ſed qvô effectu? morte tacti* reſpondent. *Cujusne?* inſtitit qværere. *Gudbrandi Candidi*, reſpondent. *Minore utique ſucceſſu qvàm voto*, regeſſit, *qvippe in Comitem directo; interim gaudebo non incaſſum miſſum collineato, qvem occiſum ægre fertis. Hunc igitur canem*, ait Leira, *protinus occidamus*, primusqve ictum intulit, qvem cæteri ſecuti, ad necem eum verberabant; redeuntes, qvæ cognoverint, Comiti exponunt, ipſiusqve ferociam ne tantis qvidem cladibus, tot vulneribus, nec præſentis mortis metu imminutam admirantur.

CAP. XIV.
DE EXAMINE VIRTUTIS PIRATARUM.

MOx conſpecti in ſcopulo hærentes Vagnus cum ſociis. Ad eos igitur capiendos, adqve Comitem producendos milites miſſi, jam vulneribus & frigore prope confectos ſine magno negotio armis vix ferendis habiles in poteſtatem redigunt: manibus poſt terga decuſſatim revinctis, pedibus catenæ illigatis, ordine collocantur, Comite interim cum proceribus pranſum eunte. Interea navibus hoſtilibus in portum deductis, præda omnis ad haſtam relata, inter Comitem exercitumqve divi-

visa est, magno sibi invicem applaudentium gaudio, deqve tanta præda manubiisqve, uno prælio interceptis, tantiqve nominis prædonibus, partim in fugam conjectis, partim captis, & in potestatem redactis, magno verborum apparatu triumphantium. Pransus castris egressus Comes cum proceribus, grato spectaculo, ultimo sc: supplicio Jomicorum, fruiturus, ad locum supplicii progreditur; ubi omnes ordine decollari jusserat. Cui tam tristi ministerio Thorkell Leira Vikæ satrapa delectus est (nondum, ut videtur, carnificum usu in civitatem recepto.) Ne autem nimis jejunum cervicibus tantùm decollatorum inspiciendis insigne spectaculum foret, placuit virtutem captivorum experiri, capiendis tam celebris, totoqve septentrione decantatæ, cæterisqve gentibus prælatæ fortitudinis a sensu instantis mortis indiciis. Vulneribus propè confecti primò solvebantur, qvorum custodiæ servi Skoptius & Karkus, dum catenâ constricti tenerentur, delecti; jam vero cædendorum comæ in nodos, injecta virgula constringendæ. Tribus valde sauciis, ordine nullis aliis operibus vel qviete interrupto, Thorkell primo capita securi demsit, conversusqve ad socios qvæsivit, an faciem vultumve hoc ministerio qvicqvam mutatum animadverterent? Notatum enim vulgo, unumqvemqve post tres ordine cæsos aliqvantisper mutari. *Non eqvidem hoc ministerio faciem alterâsti, valde tamen mutatus videris; qvicqvid demum portendat*, Comes Hacon respondit. Qvartus inde producitur, qvem priusqvam Thorkell adoriretur, rogavit, *ut placeret mori? Bene*, respondit: *nam exemplo patris mei mihi etiam moriendum.* Hunc igitur securi percussit. Qvintus simili modo rogatus respondit; *Immemorem se Jomicorum legum, si mortem formidaret, unicuique legi naturæ definitam, vel etiam verba metum redolentia efferret.* Hoc autem cæso, convenit, inter Haconem & Thorkelem, ut hac qvæstione singulorum virtutem examinarent, invictam in universum, si ê tot captivis nemo mortis momento instantis formidine afficeretur, meritamqve qvod hucusqve per septentrionem inter supraqve omnes gentes præconium obtinuit, suo etiam suffragio probaturos; stimulabat insuper libido responsorum eorum audiendorum, si qvæ forte notabiliora occurrerent. Sexto deinde ê vinculo ad supplicium, crinibus in nodum constrictis, ducto, cum hanc qvæstionem proposuisset: *Placet*, inqvit, *cum laude mori; tibi autem vivere dedecus, probroso in posterum futuro.* Ingratum responsum ad supplicium maturandum Thorkelem concitavit. Septimus deinde ad propositam qvæstionem respondit; *mortem qvidem haut sibi displicere: qvod autem occasio se jam offerat, sæpius inter collegas agitatæ qvæstionis de sensu hominis mortui decidendæ, ejus ipse rei facultatem ut præbeat, se petere, tradito sibi in manus cultro, quem, cum celerrimè caput demessuerit, protensurum se asseveravit, si sensus restaret; ipsi autem curandum, ut quam ocissime ministerium hoc absolveret.* Id qvod Thorkell haut invitus præstitit: culter autem in terram decidit. Octavus dehinc productus, mortem placere respondit: & jam revincta ad virgulam coma erat, ictusqve intentus, cum Thorkell eum *arietem* nominantem audiens substitit, qvidqve sibi vox hæc velit? qvæsivit: *suffecturum unum tot fæmellis ovibus, qvot vos milites Comitis inclamâstis hesterno die, cum vos cæderemus*; respondit. Allusit ad interjectionem dolentium, qvæ effertur per particulam *ai*, qvæ prope idem qvod ovem fæmellam denotat; saucios ergo in exercitu Comitis hac particula gemitus efferentes ovibus fæmellis assimulavit, iisqve moriturus effæminatum animum exprobavit. Indignatus igitur Thorkell in malam

lam

lam rem ire juſſum absqve mora decollavit. *Compendium* vitâ donatum tradit. Nonus deinde intrepidum ſe more ſuorum ſociorum moriturum teſtatus petivit, *ne ſe more ovium mactaret; decidendam potius duceret controverſiam inter collegas ventilatam, num qvis in faciem cæſus expaveſceret? hoc modô ſe feriret, pavorisque, ſi appareret, ſigna obſervaret.* Ad votum cæſus nulla metus mutationisve indicia, niſi cum mors eum obſideret, edidiſſe perhibetur. Decimus forma ſtaturaqve conſpicuus, eadem qvæſtione propoſita, *mortem haut qvidem diſplicere* reſpondit; *ſpatium modo alvum exonerandi ſibi dari petivit*; qvô impetrato, anteqvam femoralia ſubligaret, contrectatis genitalibus, *o ſpes fallaces*! exclamat, *hunc etiam Thoræ Skaginæ Comitis uxori communi in lecto nutriendum fovendumque deſtinavi.* His dictis femoralia ſubnectit. Comes eum propria confeſſione convictum, obſcænas cupiditates jamdiu mente contrectantem, ilico occidi juſſit. Hic qvoqve ſecuris ictu conciſus vitam finivit. Huic undecimus ſucceſſit, vir ætate juvenili, cæſarie in humeros uſqve demiſſâ flavâ ſericum referente; qvi rogatus, *qvô animo mortem ferret? invicto*, reſpondit, *vitam qvidem ſplendide hucusque egi, jam vero illi occiderunt, qvibus ſupereſſe neqvaquam delectat, in hoc, qvô jam ſum, ſtatu. Tantum indulgeas velim, ne ſervi me ad locum ſupplicii ducant: illuſtris viri miniſterium ad id reqviro, nec te ulla ex parte inferioris; tu autem qvem tibi æqvari velis, provide; hunc comæ, dum decollor, levandæ, ne cruentetur, miniſtrum eligo, ea namqve mihi præcipua curæ eſt; tuum erit caput qvam ociſſime amputare, ne crines inficiantur.* Præcipuorum aulicorum qvidam hoc munus in ſe ſuſcepit, qvi capillos prolixiores, qvàm ut virgæ conſtringi neceſſarium eſſet, ambabus manibus ſurſum levatos cum teneret, imminentemqve ſimul cervici ictum ê ſonitu ſecuris, celeri rotatione aerem impellentis, captivus ſentiret, ſubita inclinatione caput inflexit: tum vero ſecuris valide impulſa, ſupraqve caput plectendi magno impetu ruens deſtinato ictu fruſtrata, utrumqve officioſi miniſtri brachium abſcidit. Mox erecto capite juvenis caput leviter qvaſſans facetè qvæſivit; *qvinam eorum manus in coma ſua reliqverit?* qvod videns Hacon; *qvid monſtri video*, inqvit, *actutum hunc occidito, nec de hinc ullum qvæſtionibus fatigabimus; omnes absqve mora capitibus plectuntor, ſatis enim expertum habemus, nihil de ipſis famam inanitèr locutam: intrectabiles namque ſunt, nec ullos pares ſibi habent.* Admiratione tam inuſitatæ fortitudinis captus Eiricus, *imo*, inqvit, *cognoſcemus qvinam ſint, qvi in poſterum ſupplicio deſtinantur*: converſusqve ad juvenem, nomen genusqve & patriam ut profiteretur poſtulavit. *Svenus*, reſpondit, *vocor, Buii filius, Veſetii de Borgundarholmo nepos, Danus ipſe, majoribus omnibus Danis prognatus.* Qvotennis eſſet, ulterius qværenti reſpondit, *ſi hæc hyems ſe incolumi præteriiſſet, octodecim compleviſſe.* *Imo complebis*, reſpondit Eiricus, eumqve vita & incolumitate donatum inter ſuos aſſumpſit: Qvô viſô pater; *qvorſum*, inqvit, *tendis, fili? virum qui magno nos damno probroque affecit, ſupplicione eximis? certe armis tibi extorqvere nolo.* Eiricus *neminem in poſterum prius plectendum* pronunciavit, *qvam ipſe eos allocutus fuerit, & nomen genusque exqviſiverit.*

CAP. XV.

DE COMITE EIRICO, QVI CAPTIVOS VITA DONABAT, EXITUQVE EORUM, QVI ILLUSTRIORES AB UTRAQVE PARTE HUIC BELLO INTERFUERUNT.

Edu-

EDucebatur deniqve qvi numero erat duodecimus, cujus pedes restis in nodos fortuitò coacta præter cæteros irretiverat. Procerâ ille staturâ ætate juvenili alios excedebat. Huic cum Thorkell usitatam qvæstionem proposuisset, *haut eqvidem*, respondit, *mori recusarem*, *utroque voto meo impleto*, *Qvid igitur*, Comes Eiricus interpellans ait, *vovisti*, *qvod tanti sit*, *ut eo impleto mortem libens oppetas? qvid tibi etiam nomen*, *qvid genus sit*, *edic. Vagnus*, respondit, *Akii filius sum*, *Palnatokii nepos* (minus probabile videtur, Vagnum phalangis suæ ducem, adversus qvem signa in ordinatione aciei directa sunt, qviq; ê scopulo captivus deductus est, ad hoc usqve tempus principibus ignotum fuisse; relationes tamen codicis Flat: exponam) *Thorkelis Leiræ filiam*, *modò in Norvegiam venirem*, *lecto mecum communi invitô patre propinqvisque sociaturum*, *patremque illius me occisurum vovi. Hujus voti reus haut ex animi sententia morior. Ne tamen perficias*, ait Thorkell, *ipse providebo*: magnoqve impetu in eum irruens, ense utraqve manu sublato, caput demetere qvam celerrimè parabat. Biornus autem Bretskius (*Compendium* Skardio piratæ hoc tribuit) qvi proximus ei assidebat, valido impetu Vagnum ita impellebat, ut præceps in terram caderet, ictumqve reste concisa evitaret, Thorkele simul offenso gradu corruente, gladioqve manibus cadentis excidente, qvô Vagnus, jam ruptis vinculis extricatus, celeritèr arreptô, Thorkeli lethale statim vulnus inflixit, exclamans, *dimidium votum absolvisse*, *præsentiore se jam animo moriturum.* His visis, Hacon vociferatus jussit, ut confestim occiderent, qvi tanta se clade affecisset. Eiricus *non magis qvam se ipsum occidendum fore*: *in beneficio patris se vitam impunitatemque illius repositurum*, respondit. *Frustra*, ait Hacon, *tibi*, *ô fili*, *obnitor*, *harum rerum arbitrium tibi soli deposcenti. Ea virtute Vagnus est*, ait Eiricus, *ut Thorkele non absque lucro permutari possit*: *ipsius locum subeat*, *officio dignitateque fungatur*, *nihil enim illi præter spem accidebat*; *hic etenim tritum illud*, *qvo sapientis præsagium sapiens perhibetur*, *non sine causa inter sententias nobiliores agnoscimus receptum. Tu enim hodie impendentem ei mortem prævidisti*, *qvam effugere neqvaqvam poterat.* His dictis Vagnum inter suos receptum omni deinde periculo exemit. Qvô gratius sibi beneficium ejus futurum pronunciante, si commilitonibus cæteris unà parceret: *Haut se illud qvidem abnuere* respondit, *allocuturum tamen reliqvos.* Biornum ergo Bretskium (Britonem) primò affatus qvæsivit, qvinam esset? Edito nomine, Eiricus, *Tune is Biornus*, *qvi strenuissime virum ex aula Sveni Regis eduxisti?* Biornus, *utrum strenuissime nescio*; *eduxisse agnosco.* Eiricus, *qva nostra culpa motus*, *silicernium calvum canumque*, *huc bellandi causa profectus es? planum est singula stramina in nos miseros Nordmannos aculeos directura fuisse. Vitane donari discupis? neque enim sine nostro dedecore tibi a nobis eripi posse videtur.* Biornus, *cupio*, *alumno Vagno cæterisque omnibus eodem beneficio salvis.* Eiricus, *omnes certe me arbitro vivetis*, *meo etiam arbitrio stabitur.* Aditôqve patre, omnibus incolumitatem impunitatemqve impetravit. Reliqvi scriptores invitô Hacone Vagnum reliqvosqve ab Eirico vita donatos tradunt. Biornus itaqve ad prædium Hallsteini Anicidæ, qvem prælio occiderat, hyematum missus est. Præter Hallsteinum qvinqve alii satrapæ a partibus Haconis in prælio cæsi memorantur. Vagno deinde consilio favoreqve

Eirici in Vikam profecto Ingibiorgis uxor datur, arbitrio festivitatis nuptialis celebrandæ penes eum relictô: qvi voti memor prima nocte, cum illuc perveniret, communi eam lecto sociavit, hyemeqve transacta in Daniam secum patriamqve Fioniam duxit. Inde nobilis & numerosa familia emanavit. *Knytlingorum historia* Thorgunnam filiam ex eo natam perhibet; cujus filii duo, Svenus & Astradus, qvorum Svenum patrem fuisse Asceri primi Lundensis Archiepiscopi perhibet. Inter fortissimos Daniæ magnates Vagnus semper habitus est, optimaqve fide, qvicqvid Eirico promiserat, præstitisse, eiqve in oppugnando Olafo Tryggvino operam navasse traditur. Biornus autem Bretskius, seu Brito, Brianniam repetivit, Comitatumq; cōmunem, qvoad vixit, utriusqve nomine administrasse, vir per omnem vitam laudabilis, memoratur. Sigmundus Bresterinus, qvi fortissimam operam in occidendo Buio Comiti præstitit, hyeme apud eum transacta, magnis, tam ab illo, qvam filio Eirico, muneribus donatus, in patriam Færeyas rediit, proximamqve hyemem ibi remansit; id qvod *historiæ Færeyensis cap: XX.* sine causa hæsitantius asserui. De Sigvaldio hæc idem codex memorat: nimirum a fuga in Daniam revertisse, ubi tum uxor ejus Astridis, reditum eventumqve pugnæ expectans, remansit. Hæc adventantem maritum convivio excepit, lætitiam animi de incolumi recepto indicatura. Inter cætera muliebria blandimenta, balneo eum ablui voluit, nullâ præter se ipsam ad illud ministerium admissâ: ut vero cutem integram nullis vulneribus intercisam conspexit: *haut eqvidem*, inqvit, *me latet, perfossam telis cutem complures Jomicorum, qvi superfunt prælio, domum retulisse, tua autem sacco, qvo triticeum far condatur, aptissima videtur. Continget forte*, respondit Sigvaldius, *ne hæc tibi de me triumphandi materia prostet, an etiam e re tua, ipsa dispice.* Hic Comitatui Sialandico postea aliqvantisper præfuit, vir â prudentia, non item fide, cōmendabilis; cujus *Codex Flateyensis* complures historias meminisse tradit (hodie certe plurimæ earum, minore famæ illius damno, interierunt,) De Sveno Buii filio tacent scriptores, nec constat utrum apud Eiricum, an alibi permanserit. Sigurdus autem Kapa in Borgundarholmum redux avitum patrimonium longo tempore tenuit, factusq; est vir celebris, probitatis etiam fama memoriaqve ad posteritatem, prole etiam ex uxore Tofa suscepta, & inde orta illustri progenie, felix. Thorkell Procerus Sigvaldii frater, qvi hoc etiam in opere aliâs, Deo volente, celebrabitur, prudentiæ opinione in primis inclaruit. De Einare Skalaglamo traditur, qvòd in patriam redierit; inqve sinu occidentalis qvadrantis, Breidafiordo dicto, naufragio perierit: bilanx autem insulæ appulsa nomen indidit, qvod in hunc usqve diem, ad relationis veritatem evincendam, retinuit, â lance videlicet, qvæ patria lingva Skal/ Skaleya dicta; clypeus in aliam insulam delatus, nomen ei, qvod in hodiernum diem habet, Skialdeya indidit; penula (patria lingva feldr) in holmo seu parva insula inventa, memoriam suam ei reliqvit, postea fell-darholmo dictæ. Scopulus autem, ubi periit Einar, Einarsker vocatur. Thordus Aurfhond/ seu scævola, frater Thorleifi Skumæ fuisse perhibetur, etiam Compendio teste: ille in patriam rediit, patriumqve prædium â morte ejus inhabitavit, numerosa progenie celeber. Hic cum Einare Skalaglamo, prius Amazonio dicto, hæc planissime enarrâsse traditur. De Buio jam mortuo antiqvitas fabulata est, eum in serpentem conversum cistulis auro plenis in sinu Hiorungensi incubuisse, id qvod laudatus codex etiam improbat. Qvomodo autem Rex Svenus votum suum de An-

Anglia invadenda executus fuerit, ſuo loco dicam. Hic autem priusqvam ulterius properemus, integras Chronicorum relationes ſubnectere libet, ut lectori, omnia inter ſe conferenti, qvid potiſſimum præferendum ſit, conſtare poſſit. Chronica Manuſcripta hoc tenore hæc enarrant.

CAP. XVI.
CONTINENS CHRONICORVM RELATIONES.

SEcundum memorata Chronica, Hacon & Eiricus Comites cum univerſo exercitu claſſeqve navium centum & ſexaginta (Danica verſio centum viginti habet, octodecim decadum) portum Hallkelsvikam inſederunt, cum Jomicos exteriora inſulæ Hoddæ litora claſſem advertiſſe compererunt. Ad eos itaqve perſeqvendos Comites cum claſſe profecti remigabant, inqve ſinu Hiorungarvogo dicto obvios ſibi habuerunt, utrisqve ad prælium claſſes ilico hoc modo diſponentibus. Sigvaldius qvidem media acie ſignis erectis, vicenis navibus, adverſus Haconem ſexaginta inſtructum, Ducibusqve Thorere Hiorto de Halogia & Styrkare de Gymſis ſuffultum, contendebat. Dextrum cornu viginti navibus conſtans Buius Craſſus & Sigurdus frater ejus ducebant. Qvibus Eiricus Comes cum Gudbrando Hvitio, ſeu Albo, de Uplandis, & Thorkele Leira Vikenſi viro cum phalange ſexaginta navium apponebantur. Siniſtrum cornu Vagnus Akinus itidem viginti navibus Sveno Haconis filio, Skeggio Yrienſi de prædio Uphaugo & Raugnvaldo de Æruvik ê Stadis, etiam ſexaginta navium alam ducentibus, oppoſuit, ut duo verſus, unus de Eirici Oda, alius de Haleyingatale, Eyvindo Skaldaſpillere authore deſumpti, teſtantur. Inde claſſes maximô ſe invicem infeſtantium ardore concurrunt, præliumqve atrocisſimum cietur, multis ex utraqve parte occiſis, longe tamen pluribus ex Haconianis; nam Jomici piratæ & acritèr & audactèr & magnis viribus pugnabant, clypeosqve telis trajecerunt. Tanta armorum vis ipſum Haconem obruerat, ut univerſam loricam funditus diſſectam, corporiqve protegendo inhabilem redditam, exuere neceſſe habuerit, Tindo Hallkelſonio duobus id rythmis teſtante. Jomicis navium grandiorum altiorumqve oportunitas favebat, utraqve tamen pars audactèr pugnabat. In primis Vagnus Akinus tanto ardore in Svenum invectus eſt, ut ipſum loco pelleret, tantum non in fugam verſum, ni Eiricus maturè ſubveniens nutantem in priſtinum locum reſtituiſſet phalangem. Adjicit verſio Danica, Armodum qvendam, virum opibus viribusqve inclytum, â Vagno hoc in congreſſu cæſum. Reverſus autem Eiricus Buium, jam reciſis retinaculis, ad perſeqvendum ſuos pulſos, & prope in fugam verſos deprehendit; cominus igitur lateribus navium Buii ſuarum navium lateribus junctis, prælium terreſtri ſimillimum cæſim feriendo acerrimè ciebat, duabus tribusve navibus ſingulas Buianas circumſiſtentibus. (*Compendium* tanta contentione utrinqve concurſum refert, ut exiguo temporis ſpatiô cæſorum numerus iniri non potuerit, utrisqve obſtinatis, certisqve non prius deſiſtere, qvàm alterius nave capta & deſolata) qvô tempore procella ingens grandoqve tantus exortus eſt, ut ſinguli globi unciam penderent. Tunc Sigvaldius, reciſis retinaculis, prorisqve pelago ob-

verſis, fugam capeſſebat; qvod videns Vagnus eum inclamans, ne fugeret, oravit; qvod cum fruſtra fuiſſet, haſtâ in eum directâ, eum, qvi navem gubernabat, trajecit. Cum triginta qvinqve navibus Sigvaldius effugit, viginti qvinqve relictis. Hacon itaqve navem prætoriam in alterum Buii navis latus direxit, cominusqve & ſtrenue pugnatum eſt. Vigfuſius Viga-Glumius, vir magni roboris, incudem in foris jacentem, ad qvam clavum capulum gladio jungentem (Hugro vocant) qvidam compegerat, ſublatam ambabus manibus in caput Aslaki Holmskalli conjecit, roſtrumqve cerebro ejus impegit. Is impune hactenus ambabus manibus obvios qvosqve paſſim cædebat, ipſe gladiis inviolabilis; fuit autem Buii nutricius proræq; præfectus; alter autem Havardus Hauggvandius, ſeu Sector, vir robuſtior, armisqve tractandis habiliſſimus. Hoc ipſo impetu Eiriciani aſcenſo Buii navigio ad puppim usqve pervenerunt. Thorſteinus autem Midlangus Buii medium naſum magno ictu vulnereqve præcidit; (verſio Danica inferius labrum unà cum mento adjicit, Buiumqve virgines Danicas oſcula ſibi haut facile libaturas qveſtum: deinde idem, qvod *codex Flateyenſis*, de Sigmundo Breſterino tradit) qvem Buius in latus feriens, medium etiam diſſecuit, arreptisqve arcis duabus auro plenis, magna voce clamabat: *Latera* (navis) *tranſilite, omnes Buii commilitones.* Atqve hac adhortatione cum arca utraqve præcipitem ſe in undas dedit. Eum complures ſecuti ſunt, pars tamen intra navim pugnando ceciderunt, vitam enim impetrare illo tumultu difficile viſum. Buii deinde navis â prora ad puppim hominibus vacuefacta, mox etiam aliæ, una poſt aliam vaſtatæ ſunt. Deinde Comes Eiricus Vagnum adortus, ſed viriliter reſiſtentem reperit (*Compendium* tradit Vagnum, oportunitate navis, cæteris longe celſioris, militumqve ſuorum lectisſimorum, pugnam ediditſe ſtupendam; donec Hacon, remotis minoribus navigiis, grandiora ſubſtituit, adverſusqve effuſam in ſe totam aciem diu ſuſtinuiſſe; citatqve & producit rythmum Vigfuſii Viga-Glumii, qvi hæc probat, nec in aliis codicibus reperitur.) Tandem tamen nave in poteſtatem redacta, ipſe Vagnus cum triginta captis vinctisqve in terram defertur. Eum Thorkell Leira accedens, *voviſti*, inqvit, *Vagne*, *te qvidem vitam mihi erepturum*, *hoc tamen ſtatu videris mea manu potius periturus.* Omnes in ripa qvadam ſedebant; Thorkell autem ſecurim magnam tenebat, extremumqve eorum feriebat. Omnes uno fune pedibus vinciebantur, manibus tamen nullo vinculo oneratis. Qvidam eorum dicebat: Dalk (teli genus eſt) *manu teneo*, *qvem terræ infigam, ſi qvicqvam cognovero amputato capite*; decollati manu telum excidit. Succeſſit ei juvenis formoſus, venuſta cæſarie conſpicuus; hic coma omni in ſinciput redactâ, cervicem extendens, *nolite comam cruentare* dixit. Adſtantium igitur unus arreptam manu cæſariem fideliter tenuit. Thorkelis ictum acriter intentatum pirata capitis ſubito flexu evitavit, manus autem utraqve comam tenentis amputabatur, ſecurisqve in terra defigebatur. Accedens autem Eiricus, *qvinam es*, inqvit, *formoſe juvenis*? *Sigurdum* (Haraldum habet *Compendium*) *me vulgo vocant*, reſpondit, *filius autem Buii dicor*: *ne adhuc qvidem omnes Jomici interierunt.* (hoc dictum Vagno hoc videnti verſio Danica tribuit) *Imo*, inqvit Eiricus, *tu Buii filius vere es*, *incolumitatemne expetis*? *Offerentis*, reſpondit, *reſpectu æſtimabitur. Offert*, inqvit, *penes qvem poteſtas eſt*, *Eiricus Comes. Accipio itaqve*, reſpondit, ſtatimqve ſolvebatur. Ad ea Thorkell Leira reſpondit; *ſi vel maxime*, *Comes*, *omnes incolumitate donaveris*, *Vagnus tamen Akinus nunqvam elabetur.* (*Compendium* clementiam Eirici his verbis

qve-

qveſtum refert. *Nonne omnes hi, qui ante oculos noſtros conſanguineos noſtros occiderunt, incolumes dimittentur? quid hoc ſibi vult?* Tum Eiricus: *an neſcis me te eſſe potentiorem?* Ad ea Thorkell: *alternis fortè imperabimus)* magnoqve impetu cum infeſta ad ictum ſecure in Vagnum fertur, pirata autem Skardius ſe ante pedes ejus præcipitans, accurrentem Thorkelem præcipitem dedit. Vagnus autem arrepta qvàm celerrime ſecuri lethale ei vulnus inflixit. Tum Comes, *vitamne cupis, Vagne?* inqvit. *Cupio*, reſpondit, *nobis omnibus ſalvis. Solvite ipſos*, ait Comes: qvod & ſtatim factum eſt. Octodecim cæſi ſunt, duodecim autem vita donati. Hacon cum pluribus aliis trabali ligno inſidebat, cum ê navi Buii arcûs intenſi ſonus auditus: mox telum in Giſſurem Satrapam de Valdreſia, qvi ſplendide veſtitus proximus Comiti aſſidebat, intortum, morte ejus curſum ſuum nobilitaſſe viſum eſt. Inde egreſſi in navem, deprehenderunt Havardum Hauggvandium, genubus circa navis latus innixum, utroqve namq; pede truncatus erat; hic arcum tenebat, advenientesqve rogavit, qvinam crepidini inſidentium cecidiſſet? Illi Giſſurem eum dici reſponderunt. *Fortuna igitur ſpe minor fuit*, reſpondit; *ingens quidem*, reſponderunt, *infortunium; nec tu majoris author in poſterum eris*: eumqve occiderunt. Inde luſtratis cadaveribus ſpolia lecta, præda omnis diviſa, viginti qvinqve Jomicorum naves interceptæ ſunt, teſte Tindi rythmo. Secundum hæc exercitu dimiſſo, domum uno qvoqve repetente, Hacon Thrandiam petivit, valde iratus, qvòd Eiricus Vagnum incolumitate donâſſet. Fertur Hacon hac in pugna pro victoria imolâſſe filium ſuum Erlingum, inde ſecutâ procella cædeqve a parte Jomicorum. Eiricus Comes aſſumpto ſecū Vagno ad Uplandas profectus eſt, dataqve ab Eirico ei eſt uxor Ingibiorgis, Thorkelis Leiræ filia, navisqve longa (tres habet *Compendium*) cum univerſo apparatu, mutuaqve amicitiâ qvam maximâ ab invicem diſceſſum eſt, Vagno Daniam repetente; qvi poſtea vir celeberrimus factus eſt, illuſtris & numeroſæ progeniei pater.

Hæc verbis Chronicorum MSS. retuli: nec verſio Danica ab his, niſi ubi indicatum eſt, diſcedit. Illud *Compendium* conceptis verbis tradit, prælium hoc longe celeberrimum fuiſſe, nec unqvam Danos contra Norvegos tantum valuiſſe, utpote numero ſuperiores, fugæ tamen interdum propiores. Præmium victoriæ, præter ſpolia, uſurpata hactenus potiſſima Norvegiæ pars, jam jure belli in victoris poteſtatem redacta, reliqvarum etiam provinciarum, Sveno Daniæ Regi ad id usqve tempus ſubjectarum, ſecuta poſt cædem Haraldi Grænskii acceſſio, Regulis ultro ad Haconem deficientibus, teſte Hrærecho Cæco Heidmarkiæ Regulo, ſupra citato. Neqve enim locus in *vita Olafi Tryggvini* poſtea occurrens, qvi Olafo univerſos regni incolas, etiam eos Principes, qvi prius Regum Daniæ beneficio fevda vel provincias ſuas tenuerunt, nomen dediſſe aſſeverat, aliud evincit, qvàm ultra Haconis victoriam de Jomicis partam, ad obitum usq; Haraldi Grænskii Danis paruiſſe; neq; enim integer annus ab eorum defectione ad Haconem ad Olafi regni initia ſeu inaugurationem tranſivit; nec tam facilè Olafi novelli Regis partibus ſe adjuncturos exiſtimo eos, qvos adverſus potentiam Haconis invicta fide Danos ad usqve partam de Jomicis victoriam coluiſſe conſtat, ni defectionis conſcii, metu vindictæ Danorum ad Olafi præſidium confugere neceſſarium duxiſſent. Inter victoriæ præmia totius populi Norvegici in Haconem converſi favor, ſtudia, & plauſus meritò referendi: in eo ſalus imperii ſpesqve populi ſolo conſiſtere viſa; is abunde potens ad omnem vim arcendam, âqve cervicibus indige-

digenarum depellendum externarum gentium jugum, regniqve decus & Majeſtatem reducendam & propugnandam; nec qvicqvam ei ab illo tempore ad totius Norvegiæ poſſeſſionem ſibi ſuæqve ſoboli conſervandam & confirmandam deeſſe videbatur: neqve enim Regii nominis gloriam ambiebat, aſſumpturus forſitan, ſi diutius vixiſſet: itaqve ab illo tempore qvo orientales provinciæ ad eum defecerunt, anno nimirum CMXCV. inter Principes Norvegiæ ordine ſextus, Monarchas qvintus, reputatur.

CAP. XVII.

DE IMPERIO COMITIS HACONIS ET HARALDI GRÆNSKII EXITU, ACCESSUQVE REGIS SVENI IN ANGLIAM.

HAcon, Comitis titulo, poteſtate Rex, cujus per univerſam Norvegiam Monachia diffuſa, eodem, qvo cæpit, anno, ſalutis nimirum CMXCV, nec eo qvidem integro, finiebatur, qvo Haraldus Grænſkius Veſtfoldiæ Regulus ê vivis ſublatus eſt. Superiori namqve anno, cum orientem popularetur, Sveciæ litoribus claſſem pacatè applicuit. Regnabat ibi id temporis Olafus, Sveo dictus, Eirici Victorioſi (qvem *codex Flat*: Comitis Haconis vergentibus imperii annis deceſſiſſe tradit) filius, matre Sigride, viduâ opulentiſſima, agriqve per Sveciam ſpatioſi admodum divite, &, ſi *Oddo Monacho* fides, Gautiæ Regina. Hæc ut adventum illius cognovit, miſit legatos, qvi eum ad convivium (verſio Danica biduanum habet) invitarent. Acceſſit igitur multo comitatu, lautèqve & pro indole Reginæ, magnos ſemper ſpiritus gerentis, qvàm magnificentiſſime exceptus eſt; Reginâ in ſolio ſedente ſimulqve cum Rege potante: reliqvis omnibus pocula ſumma alacritate propinabantur. In cubile deinde pretioſis tapetiis inſtratum adultô veſpere paucis comitatus Rex deducitur: qvem ut lectum exutus veſtibus petiverat, ipſa Regina acceſſit, pincernæqve miniſterio in ſe recepto largioribus poculis ad potandum magno ſtudio unà ſimulqve potando invitavit, donec uterqve valde inebriaretur. Rege ſopitô, Regina cubitum ivit. Fuit illa fæminarum ſapientisſima, futurorumqve multis in rebus præſcia. Hîc *codex Flat*: lecti conſortium eam poſtulâſſe adjicit, Regemqve reſpondiſſe, *uxorem ſuam Aſtam omnino ſolam hac nocte & absqve conſorte cubituram.* Inde ſopito Rege, valde iratam Reginam recesſiſſe. Poſtero die iterato convivio, pari contentione pocula miniſtrata; verum more eorum, qvi heſternam crapulam edormiverunt, Rex a nimia ingurgitatione poſtridie ſibi temperabat, Reginâ facetiis convivam demulcente. Inter colloqvia haut minoris ſe agros ſuos & prædia, qvæ in Svecia poſſideret, regno ejus in Norvegia æſtimaturam jocata eſt. Qvæ comparatio cum valde aures ejus exulceraret, omnia ei deinceps diſplicebant, conviviumqve abitu ſuo qvàm primum ſolvebat. Regina autem magna hilaritate, muneribus etiam magnificis, eum domo deductum dimittebat. Cauſam præcipuam verſio Danica, cæteris ſilentibus, adducit, metum, ne agros ſuos offenſus diriperet.

Per autumnum domum redux (in Grænlandia habitaſſe *Cod: Flateyenſis* tradit, prædium VIKAM alibi nominat, qvod â vero abludit, neq; enim Haraldus in Grænlandia habitavit, licet ibi educatus fuerit) hyemem ibi mæſtus

mæſtus peregit. Seqventi vero æſtate, expeditione in orientem ſuſcepta, iterum Sveciam petivit, misſisqve â vicino litore ad Reginam nunciis, ut ſe accederet, poſtulavit: accedentis conjugium ambit. Illa *vanum poſtulatum, utpote qui conditione ſua ſtatuque condignam uxorem haberet*, reſpondit. Ille vero iterum regeſſit: *Bona certe mulier & illuſtris quidem Aſta eſt, genere tamen mihi hautquaquam par.* Sigridis adhæc; *utut generis nobilitate eam præſtes, fortunæ tamen utriusque veſtrûm ſpem hoc tempore penes eam arbitror.* Pauca deinde collocuti ſunt, cum Regina eo valde ſollicito relicto diſceſſit; verum animi impotens Haraldus ad domum ejus, multis neqvicqvam disſvadentibus, magno comitatu profectus eſt.

Eodem veſpere procus alter Viſevaldus, Regulus & ipſe, Ruſſiâ profectus illuc acceſſit. Unum, ſed ampliſſimum (*Codex Flat:* antiqvum habet) triclinium utriqve Regi cum omni comitatu excipiendis datum: aulea etiam convenientiſſima, vetera qvippe vetuſtis ædibus. Potio deinde inebriandis hominibus fortiſſima, magno inferentium invitantiumqve certamine præbita; donec omnes obruti ſomno vinoqve, excubitores etiam, tam principales, ſeu corporis cuſtodes, qvam ſubſidiarii, in ſua qvisqve ſtatione ſtrati jacerent. Hac oportunitate Regina armatos ſatellites in eos immiſit, qvi igne in tecta, ubi inebriati ſecuri dormiebant, ferro in exitum molientes ſæviebant; atqve ita triclinium cum convivis omnibus tectis incluſis arſit. Incendium evitantes armis occubuerunt, Regina triumphantis in modum gloriante; *hoc ſe exemplo Regulos peregrinarum gentium ab ambiendis nuptiis ſuis territuram.* Hinc Imperioſæ cognomen ſortita eſt. *Codex Flat:* tradit, ſex Regulos præter Haraldum hac eadem veſperâ, omnes ejusdem Reginæ procos, ædibus ejus eodemqve triclinio exceptos, ſeptemqve dierum convivium in gratiam illorum inſtructum, ſingulis diem unum datum, qvo eloqventiam morumqve elegantiam coram Regina profiterentur. Haraldum autem eo confidentius nuptias ejus urſiſſe, qvòd ſpem ſibi ſpecie priſcarum illecebrarum intercedentium majorem cæteris feciſſet. Illam autem in hunc modum reſpondiſſe. *Nec me forma tua, nec genus, nec ditio, neque res ulla, qvæ tibi adhæret, delectat. Illud fateor, Aſtam eum jam concepiſſe filium, cujus ego me matrem optâſſem.* Non eqvidem miror, ad gloriam Sancti Olafi augendam facile hoc â monachis fingi potuiſſe. Oddus Monachus Thorerem virum illuſtrem, Thoreris Hundi de Biarkeya patrem, unà periiſſe tradit. Hranius ad naves remanebat cum Haraldus ad Sigridem profectus eſt, qvi ut eum ſublatum cognovit, Norvegiam ſtatim petivit, uxoriqve Aſtæ, jam gravidæ, omnem geſtorum ordinem decretumqve de ea repudianda retulit. Illa ad patrem Gudbrandum ad Uplandas conceſſit (Gudbrandsdalos habet verſio Danica, qvod alibi nusqvam invenio, imo diverſum a Gudbrando Dalorum Principe fuiſſe ſtatuo: magis adducor ut credam in Grænlandiæ prædio Vika habitaſſe, nam ibi filium Olafum in lucem edidiſſe *in vita Olafi Geirſtada-Alfi Codex Flat:* tradit, eò autem ante partum conceſſiſſe omnes conſentiunt) ibiqve ſumma benevolentia & affectu paterno excepta eſt. Haraldi autem propoſitum valde tum illam, tum patrem ejus, irritabat; qvo occiſo, in poteſtatem Haconis ditionem ejus redactam facile conjicitur; fidem namqve in Danos illibatam ſemper coluiſſe ſcriptores tradunt.

Poſtqvam Svenus dolum Sigvaldi, defectionemq; Comitis Haconis ab obſeqvio patris ſui ſuoqve egregio aſtu ex parte ultus, utriusqve viribus mutua clade attritis, ſecuritatem ſibi, majora animo agitanti, ſtabilivit, cum

cum non esset, qvem domi formidaret, Sveciæ Rege tenello, &, ut videtur, ex gentis legum præscripto vix sceptri capace, ad votum qvoqve suum exeqvendum se convertit. Nec diu moratus, eodem anno classem, militem, arma, comeatumqve parat, inqve Angliam vela vertit; ubi inita cum Norvegiæ Rege Anslafo (qvi certe Olafus Tryggvinus est, non ille Sanctus) valida qvoqve classe instructo, societate, Londinum festo nativitatis Divæ virginis, qvod in octavum mensis Decembris incidit, nonaginta trieribus oppugnare aggreditur, verum civibus improvisam tempestatem animis, armis, viribus & consiliis fortiter propulsantibus, non sine magna suorum clade repulsus uterqve irâ simul & dolore æstuantes, eodem, qvo cæperant, die retrocedere coguntur. In rabiem itaqve efferati, Est-Saxoniæ & Cantii maritima vastant, inqve Suth-Saxiam Suthamtoniamqve infusi, agros urunt, villas diripiunt, homines sine sexus ætatisqve discrimine occidunt, spolia manubiasqve ingentes corradunt abducuntqve, magnam qvoqve eqvorum copiam ex provinciis colligunt. Tanta im̃anitate perculsus Rex Ethelredus, procerum consilium convocat. Ibi deliberatum de ratione se gentemqve universam tantis periculis, publicum exitium properè minantibus, extricandi: placuitqve certâ æris sum̃â cum illis pacisci. Missis igitur legatis, stipendiis ex universa Vest-Saxonia, tota vero Angliâ tributis ad sedecim librarum millia, pacem redimunt. Qvibus acceptis, ad naves regressi copias omnes ad Suthhamtoniam ducunt, ibiqve hyemant. Olafum vero, sive qvod mitius se gesserit, sive necessitate ex fædere, vel alia qvacunqve ratione ad tantam immanitatem prolapsus fuerit, seu jam facti pæniteret, Ethelredus honorifica legatione, cujus principes Episcopus Wintoniensis Elfegus & nobilissimus dux Ethelcardus, ad se invitat; qvi acceptis obsidibus ab ipsis ad Regiam villam Andeafaran, ubi Rex præsens, deducitur, magnoqve cum honore ab eo excipitur, aqve Episcopo confirmationis Sacramento consecratur, & in filium a Rege adoptatur Regiisqve muneribus abunde donatus pollicetur se nunqvam deinceps Angliam infestaturum; adqve navem rediens, proxima æstate in Norvegiam provectus fidem servavit. Sed qvoniam huc ventum est, tempestivum erit, ut occasionem reditus ejus in patriam & anteactæ vitæ partem uberius explicem.

CAP. XVIII.

DE MUTATIONE MORUM HACONIS, EJUSQVE CONSILIIS AD EVERTENDUM OLAFUM TRYGGVINUM, ABLEGATIONEQVE THORERIS KLACKÆ.

Nihil præterea ad summæ per universas Norici territorii provincias potestatis complementum, nihil ad imperii securitatẽ, potentissimis hostibus, gentium terrore, devictis, vicinisqve nationibus metus sui, ut invicti, civibus autem ingentis fiduciæ amoris & obseqvii sui impleti, deesse Haconi visum est. Itaqve tanqvam jam demum sui juris, omni metu solutus, velut ab ipsis Diis emancipatus, pudorem solvit, legibus ad libidinem avaritiamqve explendam abusus, â se ipso tantum in diversum abiit, ut qvibus artibus hucusqve civium suorum benevolentiam, fidem & obseqvium,

qvium, ad omnia pericula pro ſe intrepidè ſubeunda invictum & obſtinatum, ſummumqve ſibi in omnes imperium conciliârat, iis neglectis, iſtis, qvæ in contrarium ducunt, totum ſe dediderit; eò enim inſolentiæ proceſſit, ut non modò a bonis civium uncas manus haut abſtineret, ſed etiam in omnium, etiam ſummæ nobilitatis, uxores filiasqve ſibi ad libidinẽ abutendas imperium raperet, ſine ulla ſangvinis vel cujuscunqve nexûs verecundia, in ſtupris & inceſtu matrum filiarumqve & ſororum volutatus. Prius tamen, qvàm hæc jam animo deſtinata, ut videtur, flagitia admitteret, ſi fortè aliqva remora licentiæ obſtaret, ilico tollendam ratus eſt. Audiverat virum qvendam in Britannicis inſulis, Olium nomine, genere Girskium (Ruthenum) ſed Regio titulo celebrem, verſari: ſuſpicabatur itaqve Norvegum ſtemmate Regio oriundũ eſſe, eo qvod audiverat poſthumum Tryggvii Regls filium non abſimili nomine Olafum vocatum, inqve Gardarikia, ſeu Ruſſia, apud Valdemarum Regem educatum, inde forte Girskii, ſeu Ruſſi, nomen aſſumſiſſe; multa qvippe de eo, dum in Ruſſia verſaretur, ſciſcitatus, jam in occidentales terras delatum colligebat, id qvod ſtatura, facies, mores, fortitudo, robur, rei militaris ſcientia, agilitas & exercitatio plane eadem, ad ſtuporem usqve admiranda, facilè perſvadere poterant. Hunc cum inter hæredes Norvegiæ ſolum, ſi non ſibi, poſteris tamen fortè aliqvando extimeſcendum duceret, maturè tollendum exiſtimavit; qvod cum aperta vi fieri in peregrina terra neqviret, dolis rem aggredi tentavit.

Fuit vir qvidam, nomine Thorer, cognomine Klacka, inter intimos Comitis amicos valde delectus, piraticæ & mercaturæ in peregrinis regionibus exercendis aſſvetus, inde ei diverſarum gentium notitia magna. Hunc Comes trans oceanum cum mercibus, more tum recepto, Dublinum miſit, occultis mandatis inſtructum; ut curioſè indagaret, qvinam eſſet ille Olius, qvi tum apud Regem illius territorii affinem ſuum Olafum Qvaranum uxoris ſuæ fratem morabatur (id qvod non conſiſtit, nam is, teſte *Jacobo Varæo*, Anno CMLXXX. mortuus eſt, Sithicium forte ejus filium, cognomento Sericobarbum) qvem ſi Olaſum Tryggvinum, vel alium qvemqvam Regii ſtemmatis agnoſceret, dolis, qvibus poſſet, ſubvertere conaretur. *Codex Flat*: & *Theodoricus Monachus* diductius hæc perſeqvuntur. Verba *Cod: Flateyenſis* adſcribam. *Vere*, inqvit, *proximo poſt prælium Jomicum in orientali Norvegiæ tractu Comes Hacon proceribus compluribus ad ſe convocatis, & in iis Eirici de Offruſtadis filiis Joſteino & Karlshofude, præſente viro qvodam Thorere, cognomine Klacka, pariter accitô, amico ſuo in primis caro, externarumque nationum gnaro, qvas vel piraticam vel mercaturam exercendo crebrò accedere ſolebat, in domeſtico conſeſſu hæc verba habuit. Relatum eſt mihi, virum in transmarinis ad occidentem terris verſari, qvem Olium Girſkium nuncupant, mihi autem Olafum Tryggvinum eſſe opinio ſuggerit; qvod ſi ita eſt, inde cruenta nobis bella imminent, modo vires ad nos infeſtandos idoneas nanciſcatur. Id cum ad omnium noſtrûm ſecuritatem perturbandam faciat, viſum eſt veſtrum conſenſum ad ea conſilia reqvirere, qvæ noſtro regno nobisque in commune ſalutaria excogitari poſſunt. Valde enim pertæſus ſum talium irruptionum, qvalis hæc poſtrema fuit, qvam piratæ Jomici fecerunt. Excogitavi idcirco viam, qva hunc virum, exiguis viribus ſuccinctum, huc ad nos alliciamus, noſtræque poteſtatis faciamus. Proceres, laudato conſilio, ſolum Haconem ſe Principem, nec, qvoad ille viveret, alium, nedum externum, agnituros reſponderunt. Thorerem deinde Klackam affatus: Tu, inqvit, hac æſtate*

mercatu Dublinum petes. Interim accuratè expiſcabere, qvinam ſit vir ille, qvi ſub Olii Girſkii nomine ibidem celebratur, qvem ſi Olafum Tryggvinum vel alium ê Regum Norvegorum ſtirpe deprehendis, omnem movebis lapidem, ut aut ipſe occidas, aut nobis vivum, qvacunque ratione poteris, ſiſtas. Hæc Thorere promittente, ad avunculos Olafi converſus: Vos, inqvit, ei hujus itineris comites eſtote, juramentoqve qvàm ſacratiſſimo in præſens vos obſtringitote, ad omnia illa qvæ Klacka effingit, ad Olafum nepotem veſtrum decipiendum, veſtro teſtimonio confirmanda, nec qvicquam horum ei communicabitis, priusquam continentem Norvegiæ pedibus calcaverit: (*Theodoricus Monachus* ſic: ad locum Tialfahellir infra Agdaneſiam perventum fuerit) *mihi namque, qvid deinceps de illo futurum ſit, curæ erit, ne referat, qvid tum palam faciatis. Vos autem ad hoc potiſſimum deligo, tum qvod nullus dubitem, qvin majorem vobis fidem, qvam iis, qvi nullo neceſſitudinis vinculo illum attingunt, ſit habiturus; tum etiam qvod vos illos viros agnoſcam, qvi juratam mihi illuſtrique huic conſeſſui fidem hautqvaquam ſitis violaturi. Illis negantibus, tantum ſe ſcelus unqvam admiſſuros, ut nepotem prodant: Reſtare duas conditiones Comes reſpondit eligendas, qvarum unâ mortem, eamque haut ſimplicem, ſed præviis tormentis protinus oppetendam; aliâ, ſi imperata facerent, etiam ampliſſima munera, ſuum & omnium procerum favorem & gratiam, proponi. Neceſſitate itaque adacti in proditionem jurarunt, hac, qvàm retulimus, formulâ, fidesque in hoc tam Comiti, qvàm proceribus, data. Priusqvam orâ ſolviſſent, fama haut incerta cædis Haraldi Grænſkii ad eos pervenit. Deinde, ut imperatum erat, anchoras ſolvunt. Dublinum cum ventum eſſet, Olium ibi Girſkium deprehendunt.* Hactenus dicti Codicis verba exſcripſimus.

CAP. XIX.

DE PROFECTIONE OLAFI TRYGGVINI ET MATRIS EJUS E SVECIA, EORUMQVE CAPTIVITATE.

LOcus exigit, ut priusqvam hujus negotii eventum exponam, qvicqvid de illo ad hoc usqve tempus cognitu dignum eſt, hic præmittatur, fide codicum, qvi hanc ejus vitæ partem nec per ſingulos annos accuratè digeſſiſſe, nec ſincerè tradidiſſe, videntur.

Dum in nutricatu matris in Svecia apud Haconem Senem moraretur, Ruſſiam, qvæ & Gardarikia, Holmgardus & Holmgardarikia ſcriptoribus indifferenter uſurpatur, Regio titulo imperioqve tenuit Valdemarus (Wolodimirus aliis) Sventislai filius pellice natus; qvam poſt fratrem Olgum ab alio fratre Jarepulco occiſum, ipſe occiſo Jarepulco ſolus totam adeptus eſt. Uxor ei tunc temporis fuit Arlogia, formâ virtutibusqve in primis decora. Baſilii & Conſtantini Orientis Imperatorum ſororem poſtea duxit. In illius aula magno in honore fuit Sigurdus Aſtridis frater, jam longo tempore extra patriam peregrinans, tandem a Rege multis poſſeſſionibus agrisqve donatus, multis etiam provinciis præfectus, totiusqve Regni, ut tradit *Oddus Monachus*, adminiſtrationi admotus. Etenim complures Gunnhildidarum tyrannidem vel exoſi, vel metu evitaturi, patriâ exceſſerunt, ubicunqve potius

potius fortunam periclitaturi. Ut vero Aſtridis fratrem in Ruſſia, & in magna qvidem apud Regem gratia, verſari comperit, magnum afflictis rebus ſolamen, ſi eum accederet, ſperans, ad eum inviſendum animum appulit. Eam igitur Hacon iis, qvæ ad profectionem reqvirebantur, abunde inſtructam, negotiatoribusqve merces eò devehentibus commendatam, benignè cum filio dimiſit, poſtqvam biennium in Svecia morata eſt, filio jam trimulo; qvo dum maritimo itinere trajicitur, vectores in altum procul â terra rapti, media via â piratis Eſthonibus invaduntur, omnes intercepti ſine miſericordia, pars cæſi, pars in prædam & captivitatem abducti ſunt, interqve prædones diviſi. Atqve ita filius tenellus â matre abſtractus, viro barbaro Klerkoni, gente Eſthoni, unâ cum Thorgilſe Thorolfoqve Sene patre ejus, prædæ ceſſit: qvi ſenem, ut ad ſerviendum inhabilem, ſtatim occidit, pueros autem domum deductos ad alium virum, nomine Klerkum, unius capri permutatione transtulit, & hic tertio, nomine Reas, veſtimenti genere, qvod patria lingva vefl / & alio nomine ſlagning / vocant, vendidit. Pallii genus etymon vocis indicat. Uxor ei nomine Rekon, filius autem Rekom. Ibi Olafus longo tempore educabatur, benigneqve & liberaliter habitus eſt, breviqve domino ob egregiam naturæ dotis indolem formæqve pulchritudinem, uxori etiam & toti familiæ percarus, nec ullo honoris vel amoris genere proprio filio poſtpoſitus. Thorgils autem ad ſervilem conditionem redactus, ſervilibus miniſteriis laboriqve adhibitus eſt. Sexennium ibi Olafus eo tenore nutritus eſt, qvorum uno deceſſit Angliæ Rex Edvardus: ſucceſſit autem frater Ethelredus, Olafi poſtea intimus amicus. Sub idem tempus Sigurdus Olafi avunculus ex Ruſſia tanqvam Regius qvæſtor ad annuum cenſum Regis nomine exigendum, cum magno pediſſeqvorum numero in Eſthoniam pervenit. Fortè in platea inter alios pueros ludum exercentes ei Olafus ex improviſo obvius occurrit, venuſtaqve corporis ac habitûs ſpecie, qvam veſtis ſpecioſa, liberalite domini, magno ſe amore complectentis, donata ornabat, avunculi, licet ignoti, oculos in ſe convertebat. Alii tradunt accedenti villam obviam puerum jam novennem proceſſiſſe, eiqve pueriliter adblandientem ſalutem humaniter dediſſe; faciem autem & ſermonis peregrini pronunciationem alienigenam facilè demonſtrâſſe, inde occaſionem qvæſtioni de nomine, patriâ, familiâ, genereqve datam. Puer Olafi nomen, patriam Norvegiam, familiam Regiam, patrem Tryggvium Vikæ Regulum, matrem Aſtridem, Eirici Biodaſkallii de prædio Offruſtadis filiam, profeſſus; ulterius qvo fato eo pervenerit, interrogatus, omnia de ſua matrisqve captivitate & infelici diſtractione reliqvisqve iniqvæ fortunæ caſibus ordine cōmemoravit; itaqve Sigurdus, ubi eum genuinum ſororis ſuæ filium agnovit, *an redimi velit?* qvæſivit. *Is conditionem ſuam longe qvam prius erat, indulgentiâ domini, paterno ſe affectu proſeqventis, meliorem* reſpondit: *illud tamen diſplicere, qvod ſocius ſuus iniquæ ſortis particeps ſervitutis calamitatem aſſiduè ſentiat; qvi niſi unà liberetur, nec ſe redemptionem expetere, diſceſſu ſuo luctuoſiorem ei conditionem redditurum.* Tanta in tenella ætate mitis ingenii fideiqve invictæ ſpecimina edidit! Qvo cognito Sigurdus, ut ad dominum ſuum ſe duceret, mandavit; ægreq; eum, utpote minimè venalem, impetravit, nec niſi ſub conditione, vel honeſtæ educationis, vel manumiſſionis. Pretium libertatis *Codex Flat*: nimium & ſupra fidem conſtitutum memorat, in Thorgilſem nimirum unam, duodecim in Olafum, *Oddus Monachus* novem, auri ſelibras refert. Qvod qvam â vero

ro alienum ſit, & ſupra vel ruſtici ſortem, vel pueri eo ſtatu, qvantumvis venditori Regium genus innotuerit, conditionem, inde diſpaleſcit, qvòd Olafus Famelicus dictus, procerum ſtudio ê Flandria, ubi carceri mancipatus erat, cum ad totius Daniæ ſceptra vocaretur, triginta tantùm ſelibris auri redimendus erat, teſte *Knytlingaſaga.* Utrumqve Sigurdus ſoluto pretio redemptum & in libertatem vindicatum ſecum in Ruſſiam duxit, ſed Olafi genere diſſimulato. Atqve ita Olafus avunculi beneficiô libertati, Deo miſerante, reſtitutus eſt.

CAP. XX.

DE MISERABILI REGINÆ ASTRIDIS CALAMITATE, EXILIO ET REDEMPTIONE, NOVIS NUPTIIS ET LIBERIS.

ASTRIDIS Olafi mater in diverſa Eſthoniæ loca diſtracta, ſervitutiqve mancipata, publicis nundinis in foro venum expoſita, qvodam tempore, cum inter merces compluraqve mancipia proſtaret, evenit ut vir qvidam in Vika Norvegiæ celebri provincia natus, nobilitate clarus, opibusqve affluens, nomine Lodinus, propria nave peregrinas regiones negotiandi cauſa adire ſolitus, hac autem æſtate maris Baltici orientaliores, & inter cæteras Eſthoniam, advectus, ibi ad nundinarum usqve tempus commoraretur. Hic inter venales ancillas hujus faciem haut ignotam cum ſecum reputaret, tandem Reginam Tryggvii uxorem eſſe collegit, ſibi ipſi qvantumvis diſſimilem, mutatamqve ab ea, qvam formæ decore inter eximias præcellentem, ornatuqve Reginâ digno noviſſimè conſpexerat; qvippe vili jam ac ſordida veſte indutam, miſerabilem præferentem vultum, triſtemq; oris habitum. Eam igitur mirabundus accedit, ejusq; adventûs rationem mutatæqve conditionis cauſam exqvirit. Illa *captivam ſe in eas oras mangonico qvæſtu divenditam, jam etiam cuivis emtori patere*, reſpondit. Exinde in mutuum colloqvium notitiamqve pleniorem cum perveniſſent, Aſtridis genus, familiam, ſtatumqve & conditionem Lodini, qvippe viri clari, propius cognoſcens oravit, *ut ſe, perſoluto pretio, redemtam in patriam ad cognatos reduceret.* Lodinus *redempturum ſe qvidem, devecturumque in patriam* reſpondit, *ea tamen lege, ut ſuo ſe exinde matrimonio dignaretur.* Illa opes nobilitatemqve viri virtutesqve ex unâ, ſuasqve miſerias ex altera parte reputans, in eam conditionem conſenſit; mox pretio redemptam in patriam retulit, & de amicorum propinqvorumqve conſilio uxorem duxit, unicumqve ex ea ſuſtulit filium, Thorkelem Nefiam dictum, filias Ingeridem & Ingigerdem, qvæ poſtea nupſerunt geminis in Vika fratribus, nobilitate & divitiis pariter conſpicuis, Thorgeiri videlicet & Hirningo. Binas alias patre Tryggvio Rege ſuſtulit Aſtridis filias, Ingibiorgem nimirum & Aſtridem, de qvibus ſuo loco plura dicenda ſunt. Nunc ad Olafum redeundum.

CAP.

CAP. XXI.

DE GESTIS OLAFI TRYGGVINI IN RUSSIA.

HIc dum qvodam die in foro ſpatiaretur, exiguam ſecurim manu tenens, Klerkonem inter confertam turbam offendit, eum ſcilicet, qvi primus illum cum matre pirata captivum tenuit, utrosqve ab invicem diſtraxit, nutritiumqve Thorolfum Luſaskeggium occidit. Mox dolorem refricabat longa miſeria, in primis matris incerta, ſed qvocunqve in ſtatu verſaretur tanto faſtigio indigna, conditio, maxime tamen occiſi per ſummum ſcelus nutritii injuria: itaqve ſecurim incedentis Klerkonis capiti tã valido incuſſu impegit, ut ilico diſſecto capite exanimis concideret. Inde curſu domum properans, avunculo, qvæ geſta eſſent, expoſuit; qvi in aulam eum Reginæ qvàm citiſſime abductum, opem illius præſidiumq; imploravit; qvæ viſo puero tam decora facie, haudqvaqvam moriturum pronunciavit. Mox univerſum ſatellitium armavit, tumultuanti populo oppoſitura; legibus namqve homicidia niſi in judicio damnatos admiſſa capite plectebantur. Concitatis ergo authoritate legum & atrocitate facti, jurisqve publici propugnandi ſtudio, primò qvotqvot inſpectores cædis fuerant, & horum exemplo reliqva incondita turba, puerum inqvirebant. Comperto demum in aulam Reginæ profugiſſe, omneqve ſatellitium ad ſalutem ejus defendendam arma arripuiſſe, interponente ſe Rege qvievit; fama enim ad aures ejus relata eum ad tumultum judicio & authoritate ſua componendum excivit: qvi irrogatâ multâ imminentem ſeditionem ſopivit, Reginâ, qvod præſcriptum erat, ſolvente; qvæ puerum ab illo tempore in aulam ſuam adſcivit, tenerèqve dilexit. Legibus Ruſſicis vetitum erat; inſcio Rege ullum Regia ſtirpe prognatum intra regni limites recipi, itaqve Sigurdus Reginæ genus Olafi perſecutionemqve hoſtilem, qva finibus patriis exulare coactus eſt, ordine expoſuit, ejusqve opem efflagitavit; qvæ deinde Regem, cognita pueri ſorte, eò perpulit, ut in ſuam aulam clientelamqve recepto, Regia conditione dignam educationem provideret: ubi ſplendidè habitus novennium aliud exegit, ingeniiq; interea virium ſcientiarumq; auctu, reiqve militaris ſcientia, corporis agilitate, ſubtiliumqve exercitiorum peritia, manuumqve promtitudine adeo profecit, ut Normannorum omnium præſtantiſſimus haberetur. Hujus adventum mater Regis, fatidica fæmina, tunc ætatis exactæ vetula, qvotannis primo feſti Jolenſis veſpere in ſolium Regium deportari, præviſumqve inſtantis anni ſtatum denunciare ſolita, prædixiſſe fertur, ſimul etiam religionis in Ruſſia mutationem, ſacrorum priſcorum abrogationem, rituumqve meliorum inſtitutionem, ejus operâ etiam per magnam Septentrionis partem inducendam propagandamqve, magnam deinceps in borealibus oris potentiam ampliſſimumqve imperium ei portendi, ejusqve lumen Arctoo orbi affulſurum ceciniſſe. Plures etiam gentiles Ruſſiæ vates idolis ſuis ſacrisqve patriis exitioſum qvandoqve futurum vaticinabantur.

Perhibetur Olafus a puero ab ethnicorum ſacris adeo averſus, ut ſibi temperare neqviret, qvoties comes Regi delubra intraret, qvominus ſuggereret, *mutatum ſibi a conſveto nitore faciem ejus videri, qvoties cultui Deo-*

rum devotius vacaret. Plura ejusmodi, fortè â Monachis ad contemptum ethnicismi amoremqve Christianismi ingenerandum, ipsiusqve Olafi commendationem, adjecta sunt, *codiciqve Flateyensi* inserta, qvæ reliqvorum Chronicorum Scriptores, ut minus fide digna, omiserunt; qvæ nos tamen, utpote qvibus nihil horum, qvæ falsitatis convinci neqveunt, præterire persvasum est, inferius recensebimus.

Duodecennis erat Olafus, *codice Flat:* adjecta authoritate carminis, qvod Rekstefia inscribitur, inq; honorem ejus editum est, teste, cum classi Regiæ exercituiq; summi Imperatoris potestate præfectus, ad provincias, qvæ jam dudum ab imperio defecerant, ad obseqvium reducendas mittitur. Regium titulum militaris favor indiderat, solennem seculi more Ducibus, qvi Regum filii essent, licet territoriis ditionibusqve destitutis. Mira prudentia bellum per triennium gessisse, plurimas urbes & castella expugnâsse, vel ad ditionem compulisse, provincias domuisse, perduellium Principibus vel occisis, vel in exilium actis, constanti semper victoriarum cursu ad Regem ingentibus spoliis onustus qvovis autumno recessisse, prædamqve magna fide ad eum detulisse, hyberna tempora in aula & conspectu Regis transegisse, vernis vero expeditiones qvotannis iterâsse, avulsasq; temporum iniqvitate imperantiumqve desidiâ ab imperio partes feliciſſimè restituisse, perhibetur. Hinc ad pristinam gratiam ingens accessio, tum apud Regem, tum etiam Reginam, tantum decus regni â persecutorum manibus primum liberâsse, deinde etiam exornâsse gavisam. Stipabatur jam Olafus numeroso magnorum Principum more satellitio, militesqve suos famulitiumqve liberalissime aluit, Rege sumptus magnificentissimè erogante. Tandem etiam universæ aulæ præfectus est. Eqvidem magna gestorum Olafi pars vel inscitiâ scriptorum omissa, vel incuria posteritatis neglecta est: nec pöetæ, qvi primo hæc versibus prosecuti sunt, per partes singula digesserunt, sed confusè omnia, ut qvorum scopus esset, laudes tantùm Regum qvovis modo, sed veras tamen, decantare, qvod ex Oda Eigilis Skallagrimii apparet, unde nemo seriem gestorum Blodoxii collegerit. Eodem hoc modo ea, qvæ in Russia gesta sunt, ut et alibi in exteris, omnino latent: qvæ qvidem maxima esse, nominis ejus fama, per totum Septentrionem id temporis celeberrima, arguit. Tantam peregrini in aula potentiam gratiamqve haut minor derepente, ut fieri solet, invidia comitata est, resqve ab eo præclarè gestæ plenum obtrectationis odium comparârunt, proceribus nimium favorem, qvo indigenis omnibus prælatus est, limis oculis intuentibus; materiâ calumniæ prætensâ periculosâ alienigenæ, præsertim Principis, in tantum provecta potestas, *ut nihil ad nocendum deesset, si voluntas accesserit; inde quantum remiserit, beneficium reputandum, quantum verò intenderit, ad ruinam spectare: ea esse Olafum ingenii dexteritate, experientia, generis splendore, militari favore, populari studio, & apud omnes authoritate, ut nemo æqve ad turbandum imperii statum, Regemque ipsum subvertendum, aptior existat; neque quorsum immensa illa Reginæ gratia, quâ præ omnibus sublevetur, vel assiduum colloquium spectet, satis constare.* Adeo studium Reginæ, qvô, sicut aliæ Principum potentiorum uxores, qvibus discretas aulas satellitiaqve & ministros aulicos habere permissum est, qvadam qvasi æmulatione cum Rege, solenni alioqvin consvetudine institutâ, qvam exqvisitissimos ministros famulitiumqve omne comparare certabat, calumnia non vacabat. His præoccupatus Regis animus ab Olafo abalienari appparebat, indiciaqve mutati affectûs haut obscura notabantur. Dubium igitur ut favorem mutatamq; men-

mentem præſentit, Reginæ illud expoſuit, ſimulqve indicavit, *eſſe ſibi in animo ſeptentrionales terras iterum repetere; eſſe ſibi avitum regnum, patriamque ditionem; præſagire animum, ſortem ibi meliorem cum tempore expectandam.* Illa feliciſſima qvæqve apprecata, ubicunqve terrarum verſaretur, in maximo honore pretioqve futurum prædixit, maximisqve benevolentiæ prolixiqve affectûs indiciis dimiſit. Atqve ita Olafus Ruſſiam, alteram & ad id usqve tempus faventiorem patriam, ſum̃is prope honoribus ornatus, artibus omnibus Principe dignis excultus, meritisq; glorioſus, poſt novennium, qvod geminum id temporis implevit, criminationibus circumventus reliqvit; claſſe, militibus, nautisqve inſtructus. In mare Balticum delatus Borgundarholmum navigavit, factaqve ibidem in vicinum litus exſcenſione, cum indigenis agmine ad propulſandam irruptionem confluentibus conflixit, victoriamqve aſſecutus eſt. Verum orta ſubitò procellâ, cum ſtatio tuta nulla eſſet, ſolutis anchoris, ad Vandaliam curſum dirigit, portuqve ad votum occupato tranqvillitati & paci ſe dedit. *Oddus Monachus* reditum in Ruſſiam deſtinantem Olafum adverſa tempeſtate oris Vandaliæ adactum, omiſſo Borgundarholmo, tradit.

CAP. XXII.

DE NUPTIIS OLAFI CUM GEIRA REGIS BURISLEIFI FILIA, ET EJUS GESTIS IN VANDALIA.

EA tempeſtate Burisleifus Vandaliæ Rex fuit, qvi tribus numero & eximia ſpecie filiabus, Geira nempe, Gunnhilde, & Aſtride, auctus erat: qvarum Geira marito orbata, ditioni, ad qvam appulit Olafus, Reginæ titulo præfuit, viro conſpicuæ probitatis prudentiæqve a conſiliis uſa, cui nomen Dixin, cujus etiam ſuggeſtione potiſſimum omnia gerebantur. Cognito autem, appuliſſe eò virum habitu principali, nulla injuria aut latrociniis provinciam vexantem, Dixin ad eum profectus, verbis Reginæ ad hibernum diverſorium invitavit cum univerſo comitatu, qvòd autumnus in exitu eſſet, tempeſtatesqve ingruerent. Dixin etiam formam viri eximiam ſtaturamqve, potentiam item a navium numero collectam, com̃endabat. Nec Olafus oblatam benevolentiam abnuit. Subductis itaqve navibus eò cum univerſis copiis conceſſit, magnificoqve apparatu exceptus eſt. Mutua ibi conſvetudo morum, decus formæqve utrinqve venuſtas, utrumqve in amorem etiam mutuum protraxit; conjugium inde, conſentiente parente, contractum, hyemsqve oppidis, qvæ defecerant, expugnandis, im̃origerisqve civibus in ordinem redigendis inſumpta eſt, nec ſine magno præſentiqve vitæ periculo: dum enim deditionem qvidam oppidani ſimulabant, apertis portis Olafum cum paucis intromiſſum, demiſſa clauſaqve iterum januâ, impetu facto adorti oppreſſiſſent, ni in muros, ſuis ſeqvi juſſis, inſiliens, tam diu clypeo tela excepiſſet, donec recepta ſuorum maxima parte evaſiſſet. Mox effractis portis mæniorumqve parte ſubruta, graves perfidiæ pænas promiſcua cæde urbisqve incendio & omnium internecione cives dederunt. Aliud item oppidum aperta vi expugnatum memoratur, adducto in teſtimonium verſu ê carmine prius citato Rekstefia, nominibus tamen oppidorum ſup-

ſuppreſſis. Adeo jejuna omnis, qvæ externas nationes attinet, traditio apparet. Qvo tamen dubitatio omnis de geſtis his ſum̃atim perſtrictis tolleretur, Hallfredus Vandrædaſkald celeber ille pöeta etiam producitur, qvi rythmo illud incluſit.

CAP. XXIII.
DE GESTIS OLAFI AD PROPUGNACULUM DANAVIRKIUM.

DUm hæc in Vandalia geruntur, Imperator Otto præterita æſtate a Rege Daniæ Haraldo Cærulidente, cui bellum intulerat (de qvo libri præcedentis Cap: IX. actum eſt) pulſus, novis copiis, exercituqve maximo collecto bellum inſtauravit, proximaqve æſtate Danavirkium denuò aggreſſus, ad illud expugnandum omnes vires intendit. Eodem vere Olafus, Scaniâ excurſionibus prædisq; vexatâ, ad Gothiam duobus Jamtorum navigiis fortiter reſiſtentibus expugnatis & direptis, ipſaqve Gothiâ exſpoliatâ, Slesvikam, cognitâ Imperatoris expeditione, ſoceriqve ſui in partibus Cæſareis præſentiâ, ſe convertiſſe, Imperatoriqve meruiſſe perhibetur; hîc ſententiam noviſſime rogatus, rationem ſe Danavirkii occupandi & expugnandi monſtraturum promiſit, modò ductum ſuum ſeqverentur: cumqve, qvæ comperta afferret, dicere juſſus eſſet, de facibus, arido propugnaculi ligno inferendis, conſilium, qvod profuit, in medium proponit: namqve ex virgultis, doliis ac vaſis pice oblitis, torridaqve ſtipularum materia repletis, incendio facto, munimentisqve ligneis admoto, ut proximis propugnaculis injectus ignis adhæſit, extemplò proxima qvæqve & continua amplexus, totis ſe paſſim diſſipavit fortalitiis ac turribus, effuſaqve doliis flam̃a, primo veluti ſparſa, plurimis locis reluxit; deinde per contigua ligna & tigna ſerpens, una repente ruina omnia Danavirkii propugnacula hauſit. Tranqvillum toto die cælum, exortus repentè ſub veſperam ventus turbavit, procedenteqve ad noctem tempore per incrementa ſpirans ignem late diſſipavit, nec prius ceſſavit, qvàm opus univerſum toto ſeptentrione celeberrimum in favillas redactũ eſſet, mox ſubſecuta vis imbris ingens, tanto impetu delapſa, ut homines omnes in caſtra domosqve & tentoria compelleret, ſubitò ignem omnem ſcintillasqve cineribus miſtas ita ſopivit, ut tranſitus mane ſeqventis diei tutus omnibus pateret, neqve ulla tanti munimenti veſtigia præter ſola ſaxa extarent. Id qvod propitii Numinis ſingulari curæ & miraculoſæ providentiæ adſcriptum conſtat.

Hic jàm ſcriptores, familiari conſvetudine, hæc cum geſtis Ottonis Magni confundentes, Haraldum Regem ad Chriſtianam fidem operâ Popponis converſum tradunt, Haconemqve Comitem ad idem adactum, qvod qvàm ſibi non conſiſtat, *in Serie Regum Daniæ* monſtratum eſt. Dicitur qvidem Imperator Olafo Tryggvino ob latum auxilium conſiliumqve magnas egiſſe gratias, eumqve ſecum in Saxoniam invitâſſe, magnis oneratum promiſſis; hic autem provinciarum in Vandalia poſſeſſarum obtentu ſe excuſâſſe, domumqve cum ſocero Burisleifo rediiſſe. Extat & diſtichon de Oda Hallfredi Vandrædaskaldi, qvod perhibet Olafum ad Heidabæ auſtrum verſus pugnâſſe. verum *Chronica MSS.* hoc omittunt.

CAP.

CAP. XXIV.
DE PRESBYTERO THANGBRANDO.

OLafus Tryggvinus hyemem inde proximam in Vandalia dotali ditione permanſit. Vere autem ſubſeqvente, novam expeditionem ſuſcepturus, in Friſiam, Flandriam, & Saxoniam claſſe prædabundus, Hallfredo id carmine teſtante, excurrit: ibi in presbyterum qvendam, nomine Thangbrandum (Theobrandum Flandrenſem *Theodoricus Monachus* appellat) incidit. Hic Villebaldi Comitis Bremenſis filius fuiſſe perhibetur, diſcipulus autem Archiepiſcopi Alberti Bremenſis (cujus loco Adaldagum ſubſtituendum temporum ratio monet) Pari errore idem Albertus ab Huberto Cantuariæ Archiepiſcopo fratre ſuo invitatus, diſcedensqve cum univerſo comitatu ingentibus muneribus, qvos inter Thangbrandus, inſigni clypeô, aureâ cruce cum imagine Domini elegenter notato, donatus memoratur. Mihi locus ſuſpectus eſt: malim ab Alberto Magdeburgi Archiepiſcopo, utpote horum temporum æqvali, ordinato anno CMLXVII, denato CMLXXIX, teſte Adamo Bremenſi ad calculum reducto. Hic Thangbrandus Olafum in Saxoniæ qvodam portu cum prædatoria claſſe conſiſtentem offendit, â qvo forte rogatus, qvid ſibi ſignum crucis, qvid crucifixi imago velit? facta loqvendi copia; verbis eum ſuis valde intentum, in primis fidei fundamentis, de ſalutifera Jeſu Chriſti paſſione ac morte informare ac erudire cæpit, videnſqve parmam militiæ aptam Olafo minime diſplicere, ei eandem haut tergiverſanti dono obtulit; qvi gratiis ilico actis, munus aliô auri argentiqve munere repenſum læto accepit vultu, initaqve cum Thangbrando amica familiaritatis conſvetudine, ſi forte ſua qvandoqve opera indigere contingeret, ad ſe ut proficiſceretur hortatus eſt. Ipſe relicta Saxonia in Vandaliam domumqve rediit. Hoc loco lectorem monitum volo, in *Hiſtoriæ de religionis Chriſtianæ origine per Iſlandiam inſtitutæ, Schalholti impreſſæ anno MDCLXXXVIII. caput V.* magnum errorem irrepſiſſe, ubi hæc ex Iſlandico ad verbum translata extant. In diebus Haraldi Regis Gormi filii venit Albertus Epiſcopus Bremîs in Jutiam, Aroſiam usqve, & ibi cathedras inſedit: Thangbrandus nuncupabatur clericus ejus, filius Vilbaldi Comitis Bremarum. Nam præterqvam qvod ſynchroniſmus Alberti cum Thangbrando aut Haraldo Cærulidente manifeſtè falſus eſt, nullo modo conſiſtit, ullum Archiepiſcopum Bremenſem ſedem inde Aroſiam tranſtuliſſe, ſed nec inter primos Aroſiæ Epiſcopos ullus Albertus occurrit. Ne itaqve his Iſlandi ulterius errent, hæc in eorum præſertim uſum notavi.

CAP. XXV.
DE DIVINA EAQVE MIRACULOSA OLAFI TUTELA, OBLATA VISIONE, PROFECTIONE IN GRÆCIAM, PRIMIS CHRISTIANÆ PROFESSIONIS RUDIMENTIS, RUSSIAQ; AD CHRISTIANISMUM CONVERSA.

PRoximâ poſt reditum Olafi hyeme, uxor ejus Geira fato abſumpta, non ſine ſum̃a omnium mæſtitia, Regiis exeqviis honorificè tumulatur. Is itaqve nimio dolore penè contabeſcens, hanc animo moleſtiam exſputurus, vidui thori tædium nova ſubinde peregrinatione decoqvere certus, præparatâ claſſe in Ruſſiam navigavit. Tradit *Codex Flat*: (Monachis forte, qvos miracula delectant, authoribus) dum in itinere comeatum in Dania piratico more diriperet, exortos ſubitò inſidiantium manipulos, qvi ipſum perſecuti in tantas anguſtias redegerint, ne elabendi, nec multitudini nimiæ reſiſtendi, copia ulla ſupereſſet, itaqve humi projectum cum ſociis, clypeo, ſignô crucis notatô ſe texiſſe, miraculoſeqve hoſtium inſidias, qvaſi perſtrictis eorum oculis, evaſiſſe. Addit *Theodoricus Monachus Cap: VII.* hac neceſſitate compulſum voviſſe ſe Chriſtianum fore. In Ruſſiam delatus, ſum̃a omnium lætitia in aulam receptus, hyemem ibi transegiſſe codici Flat: & Oddo Monacho perhibetur. Qvô tempore mira ſomnii ſpecies per qvietem obſervatur, viſo ſibi videre lætam æterni Chriſtianorum gaudii, & horribilem nunqvam finiendi damnatorum gentiliũ ſupplicii imaginem: viſionem vox ſecuta, felicem futurum prædicens, cultum idolorum ſemper averſatum, mandaſſe fertur ut in Græciam puriori doctrinæ imbuendum ſe conferret, cujus ille cum tempore acerrimus præco futurus eſſet. Qvo prodigio prope conſternatus, absqve mora in Græciam, inde prima religionis Chriſtianæ rudimenta addiſcendi ergo, conceſſit, ubi cum catechumenorum collegio ſe addixiſſet, in Ruſſiam rediit, reduxitqve eò unum ſibi addictum Epiſcopum, nomine Paulum, qvi primus ibi fidei Chriſti ſpargendæ author factus, ope & hortatu Reginæ Arlogiæ Regem Valdemarum ad Chriſtianam religionem ſuſcipiendam animans, indictis univerſalibus comitiis, omnes univerſi Regni Ruthenos in primis fidei fundamentis probè eruditos ſacra baptismatis undâ abluit, teſte antiqvo Chronico, qvod Epitome Mundi inſcribitur, refertq; Ruthicolanos & Ungaros Ottonis ſeculô & ætate ad fidem Chriſtianam converſos fuiſſe. *Codex Flat*: non hunc librum â Chronico typis impreſſo citatum in teſtimonium vocat, ſed indefinitè antiqvas hiſtorias, qvæ perhibeant has gentes, Ruſſos, Polonos, & Ungaros ad religionem Chriſtianam tempore Ottonis Imperatoris, ejus nominis Tertii, perductos: alias etiam perhibet, tradentes Olafum Tryggvinum, Cæſarem, iis gentibus bella inferentem, comitatum, dum ad fidem Chriſtianam profitendam eos adigeret. Exemplis etiam Divi Baſilii, anteqvam baptizatus eſſet, Chriſtianam religionem publicè profeſſi, ut et Ambroſii, tum catechumeni, cum Epiſcopus creatus eſſet; Placidi qvoqve cujusdam Eqvitum præfecti, cui etiam ethnico Chriſtus ſe ſæpius manifeſtaverit, traditionem hanc fulcire conatur. *Chronica MSS.* reditum in Ruſſiam iterqve in Græciam ſuſceptum omnino omittunt: tantùm ex Saxonia & Flandria Angliam petiiſſe referunt, qvò *Codex Flat*: eum per Daniam ê Ruſſia avehit. Marci Supremi Islandiæ judicis (qvi carmine geſta Olafi artificiosè complexus eſt) verſu in teſtimonium allato. Factus eſt is judex ſupremus Islandiæ anno MLXXXIV. Qvo tempore Ruſſi religionem Græcorum ſuſceperint, inter ſcriptores minus convenit. Ipſi in ſuis Annalibus gloriantur Rusſiam ab ipſo Andrea Apoſtolo ad fidem converſam & baptizatam eſſe. Alexander Gvaninus ſub Olka & Vuolidemero Græcorum ritu anno CMXLII.

Johannes

Johannes Micrælius Olgam uxorem Igoris anno CMLIV in baptiſmo Helenam dictam refert. *Cedrenus* Ruſſorum claſſem anno DCCCLX multos transfugas & captivos ſecum Conſtantinopoli abduxiſſe, atqve ab ipſis poſtea religionem Chriſtianam ipſos edoctos, & paucis poſt annis univerſam Ruſſorum gentem baptizatam eſſe. *Sigismundus Liber Baro in Herberſtein* narrat Otham, qvam Igor Dux Ruſſorum viduam reliqverat, poſt res præclarè geſtas in Græciam profectam, & ſub Rege Johanne Conſtantinopolitano baptiſmum ſuſcepiſſe: poſtea ſcribit Vuolidemerum Ruſſiæ Monarcham, miſſis Conſtantinopolim oratoribus ad Baſilium & Conſtantinum Reges, ſi Annam ſororem uxorem ſibi darent, ſe fidem Chriſti cum omnibus Ruſſis ſuis ſuſcepturum promiſiſſe. Secundum hanc narrationem Ruſſos circa annum Chriſti CMLXX Græcorum religionem ſuſcepiſſe oportet. *Epitome genealogiæ Moſcoviæ Ducis* refert ad annum CMLXXXVIII, cui etiam *Kippingius in recenſu hiſtoriæ univerſalis* ſuffragatur. Qvicqvid ſit, cum Olafi Tryggvini tempore cohæret, & anno ſecundum Arii calculationem CMX, noſtram circiter CMLXXXVII, adeo ut hæc nullam abſurditatem habeant. Ex Ruſſia in occiduum oceanum deinde delatus Olafus maritimis direptionibus Angliam, Scotiam, Sudureyas, vel Hæbudas inſulas, Hiberniam, Monam, Bretlandiam ac Galliam infeſtabat. Harum expeditionum piraticarum teſtimonia *codex Flat*: præter Hallfredi, etiam Marci carmina, Chronica tantùm Hallfredi Vandrædaskaldi adducunt.

CAP. XXVI.

OLAFUS IN INSULIS SILLINIS BAPTIZATUR.

Cum ad litora Gallica aliqvandiu piraticam exercuiſſet, inde ad depopulandos Angliæ (*Flateyenſi* Hiberniæ) oras claſſe ſua converſum æſtus maris ſævaqve tempeſtas curſum ad inſulas Syllingas (Sillinas, nautis *Sorlings*) Cornvalliam ab occaſu ſpectantes, flectere coegit. Ubi cum aliqvantiſper ſubſtitiſſet, cognovit in eadem inſula eremitam qvendam futurorum præſcium degere; cujus peritiam exploraturus, miſit ê comitatu ſuo virum inter omnes forma ſtaturaqve excellentiſſimum, veſte pretioſa ornatum, mandans ut ſe Regem profiteretur. Celeberrima namqve id temporis ubiqve gentium fuit nominis Olafi fama, â ſpecie & ſtatura, qvibus omnes homines præſtabat. Is autem nomen Olafi proprium levi flectione in Olii, ab eo tempore, qvo ê Ruſſia primum profectus eſt, mutavit, Olium Ruthenum (Græcum verterunt, neſcio, an decepti ſimilitudine nominum Girskii & Griskii, qvorum illud â Gardis, qvo nomine Ruſſia uſurpatur, hoc â Græcia deſcendit, vel forte qvòd mediæ ætatis ſcriptores Ruſſos Græcos vocarunt) ſe nuncupans. Nuncius anachoretæ Regem profeſſus, reſponſum retulit, *haut equidem eum Regem, Regi tamen fidelem eſſe.* Hoc ille cum Regi renunciâſſet, haut ultra de ingenii ejus ſagacitate dubitans, ad eum profectus, futuræ ſortis myſteria exploravit; *Regnine an aliarum rerum ſe compotem futurum prævideret*? ſciſcitatus. Is *Regem glorioſiſſimum, Chriſtianiqve dogmatis præconem feliciſſimum, qui & undis ſalutaribus ſe primo abluendum præbiturus, mox ſuo exemplo ingentem hominum numerum Chriſto lucraturus eſſet.* Adjectum vaticinio aliud, exitu propero ſupe-

ſuperiori ad fidem conciliandam idoneum; diſcedentem namqve a ſe, dũ ad naves pergeret, in latronum turbam evidensqve ſalutis periculum venturum, vulneribus prope lethalibus affligendum, intra tamen ſeptiduum ſanitati reſtituendum, mox etiam ſacro baptiſmi lavacro tingendum. Egreſſus inde incidit in piratas, omniaqve divini iſtius ad ungvem reſpondebant. Finito ſeptiduo cum convaluiſſet, ad eundem vatem rediit ſollicitéqve qvæſivit, unde ei tanta ſapientia. Qvô revelationes divinas Chriſti indulgentiâ ſibi factas memorante, Sacro-Sancti nominis ejus & potentiæ admiratione afficiebatur, edoctusqve avitum Norvegiæ regnum ſibi portendi, cum aliis ejusmodi fatis, qvæ ſe poſtmodum manſura eſſent, ad Chriſtianæ religionis profeſſionem facilè perſvaſus eſt, regreſſusqve ad naves, univerſam claſſem cum copiis omnibus ad monaſterium, illis in inſulis ſitum, direxit. Cui Abbas (*Theodorico Monacho* nomine Bernhardus) cum omnibus Monachis ordineqve Eccleſiaſticô, magnô apparatu, ſolenniqve ritu venerabundus obviam proceſſit, ipſumqve cum univerſo comitatu copiisqve militaribus, editâ palam Chriſtianæ religionis profesſione, ſacro regenerationis fonte abluit. Ibi diutulè com̃oratus articulis novæ religionis addiſcendis operam dabat. Sub autumnum, aſſumptis ſecũ pluribus verbi divini miniſtris doctisqve hominibus, Angliam petivit, ſed ſociæ religionis reſpectu pacatè ubiqve pertranſiens, militem ab omni direptione cohibuit.

CAP. XXVII.

DE NUPTIIS OLAFI CUM VIDUA COMITIS GYDA.

MAritimis Angliæ oris, ubi Olafus cum claſſe hyemabat, præfuit fæmina princeps, Comite marito nuperrimè viduatâ, Gyda nomine, Olafi Qvaranis, Hiberniæ ejus partis, qvæ Dublino ſubjacet, Regis ſoror. Hæc Comitatum poſt mariti mortem, amplum ſane diſtrictum, regebat. Ambiebat nuptias ejus athleta milesqve ſtrenuus, nomine Alfvinius (*Oddo Monacho* Alpin) ipſa vero mariti ê civibus imperio & jurisdictioni ſuæ ſubjectis eligendi arbitrium in ſua poteſtate præfata, cives ad conventum tota ditione excivit; qvò flos juvenum certatim confluxit. Unica illis qvi tantas ſpes concipere poterant, cura in ornandis corporibus conſiſtebat, inter qvos Alfvinius eminebat. Olafus navibus egreſſus, cum ſuis ſeorſim ſtabat, amictus veſte nautica, bardocucullo tectâ. Singulos Gyda, qvi tantæ ſpei capaces videbantur, acceſſit & inſpexit; ut vero in Olafum incidit, attentius intuita parte veſtis, qvæ caput texit, levatâ, facieq; conſpectâ, qvinam eſſet, interrogat. Is ſe Olium nominari, peregrinum vero eſſe reſpondit. *Si tibi* (ait illa) *placet me ducere, eligo te mihi maritum.* Ille *nolle ſe oblatam conditionem detrectare; quæ tamen eſſet?* interrogat, *Regis filiam Comiti diſtrictus ejus elocatam, â morte ejus multis petitam procis, Comitatui præfuciſſe, nec in ullius conjugium cónſenſiſſe* profeſſa eſt. Erat juvencula formæ decore valde conſpicua; itaqve facilè Olafum in amorem ſui conjugalemqve conſenſum traxit. Id vero Afvinium tanta ſpe dejectum male habuit. Mos erat in Anglia, ut ſi duo rem eandem licitarentur, controverſiam duello dirimerent. Itaqve Olafum ad ſingulare certamen, duodenorum

denorum virorum pari utriusqve partis manu gerendum, provocat. Securibus Olafus cum ſuis, gladiis Alfvinius dimicabat. Verum primo ictu (ſimul namqve ſe univerſi ſingulatim congreſſi impetebant) excuſſis gladiis Alfviniani inermes humiqve ſtrati in vincula conjecti, verberibusq; male multati, in hoſpitium Olafi deducti ſunt. Alfvinius proſcriptus opes omnes ſuas & poſſeſſiones Olafo victoriæ præmium, abſciſsâ reditus ſpe, reliqvit. Inde nuptiæ cum Gyda celebratæ, ſuſceptusqve ex ea filius Tryggvius, avi nomine nuncupatus.

Interea Olafus per vices in Anglia vel Hibernia morabatur. Contigit autem, ut in expeditione qvadam occupati alimenta deficerent: ad ea igitur militari more comparanda, miſſi qvi prædarentur. Boum vis ingens ad litora cum abigeretur, ruſticorum qvidam permitti ſibi petebat vaccas, qvæ ſuæ eſſent. Olafus, ſi internoſcere poſſet, repetere juſſit; ita tamen, ne ſe copiasve moraretur. Ingens ruſticum moloſſus ſeqvebatur, qvi ex armentorum aliqvot centuriis juſſu domini ſingula ejus ilico eduxit. Una eademqve nota a cæteris diſtincta poſſeſſorem indicabat. Miratus ſagacitatem Rex, muneri ſibi dari canem petivit; qvô absqve mora impetrato, armilla aurea rependit, favore inſuper ſuo ruſticum ſe dignaturum pollicitus. Vigius canis vocabatur, omnium ſui generis excellentiſſimus deinceps habitus, qvem deliciarum loco Olafus ſibi, qvoad vixit, reſervabat.

CAP. XXVIII.
DE PRESBYTERO THANGBRANDO.

CUM Thangbrandus presbyter â familiari Olafi conſvetudine, uti antea dictum eſt, benigniſſimè dimiſſus Bremam repeteret, medio itinere obvios habuit piratas, elegantis formæ virginem apud exteros raptam ſecum abducentes; qvam extemplò venalem eâ pecunia redemptam, qva clypeum ſibi muneri datum Olafus rependit, domum deduxit. Erat ibi eodem tempore obſes qvidam Cæſaris, magni nominis vir, robore inſignis, pugilqve periti ſſimis. Is virgine eum ſpoliaturus ad ſingulare certamen eum provocavit. Thangbrandus injuriæ impatiens virginem parentibus redditurus ei cedere noluit. Congreſſus igitur cum pugile, cum ſtrenuè eum repellendo fortiter ſtraviſſet, ultimi ſupplicii metu patriâ profugus Angliam acceſſit; ubi veterem amicum Olafum Tryggvinum offendens, expoſitâ periculi ac exilii causâ, in priſtinam receptus ſocietatem ipſi deinceps a ſacris fuit concionibus.

CAP. XXIX.
DE VARIANTIBUS RELATIONIBUS.

HUcusqve vulgares hiſtoriarum noſtrarum traditiones ſecutus maximam vitæ Olafi partem deſcripſi, ad annum ſeculi ejus XCV, qvam in certos annos omnes propemodum digeſſerunt, præter *Oddum Monachum*, qvi hoc labore omiſſo, geſtorum ordinem non modò expoſuit, ſed etiam in panegyris formam redegit; nec ſine cauſa chronologiam omiſit, qvippe de

pe de annis vitæ ejus incertus: qvæ tamen recensuit, cum rationibus, qvas secutus erat, non usqveqvaqve cohærent. Tradit enim Olafum Imperatori Ottoni Rufo in Dania cum Rege Haraldo & Comite Hacone manus conferenti sex navium classe & trecentis militibus auxilio venisse, consilioqve in incendium munimenti fortem & ingeniosum magnum ad victoriam momentum attulisse, prius in insulis Sillinis Christiano ritu baptizatum, cum jam dudum in Russia, annos natus duodecim, militiæ Regis præfectus magnas deinde res gesserit, temporibus æstivis ad bellicas expeditiones; hibernis ad aulæ curam insumptis, cujus qvoqve directio ipsi fuerit commissa. Gliscente deinde Procerum invidiâ, ad vim ejus declinandam, aulâ relictâ, ad militares excursus conversum, adultô autumnô, cum in reditu esset, obortis sævis tempestatibus, Vandalico litori appulisse, ibiqve cum Geira Regis Burisleifi filia, territorii istius Principe, proximo Jolensi festo convivium nuptiale celebrâsse, ibiqve triennium permansisse. Hac deinde orbatum Russiam repetivisse, ibiqve exacta hieme Græciam adiisse, indeqve catechumenum recessisse, assumpto secum Episcopo, qvi illum his sacris initiaverit. Svadâ deinde sua & sacris rationum ponderibus, cooperante Divinâ gratiâ, Regem Valdemarum, Reginam Arlogiam, aulicaqve ministeria, ad Christiani dogmatis approbationem persvasos, per eundem Episcopum sacro regenerationis lavacro abluendos curâsse; totum deinde populum eorum exemplum secutum idololatriam purioribus sacris permutâsse. Omnes deinde sacrâ limphâ perfusos, præter solum Olafum, qvi omnibus tantæ conversionis author fuerat. Inde ad insulas Sillinas navigantem, ab Abbate qvodam admodum religioso futurorumqve præscio baptizatum. Inde conversâ ad Angliæ litora classe cum Sigurdo qvodam Northumbriæ Comite societatem junxisse. Christianis deinde nationibus pacatum, paganis latrociniis infestum, Ottoni Imperatori ad Danavirkium bellum gerenti, cum ea manu, qvam retuli, occurisse. Id vero anno CMLXXVI. factum *in Serie Regum Daniæ* operosè monstratum est. Qvod si admittamus, Olafum, qvæ ei tribuuntur, in Dania gessisse, certe hæc, qvæ præcesserunt, haut angustis temporum cancellis se includi patiuntur. Octodecim annorum ad minimum fuisse oportet, cum in Vandalia nuptias celebravit, inqve id omnes propemodum consentiunt; triennium ibi tritum; mansio in Russia & Græcia ad minimum biennium exigit, & qvæ post baptismum gesta sunt, certissimè annum. Sexennium hinc conficitur, qvod annis octodecim adjectum ætatem ejus ad qvatuor supra vigintiannos extendit, cum LXXVI. Ottoni militaret: itaqve anno CMLII. natus erit; qvod cum non conveniat cum anno, qvi vitam Grafeldi finivit, LXII, planum est etiam hæc ab Oddo confuse tradita esse.

Alio loco idem Oddus hæc ita computat. Annum natum in Sveciam devectum; biennium ibi transegisse; trimulum in Esthoniam, transacto sexennio in Russiam pervenisse, postqve exactos undecim annos in Vandaliam, inde transcurso triennio Hiberniam petivisse. Novem deinde annos in occidente, & unum in Russia transegisse, ad annum usqve CMXCV cum regnum Norvegiæ adeptus est, ætatis anno XXXIII. qvi inde subducti natalem ejus annum in CMLXII conjiciunt. Verum cum Haraldus Grafeldus eodem cruenta morte ê vivis excesserit, Olafusqve sexennio, aliis septennio, prius natus sit, planum est, hæc non consistere; qvæ enim de LXXV. vel seqvente proximo ei fatali, recepta sunt, ex viginti sex annorum spatio, qvod Haconis Adalsteini alumni regno, qvindecim-

qve Grafeldo tribuunt, profluxerunt. Qvo poſito, facilè ſeqvebatur, Olafum bello ad Danavirkium ante annum CMLXXXVIII. non potuiſſe intereſſe, ideoqve qvicqvid Ottones pater filiusqve in Dania geſſerunt, in nepotem cognominem Tertium congeſtum eſt; cum ſatis conſtaret, Olafum tunc præſentem fuiſſe, qvod & *Chronicon Ms* qvod Snorrio tribuitur, licet de ejus geſtis ad incendium promovendum ſileat, neqvaqvam tamen, utpote lippis & tonſoribus (ut dici ſolet) notum, præterit. *Chronica MSS.* de reditu ê Vandalia in Ruſſiam omnino ſilent, ſed poſt mortem Geiræ piraticis latrociniis Friſiam, Saxoniam, & Flandriam infeſtâſſe tradunt. Inde Angliam paſſim, partemqve ejus Northumbriam, Scotiam deindè late, Hæbudas qvoq; & Manniam, variisqve locis Hiberniam, Bretlandiam inde & Kumbriam ſpoliaſſe. Exinde Galliæ litoribus infeſtum, dum Angliam repeteret, in inſulas Sillinas delatum, purioribus ſacris initiatum; & hæc ſine ulla annorum diſtinctione referunt. Si conjecturæ locus eſſet, recte ego Scriptores in eo conſentire exiſtimem, qvod Tryggvius Olafi pater ſexennio, vel etiam ſeptennio, ante ultimum Grafeldi diem occiſus fuerit, Olafusqve paulo poſt natus. Deinde non ſine cauſa traditum eſſe, Olafum Tryggvinum bello ad Danavirkium interfuiſſe. Id autem nullum aliud agnoſco, qvam cujus *Ditmarus Merſeburgenſis ad annum CMLXXVI.* meminit. Deniqve annos ætatis Olafi ad id usqve tempus recte obſervatos, ita ut tunc vigenarius fuerit, vel anno tantum provectior; cætera omnia confuſa. Chriſto qvoqve nomen dediſſe videtur priusqvam uxorem Geiram Burisleifi, ſeu Bolizlai, filiam, vel potius ſororem (ſi verum eſt qvod idem Ditmarus ſcribit, Svenum ſcilicet Daniæ Regem ejus ſororem Meſeconis filiam uxorem duxiſſe, cujus ſoror fuit Geira, prior Olafi uxor) in conjugem adſcivit, ſiqvidem illa, ut & Bolislaus, ſive pater, ſive frater, Chriſtiani erant, haut facile peregrinum paganumq; admiſſuri; nam Ottonum tempore Vandalia Chriſtianiſmum recepit, licet eum poſtea repudiaverit, & crudeliter perſecuta ſit. In inſulis autem Sillinis cum baptizatum omnes tradant, id forte prius factum eſt. Nec alium ab hoc diverſum agnoſco Anlafum illum, qvi anno CMXCIV. cum Sveno Londinum oppugnabat, de qvo *Simon Dunelmenſis ad eundem annum* poterit inſpici. Sveno certe arctiori affinitatis nexu junctus, cujus uxoris ſororem duxerat, facilè ejus partes ſeqvi poterat. Conciliatus deinde Regi Ethelredo, ab Epiſcopo Vintonienſi Elfego confirmatus, inqve filium Regis adoptatus eſt; qvod apprime cum noſtris ſcriptoribus convenit, qvi arctiſſimo amicitiæ nexu Ethelredo junctum fuiſſe affirmant. Nec ſcio qvid impediat, qvo minus inter confirmationem & baptiſmum plures anni interceſſerint. Nec moror Bromtonem aut Knygtonem, qvi tradunt qvod Rex Ethelredus eum â ſacro fonte de manibus Epiſcopi levaverit; nam & utrumqve, tam eum, qvàm Svenum, paganos fuiſſe autumabant. Qvod autem Dunelmenſis eum ad naves rediiſſe, æſtateqve imminente ad patriam devectum perhibet, id omnes noſtri ſcriptores confirmant, nam tunc Hiberniam adiviſſe videtur, autumno Norvegiam devectum inter omnes conſtat. Norvegiæ autem Regem per anticipationem appellavit, nec injuriâ, ſeculi more, cum Regibus nati, qvando claſſes ducebant, Reges dicerentur.

CAP.

CAP. XXX.

DE INSIDIIS THORERIS KLACKÆ, ET NAVIGATIONE OLAFI AD ORCADES.

Subivit jam Olafum desiderium patriæ & propinqvorum, hæreditatisqve paternæ, tot jam annis ab hostibus interceptæ, recuperandæ; spem tamen ejus nullam omninò habuit, & si qvam fortè habuit, minuit illam planeqve dejecit Biornus ille Bretskius, qvi redux ê prælio Jomico, studium universi populi Norvegici, ob partam de Jomicis victoriam, liberatamqve ab externo jugo universam gentem, in utrumqve Comitem pluribus prædicabat. Hic etiam horrendum sacrificium imolato filio Haconi perpetratum retulisse perhibetur. Indoluit Olafus, misertusqve obsessæ patriæ fædâ idololatriâ, ministerio Haconis, jam apostatæ, maximè seductæ, qvantumqve de spe ad imperium in gentem votis jam dudum concepta, & vaticiniis sustentata, obtinendum decesserat, tanto magis ad lucrandam eam Christo, purioribusqve sacris imbuendam, desiderium ejus exarsit, vovitqve, modò imperiô in illam se Deus ornare dignaretur, illud ad usum animis salubrem Salvatoris gloriæ se consecraturum, nec ultra sollicitus, Deo arbitrium sui universum commisit, qvamcunqve demum sortem largiretur subire piratus. Nec hic magis qvam unqvam alias tritum illud decollabat.

Spes confisa Deo nunqvam confusa recedit.

Nam tam piis cogitationibus propositoq; ipse Deus viam aperuit, more suo astutiam humanam confundendo, consiliaqve impia dolosqve in ipsos architectos retorqvendo. Ut primùm enim Olium Dublini præsentem esse Klacka cognovit, occasionem colloqvii cum illo conserendi captavit, facilèqve invenit, inde morum comitate, eloqviiqve dexteritate (utroqve enim pollebat) in familiaritatem ejus gradatim se insinuando, qvæstiones animi indices elicuit. Primâ statum Regulorum Uplandarum; secunda Haraldi Grænskii; tertiâ Haconis Eiriciqve Comitum conditionem gratiamqve apud cives exploravit. Ad duas priores prout res erat responsum, nuperumqve Haraldi Grænskii fatum publicatum; tertia callide diluta, nam Haconem qvidem adeo potentem prædicabat, ut nemo contra hiscere auderet: causam autem attulit, *nudatam præsidio patriam, sobole Regiâ vel extinctâ, vel potentiâ omni destitutâ: notam sibi Procerum mentem, propensam in Pulchricomi progeniem, ex virili sexu, secundum fundamentales regni leges, oriundam; quod si quis potens satis subditis defendendis inde exsurgeret protinus omnes ad eum, tam Proceres, quàm plebem promiscue transituros; qui vero ex illo stemmate in patria remanerent, debiles nimis adversus Haconis potentiam, jam novissimo prælio, potentissimis hostibus debellatis, invictam.* Hæc cum sæpius inter se locuti essent, nomen genusqve suum Rex ei aperuit, qvæsivitqve, *an ei videretur populus Norvegicus ad se transiturus, si eo se conferret?* Thorer omnino transiturum respondit, vehementerqve hortatus est, ut profectionem qvàm citissimè maturaret; laudatisqve, ut par erat, singularibus ejus, omniqve seculo raris, animi corporisqve dotibus, *bene eum fecisse* affirmabat, *quòd sibi veritatem confessus fuerit; qvod ut melius intelligat, se ei similiter enodaturum, cujus rei causa* potis-

potissimum Dublinum profectus esset, famam nempe nominis Olii Girskii, totâ Norvegia celebrem, suspicionem propinquis ejus, deinde etiam vulgo, injecisse, sub hoc nomine Olafum Tryggvinum latitare. Ad illud ergo explorandum missum se a propinquis, mox etiam, si opinionem eorum res ipsa confirmaverit, cum precibus, plebis etiam votis, ut ad eos accedere imperiumque capessere haut ultra gravaretur; neque enim Haconem invito & reluctanti populo restitudum: neque ejus, sed civium, viribus victoriam de Jomicis piratis adscribendam, quorum studia in progeniem Pulchricomi propensa ei adversus externum hostem favebant, non pariter adversus justum regni hæredem prona. Ne vero fidem suam in dubium vocaret, testes se dictorum indubitatos afferre duos ipsius avunculos, ê quibus omnia diligentius explorare possit; missos namque ejus rei causa ex communi cognatorum ejus sententia.

Ut Olafus avunculorum adventum cognovit, exultans gaudio eos per nuncios ad se honorificè invitabat; qvibus præsentibus Thorer, certus juramenti religione cöercitos, omnia, qvæ antea subdole finxerat, exposuit. Nondum apud probos viros, etiam ethnicos, in Norvegia ventilata fuisse videtur qvæstio, de coacto juramento servando. Iraqve ne fidem frangerent, religioni consangvinitatis jura postposuerunt, ignari obligationis, qvæ ex tali juramento oritur. Horum ergo assensus, licet valde invitus, Olafum, jam ante verbis Thoreris propriaqve animi inclinatione ad profectionem illam suscipiendam persvasum, vehementiùs impulit. *Oddus Mónachus* minori veritatis similitudine tradit, ei Thorerem dudum cognitum, nexuqve fraternô, juramentô contractô, devinctum, mortem Comitis Haconis annunciâsse, vacuamqve Principe patriam desiderio ejus teneri, seqve publico consensu ad eum arcessendum missum, Thoreremqve primò in Angliam ad eum reqvirendum navigâsse. Comperto autem eum in Russiam profectum esse, illuc qvoqve iter fecisse, ibiqve hiemem substitisse: proximo vere rectà in Norvegiam navigâsse, adqve antrum Thialfii appulisse, qvod *Theodoricus Monachus* ad Agdanesiam situm memorat: sex navibus instructum Olafum, Thorerem tribus, qvarum unam ipse direxerit, utrumqve avunculum Olafi singulas. Hæc ideo minus mihi probantur, qvòd veritati non litet, nautas omnes, doli hujus inscios, & advenas ê Norvegia naves in famam mortis Haconis potuisse consentire. Navigatio qvoqve ex Anglia in Russiam, incerto an Olafus eorum adventum expectaret, fabulam sapit. Verno autem tempore inde in Norvegiam profectos, aliorum relationibus adversatur, qvi autumno id factum tradunt, probantqve ex constricta glacie amnis Gaulensis, ut mox exponetur. Hæc omnia Chronica tam impressa, qvàm Manuscripta, ut et ea, qvæ de avunculis narrantur, ut vana & fabulosa prætereunt; qvinqve vero navibus comite Thorere cum avunculis ex Hibernia in Hæbudas, inde in Orcades, Olafum navigâsse tradunt.

CAP. XXXI.
DE GESTIS OLAFI IN ORCADIBUS.

PRæfuit tunc Orcadibus â morte patris Lodveris, seu Ludovici, filius Sigurdus, cognomento Crassus, qvem ad insulam Raugnvaldz-eyam delatus Olafus, cum naves in sinu Asmundi statuisset, cùm tribus navibus ad expeditionem paratum in eadem statione deprehendit. Eum igitur ad se accersitum

gravi oratione monuit: *non illum, neque majores ejus, territorii Orcadensis subjectarumque provinciarum possessionem jure proprietatis tenere, qvippe beneficio Haraldi Pulchricomi proavi sui, proavo ejus Einari de Cespite fiduciariam, nec aliter ad liberos ejus & nepotes, tandem etiam ipsum, translatam, nec unqvam utriusque posteros id aliter interpretatos, sive cum Eiricus Blodoxius pulsus regno in Orcades concesserat, Comitesq; Arnkelem & Erlendum militiam suam seqvi jussit, Thorfinnumque illorum fratrem insulis præfecit; sive cum filii ejus, Northumbria profugi, fevdum illud repetiverunt, inqve suos usus, qvoad libuit, converterunt, discedentesque eidem denuo permiserunt. Jam vero se Pulchricomi pronepotem hæredemque justum, inter cæteram ejus hæreditatem hæc etiam jura repetere: neque enim Ragnhildi Blodoxii filiæ, licet adhuc superstiti, flagitiosam vitam, cujus magna verisimilitudine insimularetur, ad imperium prorogandum patrocinari, bonis potius omnibus multandæ, imo capitis supplicium promeritæ. Cum autem Comes in suam potestatem reciderit, si in posterum imperare vellet, in suam illi clientelam concedendum, juraque majoribus illius â suis progeritoribus concessa suo etiam beneficio impetranda. Verum cum sibi propositum sit Christianis imperare, protinus misso idolorum cultu in eorum morum sacraqve ei transgrediendum, sacramentumqve fidei Deo omnium opifici per nomen ejus filiique unigeniti Jesu Christi & Spiritus Sancti solenni baptismate præstandum, cum tota gente, provinciarumqne incolis, quibus præesset. Deinde fidem sibi in clientelam juramento obligandam; secus ei supplicium mortis sine mora subeundum, subjectisque repentinam internecionem, ni desertis idolis imperata facerent, sed post mortem horrendas damnatorum pænas, nullo termino concludendas.* Comitem Christianis sacris obstrepentem filio ejus stricto gladio necem minatus adeo terruit, ut in utrumqve assensum præbuerit, seqve cum filio, cui nomen Hundius, vel Hvelpus, in Hlodveris seu Ludovici, mutatum est, sacrâ regenerationis aqva tingendum permiserit, datoqve filio in fidem obside, religionem juratam coluerit, licet ab obseqvio, post mortem filii, qvæ brevi secuta est, defecerit, nam novas amicitias fæderaqve cum Scotiæ Rege Mecolmo Secundo fecerat, ductâ in uxorem filiâ ejus, unde Comes Thorfinnus natus est; sed hæc post fatum Olafi Tryggvini facta sunt. Sigurdum qvidem religionis Christianæ non admodum rudem fuisse, vicinorum omnium gentium sacra, ritusqve publici, qvi illum neqvaqvam latere poterant, persvaserint. Præter hæc natum matre Christiana, qvamvis veneficâ, constat, Audna Kiarvalis Hiberniæ Regis filia, ut *in historia Orcadensium Lib: I. Cap: IX. pag: XXV.* relatum est. Facilè qvoq; perpendit paganorum, qvæ ad illud usqve tempus adversus Christianos invaluerant, qvorumqve præsidio Orcadenses tuti & securi, vicinis terrori fuerant, vires admodum delibatas, sacris ethnicorum ruinam interitumqve minari, Danis jam desciscentibus, mox Norvegis, si Olafus imperio potiretur, exemplum secuturis; itaq; qvam invitus religionem susceperat, gnaviter apud suos subditos promovit. relictosqve ab Olafo presbyteros Ecclesiarumqve pastores ad Hialtlandos aliarumqve insularum cultores sacris Christianis initiandos misit, totusqve ex usu suo etiam reipublicæ arcanis institutis salubri ad nova sacra transiit, de qvo fusiùs *in historia Orcodensi cap: X.* dictum est.

CAP.

CAP. XXXII.

DE NAVIGATIONE OLAFI EX ORCADIBUS, APPULSU IN NORVEGIAM, CONSULTO FATIDICO FINNO, CÆDE THORERIS KLACKÆ.

His rebus feliciter & ex animi ſententia, vel potius præter ſpem, divinitus peractis, cum Divinis auſpiciis rem geri animadverteret, valde confirmatus gaudensqve ſecundis ventis in Norvegiam navigat, ignarus inſidiarum. Id ſolum mirabatur, qvî avunculi ſemper triſtes nullis blandimentis ad lætitiam & hilaritatem reduci poſſent. Inſulæ Hordiæ Moſtriæ primò appulſus eam conſcendit. Sacra in tentorio Regio peracta, idem locus templo deſtinatus, menſurâq; fundamentis jaciendis circumſcriptus, architectiqve ſtatim conſtituti, & qvæ ad materiam comparandam reqvirebantur, ſuffecta; pecunia inſuper dotandæ Eccleſiæ data, presbyteroqve Thangbrando tradita. Hanc omnium antiqviſſimam Norvegia agnoſcit, nam cæteræ, qvæ Haconis Adalſteini alumni, aut Haraldi Grafeldi, aut Haraldi Daniæ Regis operâ exſtructæ erant, conſenſû vulgi, vel Comitis Haconis metu, deſtructæ ſunt. Eò cum ventum eſſet, Klacka Regem monuit, ut magnis itineribus ad Haconem contenderet, ne adventum ejus fama præcurreret. Placuit conſilium: itaqve per dies noctesqve qvàm celerrimè poterat in aqvilonem extra omnes inſulas curſum dirigebat, adverſisqve ventis ſtationes ſemper in extremis inſulis procul â continente delectæ. Suberat conſilio metus vulgi, novitatis ſemper avidi, jam fama nominis Olii per Norvegiam celebris, ad ſtudia in eum, ſi is Tryggvii filius deprehenderetur, illecti, tum etiam Procerum, propinqvorum nimirum, alios exemplo ſuo trahentium, & qvidem maximam partem regni; Haconis interim familiâ per Thrandiam potiſſimum valente; aut igitur eò deducendum, aut medio in itinere ſecurum opprimendum apud ſe firmiter ſtatuit, qvo Comitis mandatis ſatisfieret. Veſpere qvodam, cum ad Agdaneſiam perventum eſſet, relatum eſt, Comitem intra ſinum ſe continere, civiumqve offenſam incurriſſe. Ea res Thorerem valde turbavit, ut citra opinionem incidens. Nam a conflictu Jomico, qvoad Thorer ablegatus eſt, univerſi regni incolæ eum ut liberatorem patriæ, propugnatorem civium, libertatisq; vindicem venerabantur, affectuqve prolixo proſeqvebantur. Jam vero Princeps ingens Regiæ ſtirpis, regniqve juſtus hæres alieno tempore infenſis civibus inopinatus Dux adverſus Haconem, in ipſo ſuo patrimoniali ſeu hæreditario ſolo derelictum, acceſſit. Vocatis igitur ad ſe Olafi avunculis, longo tempore multa cum illis ſecretò loqvebatur. Dimiſſi per noctem oriolâ ad navem Olafi remigantes, tactis dormientis pedibus eum excitârunt, orantes ut ſecum terram conſcenderet; habere ſe rem, qvam ſcire illius omnino intereſſet. Eò cum ventum eſſet, proſtrati ad pedes ejus veniam proditionis neceſſitate exortæ orabant, remqve totam ordine exponebant, juramento ſatisfactum æſtimantes, cum in continentem ventum eſſet. Olafus hoc rerum ſtatu rectè atqve ordine feciſſe religionis intuitu reſpondiſſe dicitur. Tum Joſteinus ultrà retulit, *hoc veſpere ſe cum fratre accitu Thoreris eum acceſſiſſe; qvi actis ob fidem in Haconem prolixè gratiis, indicaſſet craſtina die ſe Ola-*

 fum

ſum in terram deducturum, qvaſi de re majoris momenti conſulturum: vereri ſe, ne ibi mandata Comitis exeqvi decreverit. Deinde ſuggeſſerunt, *non procul ibi hominem, natione Finnum, futurorum præſcium, habitare, illum hac nocte conſulendum videri.* Diſplicuit Olafo conſilium, hac tamen in re ſe iis morigeraturum, ut qvid dicat magis audiat qvàm credat, pollicitus eſt. Mediâ viâ Olafus paludi ad manus uſqve cum im̃ergeretur: *Meritò*, inqvit, *hæc me, curioſitati veſtræ non reluctantem, pæna manet; Chriſtianorum namque ſpes omnis in Deo ſita eſt, omnia autem alia oracula impia & deteſtanda.* Illi duo diverbia veteribus in uſu reſponderunt; prius: *Magnæ ſæpe fortunæ triſtia præludia*; poſterius: *Caſum in principio itineris bonum omen videri. Tu jam pedem in terra fixiſti.* Finnus adventum ejus præſciviſſe dicitur, lucernamqve in domuncula ſua ad viam monſtrandam accendiſſe, nec tamen ut ingrederetur, permiſiſſe, qveſtum ſe ab adventu ejus ægrum, non ſuſtinere ſplendorem Deorum iſtius tutelariorum. Hic inſidias Thoreris in craſtinum diem dilatas, hoc ordine expoſuiſſe perhibetur: Deducturum Olafum in terram, locumqve, cum conſiderent, ſuperiorem capturum, inde percuſſoribus binis in abdito latentibus ſignum daturum, ut in eum irruerent, ſuâ tamen propria arte periturum, qvodqve ſibi intrivit, ut dici ſolet, exeſurum. Deinde prædixiſſe, Regem eum futurum, novaqve ſacra inducturum; oràſſe autem, ne ad ea ſe adigeret, â locô ſibi deſtinatô haut dimovendum. Poſtremum obtuliſſe operam ſuam ad canem ejus Vigium ſanandum, ſi forte aliqvando periculoſo vulnere ſauciaretur. His reſponſis acceptis pedem Olafus retulit. Tum avunculi vera omnia eſſe, qvæ Finnus dixerat, aſſeverabant, utpote ab ipſo Thorere cognita, inq; eum finem permiſſum ſibi rem omnem, cum in continentem ventum eſſet, ei enodare, qvod ne unqvam fieret, hactenus proviſum, inqve poſterum deſtinatum, poſt approperanda cædis ejus conſilia, in effectum deducta; jam vero verſa vice eum incolumem qvidem, ſe vero impleto juramento evaſiſſe. Qvo autem Thorer in foveam, qvam fecit, incidat, præveniendos percuſſores in inſidiis intrà ſaltum locatos, inq; cædem ejus ſubornatos, Thoreremqve ocius tollendum; ſibiqve hujus rei miniſterium depoſcebant, levatæq; chirotecæ ſignum ad hoc poſtulabant. His conſtitutis ad naves qvisqve ſuas rediit, omnibus de egreſſu inſciis. Seqventis diei ſummo mane Thorer Olafum accedens, ad exſpatiandum in terram invitavit. Eò cum ventum eſſet, locum ſuperiorem ſibi Thorere deligente, Olafus ſignum, ut convenerat, chirothecâ dedit. Avunculis igitur confeſtim accurentibus Thorer occiditur, deditqve tam iis, ad conſenſum in tantum nefas adductis, qvàm Olafo perfidiæ juſtas pænas. Accurrebant ſimul ad ſignum ſibi datum, qvos Thorer in cædem Olafi ſepoſuerat, ſimulqve occiſi ſunt, cæteri vero nautæ Thoreris vitâ donati, inqve militiam Regiam ſacramento recepti. Hæc de Finno Thorerisqve morte, nullus, qvod ſciam, ſcriptorum, præter ſolum *codicem Flat*: & *Oddum Monachum*, tradit. *Theodoricus Monachus* avunculos etiam ad proditionem coactos fatetur. Hæc autem de Finno, qvæ hic & his unô aut alterô locô ſimilia traduntur, anſam dediſſe videntur inimicis primò, mox etiam ſcriptoribus, Olafum tranqvam ſuperſtitioſum & impium calumniandi. Agmen ducit *Adamus Bremenſis*, qvi *Lib: II cap: XXIX* hæc ſcripta reliqvit. *Narrant aliqvi eum fuiſſe Chriſtianum, alii Chriſtianitatis deſertorem: Omnes autem affirmant peritum auguriorum, ſervatorem ſortium, & in avium prænoſtico omnem ſpem ſuam poſuiſſe; qvare etiam cognomen accepit, ut Olaph diceretur.* Qvid, qvæſo, nomen ei proprium fuit, ſi Olaph cognomen erat.

rat? Unde hæc etymologica nominis impoſitio originem trahat, qva per vocem Olaph hæc plane intelligantur, plane ignoro. Divus itaqve Olafus, ut & alter ille Seciæ Rex, qvem *Adamus Bremenſis* a pietate valde (qvam verè viderit ipſe) commendat, etiam a ſuperſtitione & ſortilegiis ſua nomina pari ratione conſecuti ſunt, id qvod nec ipſe Magiſter Bremenſis conceſſerit. Ab hoc ſcriptore *Saxo* & reliqvi, inter qvos *Johannes Magnus*, qvicqvid rigidius de Olapho ſcripſerunt, mutuati ſunt. Mihi qvidem fabulæ qvàm veritati ſimilior iſthæc narratio videtur; atqve ideo *Theodorico Monacho*, qvi hæc reliqvæ traditioni de avunculis Regiis connexa omiſit, ut inania improbata & rejecta. Qvorſum enim Finnum conſuleret, qvi qvinqve vel ſex navibus inſtructus, Thorerem ſilentio doli, tantum ad illud usqve tempus tutum, jam patefacta conjuratione in poteſtate habuit, nullo negotio oppreſſurus, tum præſertim, cum ſolus ad colloqvium in terram erat exſpatiaturus. An de regno obtinendo? atqvi illam curam Deo commiſerat: prædictione etiam Sancti viri, alterius prædictionis eventu confirmatâ ſatis, in illam ſpem jam dudum erectus. Qvid Finni operâ ad ſanandum canem, qvandoqve vulnerandum, præ cæteris præſtaret, neſcio: ſi vulnus lethale non eſſet; ſi lethale, unde illi hæc facultas. Hæc utiqve â Monachis, rudibus qvidem iis, in laudem Olafi, qvalia multa Codex Flat: habet, conficta arbitror, ſed ſine ratione, cum vituperii multum, laudis nihil, & ne ſpeciem qvidem habeant. Chriſtianæ religionis ab Angelica præſentia gloriam extollere conſtitutum videtur. Inde ſplendor inimicus iis, qvibus obumbrabatur, tenebris Finnus, inimica lux religionis illius idololatriæ: hinc ingreſſu occultâ luce fulgens prohibitus Olafus introducitur. Hæc qvidem omittere poteram, ni conſtitutum eſſet monſtrare, qvàm anilibus fabulis, jam ſtatim ab Olafi temporibus conſictis, *Adami Bremenſis* narratio de eo nitatur, qvam is tamen, cōmunem in Dania famam ſecutus, retulit; verum ex rudium hominum, laudes Olafi anxiè, ſed imprudenter, conqvirentium figmentis ortam, meritò etiam prudentioribus deinceps vituperatam. Ad Haconem redeo.

CAP. XXXIII.
DE SEDITIONE ADVERSUS COMITEM HACONEM, EJUS FUGA, ACCESSU OLAFI ET CÆDE ERLENDI, COMITISQVE LATEBRIS.

IS tanqvam cum Jomicis, non de imperio, ſed de tyrannide in fæminarum pudicitiam, certatum eſſet, poſtqvam Thorerem ablegavit, velut jam captô Olafô vel occisô, hoc etiam metu ſibi liberatus viſus, laxatis libidini frænis, ſævire in cives cœpit, omniū uxores, filias, ſorores, cujuscunqve ſortis conditionisve eſſent, illuſtribus pariter ac obſcuris natalibus ortas, qvocunqve cognationis vinculo inter ſe junctas, nullo diſcrimine ſtuprabat, âqve maritorum complexu, vel paternis propinqvorum domibus abreptas, per unam vel alteram hebdomadam detinuit, violatasqve ad eos remiſit; ejusqve exemplum aulici qvoqve ſecuti nullius pudicitiæ pepercerunt. Inde exaſperati earum mariti & propinqvi ad ſeditionem inclinabant, more Thrandorum, cum qvicqvam diſplicuerit. Inde cognomen ei Mali omnium conſenſu inditum eſt. Fuit qvidam opulentus provinciæ

Gaulardali civis, nomine Bryniolfus, formosæ uxoris maritus, bonæ famæ & existimationis. Ad eum Comes misit, qvi uxorem ejus ad se deferrent; sub qvorum adventum illa cum marito lectum ingressa erat. Hic auditis Comitis mandatis respondit. *Abjecit pudorem Comes, parum pensi habens, quid imperet: ad interitum plenis passibus ruiturus videtur, civibus jam ultra intolerabilis; aut igitur confestim discedite, aut dedecus ignominiamque exspectate.* Non erant ad vim inferendam satis instructi; itaqve re infecta domum ad Comitem redierunt; qvi auditô responsô, *nihil hac contumacia proficiet Bryniolfus*, ait; *aut enim uxorem reddat, aut vitam.* Missisqve cum majore manu, ni mandatis obseqveretur, vi eam auferri jussit; qvod ut Bryniolfus cognovit; *non in præsens*, inqvit, *par vobis sum: spem tamen foveo, Comitem hujus tyrannidis aliquando justas pænas daturum.* Exsurgensqve lecto sumptis armis infensus in viciniam se contulit, convocatisqve vicinis, multa in tyrannidem Comitis execratus petivit, ut se Duce ad eum contenderent, facesqve ædibus ejus subderent, vel bello eum impeterent, comuniqve opprobrio & contumeliâ se liberarent; hunc qvidem suum privatum dolorem ignominiamqve in præsens brevì comunem futuram, inqve omnium domos penetraturam, ni mature prævenietur, & licet suæ necessitati subvenire detrectent, emersurum tamen aliqvem, qvi talem injuriam gratis non sit laturus. Omnes qvasi uno ore fremituqve in vota ejus consenserunt, confessi; *haut mirandum, virum fortem tantam contumeliam iniquô animô ferre*; parumqve aberat, qvin tumultuantes in Comitem confestim insurgerent. Paucis diebus interjectis, cum in prædio Medalhuso provinciæ Gaulardalensis convivio indulgeret, navibus ad Viggiam stantibus, misit servos suos ad prædium Bynesiam Comes, ad accersendam viri primarii Ormi Lyrgiæ uxorem in primis speciosam, nomine Gudrunam, Bergthoris de Lundis filiam, ob singularem formam Lundasolem, seu Solem Lundianum, dictam. (*Oddus Monachus* fratrem ei fuisse Asgautum de Selvogo parœciæ Islandiæ, & utriusqve matrem Thuridem Thoroddi de Ölvesio alia Islandiæ provincia sororem. Thoroddi autem filium longe celeberrimum Skaftium legiferum antiqvitates memorant, videturqve Gudruna Islandico stemate orta.) His mandata exponentibus Ormus nihil abruptè agendum ratus comiter respondit, invitatosqve ad cænam tantisper morabatur, dum vicinorum confluxu vim idoneam opponere posset. Tum demum nullam uxoris suæ copiam fore respondebat. Uxor autem prius se accessuram negabat, qvàm se accitum Thoram de Rimule mitteret. Fuit illa matrona in primis opulenta, interqve Comitis amicas præcipua. His majorem in modum offensi servi minabantur, *redituros se alia vice, & qvidem brevì, cum tanta manu, qvæ ipsos doceat pænitere: futurum tum è re utriusque, ut mandatis Comitis obtemperarent*; atqve his dictis irarum minarumqve pleni ad Comitem revertunt. Interea Ormus telô belli indice (herör vocant) qvoqvoversum missô, cum mandatis, ut singuli & universi armis tractandis habiles ad perseqvendum & occidendum Comitem ilico arma caperent, totam viciniam concitavit, fecitqve alium nuncium Haldori de Skerdingsstadis. Is autem locupletissimos cives in conjurationis societatem undiqve excivit. Omnes ad seditionem his nunciis concitati confluxerunt, concursuqve omnium toto districtu civium factô, Medalhusum ad Comitem rectà tenditur (*Oddus Monachus*, qvem *Clar: Verelius in notis ad Hervararsagam* secutus est, Hladas petiisse tradit; is qvoqve seditionem non Ormo Lyrgiæ, sed Brynjolfo adscribit, de reliqvis omnino silet) Is autem per exploratores certior factus

ctus ê villa in vallem qvandam profundam cum ſuis conceſſit, qvæ exinde Jarls dalr / ſeu Comitis vallis, dicitur, ibiqve diem illam delituit, omnium conſiliorum tumultuantis populi per exploratores certior. Coloni omnes vias obſidentes abitum fugamqve ei intercluſerunt, maxime tamen eâ viâ, qvæ ad naves ducebat, qvibus præfuit filius ejus Erlendus, maximæ ſpei adoleſcens. Sub noctem copias dimiſit, mandans ut per ſuperiora montis Orcadalum peterent, neminem enim illis ſe abſente nociturum. Erlendo vero filio ſuo referrent, ut naves ſolveret, inqve Mærias ad ſe veniret, eò namqve ſe perrecturum, cum primùm copiæ diſſiparentur. Interea in latebris inqviſitionem eorum, dum ſeditio maxime ferveret, facile eluſurum. His digreſſis, uno tantum ſervo Thormodo (Scoptium *Compendium* habet) cognomine Karko, comitatus remanſit. Is æqvâlis Haconi muneri ei dentali datus eſt: id more priſco, & etiamnum in Lapponia, *teſte Sceffero Lapponiæ cap: XXVI: pag: m. 306.* ita obſervatum eſt, ut qvicunqve primus in ore infantis dentem obſervaverit, is eum aliqvo munere honorare teneretur. Rangiferorum dentes Lappones dant; alibi munus arbitrarium fuiſſe videtur. Jamqve Hacon latebras circumſpecturus eqvo inſidebat, Karkus pedes ſeqvebatur. Ad fluvium Gaulem ventum eſt, is gelu conſtrictus patentibus aqvis interſtingvebatur; in eum Comes eqvo deturbato, ad oram glaciei lacernam ita appendit, ne omnino undarum vi abripi poſſet, ipſe antrum propinqvum cum ſervo ingreſſus, qvod deinceps Comitis antrum uſurpatur, ibiq; aliqvantiſper morabatur. Jamqve uterqve feſſi ſomno indulgebant, cum Karkus inſomniis vexatus, dormiens miſerè lamentabatur. Expergefactus Domino ſomnium retulit; *viſum nempe ſibi virum ingentem, aſpectu torvô, deſuper ad antrum accedentem, metum, ne ingrederetur, ſibi incuſſiſſe; ad fores deinde conſiſtentem, jam Ullus mortuus eſt, retuliſſe, inde excedentem montem petiviſſe.* Comes reſpondit. *Erlendus forte filius meus occiſus eſt.* Iterum inſerpente ſomno Karkus inqvietabatur: mox excitus, eundem virum, curru ex eodem monte devectum, ſeqve his verbis alloqventem vidiſſe memorabat: *Refer Comiti, jam ſinus omnes clauſos* eſſe (verſio Danica mala opera finita vertit; id qvod Mss. non habent) Comes *breve vitæ tempus reſiduum eum indicare* reſpondit. Interea Olafus, occiſo Thorere Klackâ, ab Agdaneſia cum qvinqve navibus ſolvens, ſinum ingreſſus obvium habuit Erlendum cum tribus navibus, plano mari, remis ſibi invicem obviam tendentem; qvi cum appropinqvâſſent, hoſtiles naves obviantes ſuſpicatus ad terram reflexit. Olafus Comitem Haconem ratus, qvanta potuit celeritate inſecutus, Erlendum, dum ad litora accelerat, ad ſyrtes non procul â terrâ navem impingentem cumqve ſociis nando continentem petentem, inter cæteros inſignem formâ conſpicatus, gubernaculi manubrio ita feriebat, ut perfractô cranio cerebroqve excuſſo exanimis concideret. Complures alii occiſi ſunt, alii in terram elapſi, alii capti vita donabantur, â qvibus ſtatum præſentem Rex cognoſcebat; Erlendum nimirum cæſum, Comitem milite deſtitutum â civibus anxiè ad ſupplicium qværi. Interim Hacon comite ſervo poſt exiguum tempus antrô exceſſit; miſſôqve in villam Rimulem Karkô, Thoram amaſiam accivit; qvam accedentem, rebusqve ſuis indolentem, ſciſcitatur: *eſſetne in villa ejus locus abditus, ubi ſibi per aliqvot dies, donec copiæ civium diſpergerentur, tutus receptus?* *Illa villam qvidem ſuam præ omnibus aliis, ſingulosque ejus angulos, operta apertaque, cives procul dubio qvam diligentiſſimè luſtraturos* reſpondit; *hoc magis ſuſpectam, qvo notius eſſet, exempturam ſe eam periculo, qvôcunque modô poſſet; reſtat tamen,*

tamen, inqvit, *unus locus, ubi tantum Principem, qvalis tu, reqvirere neſcirem, eſt autem hara.* Eò cum progreſſi eſſent, Comes locum pro re nata cõmodum prudenterqve delectum laudavit; majorem qvippe hoc ſtatu vitæ, qvàm gloriæ, reſpectum habendum. Ibi ſervus ligone foſſam capacem ſatis fodit, humumqve egeſtam aliò transtulit. Interea Comes cum Thora ſermonem ciebat: cognitoq; ex relatione illius, Olafum Tryggvinum adeſſe, Erlendumqve occidiſſe, opacum ſpecum cum Karko ingreſſus eſt; Thorâ candelas, & qvæ ad victum pertinebant, omniaqve, qvibus indigebant, affatim ſuppeditante; qvæ tecto deinde ê tignis ingeſto, aggeſtu humi fimiqve ĩmiſſis porcis, priorem ſuili ſpeciem reſtituit, ut ne qvicqvam ibi novatum vel oculatiſſimo cuiqve appareret. Ipſa deinde ſine arbitris domum rediit, matrona â fide qvàm pudicitia cõmendatior. Porcorum iſtud ſtabulum prope grande ſaxum conſiſtebat.

CAP. XXXIV.
DE OLAFO A CIVIBUS IN PRINCIPEM ELECTO, REGEQVE PROCLAMATO, INQVISITIONE COMITIS, ET EJUS CÆDE.

INterea cives in medio perſecutionis ardore, cognitô Olafi Tryggvini adventu, ambabus eum ulnis exceperunt. *Magnam, ſed inopinatam, felicitatem ſibi affulſiſſe, tam oportuno ejus acceſſu, majorem etiam eventu ſperandam,* confeſſi; *fuiſſe ſe in ea opinione, jam â debellatis piratis Jomicis neminem Principum Haconi parem dari, ob felicitatem continuam, conſtantemqve applaudentis fortunæ curſum, multasque alias ad principatum neceſſarias naturæ dotes: inde regnum ei communi & conſtanti omnium voluntate votisque deſtinâſſe. Jam vero, poſtquam hominem exuiſſet, flagitiisque ſe totum mancipâſſet, non modo de imperio, ſed etiam de ſtatione vitæ eum deturbaturos, cum primùm ejus eripiendæ poteſtas affulgeat; quod utique, ejus potiſſimum auſpiciis, ſibi polliceantur, ut qui tam felici omine, occiſô in limine Erlendô, reditum in patriam auſpicatus fuerit. Orare igitur, ut partium ſuarum principatum ſuſcipiat, majorem poteſtatem exſpectaturus; ſe enim certos, univerſos regni incolas Haraldi Pulchricomi ſoboli, indeque prognato Principi, ſortis licet inferioris, qvàm eſſet ipſe, præ omnibus aliis ſervire malle.* Placuit Olafo civium oratio, votisqvé eorum haut gravatè ſubſcripſit, iisqve petentibus â præſenti factione Regem ſe proclamari ſuſtinuit. Omnes itaqve ſimul ad inqvirendum Haconem denuo converſi ſunt. Non erat villa alia Rimule ſuſpectior ad receptum Comitis, modò ex incultis ad hominum habitacula evaſiſſet; nullus enim toto Gaulardalo tantâ Comitis gratiâ atq; Thora pollebat. Ubi vero ad amnem Gaulem pervenerunt, lacernam Comitis in lacuna, eqvumqve in ſyrtes flumine actum invenerunt. Continuò multi haut ultrà perſeqvendum, qvi in flumine periiſſet, exclamârunt. Erat inter eos prudens qvidam ſenex, qvi: *Haut vobis*, inqvit, *Comitis aſtus cognitus eſt, ſi eum flumine merſum exiſtimatis: dolus hic decipiendis vobis diſtrahendisque ſtructus eſt.* Sententiæ ejus Olafus, deinde ſinguli, ſuffragati ſunt. Rectà inde Rimulem itum; omnes ibi, haut ſecus ac Thora prædixit, januæ effractæ, loca omnia latibulaqve diligentiſſimè luſtrata, nullô tamen effectu. Ubi nulla deinceps ſpes Comitis potiundi eo in loco reſtabat, Olafus

lafus

lasus convocatâ concione, saxo juxta haram insistens, clarâ voce; *Notum sit*, inqviebat, *omnibus, nos diligenti inqvisitione, frustra tamen hucusque, Comitem quæsivisse, desistendum itaque in præsens; præmium autem percussor illius, quisque fuerit, & debitum & amplum exspectabit.* His dictis, cum universo populo inde Hladas digressus est, ibiqve consedit. Minas Regis promissaqve intra speluncam & Comes & servus distinctè perceperunt: ut vero recesisse cognoverunt, Comes servum his verbis allocutus est. *Miram quidem vim viri illius verba spirant, formidinemque & pavorem præ se ferunt. Sæpius in periculis constitutus sum, nec trepidare visus; jam vero ad nuda hujus viri verba, ut nunqvam alias, extimui.* Intuitusq; servum, vultum ejus nunc obscurum, nunc pallentem, nunc in varios colores transeuntem animadvertit. Ad eum itaqve, *qvare*, inqvit, *colores mutas? nonne proditio animum subivit? minime*, respondit Karkus, *sed mirum non est, ad hujus viri verba me haut secus ac te exhorruisse.* Tum Comes, *memineris, quod uno die* (nocte Chronica habent) *nati sumus, nec forsitan longo intervallo morituri.*

Sub noctem ambo simul cænati, ex eodem poculo biberunt. Postea Comes vigilavit, servi fidem suspectam habens; Karkus autem & alto & longo somno sopitus est. Evigilans Comiti etiam tunc vigilanti somnii imaginem narravit. *Videbamur*, inqvit, *ambo in una navi, quam ego dirigebam.* Ad hæc Comes, *tempora itaque vitæ utriusque nostrûm in tua potestate sunt*, respondit. Iterum Karkus somno oppressus insomniis agitabatur. Excitum Comes qvid obvenisset, rogavit. *In prædio Hladis eram, ibi Olafus Tryggvinus aureum torquem collo meo annectebat, meque ingenti equo donabat. Rubrum quidem torquem amputato capite, si in manus ejus perveneris, forte etiam patibulo ad ludibrium deinceps suffixurus, id enim eqvus denotat*, respondit Comes: *â me autem bona, ut hucusque, exspectabis; tu modo caveto prodere.* Exinde mutua suspicione uterq; ab alio metuens vigiliis discutiebant. Priusqvam lucesceret, Comes somno oppressus furialibus imaginibus exstimulatus vehementer ululabat, calcibus & occipite, velut surrecturus, innixus, tantum derepente metum servo incussit, ut prope exsternatus, magno cultro â baltheo pendente arreptô gulam ei dissecaret, mortuoqve caput abscinderet, qvod seqventi die Hladas ad Olafum Tryggvinum detulit, fugæqve Haconis seriem hoc, qvo retulimus, ordine exposuit. Tunc Olafus, qvâ de causa Comitem occiderit? rogavit. *Motus*, respondit, *splendidis tuis promissis, partim etiam metu ab horrendis dormientis Comitis gestibus lamentisque incussô. Promissa quidem*, ait Olafus, *optima fide exsolvam; condigna meritis præmia percussori Comitis promisi, tu etiam reportabis. Domini quippe tui, licet mali, attamen domini, & quidem de te bene meriti interfector, idem cujusvis optimi pariter, si licebit, futurus, eris exemplo, quô reliqui in posterum â proditione cædeque Dominorum absterreantur*; jussitqve eum capite plecti: qvô factô, ipse cum magnô procerum populiqve comitatu in insulam parvam Nidæ (Nidarholm vocant) processit; ea locus supplicii id temporis furum facinorosorumqve fuit. Ibi patibulo utrumqve Comitis & Karki caput suffigi curavit. Universus autem populus in Comitis caput lapides conjecit cum exprobratione. *Infamis sceleratusque infami sceleratoque socius esto.* Missi inde in Gaulardalum, qvi funus Comitis fovea efferrent, qvod deinde crematum est. Nec his contentis Thrandis, memoriam etiam ejus damnare placuit, sancitô, ne qvis mentionem sub alio, qvàm Haconis vel Comitis Mali titulo faceret, mansitq; longo tempore plebiscitî vis in Thrandia & alibi, tam extra qvàm intra patriam,

Tam probrosum exitum Hacon, vindice Deo, sortitus est, cujus sacra non solum ipse, licet semel suscepta, abjuravit, sed etiam per universam, non modo suam, sed etiam alienam, ditionem evertit, prostratoqve verbi Dei cultu, suo insuper fœdissimo exemplo alios ad Dæmonum cultum provocavit, multos etiam coegit, omnes autem seduxit; qvi (si verè proditum est) fidem etiam per Deos suos, qvos tamen Deos esse credidit, Domino suo & Regi juratam, qvadam abdicationis Regni specie, ingruente necessitate, violenter extortæ, frangere non dubitavit. Qvi sanctissimorum amicitiæ fœderum prætextu principem virum Gull-Haraldum subvertit, regniqve portione simul cum vita privavit, ipsumqve Regem patruum in parricidii consensum impulsum nepotis sangvine contaminavit. Ut alia scelera omittam. Certe nimis verum esse exemplô suô tandem probavit, qvod Hrappo, de qvo postea, ominatus est, dum Deos lentô gradu ad vindictam acrius exercendam procedere dixit. Omnia enim consilia ejus, qvantumvis scelerata, donec cum Deo belligerare cæpit, optato eventu finiebantur. Jomicorum autem victoriâ ipsemet victus est, sublatus in altum, ut lapsu graviore & repentè rueret. Fastus enim, certissimū imminentis calamitatis indicium, victoriæ successit; inde consiliorum omnium, etiam prudentissimorum, impiorum licet, ordo in propriam perniciem, Deo dispensante, vertit. Præpotens domi ab externis hostibus securum se ex omni parte redditurus Olafum accivit, ut esset, qvo Duce periret, qvemqve vita privaturus erat, bonorum omnium successorem haberet; Regnô filiis destinato, interitum sibi, exilium iis mercatus, utpote scelere partô.

Verè hic Divinæ Majestatis sapientia & potentia elucet, qvi se comprehensurum sapientes in astutia eorum minatur; nam eum ipsum, qvi sacra ejus religionemqve subvertit, idololatriam restituit, ad arcessendum alium, qvi se suaqve sacra subverteret, eaqve restitueret & propagaret, & æternitati consecraret, qvæ ipse omni conamine deleverat, compulit. Nullam esse viam ad elabendum somnio monitus est Karkus; sinus nimirum omnes clausos cum per qvietem audiret. Tutissimam latebram nactus qvidem erat, sepulchri qvandam imaginem vivus, sed servo secum communem, mox in verum sepulchrum desituram, ab istius tamen possessione post mortem ilico deturbandus, nec deinceps sepulchri compos unqvam futurus. Hac in latebra hominum qvidem industriam inqvisitionemqve elusit, Deum minime, qvi supplicii locum haram, carnificem servum, sepulchrum patibulum ei delegit. Suspectæ fidei servum qvo minus intra specum occideret, nihil præter obcæcatam mentem obstitit. Taceo minime prætereundam ferali somnio oblatam imaginem, qvæ eum sub ipsam mortem adeo deterruit, ut ipsius terrore territus servus jugulum ejus hauriret, haudqvaqvam bonæ post mortem spei indicem.

CAP. XXXV.

DE HACONIS ELOGIO ET SUSPECTO VULGARI IN ANNIS REGIMINIS EJUS CALCULO.

Fuit

FUit Hacon formâ in primis venuſtâ, ſtaturâ mediocri, membris aptè concinnatis, cruribus brachiisqve robuſtis, capillô criſpô, colore unà cum barba flavo, plurimis etiam animi dotibus ornatus, profundi conſilii, providus, eloqvens ſimul ac blandiloqvus & argutus, liberalis, patiens laboris, inimicis ſeu bello ſeu dolis ſævus, injuriarum memor, imperatoriarum artium apprimè gnarus, bello ſtrenuus & plerumqve felix; Thorleifo Raudfelldo illud carmine teſtante, qvi novem illum Principes bello occidiſſe perhibet, argumento, magnam ejus vitæ partem deſiderari. His tantis virtutibus principatum longo tempore feliciſſimè geſſit, univerſis civibus acceptus. Extremo autem vitæ ſuæ tempore, fortunæ rotâ verſâ, verſutum omni ævo & ſubdolum, tam erga amicos, qvàm inimicos, caput derepentè ſubvertit. Tempus enim inſtabat, qvo idololatriam, cujus indefeſſus præco & patronus ſummus fuerat, Divina clementia per claram Evangelii lucem late per ſeptentrionem miniſterio Olafi Tryggvini diffundendam radicitus exſtirpare decreverat. Tota Haconis ætas qvinqvaginta octo annis completa eſt. Thrandiæ a morte patris annos tredecim præfuit, iisqve ad mortem Haraldi Grafeldi: inde per tredecim annos patrimonium ſuum qvidem abſoluto jure, partes autem reliqvas ditioni ſuæ ſubjectas Proregis titulo ad annum CMLXXXVIII, easdem deinde jure abſoluto per ſexennium, ad annum videlicet CMXCIV. totam autem Norvegiam in ſecundi anni exitum propemodum tenuit. Hæc codicum receptiore calculo probata narro, non item probo, ipſe ad rationes *in Serie Regum Daniæ* allatas de anno ſeculi illius LXII. Grafeldo fatali inclinans. Decennium eo vivo â morte patris ſui Thrandiæ Comitem præfuiſſe definio, nimirum ab anno CMLII. ad annum CMLXII. Proconſulari deinde poteſtate provinciis aqvilonaribus ad Lindisneſiam usqve annos qvatuordecim ad annum CMLXXVI, qvo ab obſeqvio defecit. Poſtea easdem vi vel fraude exortas ad annum CMXCV. per annos novemdecim detinuit; ad mortem uſqve Haraldi Grænſkii (qvam perperam in annum CMXCIV referunt, ſi filius ejus Sanctus Olafus ſerò autumni, poſt adventum nimirum Olafi Tryggvini & Comitis Haconis cædem, ut Geirſtada-Alfi hiſtoria tradit, non item ſi vernis menſibus natus eſt) provinciarumqve ei ſubjectarum defectionem. Totam deinde Norvegiam nemini obnoxius vix ſemeſtre ſpatium obtinuit; neqve enim Haraldus Grænſkius a Rege Daniæ defecit; nec Comes ei vivo ditionem ſuam eripuit. Hæc ſagacis lectoris judicio, qvicqvid ſeqvi lubeat, interim relinqvo. Hoc eodem anno natus eſt Divus Olafus in Grænlandia Uplandarum prædio Vika, ut habet *Codex Flat*: Atqve his vitam Comitis Haconis concludimus.

MANTISSA AD VITAM COMITIS HACONIS.

I.
DE THORLEIFO JARLASKALDE.

CUm neſciam ad qvod præcipuè tempus vitæ Haconis ſeqventes referendæ ſint narrationes, hoc loco illas ſeorſim adponere viſum fuit: et primò qvidem hanc de Thorleifo Islando relationem; fabuloſam ſanè illam, ſed qvæ non, ut qvæ multa veri habeat, omninò reticenda videtur. Fuit ergò is natione Islandus, ſatus patre Aſgeire Raudfeldo, prædii Breckæ, parœciæ Svarfadardalenſis in boreali Islandiæ qvadrante incola, cui mater Thorhildis, nobilis moribus & genere fæmina, ſoror qvippe Skeggii, provinciæ Midfiördenſis principis; illius, qvem tumulum Hrolfi Krakii Daniæ Regis, poſt elapſos â morte ejus circiter qvandringentos annos, aperuiſſe veteres annales conſenſu tradunt. Fratres Thorleifo duo, Olafus nempe Vǒlubriotus & Helgius Vegetus, viri celebres, magis ad alias qvàm hanc hiſtoriam pertinentes. Apud avunculum Skeggium, valde ſibi faventem, Thorleifus fratrum natu minimus ad annum ætatis decimum octavum educatus, artis magicæ myſteria ad ungvem eodem magiſtro hauſiſſe perhibetur; pollebat enim naturæ dotibus, qvibus adjuncta inſtitutio ſedula uſusqve inſignem eum & admirabilem reddiderunt, in primis poëſis, ars per ſe mirabilium operum, incalente vena, effectrix credita. Decimum octavum agens annum domum ab avunculo dimiſſus, virum qvendam, Klaufium Bauggvium dictum, occidit. Karl autem Rufus, propinqvus occiſi, tantâ contentione eum perſecutus eſt, ut extra provinciam Svarfadardalum judicio publico exterminaretur. Liotolfus Flamen, ſeu Curio, in gratiam ſororis ejus Ingveldis Fagrkinnæ, ſeu Formoſæ Genæ, appellatæ, pellicis ſuæ, peregrinæ navi in portu Gaſeyre impoſitum, extraqve inſulam avehendum, inimicorum perſecutioni ſubtraxit. Verum adverſis ventis domum repulſus, apud patrem ſuum & Liotolfum Flaminem per vices proximam hyemem delituit; qvo tempore a patre, ea qvæ ad ſcientiæ iſtius perfectionem deſiderabantur adjeciſſe putatur. Multa interea eveniſſe traduntur; qvæ in *hiſtoria Svarfadardalenſium* conſignata olim fuiſſe dicuntur. Karle deinde ácrius eum perſeqvente, auxilio avunculi, patris, & amicorum elapſus, navem in portu Blonduos hibernantem eodem anno coëmit, mercibusqve a patre, qvibus eam oneraret, impetratis, ex eadem ſtatione ſolvens, Norvegiæ provinciæ Vikæ feliciter allapſus eſt. Hæc licet exigui momenti, ad fidem tamen eorum, qvæ ſeqvuntur, faciendam, tam anxie conqviſita, author *Codicis Flat*: producit.

Eodem forte tempore Comes Hacon ibidem præſens, accito Thorleifo, cum de genere ejus & familia, ſtatuqve præcipuorum in patria ejus virorum, certior factus eſſet, ut navi merces deductas comperit, univerſas emere geſtiebat. Is autem veritus, ne minus, qvám alias venirent, offeret, alium ſibi emptorem commodiorem reſpondit, liberamqve ſibi ſuarum rerum diſpenſationem permitti petivit; qvo reſponſo offenſus Comes,

poſtqvam

postqvã Thorleifus in proximum oppidum postero die ad emptores comparandos digressus esset, universas merces rapuit, navem incendit, socios nauticos omnes, primò in vincula conjectos, de trabe deinde suspendi mandavit, raptasqve merces inter satellites suos divisit, ultione tandem sui, ut interpretabatur, contemptûs tam crudeli satiatus recessit. Thorleifus autem, qvi merces passim in urbe venundabat, reversurus ad navem in carbones redactam, funera sociorum ut incidit, authoremq; facti Comitem cognovit, se qvidem spe vindictæ, per artis suæ secreta qvandoqve expetendæ, carmine raptim fusô solatus est, qvod & adhuc extat. Mox in Daniam ad Regem Svenum se contulit, comiterqve exceptus, interqve aulici sodalitii hibernas stationes receptus, post exiguam moram carmen Regi obtulit encomiasticum, versibus qvadraginta constans, armillu selibram pendente, & gladio selibræ auri pretio repensum. Intercalaris versus arguit, Regem ante id tempus, paternis an propriis auspiciis nescio, magnas in Anglia res feliciter gessisse, qvi ita sonat:

Sæpius auxilio fultus Rectoris Olympi
Anglica Jutorum Rex bonus arva domat.

Procedente hyeme, impetratâ sub revertendi conditione veniâ, ad offerendum Comiti Haconi carmen, qvod pepegisse professus est, Fæmineumqve appellavit, qvód notatione pöetica Comes fæminam denotet, profectus non prius destitit, qvàm in Thrandiam Hladasqve pervenisset, ubi tum Hacon hyemavit, Et jam assumpto mendicorum habitu, peram â collo dependentem per pectus ad ventrem demisit. Pannosâ veste tectum orificium, ad os ipsius extensum, uncus mento affixus tegebat, duobusqve baculis aculeatis innixus, palatium Comitis vespere, qvi festum Jolense præcessit, qvò tum præcipuus nobilitatis flos invitatus concessit, ingressus, titubare simulans, baculorum ope gressus moleste admodum promovit, locumqve sibi prope fores in stramine inter mendicos delegit, qvos infestis bacillis pulsavit Illi viribus ejus impares protinus ictibus se subduxerunt; ortaqve inter illos rixa & trepidatio clamore universum palatium replevit.

Ut Comes tumultum inaudivit, causam sciscitans cognovit, novum mendicum, aliis verberibus infestum, accessisse; qvi accitus cum tumultuariè Comitem salutâsset, de nomine interrogatus, Nidingum se vocari, Gialdandi filium, oriundum ex Syrgisdalis Svithiæ Frigidæ tractu, cognomine autem se Nakvæmum (Parcum, vel etiam Attentum) dixit; adjecitq; *multos Principes peregrinatione longinqva sibi cognitos; jam verò senio fractum, memoria adeo labili, ne ætatis suæ rationem satis calleat, ductum tamen magnificentiæ ejus virtutumque incomparabilium famâ, qvantumvis viribus prope defectum, ad eum concessisse.* Comiti ulterius qværenti, *cur consortibus suis mendicis adeò molestus esset? nihil mirum,* respondit, *mutari cum fortuna animum, & cum ætate indolem: se Principibus maximi nominis assvetum, vitam luxuriose egisse; jam vero indigum, etiam cibo potuque ad necessitatem destitui: mutationem hanc fortunæ animi etiam ægritudinem comitari.* Iterum qværenti, *an artem aliqvam calleret, qvandoqvidem Principibus assvevisse profiteretur? Juventutem ex senectute haut censendam,* regessit: *qvippe exolevisse illum animi vigorem, illud corporis robur, eam membrorum agilitatem, qva juvenis pollebat; successisse, famem sitimque, eduliis potius sedandam, qvàm sermocinationibus irritandam: mirari mores aulæ â magnificorum Principum consvetudine diversos, qvi egenos alimentis recre-*

are, qvàm inediâ per longos qvæstionum anfractus macerare consveverint: apponi modò fercula jubeat; intra deserta & solitudines per complures dies sibi siti fameque propemodum confecto: saturatum demum ad ea responsurum, qvæ famelicus expedire neqveat. Mox patinæ lancesq; saturæ illatæ, qvas omnes cum brevi evacuâsset, nova fercula apposita pari bulimia devorare visus est, qvæ tamen re vera in peram conjecit. Omnibus prodigiosam cænam admirantibus exsibilantibusqve, ipse imotus accumbens jocos dicteriaq; omnia insuper habens, cibum qvam avidissimè deglutivit. Remotis deinde mensis Nidingus Comitem accedens, verbis ad gratiam exqvisitissimè compositis humanitatem ejus dapsilemqve liberalitatem extulit, â famulorum fastu longe distantem, longaqve assentatione cum permulsisset, oravit ut carmini, qvod in ejus honorem elucubrâsset, placidas aures adhibere haut dedignaretur. Interrogatus, *an Principes prius carmine celebrâsset? cum veteri adagio circumferri* respondisset, *senes sæpius svavia modulari*, recitandi copia facta est. Nec segnitèr metris intextas laudes spargebat, qvibus dimidium carmen adeo refertum erat, ut singulæ voces encomia creparent, Comesqve non tantum suas adoreas, sed etiam filii Eirici, summâ cum voluptate singulis strophis interspersas agnosceret. Procedente deinde carmine, universum Comitis corpus, lumbos verò maximè vicinasqve partes ventremqve tantus tumor scabiesqve pervasit, ut sui impotens pectine per illas partes fricaretur, ubi ejus usus erat; alibi pannus stupeus in tres nodos constrictus, duorum famulorum ope subtus ventrem interqve coxendices ductus adhibebatur. Et jam carmen displicebat. Minatus igitur est seni, *ni id jam in opprobrium suum conversum ilicò commutaret, pœnas luiturum.* Vetulus mandato pariturum simulans, partem penultimam, qvam Caliginosæ Cantilenæ nomine insignivit, exorsus est, cujus unus versus extat; qvam cum absolvisset, aulam densissimæ tenebræ obumbrabant. Tum verò sarcasmos semel iterumqve, interspersos congerere aggressus, ubi extremum trientem exorsus est, singula, qvæ in aula extabant, tela sponte mota multis necem intulisse, ipseqve Comes deliqvium passus perhibetur, senexqve per occlusas fores evasisse.

Finito carmine, ut primùm fugatis tenebris illatæ lampades aulam perlustrabant; ipse Comes ad se rediens, diri carminis vires haut leves sentiebat; amissa enim barba, cum cæsarie dimidia, nunqvam deinceps accrevisse perhibentur. Purgatâ deinde aulâ, elatisq; cadaveribus; Thorleifum hunc senecionem vindictam occisorum sociorum, rapinæqve repetentem fuisse conjectabat. Ipse deinde, qvod reliqvum erat hyemis, magnamqve æstatis partem lecto affixus tenebatur.

His peractis, Thorleifus ad Regem Svenum, viatico ex aula pro arbitrio ablato instructus (mirum, si non etiam spoliis in satisfactionem damni, nemine prohibente raptis, auctus) rediit, cognitisqve, qvæ gesserat, magno plausu exceptus, ab ipso Rege cognomine Jarlaskaldi, qvod *Comitum poëtam* denotat, insignitus est; extatqve carmen, qvod hæc pöetico artifico authore Rege describit, & *Codice Flat:* continetur. Cognomini munus haut exiguum, navis nempe, mercibus ad arbitrium ipsius Thorleifi delectis onerata, cum instrumentis omnibus, sociis etiam nauticis, Regia munificentia adjecit; bonâqve venia vere proximô dimissus pöeta patriam petivit; delatus in portum ostii fluminis Thiorsar, meridionalis insulæ qvadrantis. Eodem autumno uxorem duxit, Audurem nomine, generosam fæminam, Thordi de prædio celebri Skogis, opulentissimi viri, fi-

ri filiam, ortu nobilem, ex genere Thrafii Prifci, ibiqve proximam hyemem transegit. Infeqvente vere nobile etiamnum hodie prædium in diftrictu Mydal, nomine Höfdabreckam, emit, ubi ad finem usqve vitæ habitavit.

Hic emphatica nominum, qvæ fibi Thorleifus ad Comitem profectus indidit, impofitio haut omittenda videtur; aliis etiam magna qvædam molituris ad fimile propofitum fæpius aptata: Nidingur enim *infamem* & *execrabilem* qvandoqve, hic autem metonymicè, qvi alium infamem & execrabilem reddit, denotat; nid enim *imprecatio* vertitur, item *infamia*; qvia vero Thorleifus Comiti mala imprecaturus eumqve infamem redditurus erat, Nidingum fe ex effectu nominavit; patrem fuum Gialdanda/ id eft *debitorem*, dixit, vindictæ fcilicet â Comite repetendæ. Patriam Svithiam Frigidam nominavit, ufturus enim erat Comitem gelu intenfisfimô, qvô magnam partem calvefactus eft. Tractum autem gentilitium Syrgisdalos, Sorg enim vernacula lingva mærorem fignificat, qvem ei incuffurus erat.

Poftqvam Hacon magnam partem convaluit (funt tamen qvi priftinas vires nunqvam recuperâffe tradant) ultionis exigendæ copiam non a fuis viribus & potentia, fed Numinum fuorum ope, mutuare vifum eft. Thorgerdis igitur Hölgabruduris, id eft Hölgii fponfæ, feu uxoris, ejusqve fororis Yrpæ, idolorum in primis fibi familiarium, præqve omnibus aliis cultorum, facrificiis folenni ritu factis, oracula devotè confuluit, qvibus ritè informaretur, qvâ ratione magicâ arte excitum genium transmare mitteret, qvi Thorleifo vitam eriperet; refponfo accepto, *Truncum æftu maris in litus delatum, in hominis effigiem formandum* (forte qvod transfretaturo affvetum undis lignum præ cæteris idoneum magis artis præcepta tradant) *verumq; hominem occidendum, ejusq; cor trunco imponendum*, veftis ei nomenqve Thorgardi deinde datum, adhibitusqve ritus formulæqve, qvibus effectum, ut â vivo homine nihil diftare videretur, nam & ambulare & cum hominibus colloqvi apparebat. Bipennem ex fororum delubro defumptum ei Comes tradidit, poffesfum qvondam Haulgio, mandans ut hoc ipfô Thorleifum transfigeret, qvem per mercatores nave in Islandiam transvehendum curavit. Hic eò delatus eft, qvo tempore comitia gentis anniverfaria celebrabantur; qvibus tum Thorleifus interfuit, qvó etiam Thorgardus profectus eft.

Qvodam die, cum Thorleifus tabernâ egreffus hominem fluvium Auxara/ qvi fori judicialis campum interluit, ab occidente transeuntem, magnâ ftaturâ, fed torvô vultu, confpicatus effet, eum acceffit, nomenqve fcifcitatus, Thorgardum dici, ipfo referente, cognovit. Mox diris maledictis ab eo impetitus, gladium â Rege Sveno donatum, qvo accingebatur, evaginaturus, fubito ab advena præventus, bipenni transfoffus eft, qvi eôdem momentô Thorgardum feriens, ilico terræ abforptum, obverfas fibi pedum ejus volas confpexit; mox vefte corpori obvolutâ carmen cecinit, qvo larvatum illũ reqvirens, in inferno deinceps permanfurum auguratus eft. Regreffus deinde in tabernam, qvæ fibi eveniffent, palam faciebat; omnibus ad tantum prodigium obftupentibus, replicataq; vefte vifcera excuffit, atqve ita animam fortitèr efflavit. Cognitum tunc eft, Thorgardum illum nihil aliud fuiffe, qvàm malum genium, incantationibus Comitis ad exitium ejus excitum. Collis funeri ab aqvilone circum comitiorum fpectans confpicuæ magnitudinis erectus, hodieqve inviolatus, omnibus incolis notiffimus, extat in infula, qvam Auxara notiffimus fluvius

us ambit, ubi jam longo tempore facinorosi supplicii extremis afficiuntur. Fratres Thorleifi, eodem tempore præsentes, justa ei decenter faciebant. Asgeir vero pater eorum paulo ante mortuus est.

Thorkell erat colonus, qvi prædium comitiale Thingvallas incoluit, vir, ut inter rusticos, fortis potioris: opilio illius, nomine Hallbiornus Halius dictus, oves in insula illa & circuitu plerumqve pascere, ipse vero colli insidere, ibiqve ut plurimum pernoctari, noctiumqve vices qviete interstingvere consvevit. Is amore simul & admiratione Thorleifi captus, odam in laudem ejus crebrò meditatus, sed venâ poetica destitutus, ultra tria hæc verba, lingvâ maternâ nexu cohærentia, exprimere nihil potuit: Her liggr skald/ id est; Hic situs est vates; sæpius licet tentaret. Hæc aliqvoties meditanti semel accidit, ut somno de nocte oprepenti per qvietem Thorleifus apertô colle cultiore veste ornatus egredi, sursumqve in verticem ad se progredi appareret, seqve his verbis affari: *Næ tu qvidem oleum & operam perdis, qvi artis poeticæ rudis me carmine celebrandum suscepisti, utique ni meo auxilio poeta evaseris; evades autem, si qvem me præcinentem versum audies, me qvoqve discedente memoria, qvod tamen futurum spero, tenueris: nec ullus tibi exinde palmam ea in arte præripiet; ejus namque ope carmina in multorum Principum laudes conficies, & inter peritos celebraberis.* Deinde lingvam manu contrectatam parum traxisse visus, versum cecinit, cujus tantùm non ad verbum expresſi sensus hic est

Hic situs est vates, vatum celeberrimus, is qvi
Probroso Comitem versu traduxit Haconem.
Tantas non alii violatæ pacis & æris
Ablati pænas (notum est) dedit improbus ille.

Præcepit deniqve ut primitias laborum, â laudibus suis in carmen laudatorium, cum primum evigilaret, digestis, exorsus sibi dedicaret, habitô qvam intensissimô generis, verborum, & in primis phrasium, delectu; Atqve his dictis discessis; ipse sibi collem ingredientis humeros eôdem momentô, qvô evigilavit, vidisse visus est. Domum deinde regressus, carmen, ut præceptum est, in laudes ejus elaboravit; qvæqve sibi contigissent, multis exposuit: qvamqve primùm occasio affulsit, solô patriô relictô ad exteros se contulit, multisqve Principibus se insinuans, magnas ab eis opes honoresqve reportavit; traditqve *Codex Flat* extare longam rerum ab eo gestarum seriem, tam in exteris, qvàm patria historicis monumentis comprehensam, qvæ interiisse suspicor: mihi sane nec visa sunt, nec fama eorum audita. Thorleifi fratres proximô, qvô is occisus est, annô in Norvegiam, vindictam fratris, si sors ita ferret, de Comite, qvantumvis præpotente, exacturi navigabant; verum nihil in eum alii fato destinatum iis fortuna permisit; incendiis tamen delubra ejus qvædam delevisse, latrociniisq;, qvantum poterant, opes ejus rapuisse memorantur. Hæc licet fabulæ qvam historiæ fortè propiora videantur, variis tamen circumstantiis confirmata, aliqvid fortasse veri habent. Certe Haraldi Strenui, sev Imperiosi, tempore, in aula ejus fidem absqve ulla dubitatione obtinuerunt, uti in vita illius, ubi de Hallio Morione agitur, exponetur. Meminit & Oddus Monachus læsi ab Islando qvodam longâ satyrâ Haconis. Certe in Islandia nemo iis fidem ad hoc usqve tempus derogavit. Lectoris arbitrio stat tantum his tribuère, qvantum visum fuerit.

II.

II.
De crudelitate Comitis Haconis in Nialis filios, ejusqve causis.

IN *Historia rerum Orcadensium Lib. I. Cap:* X & XI. *retuli*, Grimum & Helgium Nialis Islandi filios, Comitis Orcadensium Sigurdi Crassi satellites purpuratos, ingenti injuria â Comite Hacone, alienam iis culpam imputante, affectos, ope Karii Solmundii evasisse. In culpa fuisse Thrainum qvendam Sigfusium, nobilem Islandum, magnis qvidem honoribus muneribusqve ab eo, non qvidem immeritò, affectum, qvod sceleratissimum hominem, nomine Hrappum, popularem suum, summorum criminum reum, navi receptum, & inqvirenti Comiti celatum in patriam revexerit. Singula hic planius explicabo, & primo de Thraino, deinde de Hrappo, postremo de Nialis filiis.

Thrainus avunculus erat viri celeberrimi, *Arngrimo Lib. II. Crymogeæ* laudati, Gunnaris de Hlidarenda, cujus ille genus ab aviâ paternâ Typographi vitio corruptum deduxit, omissô eô, qvod per continuam marium seriem â Kiarvale Hiberniæ Rege descendit, tantumq; inseruit. Septimus enim ab Hiberniæ Rege Gunnar processit, linea descendente, ut ex iis, qvæ nobis antea in Sigvato Ruso & Ketille Hængo notata sunt, apparet; unde genus ejus facile restitui potest. Hic in Norvegiam ad Haconem Comitem profectus Hladas pervenit, inqve familiariatem hospitiumqve ejus in gratiam nepotis Gunnaris, ut Comes palam præferebat, inter multos ejus conterraneos neminem ei parem sibi visum, receptus est. Eodem tempore pirata memorabilis Kolus de Smalandis, Asmundi Eschesidæ filius, qvinqve myoparonibus Gotalbiam obsedit; inde in territorium Norvegiæ Foldiam invectus, Hallvardum Sotium in superiore domus suæ contignatione dormientem, de improviso ferro & igne adortus, fortitèr resistentem, tandemqve ad deditionem compulsum, contra datam fidem occidit, Liodhusasqve seu Ladosiam concessit. Qvo cognito Hacon valde exacerbatus eum imperii sui limitibus proscripsit, promissâ certæ pecuniæ summa, qvicunqve occideret. Hæc deinde Thraino qvestus; *nimis*, inqvit, *procul jam abest Gunnar de Hlidarenda propinqvus tuus* (nam & is in aula ejus priùs hyemabat.) Thrainus haut obscurè se tangi animadvertens; *Gunnar qvidem non sum*, respondit, *hunc tamen laborem in me suscipiam.* Mox instructus qvinqve navibus, delectoqve milite, potestateqve ab Eirico Comitis filio commeatum ex subjectis sibi provinciis â civibus, qvotiens indigeret, exigendi. Ladosiam profectus in Daniam iter flexisse Kolum cognovit. Eum igitur persecutus, adqve Helsingialandzborgum, (hodie Helsingburgum) assecutus, sine mora adortus est; qvi ut primum naves bellicas conspexit, Haconem Comitem in somno sibi obversatum retulit, suosqve ad arma protinus in satellites ejus capienda hortatus est. Diu æqvo Marte pugnatum est, tandem Kolus in Thraini navem insiliens magnam stragem edidit; fortunâ demum Thraini magis qvàm viribus superatus, Nam cum impetentis se Thraini clypeum dissecuisset, jactu lapidis gladius ê manu læsa excidit. Eôdem momentô Thrainus alterum ei pedem, mox etiam caput amputavit, adqve Comitem pertulit; qvem gratias a-

gentem filius Eiricus interpellans, re non verbis tanta merita pensari posse monuit. Deducto itaqve Thraino ad litora, inter alias naves, qvas ædificaverat, unam non longarum forma, effigie tamen draconis insignem, egregieqve ornatam cui Vulturis nomen indidit, ei donavit, additô jocô, qvòd is familiæ, nepotisqve Gunnaris more, ornate incedere solitus, ornatum etiam navigium jure suo posceret, eumqve ad ulteriorem mansionem invitavit. Hoc ipsô navigô eôdem autumnô Comitem ad regni limites Regi Sveciæ congressurum (Hic etiam locus imperium Haconis in vicinas Sveciæ partes arguit) reduntem etiam domum comitatus hyemem apud eum, magno favore transegit. Nam si qvos Comes in eum iniqviores, vel verbis, vel sinistris indiciis proritantes animadverteret, eos semper asperis verbis increpabat. Qvam ille gratiam cum male reposuisset, recepto homine sceleratissimô, sed populari suo, summorum criminum reo, qvem solicitè qværenti Comiti in navi sua occultatum prodere non sustinuit, secundumqve ventum nactus impunitus elapsus esset, Comes ultionem ab innocentibus Nialis filiis repetivit. Digna sunt perditissimi hujus nebulonis flagitia, qvæ prolixius notentur.

Erat Hrappus qvidam, Aurgymis Leidii filius; Geirulfi, cognomine Gerpilis, nepos; qvi occiso in patria Aurligo Aulferis filiô, Hrodgeiris Hviti, seu Albi, nepote, metu persecutionis ab occisi propinqvis, Kolbeinum Arnlioti filium mercatorem & nauclerum Thrandensem, navem ex Islandia solventem, scaphâ assecutus oravit, ut se cædis reum trans mare aveheret: reluctantem, argumentaqve a facie nihil bonum spondente regerentem; Amicum se amicis suis, licet inimicis sævum, viaticoqve sufficienti instructum testatus exoravit. In altum vero provectus, cum viatico destitueretur, cibum ab accumbentibus per vim rapuit, qvos minas & vim etiam opponentes, ipse robustior, facile in foros arietavit. Cognitis autem nautarum jurgiis, secum eum vesci navicularius jussit, suoqve sumptu ad Agdanesiam provexit. Dimissurus cum mercedem reqvisivisset, in Islandia relictam respondit. Is plures eum decepturum auguratus, totam ei remisit; qvi actis parcè gratiis, consiliis, utpote in peregrina terra, se informari postulabat, duoqe monita consecutus est: Primum, ut qvam ocissimè navi excederet, nautarum sibi infensissimorum iram subterfugiturus: Deinde ne Dominum suum unqvam falleret. Inde discedens ad Gudbrandum Dalorum Principem armis tantùm, in qvibus & securis, instructus se contulit; qvi inter Comitis Haconis Hladensis amicos, gratiâ facile princeps erat. Basilica illis, sed solis, totâ Norvegiâ maxima & magnificentissima, jure privatô communis, qvæ nunqvam nisi Comite præsente aperiebatur: pari magnitudine alia Hladis stabat. Ab eo Hrappus hospitium cum peteret, sed inauspicati vultus augurio repulsus, facetè respondit, *pariter circa illum judicia hominum falli, fama enim circumferri, domum ejus omnibus patere, eumqve Principem magnificentissimum unô ore omnes prædicare; se vero rejectum, opinionem illam animis hominum facile exempturum.* Admissus itaqve, primò facetis jocis Domino familiaribusqve gratus, sed brevì cum exorbitare cæpisset, displicebat; mox etiam magis, cùm secreta colloqvia cum filia ejus Gudruna serere cæpisset, nec suspicione minus honestæ cum illa conversationis careret. Qvô cognitô Gudbrandus filiam increpans, ut sermonis cum illo communicatione

tione abſtineret, monuit; qvæ monitis qvidem ſe parituram promiſit, in cæpta tamen conſvetudine perſtitit. Famulum igitur ſuum, Asvardum nomine, filiæ cuſtodem dedit, qvi, qvocunqve procederet, eam comitaretur. Contigit fortè, ut Asvardo comitante in ſilvam ad nuces colligendas cùm qvodam die exſpatiaretur, Hrappus eos reqvireret, illamqve manu apprehenſam ſeorſim duceret; qvos Aſvardus inſeqvens, cum inter virgulta in flagranti ſtupro deprehenderet, ictum ſecuris incuſſum pedibus Hrappi intentabat: verum is ſubitò exſiliens, ictumqve præveniens, ſua ſecure in ſpinam dorſi illius dejectâ exanimem reliqvit. Mox pellex male ſibi metuens; *decoxiſti*, inqvit, *hoſpitii beneficium, non ulterius apud patrem manſurus*; *pejus tamen eum habet, qvod me gravidam reliqviſti.* *Atqvi*, inqvit Hrappus, *hæc ille neqvaquam aliunde, qvàm ex me ipſo, percipiet.* Illâ neqvicqvam dehortante, periculumqve mortis certiſſimæ obgerente; poſtqvam eam ſeorſim ad aliena habitacula deduxiſſet, patris triclinium, tunc infreqventius, ſangvineam ſecurim ſatis elevatam palam tenens ingreſſus eſt. Qvô cauſam tantæ inſolentiæ qværente; *Sanavi*, reſpondit, *famulum tuum Aſvardum, dorſo laborantem.* Gudbrandus: *illumne occidiſti*? Hrappus, *imo.* Gudbrandus; *qva igitur de cauſa*? Hrappus, *qvæ tibi certè vileſcit*; *pedes nimirum mihi amputare parantem.* Gudbrandus; *qvorſum id*? Hrappus, *immiſcebat ſe iis, qvæ ad ipſum nihil attinebant.* Gudbrandus, *poteris tamen referre.* Hrappus, *qvandoqvidem hoc ſcire deſideras, compreſſi filiam tuam*: id vero pater perindignè tulit. Gudbrandus ilico eum comprehendi cum juſſiſſet, *Siccine*, reſpondit Hrappus, *agis*? *itane mihi affinitas cedet*? *mandata tamen, qvi adſunt, tua hæc minùs exeqvi valebunt.* Atqve his dictis exſiliens, in proximam ſilvam ſe recepit. Collectâ igitur multitudine, luſtrari ſilvam Gudbrandus mandavit; verùm id in vaſta & opaca denſitate fruſtra fuit. Hrappus autem cum magnam partem permenſus eſſet, in viretum ſaltu abditum incidit; ibi caſam virumqve ligna cædentem offendit, qvi ſe Toſium nominavit. Mox qvæſitô, *qvî tam abditô locô procul aliis hominibus habitaret*? *Ad evitendas hominum lites & jurgia*, reſpondit. *Dicam*, ait Hrappus, *qvi ſim. Hrappus mihi nomen, uni è famulitio Gudbrandi Dalorum Principis, inde effugi ob cædem famuli ejus*; *jam vero qvò pervenerim perſpicio*: *oportet nos ambos facinoroſos eſſe, ejuſdem furfuris homines, ſecus hic in ſolitudine habitationi locum non delegiſſes. Aut igitur te prodam, aut qvæ hic ſunt, mecum communicabis.* *Vera dicis*, reſpondit Toſius, *nam ob raptum uxoris meæ huc ſeceſſi, multis poſtea qvæſitus.* Admiſſus Hrappus uxori diſplicebat, verum mutari non poterat. Nunqvam ille neqvitiis abſtinebat, raró domi, nam ad Gudrunam occultum per univerſum annum aditum ſibi paravit, Gudbrando filioqve Thrando inſidias ei, ſed in caſſum, nectentibus. Hæc cum ad Comitem Haconem detuliſſent, facile impetrârunt, ut ilium extra ſuam ditionem proſcriberet, præmiisqve, qvi interficerent, invitaret, polliceretur inſuper ſe præſentem adfuturum, dum inqvireretur; verùm differebatur inqviſitio, eo qvod Comes facilè ab iis nimium ſecurum comprehendi poſſe arbitraretur.

Æſtate proximâ Comes ad Gudbrandum profectus convivio excipitur. Hac eadem nocte Hrappus, nullô Deorum metu coercitus, ad delubrum antea memoratum acceſſit; ingreſſusq; vidit ibi Thorgerdem Haur-

ga-ſeu Haulga-brudurem, ſtaturâ humanam æqvantem, brachio armillam auream ponderis magni geſtantem, caput ſyndone involutam, qvibus illam ſtatim nudabat; carpento deinde Thorem inſidentem alterâ armillâ: tertiâ Freyam ſpoliavit; ſingula deinde idola, veſtibus nudata, foras extulit, ædiqve faces ſuccendit, qvæ ilico in cineres redacta eſt. Inde appetente die egreſſus, cum ſata percurreret, ſubitò ſex armati exorti eum perſeqvebantur, qvos ille intrepidè excepit. Tandem tribus occiſis, Thrandum ipſum Domini filium periculoſô vulnere ſaucium, proſtravit, ut ſalutis ambigua ſpes ſupereſſet: reliqvos in ſilvam perſecutus obſedit, ne elabendi ſeqve prodendi poteſtas reliqva eſſet. Inde Thrandum neci proximum humiq; jacentem accedens: *Affulget qvidem*, ait, *mihi occaſio idonea ſatis ad te interimendum, ni plus apud me valeret noſtræ affinitatis reſpectus, qvàm apud te.* Inde ſe converſurus ad ſilvam, vidit aditum multidunis confluxu ſibi præcluſum, cui ſe imparem agnoſcens, interq; virgulta ſe abſcondens, ibi parum delituit. Mane ejus diei Comes & Gudbrandus ad fanum progreſſi, exuſtum ſimulachraqve Deorum veſtibus nudata & foras elata deprehenderunt. Tum Gudbrandus; *ingens*, inqvit, *Deorum potentia, qvi egreſſi incendio ſe eripuerunt.* Comes *haut egreſſos videri* reſpondit, *hominis ſcelus hic apparere, incenſô templô foras elatis, ſed antea ſpoliatis nudatisque, Diis. Deos autem non properè, vel ſimul ac peccatum eſt, ſed lento gradu, ad vindictam acrius exercendam procedere: æternum proſcriptum iri ex aula Valica tanti flagitii authorem.* Hæc admirantibus tres ê Comitis famulis annunciant, occiſorum trium cadavera in agro ſibi conſpecta, Thrandum ipſum ſemivivum iis interſperſum, Hrappum omnes occidiſſe. *En incendiarius*, inqvit Comes. Cognito deinde per Thrandum, inter virgulta ab eo monſtrata ſe abſcondiſſe, ibi eum inqvirunt; qvi tamen inde, Thrando non animadvertente, ſe proripuit. Secedens ergo Comes ſolus in genua procumbens, manibus oculos tegebat. Inde exſurgens, inqviſitoribus convocatis, flexu in latus â via, cui perſecutores inſiſtebant, diverſum, in vallem qvandam pervenit.

Exortus inde ê latebra Hrappus, pernicitate pedum omnes fruſtratus, Hladas usqve ingenti curſu pervenit, ubi tum Nialis filii & Thrainus Sigfuſius, accincti itineri diverſis navibus, ventum tantum com̄odum exſpectabant. In fratres prius incidens oravit, *ut ſe in ſummo conſtitutum periculo perſecutioni Comitis eximerent, intraque navim receptum occultarent.* Qvem Helgius intuitus, *emicat*, inqvit, *ê facie tua, non tibi modo noxium, ſed etiam receptori communicabile, infortunium. Iſtud quidem*, reſpondit Hrappus, *tibi quam effuſiſſime communicari velim*; cui Helgius, *illos ſe eſſe viros, qvi injuriam vindicare norint*, reſpondit. Ad Thrainum inde converſus, receptum ab eo poſtulavit, ſtatumqve præſentem culpamqve ordine confeſſus, etiam portorii loco ſpolia templo ablata obtulit. Thrainus *haut decorum ſibi* ait, *beneficiis Comiti arctè devincto, inimicum ejus recipere, nec ſpolia aliter accepturum, qvàm ſoluto pretio. Hic itaqve*, reſpondit Hrappus, *in conſpectu tuo occidar, publico in poſterum tuo opprobrio.* Hinc motus precibus ſupplicis, atrocitateqve inſtantis ſupplicii, cum Comitem ei imminentem conſpexit, recepit eum in navim, junctisqve duobus doliis, excusſis fundis, incluſit, mariqve extra navim immerſit. Comes primò in Nialis filios incidens, qvæſivit, *an Hrappum viderint*? qvi vidiſſe confesſi; ulterius qværenti, præmiaqve

qve & honores indicantibus pollicenti, Grimus submissâ voce Helgium ad eum prodendum hortatus est: *nam ne Thrainum quidem ejus rei gratiam ullam relaturum; certum autem sibi ab iratô Comite, vindictam in se, Thraino elabente, versuro, periculum imminere.* Non tamen ad proditionem perpulit. Ad Thrainum igitur Comes absqve mora se contulit, certus, eum in gratiam suam sceleratum hominem redditurum, qvàm supplicem recepturum. Cumqve eum Comes hac de re interpellâsset, *nôsti,* respondit, *hominem exilio abs tè multatum, non sine summo vitæ meæ discrimine, te volente â me interemptum, quod tu honoribus & beneficiis affatim rependisti.* Comes, *majora his te manebunt*, inqvit, *hunc si indicaveris.* Thrainus fidem cum supplice simul prostitui ratus, recepisse eum negabat, obtulitqve inqvisitionis copiam. Comes recedens tantâ irâ æstuabat, ut nemo illum alloqvi auderet; se igitur ad Nialis filios deduci jussit, tormentis ab iis veritatem expressurum miratus; venum illi, prævisa Comitis irâ, navem ad insulam deduxerunt; altius igitur contemplatus, ut observavit dolium extra navim in aqvis pensile sibi visum, ei occultando satis capax, ad navem rediit. Thrainus horrendam Comitis proximè visi iram, jam redeuntis, in rabiem versam sociis nauticis prædixit, omnibus pariter exitiosam, si confesio jam intempestiva ullô modô eliceretur; prævidensqve venturum, Hrappum saccis inclusit, Comitemqve inqvirentem hoc modò secundò elusit. Tertiò (nam postqvam Comes terram ascenderat, seorsimqve discesserat, arte sua lynceus, artem, qvâ delusus erat, perspexit; intra vero navem velut talpa obcæcabatur,) eum Thraînus velo antennis alligato inclusit; nec id Comiti prius, qvàm in terram rediit, suboluit. Et jam qvartò inqvisituro aura velis apta Thrainum subtraxit: qvi evasisse triumphans, versum postea decantatum in contemptum Comitis fudit, qvo irâ Comitis nihil se moveri significavit; qvod cum ad eum relatum esset; *haut eqvidem*, respondit, *imprudentiæ meæ, quod evaserit, tribuendum: societas utriqve tandem exitiosa illum nobis subduxit.* Nec caruit eventu vaticinium.

His exacerbatus Comes, omni furoris vi in Nialis filios versâ, qvatuor longis navibus eos invasit, qvi ejus viribus qvantumvis impares, defensionem tamen deditioni prætulerunt. Fit acer conflictus, donec Aslacô de Langeya, viro celebri, qvi ter navem eorum ascenderat, jaculo Helgii trajectô, signiferoqve Comitis cæso, ipsi ad ultimum capiuntur, inqve vincula compinguntur, unde per noctem elapsi Karium Solmundium, recèns insulæ proximæ appulsum, adeunt, qvi eos ad se recepit: in patriam deinde reduces cum satisfactionem â Thraino postularent, nec præter cumulatam culpâ novam injuriam acciperent, eum cum septem virorum comitatu, ipsi qvinqve, aggresi sunt, Skarphediniqve securi Thrainus, Hrappus Helgii & Grimi gladiis occisus est. Notatu digna est extrema Hrappi vox, cum præcisam sibi ab Helgio manum videret: *rem*, inqvit, *egisti necessariam, manus namqve hæc multa scelera perpetravit.* Grimus finem iis se impositurum pollicitus, eum gladiô pectori adacto transfodit. In primis in Gudbrando juris hospitalis, sed superstitiosa, reverentia admirabilis est, qvi custodem filiæ maluit dare, qvàm sceleratum hominem, hospitalia jura temerantem, domo ejicere.

Atqve hæc sunt gemina illa crudelitatis & furoris Haconiani exempla, qvæ ejus vitæ subnectere visum fuit; cum in ipsa historiæ serie, ob-

 stan-

ſtante temporis, qvo hæc geſta ſunt, incertitudine, minùs commodus iis ſe offerret locus. Patet ſane ex his inter alia complurima, qvàm jure Mali cognomen Comiti iſti indiderint cives ſui. A Thorleifo qvidem vehementer læſum eſſe conſtat, ſed ab ipſo antea injuriâ ad hoc facinus provocatô. Toleranda tamen in Comite vindictæ illa cupido fuiſſet, ſi honeſto ac Principe digno modo eam peregiſſet, nec fædam a Dæmonum ope & auxilio ultionem mutuatus eſſet. In Niali verò filios ſæviendi, aut in eos furorem, qvem Thrainus deludendo provocaverat, vertendi, longè minorem cauſam habuiſſe fatendum eſt. Qvare utiqve diſpar Thorleifi & illorum cauſa diſparem etiam ſortita eſt eventum, illo execrabili Thorgardi illius bipenne occumbente; his non ſolùm truculentas Comitis manus effugientibus, ſed etiam de Thraino injuriarum ultionem victoriamq; reportantibus.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS SECUNDÆ

LIBER NONUS,

DE OLAFO TRYGGVINO, MONARCHARUM EJUS NOMINIS PRIMO, IN ORDINE PRINCIPUM NORVEGORUM SEPTIMO, MONARCHARUM SEXTO, CHRISTIANÆ RELIGIONIS IN NORVEGIA ET SUBJECTIS PROVINCIIS, ISLANDIA PRÆTEREA ET GRONLANDIA ASSERTORE PRIMO.

CAP. I.

ORATIO OLAFI AD THRANDOS, REGEM EUM PROCLAMANTIUM, DEQVE EORUM SUFFRAGIIS.

HAcone Comite ſublato Olafus Tryggvinus Hladis primò ſedem delegerat. Ad eum igitur qvàm primò fama mortis Haconis increbruit, ex univerſa Thrandia omnes civium ordines certatim confluunt, ſum̃oqve ſtudio & alacritate eum ſibi Principem depoſcunt, orantqve & obſecrant, *ne ſe in tanto diſcrimine conſtitutos, ultioniq; filiorum Haconis Eirici & Sveni, ob necem paternam exacerbatorum, abnoxios, deſtituat.* Qvorum petita cum hautqvaqvam aſpernaretur, communi conſilio conventus octo præfecturarum in Thrandia indicitur. Ibi in magna populi freqventia ſurgens, ſilentio indicto, hujusmodi orationem habuit.

Neminem veſtrûm latere arbitror, Haraldum Pulchricomum longo tempore univerſum hoc regnum imperio tenuiſſe, cujus partem hæreditate, partem bello adeptus eſt. Is inter fundamentales Regni leges unam præcipuam de ſucceſſione tulit, quâ poſteros ſuos potioris ſexus ſingulis filiis ortos, patribus quemque ſuis Regibus Reges ſuccedere voluit; quòd autem filios multos haberet,

beret, regnum inter eos pro arbitrio divisit, unumque totius regni supremum Regem constituit, pluribus licet pari ad successionem juri prostantibus; qvo etiam fretus, vobis, jam Principe destitutis, antea injusto imperio, sub usurpatore non legitimo hærede, vexatis, procerum præfectorumqve vestrumqve omnium votis delectus, Regem me quoque ipse offero, modo vos mihi obsequium Rege dignum præstare volueritis; neque hæc nostra societas alieno tempore, & sine prægnanti causa contrahi videtur, utpote mutua utilitate compensanda, & utrisque pariter necessaria. Vos potentissimorum Principum, filiorum Haconis, magnis propinquorum clientumque studiis opibusque fultorum, offensam incurristis, unde certissima vindicta exspectanda est, ni strenue resistatur; absque tamen Principe nullam resistendi spem affulgere ipsi confitemini. Me paterni regni, ab infantia per vim injuriamque summam erepti, a diversis usurpatoribus, & plusquam malæ fidei possessoribus, imo prædonibus, tanto tempore detenti, recuperandi jus & necessitas non invitat modò, sed etiam urget & provocat; longo enim tempore patrimonium meum invasoribus patuit, familia injuriis. Primus Eiricus Blodoxius vesana imperandi cupidine avaritiaque actus, avum meum paternum, cum pluribus fratribus suis, quo eorum ditionibus potiretur, nefanda cæde sustulit. Restituit patrem meum in paternum imperium successor Hacon Adalsteini Alumnus, Princeps in cognatos pius, & præter qvam refractarios benevolus, qvi & eum inter amicos & consangvineos carè dilexit. Verum haut diuturna ea possessio fuit, postqvam Eirici filii ei successissent, qvi eum fidei & amicitiæ prætextu, instigante matre, occiderunt; me adhuc utero materno incluso. Nec contenti sustulisse, nisi meo etiam funere ante lucem mortem ejus maternamque orbitatem, si potuissent, cumularent; natum deinde simul ac vitalis auræ particeps factus essem, persecuti, paternaque primum ditione, mox etiam universo Norico imperio, justo metu, anteqvam metuere scirem, incusso, infantem exegerunt. Deo propitio, avi materni, adversus vim insidiasque Gunnhildis imparis, industria tamen & prudentia, cum matre carissima in Sveciam ad veterem ejus amicum, virum potentem, Haconem Senem, evasi. Parum erat infantem, parente amplissimoque patrimonio orbatum, non ditionis modo, sed totius etiam Norvegiæ finibus exegisse; in Sveciam furor iste per legatos pervasit, ubi nec exilium tutum fuisset, ni vir ille laudatissimus viribus & virtute nos tutatus fuisset. Exinde plures gravesque calamitates secutæ me matremque exercuerunt; nam in Russiam ad avunculum meum profecturi â pyratis medio mari capti & venundati cum essemus, ab ejus complexu distrahebar, inque servitutem uterque incidimus, quibusdam etiam ê famulitio in conspectu nostro occisis, nec ex eo tempore dilecta mihi mater visa est. Exinde in Esthonia in servitute universum sexennium permansi, donec avunculus meus inde me liberavit, inque Russiam transtulit, ubi novennium in exilio exegi, licet potentissimorum Principum clementia & liberalitate magnificè sustentatus; triennium deinde in Vandalia, & quod reliquum ætatis in occidentalibus insulis piraticis exercitiis insumptum. Hoc tanto tempore vita nunquam sine vitæ, utinam non & ejus, quod vitâ majus est, periculo, de quo in præsens dicere nihil attinet, transacta est; multos enim homines militari more rebus suis, quosdam etiam vitâ, innoxios spoliavimus; dum interea nostrum patrimonium iniquissimi homines, & de nobis pessimè meriti, insiderent, quippe meorum spoliis superbi, sanguine cruentati Gunnhildidæ, quibus tamen ad regnandum juris satis erat, si suis contenti aliena non invasissent. Haconem autem novissimo vestro Principi, ad Comitatum, beneficio legitimorum Regum, patrimoniumque suum tenendum, &

genus

genus & lex favebat; iniquissimum autem erat, illum legitimis Regibus, quibus ipse obsequi tenebatur, partim aperto Marte, partim dolo occisis, totam Norvegiam imperio suo submisisse, qui ultra etiam processurus, stirpem omnem legitimorum Regum deleturus erat; id quod meo exemplo patet. Thorerem enim Klackam trans oceanum ad me huc alliciendum, sibique prodendum, aut etiam occidendum, misit; id quod quibusdam, qui in hac concione jam præsentes adsunt, apprimè cognitum est. Satis de jure meo ad regnum capessendum indubitatô disserui, quo omni scrupulo exempto cognoscatis, quòd me, quem vestrum Regem tam valde vultis, etiam jure optimo habere possitis.

Finita oratione omnes, qvotqvot aderant, miserti tam iniqvam sortem, tam longum exilium laboresqve, qvasi uno ore eum sibi Regem deposcebant. Mox iisdem comitiis regnum ei, qvantum Haraldus Pulchricomus possessione complexus erat, publico judicio in hoc universali concilio secundum priscas leges adjudicatum est, ingenti omnium ordinum assensu, studia sua & favorem in novum Regem summo applausu votisqve prosperis declarantium; singuliqve & universi operam suam & obseqvia ad singulas regni partes in potestatem redigendas, inqve obseqvio retinendas, qvàm promptissima afferebant. Rex vicissim omnium & singulorum jura illibata futura, legesq; patrias servaturum se pollicitus est, adversusqve vim filiorum Haconis, aut cujusvis alius, potenter se protecturum. Mox stipatores corporis aulicaqve ministeria assumpta, teste Thordo Kolbeini filio, qvi hæc in oda in honorem Eirici Comitis concinnata complexus est.

Hoc eodem autumno Hallfredus pöeta ex Islandia profectus ad Agdanesiam pervenit; ubi primùm de Principum mutatione morteqve Haconis certior, sinum ingressus, adqve portum Pladkium devectus, tunc longis navibus insessum, anchoras in incommoda statione fixit; qvem de naufragio periclitantem ipse Rex acatium ingressus, dissimulatâ Principis personâ, exemptum discrimini portu excepit: de qvo ulterius in Hallfredi vita ad calcem libri dicendum.

CAP. II.
DE SANCTA SUNNEFA.

NOvi Regis futuram magnitudinem successumqve in abroganda idololatria, purioribusqve sacris instituendis, in ipso statim limine imperii felix omen, his in terris antea nunqvam visum, portendere existimatum est, inventis sanctorum corporibus in insula situ in Boream propendente a Stadis dirempta, nomine Selia; qvorum Princeps fuit Diva Sunnefa, virgo Hibernica. *Codicis Flateyensis* verba, Pontificiam licet persvasionem redolentia, in his describendis fideliter translata seqvar. Hacone Comite (inqvit) imperante, in Hibernia Rex qvidam excessisse perhibetur, reliqvit autem filiam, nomine Sunnefam, maturè sapientem, Christianæqve religioni enixè deditam: Hibernia namqve Christianis sacris piè imbuta erat. Fuit Sunnefa virgo speciosa, & qvidam id temporis, qvo hæc gesta sunt, ætate adulta. Hæc regnum paternum propinqvorum amicorumqve consilio moderabatur. Amplitudo regni virginisq; forma ethnicos piratas ad nuptias ejus petendas illexit;

cum autem castitatem suam soli Deo dedicare decreverit, nec ulli hominum conjugio sociari, longe absfuit, ut in paganorum nuptias consentiret. Qvo verò eam ad consentiendum in vota sua Princeps paganorum compelleret, regnum ejus bello infestare, ipsamqve in angustias redigere conatus est. Illa vero, convocato concilio, carissimos amicorum consiliarios propinqvosqve suos ita affatur. *Vos*, inqvit, *in concilium vocavi super statu regni hujus, qvod aliqvantisper vobis consultoribus rexeram, jam injuriis iniqvorum obnoxium; cujus in posterum regendi, utpote ad cælestia comparati frivoli, ancillâque tantùm digni, omnem curam abjiciam, meqve ipsam in libertatem vindicatam, ut nobilem virginem decet, Domino nostro Jesu Christo in potestatem dabo. Idem facient qvicunqve me seqvi volunt, qvamvis nulli eam necessitatem imponam. Omnibus in patria, me abscedente, remanere integrum erit & liberum.* Tanto autem populi amore studiisqve culta est, ut magna utriusqve sexus multitudo eam, avitis possessionibus agrisqve relictis, seqvi non dubitaverit; qvibus omnibus naves cum providisset, relicta patria, alto se absqve remis, velis, gubernaculo & navalibus instrumentis cuncti inermes commiserunt: qvantò cælestis Numinis fiducia terrestri apparatu firmior esset, exemplo suo declaraturi. Ducem viæ Deum virgo poscebat; se, qvocunqve libuerit, directurum.

Acti per immensum oceanum, tandem ad insulas, ad australe Stadarum latus, Seliam & Kinnam, id temporis incultas, sed pascendo pecori delectas, appulerunt. Continens proxima habitationibus prædiisqve referta erat. Seliam Sunnefa cum parte comitatus, qvi eò provecti sunt, conscendit. Mons ingens in occidua insulæ parte, præruptis rupibus, antris passim, iisqve vastis, excavatus extat, qvæ longo tempore incoluerunt, Deo magna abstinentia sponte servientes, piscibusqve ministerio famulorum captis vitam tolerabant. Ut autem vicini insulas ab hominibus occupatas deprehenderunt, latrocinia rati, ad Haconem Comitem accesserunt, referentes, insulas Seliam & Kinnam prædones invasisse, pecorumqve direptione haut leve accolis damnum illatum; valida igitur manu ad delendos eos precibus eum exciverunt. Cum itaqve insulæ appropinqvâssent, amici Dei se impeti cernentes, antra ingressi, eum pro æterna animarum suarum pace Parasidiqve beatitudine devotis precibus sollicitabant, & qvalicunqve demum morte vitam finirent, ut sepulturam corporibus pro arbitrio suo largiri dignaretur, tantùm ne in potestatem paganorum cadavera pervenirent. Exaudivit preces eorum cæleste Numen, foresqve antrorum collapsæ protinus rupes obstruxerunt. Atqve ita cultores Dei mercedem secularium laborum æternam beatitudinem consecuti sunt. Pagani autem, cum qvos nuper in insulam adventantes conspexerunt homines, nusqvam reperirent, admiratione defixi re infecta redierunt.

Interjecto tempore, cum Hacone mortuo Olafus in regnum successisset, contigit ut cives duo opulenti & magnæ existimationis, Thordus uterqve nomine, matribus Eigileife & Joruna nati, aqve iis denominati, navicula e Fiordis in Thrandiam ad Haconem Comitem, nondum Principum mutatione cognita, profecturi, ad stationem Ulfa-sundam & in insulam Seliam pervenirent: nihil enim a publica via distat. Ubi derepente in aëre desuper lumen ingens miro splendore prope insulam visum, insulas & vicinam continentem illustrabat. Res prodigio similis visa eos ad exactiorem indagationem convertit; navem igitur litori applicant, scrutaturi

taturi, qvid sub istis radiis latitaret. Progressi a litore eodem loco, ubi conspectum lumen est, humanum caput renitens, aspectu gratum omnium ungventorum odore excitatius inveniebant. Cum autem essent ethnici, qvid ambrosius ille liqvor, tanqvam de narthecio vel myrothecio depromptus, denotaret, non intelligebant; mira tamen res visa: ideoqve caput syndone diligenter involutum, ad Haconem Comitem deferre statuebant, rati ipsum, utpote magnæ experientiæ sapientiæqve Principem, qvid portenderet, facilè expediturum. Cum autem Stadas prætervecti essent, cognoverunt eum mortuum, inqve ejus locum Illustrissimum Principem Olafum Tryggvinum successisse. Ejus itaqve magnificentiæ clementiæqve famâ ad eum invisendum allecti cæptum iter perseqvebantur.

Cum Hladas deventum esset, comiter ab eo excepti sunt statim, cum qvinam essent cognovisset. Mox ad Christianorum sacrorum professionem eos invitans, ut sacro fonte se ablui permitterent, postulabat, gratiam suam & favoris eximiam auram obseqventibus pollicitus; illi verò mandatis obsecuti haut invitos se ei inservituros affirmabant. Cumqve multa eos de statu australium regni partium itinerisqve ordine interrogâsset, inter alia hoc ipsi caput referebant. Præsens erat aulæ ejus Episcopus Sigurdus, cognomento Potens, qvem secum ex Anglia transtulit, vir doctus, benevolus, & presbyter gravis; uterqve igitur inspectum caput sancti hominis esse pronunciârunt. Itaqve tam insperata occasione gavisus, religionem Christianam iis, qvi caput asportabant, intensiùs persvadere cæpit. *Qvanqvam*, inqvit, *nec oculis, nec auribus, imò nec mente humana, concipi Divina clementia providentiaqve possit; hinc tamen liqvet, qvanta mercede seculares labores compensentur. Vos autem hoc prodigio invitat, ut ultro abdicato idolorum cultu, ad puræ religionis sacra per lavacrum regenerationis vos convertatis: hoc demortui corporis halitu, omnes odoriferas herbas superante, exspectandæ in cælo gloriæ beatorum præmiô admonet.* Hac oratione miraculoqve moti viri isti, lustrali aqva tingi cum toto suo comitatu jam ultrò expetiverunt. Inde splendidissimo convivio a Rege excepti, &, dum in albis constituti essent, informatores iis in Christianismi elementis inculcandis dati. Domum deinde benignè dimissi sunt.

Rex & episcopus caput illud sanctum reservabant, donec conventus publicus apud Stadas in Dragsheida, edictô Regis, ipso præsente celebraretur, ut postea dicetur. Secundùm eum conventum accolas Seliæ Rex diligenter interrogavit, an novum qvid & insolens iis observatum fuerit? Responsum; sæpe lucem splendidam ibi visam. Qvidam etiam rusticus accedens hæc retulit. *Eqvum in insula Selia habui, qvem delapsum cum inqvirerem, sub caute qvadam ad latera insulæ stantem deprehendi, ibiqve candidam lucem ardentem conspexi, & admiratus sum.* His auditis, Rex & Episcopus magno comitatu eò profecti, in occidentali insulæ parte magnas rupes speciemqve antrorum cautibus, non ante multos annos delapsis, obstructorum animadvertit. Ossa humana his interspersa, svavissimum odorem spirantia, inventa sunt. Postremò in rupem recèns ab ostio antri cujusdam delapsam inciderunt, ubi honoratissimæ virginis Divæ Sunnefæ corpus integrum & incorruptum, carne & capillis nihil mutatis, qvasi nuper defunctæ, inventum est. Actutum sacræ reliqviæ sublatæ, magno apparatu, publica lætitiâ, hymnorumqve cantione in loculos digestæ. Exinde insula coli cæpta est. Ante antrum, ubi Divæ corpus inventum est, sacram ædem Olafus ædificari curavit, ibiqve multorum subseqventium Regum temporibus reliqviæ ejus cultæ sunt. Sed tempore Ma-

gni Regis Erlingi Skackii filii, ejusqve imperii anno decimo tertio, illustris hæc Dei ſponſa Sunneſa miraculis coruſca publico gaudio Bergas translata eſt: ubi loculis capacibus & magnificis incluſa ſuper ſupremum templi altare reqvieſcit. Eodem anno, qvo Sacræ Divæ Sunneſæ reliqviæ Seliâ Bergas translatæ ſunt, tranſivit ad Deum magno cum martyrii triumpho beatus Thomas Archiepiſcopus. (Obitum ejus in annum a nativitate Chriſti MCLXX *Gervaſius* Monachorum ejus unus; *Johannes* vero *Mariana*, Scriptor rerum Hibernicarum, pag. mih. 528. in annum MCLXXI referunt.)

Rex humillimâ gratiarum actione Deum veneratur, maximè qvod ſuo tempore gloriam ancillæ ſuæ Sunneſæ ejusqve comitatûs manifeſtare dignatus eſſet: nam & ſapientiores omnes in amorem Dei & obſeqvium Regis effuſi ſunt, videntes qvam ipſe profeſſus, aliis etiam profitendam religionem imperavit, tanto miraculo confirmari. Literis proditum eſt, fratrem Sunneſæ, nomine Albanum, huic ſancto comitatui interfuiſſe, eumqve oceanum, illâ duce, transmiſiſſe; de eo autem nihil ideo traditur, qvia relatio dubia videtur; referunt tamen qvidam, qvi in inſula Selia fuerunt, locumqve illum cognoverunt, eſſe ibi ædem ſacram, Divo Albano martyri dicatam, ei, qvi primus propter veram religionis profeſſionem paſſus eſt. (Hic videtur Themiſti Epiſcopi diſcipulus, apud Moguntium Galliæ civitatem anno Chriſti CDXXV paſſus, teſte *Sigeberto*) Iidem tradunt, ejus Albani, qvi in Anglia paſſus eſt, caput devotè cultum (*Radulfus de Diceto* eum ab Offa Rege Merciorum Anno DCCXCIII. Kalendis Auguſti inventum tradit.) Juxta hoc templum, qvod huic Albano dedicatum eſt, monaſterium fratrum Nigri Ordinis ædificatum eſt; in eo templo multi parvi magniq; loculi extant, condendis Sanctorum ejus comitatûs oſſibus facti. Hoc templum in monte ê regione monaſterii ſitum eſt. Tradunt præterea in antro, ubi reliqviæ Divæ Sunneſæ inventæ ſunt, fontem ſcaturire ê rupe, inde fluentis rivi aqvam potam multis ægris mederi. Ante templum illud, qvod ad fores antri ſitum eſt, paries lapideus extat, altitudine & firmitate munitiſſimum caſtellum æqvans. Sunt etiam qvi tradant, opus illud inter celebriora ejusmodi reputandum. Sub hoc pariete, ſeu caſtello, monaſterium exſtructum eſt, aſcenſusqve in ſuperiorem ædem per ſcamna parietibus interjecta patet. Feſtum Divæ Sunneſæ ejusqve comitatûs Normanni octavo Idus Julii celebrant, qvod nos Seliumana-meſſu / ſeu *feſtum Incolarum Seliæ*, nuncupamus. In Selia Dominus noſter Jeſus Chriſtus magna miracula edit propter merita cultorum ſuorum, in æternum ob ſeculares ærumnas colendorum. Hucusqve *codex Flateyenſis*: cujus verba tantùm non ad numerum translata tranſcribere libuit.

CAP. III.

DE FESTI SANCTORUM IN SELIA SOLENNITATE, EX BREVIARIO NIDAROSIENSI.

HIc id etiam ſubjungere viſum eſt, qvod *Codicis Flat*: relationem magnoperè confirmat, his verbis

IN FESTO SANCTORUM IN SELIO.

Tem-

Lectio I.

Tempore magnifici Imperatoris Ottonis Primi erat in partibus Hyberniæ regali stirpe progenita beatissima Sunniva, que patre mortuo, regnum jure hereditario regendum suscepit. Hec studio boni patris in fide Christi instructa, populum sibi subjectum vigilanter retrahebat â noxis, sanctitate qvoqve vitæ & morum honestate ad exercitia bonorum operum invitabat. Erat ei erga cultum religionis catholice ecclesiarumqve subsidium affectio maxima, erga oppressos & pauperes mira compassio, & devotionem, quam in junioribus annis sub patris potestate mens Christo sacrata conceperat, jam ad annos maturiores perveniens suique juris effecta sanctis exemplis & piis operibus monstraret, dignam reputans, quòd sicut aliis honore præstabat, ita & virtutum exercitiis & misericordiæ operibus quasi lux previa anteiret.

Lectio II.

Sanctitatis ejus & generis, forme quoque & rerum fama latè diffusa ad cujusdam tyranni notitiam pervenit. Hic a maligno instigatus, terram virginis hostiliter invadens, violenter etiam opprimens, jure nephario devastabat. Tandem promittit varia & blandis persuasivisque sermonibus eam alloquitur, ut ei, qui sic potens & strenuus erat, thori consortium non negaret. Minabatur quippe se totam terram cum indigenis, si sue voluntati non acquiesceret, ad ultimum exterminium deducturum. Illa vero Divino amore succensa, non illecta blandiciis, nec minis perterrita, considerans etiam periculum divitiarum labentium, magis elegit exilium, quàm viro sacrilego copulari.

Lectio III.

Illa vero cum suis consilio inito requirit, quid ê duobus eligerent, aut causa servande sacre fidei continentie secum patriam relinquere, aut ibi viventes perniciter sub maligni tyranni dominio permanere. Cum ergo multi dono Dei preventi, famule Dei dominæ sue tam morum imitationis quàm comitatus itineris elegerint prebere solatia, Ipsa cum sociis sue tribulationis quam pluribus viris, mulieribus, & parvulis, vitans hujus seculi fluctus, fluctuum maris se committens discrimini, cum tribus naviculis versus partes aquilonares tendens inter undas iter arripuit, voluntati divine se suaque committens, sine remis & aliis navis utensilibus mare simul & exilium confidenter ingreditur. Ceterum mirabilis Deus in altis Dominus, cui venti & mare obediunt, in se confidentes ab inani periculo, & a mirabilibus elationibus maris illesos & incolumes reservavit.

Lectio IV.

Tandem cum transacta longa maris spacia ad partem illam Norvegiæ, quæ a vulgo Ferdorum Provincia nuncupatur, gloriosa illa comitiva Domino ducente pervenit Hujus provincie incole, rationis alieni, cultu silvestres, moribus incompositi, videntes sanctos Dei finibus suis appropinquare, continuò congregato exercitu, tanquam ad latrones cum gladiis & fustibus exeuntes, cum eos comprehendere non possent, procul a terra cum sagittis & lapidibus expulerunt, erant enim gentilitatis errore excecati, & lumen veritatis infirmis oculis aspicere non valebant. Iteratò igitur sancti Dei pelagi coguntur inire discrimina, tempestate exorta; corporali præsentia separantur, qui mente & spiritu separari non nôrunt.

Lectio V.

Beata igitur Sunniva fluctuum turbatione sedata, cum majorum parte sociorum ad insulam, cui nomen Selio, applicuit, ibique mansiunculam faciens in speluncis & cavernis terre pre timore gentium habitavit. Reliqui vero socii ad aliam insulam applicantes, que Kyn a vulgo nomen accepit, simili modo manserunt, ex captione piscium vite sibi necessaria acquirentes. Eo tempore Comes Haquinus de Ladum, omni tyranno crudelior in populum sibi subjectum deseviens, sceptra regni Norvegie violenter adeptus est. Sub hoc Principe tempus non modicum in predictis insulis Sancti Dei commorantes, Domino Jesu Christo in multa abstinentia & paupertate, castitate & vite Sanctitate, serviebant. In his insulis nondum indigenarum habitatio erat, sed qui in terra adjacenti degebant, pecora sua in pascuis ibi habuerunt. Contigit autem sepe pecora non omnia a possessoribus inveniri: furtivè a Sanctis frustra suspicantur ablata, multas injurias eis intulerunt, & venientes ad predictum Comitem rogabant ut superveniens cum exercitu famulos Dei trucidaret.

Lectio VI.

Malignus igitur Comes, filius iniquitatis, membrum Diaboli, ad flagitia velox, iniquis petitionibus acquiescens, cum armato exercitu ad prefatam insulam properabat, ut sanctos Dei, si invenire posset, extingveret. Sancti hec videntes, specus suos intrabant, orantes cum lachrimis Dominum, ut animabus suis requiem eternam daret, sepulturam vero corporibus sub scopulis super eos cadentibus angelico preberet officio. Sicque factum est. Scopuli martyres oppresserunt, & Sanctorum animas malefactorum subtractas injuriis celo reddidit. Sicque Regis filia & ejus comites, qui fuerunt socii tribulationis, consortes effecti gaudii, de cavernis petrarum adducuntur ad palatium Regis sempiterni. Predictus tyrannus cum multitudine paganorum explorata diligenter insula, sanctos non invenientes obstupefacti cum ammiratione non minima recesserunt.

Lectio VII.

Prefatus Comes transacto tempore a servo suo miserabiliter interimitur, accipiens a summo judice dignam meritis suis sententiam. Regnum regendum Norvegie post hoc suscepit Christianissimus Rex Olavus filius Tryggonis Regis; cujus industria gens Norvegie, abjecta idolorum servitute, per venerabilem virum Sigvardum episcopum Christiane fidei sacramenta percepit. Accidit eo tempore, cum qvidam mercatores circa predictam insulam Selio navigarent, viderunt in littore maris quasi columnam clare lucis usque ad celum porrectam fulgere. Admirantur appropinquantes columne lucis, caput humanum sub ipsa luce coruscare inveniunt, de quo mire fragrantie odorem sentiunt redolere.

Lectio VIII.

Ceperunt mercatores thesaurum tam venerabilem, omnibus mercimoniis suis incomparabilem, sacrum caput, & cum timore & reverentia inde navigantes versus Trondemiam Regem gloriosissimum invenerunt. Erant autem pagani mercatores predicti, sed dulcis verbi Dei ammonitionibus per Regem se libenter obedire vovebant. Instructi in fide baptizantur per prefatum pontificem, & in presentia venerabilis antistitis Christianissimo Regi de columna lucis, quam viderant, & de capite, quod invenerant, fideliter narraverunt.

runt. Jussu Regis caput allatum est, quod reverendus pontifex sacris manibus devote suscipiens, in magna veneratione cum sanctorum reliquiis recondebat.

Lectio IX.

Fiunt plures martyrum Christi testes, jamque sue sanctitatis inter preces dignantur habere, quos antea persecutores infestissimos habuerunt. Plures autem de eadem insula venientes ad Regem, id quod priores viderant, se quoque vidisse sepius asserebant, hortatu igitur beati pontificis Rex devotus ad memoratam insulam cum multitudine fidelium navigiô deveniens, invenit montem in occidentali plaga non modicum ante corruisse. Hunc locum Rex & Episcopus perscrutantes, inter saxa boni odoris ossa reperiunt. Constructa ibi ecclesia ac consecrata. Signa ac virtutes operatur Deus per merita sanctorum suorum usque in presentem diem. Christiani vero cum sedulo ossa Sanctorum, que reperiri poterant, congregarent, inveniunt integrum corpus beate Sunnive virginis & martyris, quod tandem cum magno honore in scrinio collocatum est, anno gratie nongentesimo nonagesimo sexto. Transacto multo tempore venerabilis memorie Paulus Bergensis episcopus reliquias Sancte Sunnive de insula Selio ad civitatem Bergensem transtulit, anno Domini millesimo centesimo septuagesimo, & in cathedrali ecclesia ejusdem civitatis septimo idus Septembris collocate sunt, ad laudem Dei omnipotentis.

CAP. IV.

CONTINENS NARRATIONEM DE CÆDE TROLLORUM IN NEMORE HEIDENSI, ET ASBIORNI GENEROSI DANI MORTE.

His temporibus Trollæi generis gigantes nemus Heidense insidebant, viisqve obsessis itinera impediebant. Id cum novo Regi relatum esset, domestico concilio advocato, ecqvis esset, qvæsivit, qvi impetendorum eorum negotium in se suscipere ausit? Bryniolfus erat vir inter Thrandos statura & habitu corporis conspicuus, qvi sibi illud deposcebat, sexagintaqve comites impetravit. Profectus deinde ad virum qvendam, nomine Thorkelem, per noctem divertebat. Is cum posterioris diei mane in viam eos deduxisset, mala animo præsagiens, jacturam Regem talium damnô haut exiguam facturum prædixit. Illi nihil morati, ubi longiùs processerunt, in domum magnam inciderunt; inde tres monstrosæ fæminæ, qvarum præcipua hirsuta ursi instar, colore cineraceo, vir mole ingenti, cum duobus pueris, singuli ensibus instructi, exorti, in eos impetum fecerunt, parvoqve negotio occiderunt; qvatuor tantùm cladis nunciis per abdita silvarum elapsis.

Hæc cum fama latè evulgâsset, vir qvidam inter Thrandorum proceres eximius, Stirkar de Gymsum, Yrjarskeggii patruelis, Endridi filius, Hreidaris nepos, (fuit hic Hreidar Styrkaris nimirum avus, Asbiorni Yrjarskeggii patris, & Alofæ, Klippi satrapæ uxoris, cui Sigurdus Coluber vim intulit, (de qvo in Haraldi Grafeldi vita retulimus) ut & Erlingi Hordiæ satrapæ, Ivaris cujusdam Liomii patris, frater) adscito secum

cum ſobrino ſuo Thorſteino Ivaris Liomii filio Islando, poſtea Tauripede dicto, ſe huic periculo, hoc unico comite, intrepidè objecit, feliciterqve qvam plurimos uterq; de improviſo ſuſtulerunt; nomina viri Jarnſkioldus, uxoris Skialldvör, filiorum Hac & Hakius, filiarum Skialldis & Skialldgerdis, (& hæc inter confligendum in abditam cryptam evaſit) recenſetur. Thorſteinus in ultimo periculo conſtitutus votum de Chriſtiana religione ſuſcipienda nuncupâſſe perhibetur, eodemqve anno ad Regem in Hordia diverſantem profectus, nomen & Chriſto per ſacrum lavacrum, & Regi, cujus famulitio ſe addixerat, dedit. Styrkarem autem eo tempore Chriſtianum factum, licet hoc loco *codex Flat*: tradat, tamen ſe ipſe corrigens alio id tempore deinceps narrat.

Hujus Thorſteini priorem vitæ partem, tanqvam fabuloſam, *Arngrimus in Chrymogea* omiſit. Mihi conſtitutum eſt, ea, qvæ membranis continentur, modò idoneis teſtimoniis monumentisqve fulciantur, licet non ex omni parte ad noſtrum captum, eruditi lectoris oculis ſubjicere, ut altius in ea inqvirere, abditaqve naturæ diligentius ſcrutari, relationesqve tales cum ipſa rerum natura conferre, vel malorum ſpirituum ludibria agnoſcere poſſit; ne veró ordinem narrationis nimium interrumpam, ad calcem vitæ Olafi hæc remittimus.

Hoc eodem anno in inſulis Saudeyis dictis, Nordmæriæ adjacentibus, Asbiornus, Generoſus cognominatus, vir ſtrenuus, in iſthmo Vendilæ natus, Vivilis ejus, qvi Veſetii de Borgundarholmo frater erat, filius, materno genere ex Hordia & Nordmæria ſtirpe Bifru-Karii oriundus, a gigante Bruſio, qvi illas cum matre ſua occupaverat, crudelitèr occiſus eſt. Circa columnam qvippe medio antro ſtantem, inteſtinorum extremitate clavo affixâ, tantiſper circumductus eſt, donec eviſceraretur. Extat carmen exeqviale, qvo ipſe geſtorum ſuorum ſeriem inter medios cruciatus complexus, ſe ad extremum ſolatus eſt, qvòd Ormum Storolfi filium Islandum, ſocium ſuum, vindictam de gigante ſumpturum auguraretur. Id qvod vir admodum reverendus *Petrus Septimius*, Helleſtedii olim paſtor digniſſimus, aliis vetuſtisſimis odis inſeruit. Meminit horum, ſed paucis, *Arngrimus Chrymogeæ* libro ſecundo in Ormeri Storolfi vita, traditqve Asbiornum contra fæminæ cujusdam fatidicæ monitum gigantem aggredi auſum: ea namqve ſenio eum ſolvendum prædixit, ſi Nordmæriam ſeptentrionalemqve Norvegiæ tractum vitaret. Is autem fato ſe ibi magis qvam alibi locorum viciniorem negabat. Tanto periculo ſolâ gloriæ fatidicæqve præſagiorum eludendorum cupidine incenſus, poſt multa egregia cum ſocio Ormo geſta, ſe improvidus, ſociiqve monita inſuper habens, objecit. Ejus necem Ormus triennio poſt pariter crudeli mortis genere ultus eſt. Reliqva de Ormo in vita Eirici Comitis Haconis filii dicenda ſunt. Ad Olafum Regem revertamur.

CAP. V.

REX TOTAM VICHAM AUSTRALEM ET SEPTENTRIONALEM AD CHRISTUM CONVERTIT, SORORES ILLUSTRIBUS NUPTIIS JUNGIT.

Poſtqvam

POſtqvam com̃uni ordinum voce per Thrandiam Olafus Rex eſſet proclamatus, adulta demum hyeme univerſas Regni provincias & proxima æſtate permenſus imperio ſuo ſubjecit, in ſingulis conventibus ſummo omnium applauſu Rex pronunciatùs ; Principes enim Uplandorum & Vikæ, qvi beneficio Daniæ Regum ditiones ſuas usqve ad Comitis Haconis victoriam de piraticis Jomicis tenebant, in obſeqvium ejus jurârunt, ejusqve ſe fiduciarios clientes profitebantur, qvicqvid dicat *Oddus Monachus*, qvi multos provinciales Reges montana incolentes, a Pulchricomo prognatos, univerſalibus Regibus paruiſſe negat, utpote qvorum ditiones montibus aut ſilvis includerentur: Uplandorumqve Reges Regibus Sveciæ obnoxios etiam tunc temporis falsò contendit. Jamqve univerſam Norvegiam a Finnmarchia ad Gautelfam imperio complexus, in id unicè incubuit, ut Chriſto ſummum imperium ſubmitteret, hortatus ſubditos, ut exemplo cultiorum gentium, Anglorum, Germanorum, & Danorum, abjecto gentiliſmo, Chriſtianam Religionem amplecterentur. Eiricus autem & Svenus Haconis filii ſub exitum ſuperioris anni, cum amicis & propinqvis, ſtudiis populi deſtituti, in Sveciam ad Olafum Regem, Sveonem dictum, profugerunt, ejusqve humaniſſimam hoſpitalitatem experti ſunt; Thordo Kolbeinio rythmo id teſtante.

Primo vere in Vikam profectus, in multam æſtatem moras ibi nectebat, confluentibus eò magno paternorum amicorum propinqvorumqve numero, propenſionem & ſtudia qvisqve ſua certatim declarantium, multaqve gratulatione ac lætitiâ tot annis conclamatum, jam ex improviſo ſibi redditum, excipientium. Inter præcipuos orientalis Vikæ magnates fratres duo eminebant, Thorgeir & Hyrningus. Horum ſinguli ſingulas Regis ſorores, ſed uterinas, Ingeridem & Ingigerdem, Lodino progeneratas, uxores ſibi depoſcebant; qvarum elocandarum arbitrium ad Regem pater detulit. His unà cum vitrico & avunculis ſecretiori concilio adhibitis expoſuit; *propoſuiſſe ſe, univerſos Regni cives & incolas ad Chriſtianæ religionis cultum convertere, nec tam pio propoſito vel temporum iniqvitate, vel curarum mole, vel periculi metu, ſed nec extremo vitæ diſcrimine, deſtiturum. Ad eam rem opera illorum gnaviter ſibi opus eſſe, ut primi aliis exemplum præeant, reliqvosque ad idem faciendum alliciant*; pollicitus *in eos ſe opes honoresqve affatim congeſturum, qvòd iis præ omnibus ad negotium tam præclarum promovendum, cæteraque, qvibus indigeat, perficienda, neceſſitudinis ratione confidat; ideo etiam conſilium ſuum prius illis qvàm aliis aperuiſſe.* Ad hæc fratres *operam ſuam impenſasque totius familiæ amicorumque auxilia* pollicebantur, *ſi affinitate ſua eos dignari non detrectaret; tam cognitam omnibus generis ſui claritatem, opum agrorumque copiam, familiæ vires, propriaque animi corporisque bona aſſeverantes, ut facilè â qvocunque de conditione ſua certior reddi poſſit, modo explorare libeat, ſi ipſe ut recens advena ea minùs perſpecta haberet.* Gratum erat Regi promiſſum ad rem Chriſtianam promovendam ſtudium: novit etiam nihil in majus fortunam ſuam verbis extuliſſe; itaqve haut difficulter, modò aſſenſus virginum impetrarent, ipſe conſenſit. Deinde cæteri, qvi conſilio adhibiti ſunt, ſe in poſtulata ejus obligabant. Nuptiæ in æſtatem dilatæ.

Secundùm hoc concilium publicis comitiis Christiana religio omnibus injuncta est: qvam cum proceres, uti convenerat, approbâssent, promiscuum vulgus civesqve pedibus manibusqve in eorum sententiam descenderunt. Ab oriente ad sinum usqve sacro lavacro abluti sunt. Inde festivitas nuptialis magnâ pompâ apparatuqve, ipso Rege præsente, celebrata est. Mox in boreales Vikæ partes transitum, ibiqve ethnica sacra abrogata; Christiana pari alacritate imperata; tergiversantibus supplicia irrogata; aliis membra luxata, aliis exilium injunctum; aliis vita erepta, proqve cujusqve obstinationis modo pœnæ exactæ, usqve qvo provinciæ, qvas pater ejus Tryggvius & Haraldus Grænskius prius tenebant, Christianis sacris ritibusqve excultæ sunt. Id autem hac eadem æstate & insecuta hyeme effectum *Chronica* tradunt. *Codex Flat*: huc etiam plura alia gesta refert, inferius explicanda. Nos consensum ubiqve seqvemur, dissensum indicabimus.

CAP. VI.

REX STEFNEREM ISLANDUM IN ISLANDIAM AD RELIGIONEM PROMOVENDAM MITTIT. QVI PRIUS EAM IN ILLA GENTE, ET QVO SUCCESSU, PROFESSI SINT.

HAc eadem æstate Olafus Stefnerem, natione Islandum, in Islandiam ad Christianam religionem inibi propagandam, aliqvantum licet renitentem, misit, â viris qvibusdam doctis & religiosis comeatuq; optime instructum; æqvum enim dictitavit, ut ipse Christianus participes ejusdem salutaris doctrinæ populares suos redderet; statuisse namqve se, non modo universam Norvegiam, sed etiam illarum terrarum incolas, cum qvibus Norvegis commerciorum usus intercederet, Christianos reddere, ne Christiani ethnicorum contagione inficerentur. Is in ostium amnis Gusa, prope comitiorum anniversariorum universaliumqve tempus, pervenit, eòqve profectus publicè Christianam religionem ipse commendabat; qvo nihil aliud, qvàm odia popularium, maximè tamen propinqvorum suorum, promeruit. Tum primum lex de probrosi in Deos maledicti reis, Numinumqve insectatoribus lata pænaqve exilii irrogata; propinqvi in qvarto gradu & propiori accusare tenebantur; his enim sacris sangvinis nexum solvi pronunciabant; qvæ uno verbo frændaſion / hoc est, cognationis divortium, appellârunt; perseqvendi igitur a familiaribus, qvorum familiâ indignos, ideoqve expungendos, se reddidisse talium rei videbantur. Verum nihil his motus est Stefner, novem enim comitibus per australem occidentalemqve qvadrantem profectus, cum nihil profecturum se animadvertit, vindicandæ Divinæ gloriæ impetu concitatus de lubra cæpit demoliri, idolaq; confringere. Igitur tanti criminis non modò reum, sed publicè convictum, propinqvi qvatuor in jus vocabant, Thorolfus & Askell, Thorradus & Vandradus, qvintus Ospacus liti eorum se non immiscuit. Hi fuerunt filii Osvifi, Helgii nepotes, Ottaris pronepotes, Biorni Austræni abnepotes, Ketillis Flatnefi atnepotes. Stefneris pater fuit Thorgils Eylifi filius, Helgii cognomento Biolæ nepos, Ketillis

Flat-

Flatnefi, ſeu Simi, pronepos. Hac actione, vel potius accuſatione, Stefner exilio multabatur; jamqve condemnatus converſus ad propinqvos. *Vos*, inqvit, *me accuſâſtis, condemnandumque curâſtis, haut tamen effluet longum tempus, cum, me indemne, vos infortunium magnum aliqvod manebit.*

Proximo vere, cum nives imbribus æſtuqve Solis reſolutæ flumina aqvis replerent, navisq; Stefneris in oſtio ad anchoram ligata fluctuum impetu è ſtatione in altum abriperetur; ethnici miraculum interpretati, evidensq; iratorū Deorum aërisq; præſtitis Freyris indicium, ſatyrico carmine eúm lacerabant; paulò tamen poſt navis iisdem litoribus parum aut nihil læſa reddita eſt, ſuperſtitioqve ethnica Dei nutu refutata.

Natus erat Stefner in auſtralis qvadrantis Islandiæ provincia Kialarneſia, admodumqve adoleſcens extra patriam amandatus. In Dania puriori doctrinâ imbutus eſt, baptismoqve admotus. Exinde populari ſuo Thorvaldo Kodranio latè per orbem Chriſtianum pereginanti, locaqve religioſa inviſenti, ſocium ſe comitemqve adjunxit. In Septentrionem deinde reverſus ad Olafum Tryggvinum in Angliam, jàm Chriſtianam, ſe contulit, magnoqve honore cultus eum in Norvegiam comitabatur. Is cum eſſet vir multæ experientiæ, ſæpius eum de externarum gentium, qvas ipſe non adierat, ritu moribusqve interrogavit, multa etiam de populari ſuo Thorvaldo Kodranio, qvi etiam, ſed omnium primus, unà cum Saxone qvodam Epiſcopo, nomine Friderico, Chriſtianam religionem in patriam ſuam, ſucceſſu tantùm non irrito, introducere tentavit. Qvo autem conſtet, qvinam labores in convertendis Islandis ad veram fidem impenderint, ne gratâ ad poſteritatem memoriâ fraudentur, pauca de illis cōmemorabimus.

In Borealis Islandiæ qvadrantis diſtrictu Vatzdalo prædium Gilia dictum parentes ejus incoluerunt; mater Jarngerdis, pater Kodranus, Eylifi, cognomento Ørn/ ſeu Aqvila, Atlii nepos, Skidii pronepos, Bardii cujusdam de Al abnepos. Patrui Thorvaldi fuêre, unus Atlius Ramius, ſeu Robuſtus, cui uxor fuit Thordis, celeberrimi viri Thordi de Hofdio filia, alter Sölmundius Gudmundi pater, Vigabardii celebris athletæ filius; frater Thorvaldi Ormus vocabatur. Educabatur Thorvaldus apud Thordiſem fatidicam. Adultior ad exteros profectus brevî mores bonos addidicit; inde amore variarum gentium conſvetudines pernoſcendi, ſtatim peregrinari cæpit, unde & Peregrinatoris cognomen contraxit. Reverſus in Septentrionem, in Saxonia ab Epiſcopo qvodam, nomine Friderico, baptizatus eſt, qvem ſecum in patriam ad Chriſtianum dogma popularibus inculcandum adduxit. Prima hyeme apud patrem Kodranum in prædio Gilia morabantur, eumqve cum uxore & domeſticis omnibus Chriſto lucrati ſunt. Solus Ormus frater Thorvaldi id temporis baptizari noluit, poſtea tamen Chriſtum profeſſus eſt.

Proximo vere in provinciam Videdalum migrârunt, prædiumq; Lækiamotum per qvadriennium incoluerunt. Interea late per inſulam profecti negotium religionis ſedulò obibant. Qvarto anno Thorvaldus Vigdiſem Olafi de prædio diſtrictûs Vatzdalenſis, poſtea Haukagil dicto, filiam Hallfredi poetæ materteram, uxorem duxit, nuptiæqve ibi magna freqventia celebrabantur; conſeſſum ethnicorum berſerki magicis incantationibus celebres duo cognomines Haukii augebant. Hi religioni maxime adverſarii conſveverant; tunc autem Epiſcopum ad certamen provocârunt. Religionis cauſa agebatur, ſpecimen potentiæ Numinum, qvæ diverſæ partes colerent, edendum erat. Solebant illi ardentem ignem absqve læſione

ne penetrare, inqve gladios & mucrones se impunè projicere; nec Episcopus, fiduciâ veritatis fultus, occasione tali ad gloriam Dei animarumq; a Principe tenebrarum obsessarum liberationem usurus certamen defugiebat. Erat focus medio pavimento in ordinem longum exporrectus, ad qvem potantes pro more considebant. Et jam injectis fomentis valde ardebat, cum accedens Episcopus, lustrali eum aqva aspergebat; qvem transituri pro more berserki, ambo cincti gladiis, magno rugitu cum accessissent, ilico concidentes flammâ correpti, priusqvam levari possent, exanimati sunt, elatiqve in spelunca proxima tumulabantur, inde prædium in hunc usqve diem nomen ab iis Haukagil retinet; via enim rivuli inter rupes depressior lingva ista Gil isti autem Hauki vocabantur. Postea Episcopus ardentem ignem, ne vestimentis qvidem adustis, transiisse perhibetur, multosqve convivarum, motos tanto miraculo, Christo lucrifecisse. Hæc licet a Monachis vel ex parte conficta vel aucta videantur, aliqvid tamen veri narratio habet, nomine prædii de berserkorum nominibus adaucto id attestante. Nec omnino dubitandum, fidem Christianam pariter in Septentrione ac alibi per miracula primitùs plantatam fuisse, licet non eô usqve modo, qvem hic *codex Flat:* describit, Monachorum confictis miraculis passim scatens. Inde Episcopus & Thorvaldus in occidentales insulæ partes profecti Evangelium irrito prorsus incepto prædicabant. In prædium celebre Hvam̄um cum ventum esset, domino loci Thorarino Nefi filio, Thordi Gelleris nepote, absente, uxor Fridgerdis, Thordi de prædio Hòfdio filia, cum Skeggio filio, eos primò hospitaliter excepit; verum ubi Christi mentio cultûsqve ei exhibendi facta est, illa eos execrata est: filius autem sibilo cuncta, qvæ dicebantur, excepit. Extat carmen, qvo istam injuriam Thorvaldus qveritur. Toto isto qvadrante nullus inventus est, qvi Christo nomen dederit; in Septentrionali autem procerum hæc nomina notata sunt, qvi baptismo admoti. Primus Aunundus Thorgilsis Greniadii filius, de tractu Reykiadalensi; secundus Thorvardus Spak-Bodvaris filius, de prædio Asé in tractu Hialtadalensi; tertius Hleinus de Saurbæis Eyafiardensis. Hi cum pluribus aliis sacro fonte abluti sunt. Erant tamen multi in Septentrionali qvadrante, qvi licet baptizari nollent, Christianos tamen se profitebantur, idolorumqve cultum prorsus aversabantur, curioniumqve delubris ethnicis pendi solitum reddere detrectabant. Inde furor ethnicorum maxime in Episcopum Fridericum exarsit, mox etiam odium in omnes, sectæ illius seqvaces.

Thorvardus Spak-Bodvaris, seu Bödvaris Sapientis, filius, sacram ædem in villa sua Asé ædificari curavit, annis sedecim ante receptam publicè in Islandia Christianam religionē, id est, anno nongentesimo octogesimo qvarto, sacerdotemq; ab Episcopo ad sacra obeunda obtinuit. Proxima æstate Thorvaldus publicè in comitiis universalibus omnes ad Christianæ religionis professionem invitabat. Tanto autem odio pagani in eos æstuabant, ut conducerent poëtas, qvi famosum carmen in eum & episcopum simul jactarent. Inter alia distichon, qvo *Episcopum novem liberos sustulisse, qvorum omnium pater Thorvaldus fuisset*, luserunt: id autem Thorvaldus, vir concitatioris ingenii, statim duorum, qvi luserant, cæde ultus est. Episcopus interea intra tentorium librum lectitabat, in qvem inter legendum binæ guttulæ sangvinis desuper delapsæ sunt. Mox ingredienti recentiqve cæde calenti Thorvaldo Episcopus, aut eum cædem perpetrasse, aut perpetraturum esse, prior indicavit; qvi cum rem, ut gesta erat, exposuisset, vehementèr eum Episcopus objurgavit, qvòd cæca præcipitantiâ abreptus

ptus, patientiæ Christianæ dememinisset, nec verba dubia in partem meliorem interpretatus esset; nec enim sibi indignum vel inverecundum esse, liberos ejus sustinere. Sustulisse enim Episcopum liberos ejus dixerunt, qvæ vox perinde in lingva antiqva Norvegica ac Latina ad partum ac portatum transfertur. Proximo vere, cum ad forum judiciale Hegranesense Episcopus & Thorvaldus profecturi essent, impetu ethnicorum non tantùm foro prohibebantur, verùm parum affuit, qvin penitus opprimerentur: Dei tamen beneficio evaserunt. Recoluisse tunc fertur Episcopus somnium matris suæ, qvæ in capite illius capillos lupinos per qvietem se conspexisse retulit.

Hac eadem æstate, anni nimirum qvinti, a qvo villam Lækiamot incoluerant, in Norvegiam transfretârunt. Ibi cum fortè in portu qvodam distinerentur, contigit ut persecutorum qvidam Hedinus de prædio Svalbardio eò appelleret; qvem Thorvaldus servi ministerio mox occidi curabat; qvod cum Episcopo retulisset, adeò illum offendit, ut societati confestim renuncians in Saxoniam rediret, ubi vitam continuis pietatis officiis impensam feliciter finivit. Thorvaldus autem cæpto peregrinationis proposito insistens spatiosa diversarum terrarum intervalla emensus est. Innotuisse etiam in exteris Olafo Tryggvino perhibetur, inqve ejus gratiam admissus. Tandem Constantinopoli Imperatori Græcorum, (Basilico credo, Romani filio) meruisse, nec in exiguo numero apud eum fuisse. Postremò propriis sumptibus monasterium exstrui curâsse, opibusqve ditâsse, ubi piis meditationibus vacans vitam cælebs finierit. Adventum Antistitis Friderici in Islandiam *Codex Flat*: in annum reparati generis humani nongentesimum octogesimum primum, alibi autem in octogesimũ refert. Nec constat alios in tam salutari negotio ante hujus optimi Regis tempora illa in insula unqvam laborâsse.

CAP. VII.

REX ROGIAM LUSTRANS CONJURATOS IN NOVA SACRA MIRACULOSE EXPUGNAT, CIVIBUSQVE OMNIBUS EORUM CULTUM FELICITER PERSVADET.

E Vikâ Septentrionem versus in Grænlandiam, & hac eadem æstate *codici Flat*: *Chronicis* proximo vere, anni sc: nonagesimi septimi, ad Agdas lustrandas Rex deinde profectus perhibetur, faciliqve negotio istarum provinciarum populos, qvippe viribus ad resistendum destitutos, sibi, magis autem Christi præceptis, obseqventes reddidisse. Inde in vicinam provinciam Rogiam procinctum movisse, ad definitam publicis comitiis curiam, qvò magna populi illius provinciæ freqventia, sed armata, confluxit. Tres ex iis præcipui, qvi disertissimi fandiqve copia celebres habebantur, delecti, ut omnium nomine imperata recusarent, vimqve legibus intolerabilem abrogarent. *Codex Flat*: hæc in Mosture, celebri Hordiæ insula, ut et Oddus Monachus, facta perhibent, hancqve fabulam, a Monachis forte; qvorum scripta talium plena sunt, confictam præmittunt; nimirum qvòd nocte, qvæ comitia præcessit, apparuisset Regi in somno

vir aſpectu venerabilis, qvi ſe Martinum Thuronenſem qvondam Epiſcopum (is anno poſt natum Chriſtum CD obiit) divina gratia ad eum miſſum profeſſus ſit: peculiariter hortatus, *ut morem priſtinum, quo in conviviis conſesſibusque ſcyphos in honorem Odini Aſarumque ſibi invicem Norvegi aliarumque gentium pagani propinare conſveverint, ſolveret, ejusque loco poculis Dei Sanctorumque, & hos inter ſuam primum, memoriam celebraret: ſe autem die ſequenti adverſus eos, qui ad Chriſtianam profesſionem impediendam conjurâſſent, & aliàs ſemper præſens & validum auxilium ei laturum.* His qvoqve Rex aſſenſiſſe viſus eſt. Excitus ſomno viſione hac majorem in modum gaviſus de ſucceſſu nihil ultra dubitâſſe fertur. Præter hæc *Oddus Monachus* ſecundo imperii Olafi anno Regem ê Norvegia in Angliam ad conqvirendos verbi Divini miniſtros navigâſſe tradit, reducem in Moſture concionatum, promiſſam per qvietem Divi Martini opem ſenſiſſe, ibiqve hæc contigiſſe. Addit & aliud haut minus fabuloſum *Codex Flat*: nempe qvòd in rupe, cui Rex concionatus inſtiterat, coronâ armatorum a colonis parvo intervallo diſtantium ſeptus, omni deinceps tempore, etiam cum *Codex Flat*: calamo exaratus eſſet, apparuerint veſtigia armorum, qvibus milites innitebantur, ſedis etiam Regiæ pedumqve ejus, ubi conſtitit, rupi, perinde ac ſi nivi inſtitiſſet, impreſſa. Notat *Petrus Undalinus*, qvi anno triceſimo ſecundo hujus ſeculi impreſſam deſcriptionem Norvegiæ conſcripſit, in hac eadem inſula extra cæmiterium, qvod templo adjacet, humanarum manuum, pedum, cubitorum, digitorum, aliorumqve membrorum veſtigia, perinde ac ſi qvis ſaltaturus præcipiti caſu in argilloſam terram decidiſſet, durisſima in rupe conſpici; verum Olafi hæc veſtigia eſſe haut apparet; nec certi qvid affertur de loco, ubi hic conventus in Rogia celebratus fuerit: in Moſture coactum ideo credo, qvòd veriſimilius ſit, eum jam Regem factum ædem ſacram ibi inſtituiſſe & dotâſſe, qvàm primo ejus fortuito appulſu, qvo voviſſe tantum videtur, præſertim cum ipſe intutus ſecuritatis cauſa alienam perſonam aſſumpſerit. Chronicorum author hæc ad Rogiam ideo traxit, qvòd alia de Hordia notâſſet mox referenda; cum in Rogia nihil fortè notabilè inciderit. Nec obſtat, qvod in curiam Gulöenſem freqvens Hordiæ ſocietas coiverit, qvo minus auſtralis Hordiæ cives prius accitu Regio in Moſture convenerint; utrumqve enim conſiſtere poteſt.

Concione advocata, orationem his verbis exorſus Rex perhibetur. *Gratias vobis omnibus, cujuscunque ſtatus & ordinis fueritis, ago habeoque, qvi ad præſcriptum meum huc conveniſtis (non enim dubito, qvin hæc comitia mutuam utilitatem nobis ſint collatura.) Non ita pridem ordines hujus regni imperium in ſe mihi commiſerunt; elaborandum ergo mihi eſt, ut ad eos commoda haut exigua inde redundent: non enim exiſtimabo mihi vos ſervorum loco habendos. Obſeqvium qvidem reqviro, ſed liberis hominibus dignum, id autem præſtando nemo veſtrum iniquè gravabitur. Militiam vobis impero, Regi militabitis, ſed illi primum, cujus ego ſervus ſum, ſupremo nimirum omnium Regi: ejus eritis eqvites, qvi cœlum & terram condidit, præmia illius militiæ uberrima exſpectabitis, qvi ê ſervis vos fratres filii ſui unigeniti conſtituet, regnique cæleſtis hæredes: neque enim hæc regna, quæ in terris ſplendent, alio fine inſtituta ſunt, qvàm ut cives inde optimis inſtitutis formati in cœleſte regnum legi tranſcribique poſſint. Conſtat autem inſtitutio illa præceptis, veram Numinis cæleſtis notitiam cultumque monſtrantibus.* Expoſitis deinde breviter præcipuis fidei Chriſtianæ capitibus, ab idololatria omnes edicto revocavit, obſeqventibus ſpe gratiæ Regiæqve clementiæ factâ: refractarios minis terruit.

Finita oratione, Oratorum primus omnium elegantiſſimus, communem cauſam, ut conſtitutum erat, acturus, ſurrexit: mox autem nimia tuſſi præpeditus, ne verbum qvidem effari poterat; re itaqve infecta iterum conticuit. Cui ſubſtitutus alter cum ſurrexiſſet, repentina balbutie correptus, univerſo auditorio riſum movit. Commotior itaqve tertius, tanqvam fatale ſociorum dedecus nova ſvada deleturus, mox, ut ſurrexit, ad primam ſtatim vocem, ſtupentibus omnibus, adeo raucebat, ut nec ipſe qvicqvam efferre, vel qvæ diceret, alii intelligere poſſent. Victas ergo neceſſitati manus, ſummoto divinitus, unde paganismi propugnandi ſpes omnis dependebat, auxilio, turba ethnica dedit, nec ex illo conventu ullus, anteqvam baptiſmo admotus eſſet, dimiſſus eſt. Ibi Thangbrandus presbyter ad mulieres ſervosqve & impuberem ætatem ſalutari lympha abluendum, articulosqve fidei edocendos, cum pluribus verbi Divini miniſtris relictus eſt. Solebat enim Rex ubicunqve novellam religionem plantaſſet, fanis deſtructis, idolisqve confractis, ſacras baſilicas ſubſtituere, ubi id neceſſarium videbatur. His Marcus Nomophylax carmine teſtimonium perhibet. Martini Archiepiſcopi Thuronenſis memoriam genialibus poculis in ſympoſiis nuptialibusqve feſtivitatibus in Norvegia, dum religio Romano-Catholica vigeret, imo & illa qvantumvis in Islandia antiqvata, etiamnum hodie inibi recoli, ſed tantùm dum nuptiæ celebrantur, notum eſt. An vero ex ex hac, qvæ hic deſcribitur, cauſa, veneratio illa his in locis ortum traxerit, plane bubito; cum conſtet, cultum illum Divorum unà cum religione propagatum, ipſis præconibus ſingulis ſuum tutelare Numen neophytis ſummopere commendantibus.

CAP. VIII.

REX PROCERIBUS HORDIÆ AD PROPUGNANDUM PAGANISMUM CONSPIRANTIBUS, SIBI CONCILIATIS, SOROREM SUAM PROPINQVO EORUM JUNGIT; TOTAM HORDIAM CIVITATI CHRISTIANORUM AGGREGAT, NUPTIAS SORORIS CELEBRAT, ERLINGOQVE AMPLUM DISTRICTUM MAGNAMQVE POTESTATEM CONCEDIT.

Cum autem fama adventûs Regis, violatarum legum, armati exercitûs, irrogatorum ſuppliciorum, duriqve de avito Numinum cultu deſerendo mandati, graviſſimarum in tergiverſantes pænarum metu omnino exeqvendi, in Hördiam (borealem forte) pervolâſſet, proceres provinciæ illius, viri potentes & invicem neceſſarii, in unum convenerunt, omnes ex Ketille Horda-Kario oriundi; cujus filios qvatuor in vita Haraldi Grafeldi & alibi recenſui, Thorleifum nimirum Sapientem, Augmundum Thorolfi Skialgi patrem, Aulmodum Senem Askelis patrem, Aslaki Fitiaſkallii avum, præter filias, qvæ locis citatis extant. Horum potentia late per Hordiam tunc & longo ante tempore dominabatur. Qvi familiæ princeps habebatur, *imminentem iis Regem* ſignificabat, *cui reſiſti haut facile poſſit; haberi enim longo uſu bellicarum artium peritiſſimum, continuoque ſucceſſu felicem, geſtorumque famâ & magnitudine inclytum, aliis præterea virtutibus admirabilem, ut dignus ſit cui obſeqvantur, modò ea*

exigat,

exigat, quæ honestè præstari, & præsertim absque religionis labe, Deorumque immortalium offensa, possint. Novum autem illud dogma, dissentientesque â patriis institutis ritus, qvi obtrudantur, sibi prorsus ignota, nec omnino aliter admittenda videri, nisi impetrata re aliqva, magnum ad honores familiæ suæ augendos momentum allaturâ. Hæc ratio, utpote tuta & ad auctum fortunarum honorumqve apprime utilis, cum omnibus probaretur, placuit ut ad Gulöensis societatis tribunal freqventi comitatu singuli convenirent, Regisqve imperata cognoscerent. Ibi cum Rex in concionem processisset (nam & provinciarum principes eum locum delegerant) civesqve magna freqventia comparuissent, proceres seorsim primo allocutus, Christianam rem ad illos magnis rationibus commendavit, iisqve illius professionem, ut cæteris omnibus, injunxit. Qvi eorum potentissimus habebatur (Aulmodum Senem Chronica nominant; qvem certe admodum grandævum tum fuisse oportet) verba Regis hoc responso excepit. *Eqvidem de his tuis mandatis nostræ familiæ principes invicem deliberavimus, conclusimusque, qvandoqvidem in animum induxisti, tormentis & vi nos ad imperata compellere, legumque beneficia nobis eripere, jura subvertere, omnibus viribus tibi resistendum, fortunæque eventum committendum. Si vero familiam nostram novis meritis obstringere malueris; facilè nos omnes obseqventes habebis.* Rex qvid expeterent, qvæsivit; *primùm*, respondebat, *ut sororem tuam Astridem agnato nostro Erlingo Skialgio, juveni tota Norvegia præstantissimo, matrimonio jungas.* Rex *haut eum sororis conjugio indignum videri, utpote nobilitate generis formaque & dotibus aliis, quæ juventutem maxime exornarent, conspicuum; arbitrium tamen nuptiarum penes sororem fore; se vero causam ejus acturum, nec qvicqvam, qvod in sua potestate esset, denegaturum, qvod ad religionem promovendam facere posset.* Sororem deinde accedens postulata exposuit. Illa *parum sibi Regios ortus vel fratrem Regem profuturos* respondit, *si se viro ignobili elocandam constituisset: se annos adhuc aliqvot domi mansuram, idoneum procum interea exspectaturam.* Atqve his dictis abiit. Erat Astridi accipiter in deliciis, qvem Rex plumis nudatum ad eam misit, alienis eam pennis volare significans; qvo viso, offensum eum judicans statim accessit, comiterqve excepta, postqvam sortem suam arbitrio ejus commisisset, *in mea potestate situm existimabam*, respondit, *quemcunque libuerit, in regno meo evehere.* Facta spe nuptiarum, Erlingus cum omni familia purioribus sacris initiatus est. Mox de religione pagana abolenda Christianisqve sacris instituendis actum, faciliqve negotio, nullo procerum obnitente, Aulmodo autem & Erlingo cum omni familia annitentibus, negotium tam pium processit. Atqve ita universus Hördiæ populus Christianorum numero solenni baptismatis sacramento adjectus est; nec longe post Erlingi nuptiæ, præsentiâ Regia ornatæ, magna freqventia celebrabantur; qvem cum Comitem Rex creare vellet, titulum qvidem, utpote majoribus insusitatum, recusavit; satrapæ dignitate more eorum se contentum fore dictitans: potestatem tamen, non titulo solum, sed qvovis alio, præter Regem, majorem deposcebat; id qvod ei Rex benignè pollicebatur, præstitqve discedens, conferendo jurisdictionem in provincias Sognicum mare & promontorium Lidandisnesiam interjacentes, eodem jure qvo proavus Pulchricomus fevda filiis suis concesserat. Ipse autem versus Aqvilonem progressus Evangelium omnibus annunciavit. Poscit locus, ut occasione Erlingi, eorumqve, qvæ mox dicenda sunt, genus ejus, patrisq; mores, studia finemq; ex Olafi Trvggvini vita altius repetam. Hæc enim me alibi legisse non memini.

CAP.

CAP. IX.

THOROLFI SKIALGI GENUS, POTENTIA FLAGITIA ET EXITUS EXPONUNTUR, ROGNVALDI DE ÆRUVIKA DOLI ET ULTIO, UXORIS EJUS PÆNITENTIA, DIVORTIUM, PEREGRINATIO, CONVERSATIO CUM REGE OLAFO, ET CONVERSIO AD FIDEM, PIUSQVE EXITUS.

PAter ErlingiThorolfus, cognomento Skialgus, patrem habuit Augmundum, avum Ketillem Horda-Karium, virum celebrem; matris Skialgi nomen non extat, avum tamen maternum Girderem Origines Islandiæ nominant. Hunc vir qvidam natione Svecus, nomine Thormodus Ramius, Haraldi piratæ filius, occidit, ideoqve a Rege Biorno de Colle (posteriore) proscriptus solum vertit, inqve Islandiam migravit, tractum Siglufiordum in boreali qvadrante universum occupavit, prædiumqve Siglunesiam incoluit, postea ob litem de terminis cum Olafo Beckio vicino suo septemdecim homines occidit, prius qvàm eam ita inter se componerent, ut parte controversa per vices pariter fruerentur. An vero avus Skialgi Girder etiam Svecus fuerit, compertum non habeo, licet in Svecia occisus videatur. Thorolfus certè Skialgus in Jadria, Stavangriæ oppido adjacenti provincia, prædium Solium inhabitavit, vir opulentus & injuriosus, numeroso servorum familiariumqve agmine formidabilis. Ejus amicitiam Lodinus, vir opibus qvàm animi viribus instructior, impensè coluit, qvi prædium Æruvikam prope Stadas incoluit, uxoris Gidæ, â formæ venustate qvam castitate comendatioris, maritus. Is sæpiusThorolfum (cum, ut videtur, agros possessionesqve suas visitaret) ad convivia invitare, longoqve tempore detinere solebat; unde familiaris consvetudo inter Thorolfum & Lodini uxorem exorta usuqve in dies crescens adversâ famâ hautqvaqvam caruit, fato Lodini etiam magis accensa, cum ædes, ubi acqvievit, Skialgo præsente subitò incensæ, unà cum eo conflagrarent, nec Skialgus ad tam tristem nuncium moveretur, suspectus inde cædis vel perpetratæ, vel mandatæ, sed potentior, qvàm ut reus agi posset, infamis tamen, maxime cum conjugem ejus & filios duos curationis specie domum secum cum bonis mobilibus duceret; mox agros, possesiones omnes & allodia, adeoqve omnem rem familiarem, proprietatis jure sibi vendicaret, filiosqve ejus duos Ulfum & Rognvaldum servitute premeret; cujus impatiens Ulfus extra patriam in servitutem vendebatur, nec deinceps de eo qvicqvam constat. Occultior Rognvaldus cum adolevit, viribus & statura magnus, sed deformis, fabrilibus artibus deditus, sedulò laboravit, lucrumqve domino haut contemnendum contraxit; qvem licet in servorum numero Skialgus haberet, qvòd tamen industrius esset & æconomiæ peritus, aliis eum servis domesticisqve, non ut liberum vel manumissum, sed operarum inspectorem præsidemqve præposuit. Qvi cum conjugem ab eo sibi dari posceret, pauperis rustici filiam, nomine Sigridem, sed formosam, ei dedit, id qvod illi magni muneris loco imputabat, majoremq; industriam fidemqve eo nomine exegit. Ex illa Rognvaldus filium procreavit, qvem Gunnarem vocabat, puerum valde formosum, qvem Skialgus pariter ac proprium filium dilexit. Singulis æstatibus Skialgus pira-

ticæ ſtudio rem familiarem auxit, Rognvaldo domûs univerſæ curâ commiſſâ ; per hyemes autem domi univerſam familiam ſuſtentavit. Anno qvarto, ex qvo contubernium cum Sigride Rognvaldus contraxit, iterum ad latrocinandum profecturus Skialgus, Rognvaldo mandavit, ut eadem æſtate novum idqve vaſtisſimum triclinium, convivis amicisqve poſt reditum magnifice excipiendis idoneum, qvàm curatisſimè exſtrueret, fabrosqve ſibi provideret, interqve ſervos contubernales ſuos operas partiretur. Qvi haut ſecus ac juſſus erat materiam ad ædificium qvàm exqviſitisſimè conqviſivit, architectosqve duos Vandalos, utrosqve peritisſimos, magno pretio conduxit, liberaliterqve habuit, nihil enim ad uſus etiam ſupervacaneos defuit; initaqve cum iis arctiore amicitiâ, ædificium citò perfecit, ſegmenta autem omnia diligenter aſſervavit. Perfecto ædificio, ſtrues lignorum ſervos convehere jusſit, iis omnes parietes novæ domus undiqve ſepſit, altitudinemqve eorum exæqvavit.

Autumno redux Skialgus cum omnia approbaret, tantùm qvæſivit, cui uſui tot lignorum ſtrues congeſſerit? *in alimenta hybernorum focorum*, reſpondit, *quæ ſine intermisſione focarias à ſe, non ſine magno tædio & moleſtia, poſcere ſoleant; conſultum etiam voluisſe novis parietibus, piceque novitèr, ſed parce, intinctis, ne Solis æſtu rumperentur.* Convivis demum ad definitum tempus confluentibus, inqve novum ædificium introductis, potionem fortisſimam Rognvaldus, utpote famulantium miniſterio præfectus, obtulit. Architecti etiam ad inferenda potulenta cum plurimis aliis adhibebantur; qvos Rognvaldus ſedulò hortatus eſt, ut ſum̃a alacritate primo veſpere omnibus vina miniſtrarent, a principiis enim famam totamqve convivii commendationem celebritatemqve dependere. Architecti cum pluribus aliis etiam domeſticis, omnium conſiliorum ejus participes, magno ſtudio convivas ad potandum allicientes, non prius deſiſtebant, qvàm ii domeſticiqve omnes ſomno vinoqve ſepulti, per ſuas qvisqve ſedes ſtrati, ipſe etiam Skialgus, tenens gremio puerum Rognvaldi filium, qvem veſte pulcherrima induebat, jacerent. Tum vero Rognvaldus & architecti argenteæ ſuppellectilis excuſæqve monetæ magnam vim ad navigium deferentes, ſegmentis per æſtatem reſervatis ſtruibusqve lignorum aridorum fores obſtruebant; puerô tamen ſopito prius elato, matriqve traditô. Ignis deinde fomiti injectus, qvo repentè univerſa domus cum omnibus convivis conflagravit, nemine tantæ cladis nuncio relicto. Ipſe Rognvaldus cum architectis uxoreqve & parvulo filio naviculam confeſtim e litore moliti, non procul aberant, cum excitus puer ardentia tecta domeſtica conſpexit, iratusqve valde; culpam incendii in patrem conjecit, teſtatus maluiſſe ſe cum nutritio perire, qvàm eum ſeqvi: qvem pueriliter increpatum pater conticere juſſit.

Priusqvam ad Stadas perventum eſſet, everſa navi, architecti cum omnibus remigibus perierunt; ſolam uxorem cum puero, ægrè licet, periculo eripuit (mihi vero ſimilius videtur, conſultò evertiſſe, ut ſe metu publicandi qvandoqve facinoris maturè liberaret.) Mox prædium Æruvikam occupavit, agrosqve omnes, expulſis facile villicis, vilioris ſortis generisqve viris, qvos Skialgus præpoſuit, ſibi vendicavit, profeſſus, *Skialgum ob gnaviter navatam operam ſe è ſervitute manu-miſiſſe, omnemqve paternam ſubſtantiam, agrós, poſſesſionesqve reſtituiſſe*; id qvod haut alienum a veritate viſum eſt. Poſtea cum incendium Skialgi convivarumqve percrebruit, nemo aliter qvàm fortuitò accidiſſe interpretabatur; nec erant, qvi inqvirerent, Erlingo filio id temporis puero, magnaqve cognatorum parte

eodem

eodem fato sublata; accedente vicinorum odio, qvod iniqvitate & avaritia contraxerat.

Exiguo interjecto tempore Rognvaldus, duas scaphas magnitudine dispares e litore molitus, filium secum assumpsit, procedensqve in altum, minori puerum impositum staturninibus alligavit, manibus tamen liberis, ut apposita cibaria apprehendere possit, humanoqve adminiculo destitutum ventorum fluctuumqve arbitrio fortunæqve comisit. Ipse domum regressus reposcenti uxori providisse respondit, ne per eum incendium Skialginum vulgaretur. Constat inde, proditionis socios, ipso disponente, submersos, rerumqve raptarum jacturâ interitum iis procuratum, ab eo qvi patrem incendii metu exuere sustinuerat. Puer austro flante inBoream exarmato navigio ad insulam qvandam propter Naumudalos sitam delatus est, qvam opulentus sacrificulus Thoris flamen. sed orbus, incoluit. Hic primus puerum inventum allocutus, nec responsum ei nec vocem elicuit. Fidem superat, qvod de illo & Aslauge Ragnaris Lodbrochis uxore traditur, illa nimirum ætate infantes simulâsse. Cùm igitur post longam inqvisitionem comperisset, latè per viciniam nulli de illo constare, eum in filium adoptavit, liberaliterqve educatum bonorum omnium hæredem fecit, nomine a veste rubra indito, Raudum seu Rufum appellavit. Hic universæ domui præfectus jugi sacrificio Thorem coluit. Nec longum inde tempus effluxit, cum sacrificulo morienti succederet; qvi brevi nutritium cultu Thoris, cui templum illud dedicatum erat, longe superavit; idolum namqve adeo incantâsse perhibetur, ut alloqvi eum & per insulam cum illo deambulare videretur, familiariterqve conversari.

Interea uxorem Rognvaldi Sigridem conscientia consensûs in tanta tam immania facinora torqvebat. Marito itaqve qvesta est, *non diutius licere sibi ejus convictu frui, gravatæ qvippe nimia flagitiorum mole. Nunqvam clandestinam cædem, unam licet, authori ad finem usque vitæ omni ex parte ita impunitam fuisse, ut perpetuum felicitatis cursum subsecuta calamitas non interruperit. Cessisse qvidem hucusque sibi omnia ad votum; verendum ne tot innocentium manes vindictam qvandoque gravem exigant; proposuisse igitur utriusque fortunæ, qvantum liceat, consulere. Relatum sibi, esse passim per orbem mores â patriis plane diversos; alia sacra, alios ritus, alium Dorum cultum in usu esse. Deum autem, qvem colant, Album Christum vocari* (ita eum pagani ab albis vestimentis, qvæ noviter baptizati induebant, appellabant) *tantæ clementiæ & bonitatis, ut cultoribus suis criminum omnium, etiam numero & pondere gravissimorum, veniam & impunitatem gratis largiatur. In Anglia autem audivisse versari popularem suum Olafum Tryggvii Regis filium, his sacris addictum; ad eum itaque se profecturam.* (Hoc etiam testimonium adstruit, ante annum nonagesimum qvartum Olafum in Anglia Christianum factum; vix autem illa fama uno eodemqve anno in Norvegiam pervolare poterat.) Rognvaldus, *malle qvidem se* respondit *ne mutuum convictum solvant*; *ejus tamen arbitrio & libertati ne qvicqvam detractum velle.* Deinde magnis opibus instructa (abundabant enim) in Angliam cum mercatoribus transfretavit, Olafoqve adito, causam adventus sui Christianæ professionis desiderium exposuit. At is admiratione Divinæ clementiæ exsultans, qvi Sancto suo Spiritu eam in medio paganismo afflare & ê potestate tenebrarum in viam veritatis deducere dignatus esset, benigne & amantissimè exceptam participem bonorum cælestium, divinarumqve promissionum, per sigilla fidei fieri curavit. Tum demum (fortè cum in Norvegiam profecturum animadvertit)

oravit, *ut si forte universum Norvegiæ imperium* (qvod Deum ei certe concessurum speraret) *conseqveretur, veraqve religione Christiqve cultu incolas imbuere niteretur, duorum hominum rationem habere dignaretur. Rognvaldi nimirum de Æruvika, ad australe Stadarum latus habitantis, viri inter proceres magni nominis, mariti sui, & Raudi, qvi insulam juxta Naumudalos a se denominatam incolat: Rognvaldi qvidem ingenium suo ad ungvem exprimentis; utrosque enim duros & intractabiles esse; hos blanditiis qvàm minis aut suppliciis Christo sibiqve lucrari malit, fideles futuros cum fidem dederint, nec rationibus ejus inutiles.* Deinde rem omnem, qvæ inter Skialgium & illos intervenit, confessa, pluraqve de regionis statu, procerum ingeniis viribusqve, exposuit, discedensqve Regi ampla munera donavit, peregrinationeqve longinqva suscepta, remotissimas terras invisit, ubi piis studiis dedita vitam fine beato felix mulier clausit.

CAP. X.

DE PROPAGATA A REGE PASSIM CHRISTIANA RELIGIONE, DESTRUCTISQVE DELUBRIS, ISLANDORUM AD EUM ADVENTU, ET URBIS NIDAROSIÆ ÆDIFICATIONE.

SEcundùm nuptias Erlingi Skialgii, cum Rex ex Hordia Aqvilonem versus tenderet, prædio Æruvikæ appropinqvabat. Memor autem eorum, qvæ Sigridis exposuerat, nuncios ad Rognvaldum arcessendum misit; qvibus hospitaliter exceptis, respondit, *nihil rei esse, cujus causa Regem accedat; si ipsis pateat, exponendum esse, illis interim hospitio frui liberum, sibi etiam acceptos fore.* Hoc responso dimissi ad Regem redeunt, qvo cognito; *qvandoqvidem*, respondit Rex, *ille sibi mecum nihil rei esse arbitratur, mihi certe cum illo erit, armataque manu ad eum proficiscar.* Ut autem Rognvaldus appropinqvantem Regem præsensit, vernas omnes & famulitia amandavit, remotisqve arbitris Regem exspectabat. Qvem ut solum domi Rex animadvertit, cognito, dominum loci esse, conspicuum virum & fortunatum sibi videri pronunciavit. Obviam procedentem, verecundeqve salutantem, cum clementer admisisset, ad Christianam religionem convertere conabatur, expositisqve argumentis, qvæ religionum mutationem necessariam svaderent, omnia delicta, etiam gravissima, prævia feria pænitentia, singulorumqve coram sacerdote confessione, sacro lavacro expiari adjecit. Finita oratione Regis Rognvaldus, *quâ hucusque ductus sit persuasione, feliciter se usum* respondit; *haut tamen quicquam eorum, quæ Rex proposuisset, sibi displicere, præterquam quod se ad prodenda quæ deliquerit, obligare velit. Complura enim sibi accidisse, quæ nemini exponenda duceret: id solum obstare, quo minus Christianus fiat, neque tamen obnixurum quo minus alii, etiam suæ jurisdictioni subjecti, Christum colant.* Rex itaq; eum comprehendi inqve custodia servari mandavit.

Hac eadem æstate (*Chronica* autumno habent) Rex in Dragsheide prope Stadas qvatuor provinciarum concilium convocavit; ibi Sognia, Fiordi, Sunn-Mæria & Raumsdalus convenerunt, magnoqve comitatu Rex ex australibus Regni partibus Rogiâ Hordiâqve accito accesit. Mox illis ethnica sacra deserenda, Christianaq; recipienda indixit. Diutule tergi versantes,

ſantes, parendum, aut bello ſecum certandum monuit. Cives ad vim inferendam aut propulſandam cum impares ſibi viderentur, Chriſtianæ militiæ ſacramentum dederunt. Inde in inſulas Seliam & Kinnam profectus, reliqvias inde Divæ Sunneſæ reliqvorumqve Sanctorum ſuſtulit, ut ſupra dictum eſt. Inde in Normæriam cum copiis omnibus conceſſit, totamqve provinciam Chriſtianorum ſacris imbuit. Hladas deinde navigans, delubrum illud longe celeberrimum, qvod Comes Hacon innumeris Diis conſecraverat, Oddo Monacho teſte, deſtruxit, idola veſtibus & ornamentis nudavit, annulumqve ponderis ingentis, qvem conflari curaverat, valvis templi abſtulit: tandem materiam univerſam fani cum idolis omnibus in cineres redegit.

His concitati cives, telo ſeditionis belliqve indicio in ſingulas circumjacentes provincias miſſo, omnes earum populos ad arma Regi inferenda exciverunt. Tumultuantis plebis impetum declinaturus Rex, copiis navibus impoſitis, ſinu egreſſus in Aqvilonem vela vertit, in Halogiam ad Chriſtianam religionem propagandam moturus. Ubi ad Naumdalos delatus eſt, in Raudſeyam inſulam, ubi Raudus habitavit, contendit. Mane ejus diei fanum Thoris Raudus acceſſiſſe perhibetur, idolumqve conſveto triſtius & ſine reſponſo deprehendiſſe: cui cauſam curioſe ſciſcitando cum vocem elicuiſſet, *Regem ſibi inimicum eò contendere*, reſpondit: myſtaces itaqve barbamqve ut inflaret, Raudus juſſit, eiqve reſiſteret. Thor *parum eò ſe profecturum* teſtatus, in inſulam cum illo exſpatiatus fertur, inflataqve barba, ventorum magnam procellam excitâſſe, qva aliqvoties Rex retrocedere coactus fuerit. Tandem autem tempeſtatem eluctatus in inſulam cum perveniſſet, convocatis incolis, ſolo Raudo imperium detrectante, ad eum acceſſit, Chriſtianamqve religionem ut cæteros, ſed lenibus verbis, profiteri mandavit: *nullam namque in idolis vim eſſe, qvæ ſe movere neqvirent, nedum aliis opem ferre, vel ſi moveri viderentur, non tamen illud propria vi, ſed malorum ſpirituum præſtigiis fieri* monſtrabat. Abſurdum id Raudo viſum eſt; aſſvetum idolo ſecum deambulare, futuraqve prædicere ſolito, invictum eſſe contendens, luctâ Regem virium cum eo periculum facere voluit. Inſtructus igitur in medio focus erat: ad ſingula latera luctatores ſibi invicem oppoſiti ſtabant. *Non aliàs ſibi imperatum* Rex ajebat, *cum viſibili dæmone certamen, pro tamen Dei gloria neque ſe illud defugiturum.* Tanta maligni ſpiritus efficaciâ idolum inflatum perhibent, ut ad focum, licet ægrè, acceſſerit, viſumqve fuerit cum Rege manus conſerere, ſed decedente eo, qvi impleverat, malo genio, in ardentem ignem præcipitatum conflagrâſſe. Qvo conſpecto Raudus, *Thorem qvidem victum* confeſſus, *ſe eum in poſterum culturum negavit, nec tamen in præſens eam religionem, qvam Rex profiteretur, protinus ſe approbaturum.* Eum igitur comprehendi inqve cuſtodiam dari Rex mandavit; nec interim ei de Rognoaldo, qvem Rex ſecum circumduxit, nec huic de Raudo qvicqvam conſtitit. Rex magis facto qvàm verbis demonſtrata idolorum vanitate, omnes inſulanos Chriſtianis ſacris initiari feci.

Hac in inſula Regem per exploratores certiorem factum, de Halogenſibus, ſeu Haleigis, armata manu ſe acceſſu provinciæ prohibituris *Codex Flat*: tradit, (*Chronica Mss.* id in Biarnauris, *verſio Danica* in Biorne baag nominat, compertum aſſeverant) Principes factionis fuêre Harecus de inſula Thiotta, Thorer Hiortus, & Eyvindus, cognomine Kinnriſa, ſeu lacerata gena. Itaqve Rex retro in Thrandiam rediit, cognito Thran-

dos ad ſua qvemqve domicilia relapſos, comperto eum evaſiſſe, inqve Halogiam deflexiſſe. Verum ab hac *codicis Flat*: traditione reliqvi in diverſum abeunt: inde etiam omnis temporis ordo invertitur, non enim in Thrandiam rediiſſe volunt, ſed in auſtrales regni partes conceſſiſſe, Stadasqve prætervectum, lento deinde itinere prima hyeme in Vikam rediiſſe, idqve ſub exitum (ut ex annorum, qvos enumerant, ſerie appareret) anni nonageſimi ſeptimi. *Codex Flat*: hæc & complura, qvæ ſeqvuntur, ad annum præcedentem refert. Diſſenſum in ſingulis indicabo.

Raugnvaldum deinde & Raudum in cuſtodia detentos Rex in itinere ſecum duxit, ſæpeqve Rognvaldum remotis arbitris allocutus eſt. Cognito qvòd eſſet vir prudens & multa experientia doctus, inter alia mentione de Thorolfo Skialgo injecta, qvem incendii illius authorem ſtatueret, ſciſcitatus eſt; ille *haut eqvidem ſibi conſtare* reſpondit, *fuiſſe ſe qvidem apud eum ante incendium, incolumem autem ſe diſcedente fuiſſe: qvoties autem caſus ille animum ſubiret, ſemper ſibi Raudum de Raudſeya occurrere.* Nec ulterius qvicqvam confeſſus eſt. Mihi minus vero ſimile videtur, eum, ſi Raudum ſuum filium exiſtimavit, his revelandis occaſionem dediſſe, cum diſcrimini vitæ, imò certiori morti, ea de cauſa ipſum dudum objecerit, ne culpa tam atrox manifeſtaretur. Raudus de eadem re a Rege interrogatus, *neſcire ſe* reſpondit, *tantùm Rognvaldum de Æruvika ſibi ſubire, cum eam rem animo volutaret*. Ulteriùs an Chriſtianus fieri vellet? rogatus, cogniturum primo an Rognvaldus iſti religioni ſe addixiſſet, reſpondit. Utrumqve ergo ſimul ſibi, ſed ſinè arbitris, ſiſti Rex curavit, deqve incendii authore coram interrogavit: cumqve ne-utri ullam confeſſionem aut indicia expresſiſſet, admiratus conſtentiam; *Quandoquidem*, inqvit, *vos nihil mihi exponere hac de re decreviſtis, ego vobis, utrique veſtrum, ſed ſolis, rem cognitisſimam enarrabo, perceptam quippe ab uxore tua, Rognvalde: in cujus gratiam, modo vos Chriſto nomina dare, mihique fidem veſtram obſtringere non ulterius recuſetis, pœnam pro merito metuque tuo longe minorem exigam, in poſterum etiam favore proſequar.* Obſtupuit ad hæc Rognvaldus, exclamans: *incomparabilis benevolentiæ felicitatisque Princeps haut immeritò cluis, cujus uberrimus proventus ad nos noſtrosque poſteros, & quotquot tibi obſequi nôrunt, æternum redundabit.* Moxqve rem, ut geſta eſt, confeſſus, nexum ſangvinis inter ſe & Raudum non ultra diſſimulavit. Ambo deinde ſimul ritu Chriſtiano initiati, ſeqve invicem ab illo tempore mutuo amore complexi, Regem, qvoad vixerunt, obſeqvio & honore proſecuti ſunt. Hic eſt ille Rognvaldus, qvi inter Duces recenſetur eos, qvi in prælio Jomico Haconi militantes fortisſimam operam ei locârunt. Qvæ hinc ſeqvuntur, non uno modo recenſentur a Scriptoribus. *Codex Flat*: tuetur, Olafum in Thrandia hyemem illam & æſtatem proximam permanſiſſe, geſtaqve horum temporum intra Thrandiam recenſet. *Chronica* in Vikam tranſiſſe perhibent, partemqve geſtorum maximam, nimirum ex qvo inde primum in Agdas progreſſus eſt, ad annum nonageſimum ſeptimum referunt. Mihi *Breviarium Nidaroſienſe* magnam controverſiæ partem decidere videtur, qvod corpus beatæ Sunnefæ in ſcrinio collocatum tradit anno CMXCVI; id vero poſt conventum Dragsheidenſem primò inventum eſt: unde concluditur, ea, qvæ præmittuntur, ad eundem annum eſſe referenda, etiam qvæ ſeqvuntur, ad reditum usqve ex Halogia. Thrandiam autem tunc repetiviſſe, ſopita ſeditione, reditus Hallfredi ex Islandia perſpicuè evincit, qvem *Codex Flat*: in eundem annum conceptis verbis refert.

Eodem

Eodem anno, qvo Hallfredus Nidarosiam rediit, plures Islandi eò appulerunt, qvorum præcipui trium navium ductores memorantur ; Brandus Örvius, Vermundi Gracilis de Vatzfiordo filius, & duo fratres Biarnius & Thorhallus Brediar-Skeggii filii, & Kiartanus Olafi Pavonis filius, omnes ethnici, sed persvasione Regis ad fidem conversi: qvod qvomodo processerit, cum paulò prolixius sit, ad calcem vitæ Olafi remittam, ubi Hallfredi & Kiartani gesta peculiaritèr describuntur.

Ejusdem anni autumno in ripis amnis Nidis ædificia exstrui curavit, locumqve urbi statuendæ delegit, gratisqve aream ædificandis domibus volentibus impertivit, Regium autem palatium supra locum Skipakrok/ seu *angulum navium*, constituit, omnemqve commeatum hybernum eò per autumnum deferri curavit, magno enim comitatu & freqventi satellitio ad salutis suæ tantiqve moliminis securitatem id temporis stipabatur. Chronica hæc ad mediam æstatem anni CMXCVIII referunt.

CAP. XI.
DE ACTIS IN CONVENTU FROSTENSI, CONVIVIO REGIO, SUBACTISQVE CIVIBUS.

HOc eodem autumno, *Codicis Flat*: calculo, qvi tamen *Chronicis* octavus est, octo provinciarum Thrandensium populi Regio edicto ad Concilium Frostense convocati, sed civium mandato armati, omnes servi pariter ac liberi eò confluxerunt. Differenti de Christianis sacris necessariò recipiendis ingenti clamore, interrupta oratione, silentium imperârunt, secus irruptione facta Regno se eum exacturos aut occisuros minabantur; idem Haconi Adalsteini alumno hæc nefanda imperanti, memorabili ad omnem posteritatem exemplo, factum, nec causam subesse, cur plus Olafo tribuant. Cui cum consultissimum visum fuerit, cum civibus suis in gratiam redire, iniqvoqve postulato desistere, nec ei indignum ejus exemplum seqvi. Videns autem Rex concitatæ turbæ se in præsens imparem, verbis eam demulcendam ratus; *memorem se futurum*, respondit, *gratiæ eorum, cum imperium ipsi, id temporis ignoto, in se commisissent, fæderumque & juris contractæ mutuæ societatis, ideoque bello utrisque periculoso exitiosoque persequi eos nolle: malle pristina pacta sanctaque fædera renovent: se ad celeberrimum eorum sacrificium accessurum, ritusque & ceremonias eorum inspecturum, inque eam rem Concilium convocaturum, deliberaturumque, quam religionem, quos Deorum cultus, potissimum probandos communitèr existiment; deinde certum quid, quod utrique in posterum sequantur, sublato ulteriore dissensu, concludendum.* His mitigati cives, facile ei aures deinceps præbebant. Convenit ut sacrificium qvàm maxima pompa & celebritate, procerumqve omnium tota Thrandia confluxu, media hyeme (*Chronicis* media æstate) institueretur, loco in Mæria Thradensi ad id delecto.

Skeggius qvidam inter proceres eminebat, Jarn-Skeggi/ seu, qvod idem est, Ferrobarbus, dictus, incoluitq; prædium Uphaugum de Yriis. Hic ducem se ad obsistendum mandato Regis de religione acceptanda in Frostensi foro præbuit, ethnicorumqve sacrorum vindicem acerrimum gessit.

ſit. Cum tempus comitiis delectum appropinqvaret (*Codex Flat*: ad feſtum Jolenſe adultum hæc refert) Rex Proceres Strindâ, Gaulardalo, Orcadaloqve excitos, cum præcipua nobilitate ad convivium invitavit (*Chronica* eo tempore delecto milite triginta navibus impoſito, in fluvio Nide ſtationem â Rege occupatam, ipſum autem cum aulicorum ſatellitio Hladis reſediſſe tradunt.) Qvi ut convenerunt, magna comitate admiſſi poculis primo veſpere alacritèr adminiſtratis inebriati, noctem absqve ullo ſtrepitu transegerunt. Summo mane matutinis ſacris pro more celebratis ſigno dato, ad conſilium domeſticum omnes advocati ſunt, qvod Rex qvoqve freqventi comitatu cum accesſiſſet, ut ê navibus milites egreſſos conveniſſe, cæteramqve multitudinem animadvertit, exſurgens verba in hunc modum fecit.

Proximum conventum Froſtæ celebravimus, ubi omnibus Chriſtiana ſacra colenda imperavi. Vos ex adverſo ſacrificia religionemque ethnicam mihi. Lis tandem in concilium Mæriæ noſtræ publicis ſacrificiis illuſtrandum rejecta eſt. Neminem autem latet, plurimum me in Deos deliqviſſe, omnemque cultum eorum, ubicunque poteram, deleviſſe; non igitur ſperandum, crimina tanta exiguis litationibus expiari, iramque Deorum averruncari, tamque propitia Numina eorum reddi poſſe, ut imperium felix fauſtumque mihi & largiantur & producant. Magnificum ſacrificium ad id reqviritur, & qvidem ejus generis, qvod maxima ſolennitate celebrari conſvevit. Humanis victimis litandum eſt, nec ê genere ſervorum aut facinoroſorum hominum delectus habendus. Proceres immolandi ſunt, & qvidem ii, qvi imperio, opibus, & genere præcipui habentur. Ad hoc Ormum Lyrgiam de Medalhuſis, Styrkarem de Gymſis, Karium de Gritingo, Asbiornum Thorgeiris filium de Orneſia, Ormum de Lyxa, Halldorem de Skerdingſtadis, qvi omnes jam præſto eſtis; alios etiam ſex ex interiore Thrandia deligam, viros paritèr lectiſſimos, omnes Diis pro annona paceque ſolenni ritu faciendos. Svadet autem, imo urget, neceſſitas, ne ſacrificium differamus: quod ſi in præſens Deos placare nequeamus, iram ſaltem eorum mitigemus; itaque confeſtim mactabimini, digni qvippe, qui hoc noviſſimo officio ad aſſiduum devotumque cultum Deorum adjecto, præmia pietatis, conſortium eorum ſocietatemque nanciſcamini, optatiſſimasque & æternas delicias. Non eſt ergo quod palleatis ad occaſionem tantæ ipſâ morte promeritæ felicitatis. Quid igitur facies vultusq; mutatis, tanquam dubii de deſtinatis tantis meritis præmiis, beatiorisque vitæ deliciis; etenim qui dubitat, certus non eſt, neque firma perſvaſione qvicquam complectitur, Quin potiùs meis præceptis obſequentes, Deum cæli terræque & omnium conditorem veneramini, nihil ex idolis, quæ nihil ſunt, adminiculi exſpectantes. Videntes autem Proceres nihil ſibi virium adverſus Regem ſuppetere, ſe in poteſtate ejus futuros pollicebantur, omnesqve, qvotqvot aderant, ſacris undis abluti Chriſto ſacramentum dicebant, apudqve Regem laute accepti permanebant, donec aut filios, fratres, aut propinqvos, obſides ei tradidisſent.

CAP. XII.

DE ACTIS IN COMITIIS MÆRENSIBUS, NOVIS REGIS NUPTIIS, ÆDIFICATAQVE NAVE TRANA.

Præ-

PRæstituto deinceps tempore ad comitia Mærensia in interiorem Thrandiam Rex cum magno comitatu vectus concessit. Eò etiam omnium Thrandorum (*Oddus Monachus* ex octo provinciis) proceres, qvi novis sacris maxime adversabantur, (trecentos armatos Oddus Monachus memorat) confluxerunt, unà congregatis omnium civium nobilissimis ditissimisqve, qvi sacrificiis id loci præesse solebant, magnaqve freqventia concilium, sicut in Frostensibus comitiis conclusum erat, celebrabatur, adhibitiqve multi ex servis, sacrificiis, *Oddo* teste, destinati. Solennibus igitur formulis, qveis paci publicæ cavetur, consessus institutus est. Utraqve pars mutuo metu armata processit, magno primò tumultu & vociferatione; qvibus sedatis, Rex Christianum religionis cultum, uti prius, omnibus præcepit. Skeggius autem causam civium in se recipiens, omnium vicem hunc in modum respondebat. *Nondum, Rex, mutata est civium omnium sententia: authoritatem legum singulorumque jura illibata conservare, nec ulla ex parte violari desiderant: insuper te ad sacrificandum, more Regum omnium hujus Regni tuorumque antecessorum, Principum etiam Procerumque Thrandiæ, Sigurdi nimirum Comitis Hladensis, & qui nuper maximæ Regni parti præfuit, filii ejus, Haconis Principis, licet Regio titulo abstinentis, prudentia tamen & belli artibus clari, longo tempore auspicatè regnantis, deposcunt; qvi licet Regno, minime tamen ob vim animis de Deorum cultu pro arbitrio sentientibus illatam, opinionumque libertatem violatam, dejectus est. Primus Hacon Adalsteini Alumnus Thrandos nova sacra obtrudendo in se concitavit, nec manus eorum incolumis evasisset, ni consilio Comitis Sigurdi, amicorumque aliorum cedendo civium votis obtemperasset. Idem tibi tutissimum putabo; neque enim Thrandi, quod in Frostensi conventu novissime concluserunt, ulla ex parte revocabunt.* Magnum omnium applausum oratio Ferrobarbi meruit. Rex qvoqve *executurum se ea, quæ ibi convenerant*, pronunciavit, *verum placere delubrum Deorum intrare, idola sacrificiorumque apparatum contemplari.* Ad hæc Skeggius respondit: *& id qvidem prudenter, si promissa religiose servare Deosque placare in animum inducis. id enim tum tibi, tum cuivis alii, qui eos læserunt, tutissimum arbitramur; nec dubito, qvin viso magno Deo Thore, habituque ejus accuratius pensato, ita afficiaris, ut quò diutius contempleris, magis admirêre.* Inde Rex paucis suorum, civibus etiam qvibusdam, comitatus, sed omnibus præter ipsum (genus enim armorum, qvod [illegible] vocant, inauratum gestabat) inermibus, fanum ingressus est; ibi idolorum ingens numerus, Thoris statuæ in medio consistenti circumfusus. Is vero præcipuo in honore fuit, auro argentoq; undiq; ornatus, splendidæ thensæ insidens, cui bini capri lignei duobus rotulis impositi jungebantur, qvos catena argento artificiose intexta cornubus alligata devinciebat: omnem apparatum artificis manus mire comendaverat. Rex idola inspiciens iisdem vestigiis defixus consistebat. Tum Skeggius, *Nonne vera sunt, quæ augurabar, conspecto Thore animum te mutaturum? jam enim placidiore vultu eum intueri videris. Non hic*, respondit Rex, *Thorem conspicere videor, sed simulachrum humanis manibus factum ex materia, quam Deus creavit, quam quatenus opificium Dei est, culpare nequeo; cultu autem nullo modo afficiendum, cum mutum sit, motuque proprio destitutum, hoc minus aliorum necessitatibus sublevandis idoneum, quod se ipsum incendio*

vel violantium manibus eripere nesciat. Skeggius *neminem eò audaciæ processurum* respondit, *ut violentas manus Deo inferre sustineret, cum & ipse vim arcere a se possit, & tot amicorum circumstantium præsidio stipatus sit, ne injuriæ oportunus videatur*; monetqve Regem, *malit eum aliqao honoris genere quàm injuria afficere.* Rex, *quo præsertim modo eum ornari velit?* qvæsivit. *Eô*, inqvit, *quem nullo labore præstare poteris Catenaam, qua capri vinciuntur, apprehende modò: experieris quam facile ducentem sequatur. Id si fecero*, ait Rex; *tunc etiam sacra, quæ ego promulgari facio, facile sectaberis? Mihi primò*, respondit Skeggius, *morigerare, multi enim facilitate & comitate demulcentur.* Tum Rex, *neque ego Thorem ut attingam, neque te, cui morem geram, dignum existimo: ne autem quicquam, quod ad honorem Dei patris, filiique ejus unigeniti, salutemque hominum promovendam attinet, omittam, hæc quidem, sed nullo idoli cultu, quo te faciliorem deinceps experiar, agam. Tu modo cave, ne vel Deum Omnipotentem, cui unicè servio, vel me ludibrio habeas: quod si in ejus cultum concesseris, delictorum in me, cui recta præcipienti & ipse restitisti, & multitudinem ad resistendum concitasti, veniam consequêre, & plurima in tui gratiam deinceps exspecta.* Arreptaqve catenâ, carpentum per subjectas rotas volubile duxit; qvo viso Skeggius, sublato cachinno: *Heus* inqvit, *bone Rex, Thorisne assecla factus es? ut qui subjectionis ministerium ei præstitisti, & quidem quale nullus antea Regum, qvos vel vidi, vel famâ cognovi, aurigam ejus te profitendo. Ei igitur cæterisque Diis nostris arctissimo subjectionis nexu obligatus teneris* (non ergo in usu fuit septentrioni, ut thensam Jovis Reges deducerent.) Tum Rex valde commotus elatiore voce, ut omnes, etiam qvi extra fani parietes erant, facile perciperent, respondit. *Asseveravi quidem tibi, Skeggi, nihil me cultui supremi Numinis adversum, vel vehiculum attingendo, vel alia quavis actione, facturum; vetui etiam, ne vel Deo vel mihi illuderes, præmia recta monentem secuturis proposui, pænas contumacibus: utrumque data facultate persolvam; moxque experiere, Dei me, non Thoris servum esse*: simulqve telô, qvod manu tenebat (rcspi) statuam tanto ictu percussit, ut carpento repente delapso, magnam partem confringeretur; qvo viso satellites Regii omnes, qvi delubrum ingressi sunt, impetu in idola facto, sedibus suis singula dejecerunt, Skeggio universos ad Deos vindicandos magno clamore & fremitu exciente. Qvi dum inter medias Regiorum manus exitum molitur, ut præceptum ante erat, præ foribus delubri confunditur, Rege incolumi ad suos se recipiente. Tum vero civibus cum tumultu & vociferatione sine ordine, sine imperio ruentibus, Skeggiumqve magis lamentari qvàm ulcisci conantibus, Rex assurgens, omnibus ut considerent, imperavit: hac deinde oratione in vesaniam eorum invectus est.

Huc equidem magna frequentiâ coîstis: optandum autem, ut quàm estis irati in præsens, tam essetis oculati, ad ea consilia, quæ omnibus vobis salubria sunt, capienda. Fuistis quidem in Frostensibus comitiis numero quam nunc estis plures, non autem meliores. Præcepi tum vobis veri Dei cultum, omnibus unicè salutarem: vos autem post longum tumultum minasque subornâstis ex vobis advocatum, qui Diaboli cultum instaurandum præscriberet, ejusque causam ageret, aque istis comitiis in hæc, quæ nunc celebramus, transferret. Cælestis Numinis præco adsum, ejus præcipio venerationem, vos vero eodem advocato, quo tunc usi estis, nunc ad acrius obsistendum incitati, in Diaboli castra me compulsari, in exemplum allegastis enorme Haconis Adalsteini Alumni factum. Fuit is quidem vir staturâ, formâ, corporis robore, pluri-

plurimarum rerum peritia supra plerosque admirabilis, patrem Pulchricomum ad amussim exprimens, genere naturæq; dotibus totius Norvegiæ supremo imperio dignissimus, nullo tamen horum laudes ullas meruit; congenita hæc erant, opifici Deo adscribenda, nihilque eorum in ejus potestate aut arbitrio situm. Armabat eum Divina Majestas magnâ potentiâ, qua tutus pro arbitrio suo cives regere, adque cultum & notitiam veri illius Dei, cui omnia debuit, perducere poterat. In tantum autem a patre suo, viro ethnico, sed non â veri Dei cultu, si illius notitiam habuisset, averso, ut ex moribus ejus multisque dictis, fiduciam in Deum declarantibus, tum etiam heroico impetu in magis exstirpandis apparet, degeneravit, ut â servis suis suam potentiam circumscribi passus fuerit. Vos quidem inter laudes ejus commemoratis, quod in idololatriam vestram transgressus sit, nimirum quod metuens sibi a vobis, Deum Diabolo, præsentia æternis, frivola cælestibus, caduca perpetuis, prostituto Regiæ Majestatis decore, permutaverit, ingratus in Creatorem omnium bonorum, tantorumque, quæ memoravi, decorum largitorem. Enormia quidem hæc, id vero longè abjectius, genereque & tanto patre indignum, quod rebelles & seductores suos, tanti criminis reos, postmodum in gratiam receperit. Ut autem ad vos, cives, orationem convertam; haut equidem me vestra piacula latent. Principem â potestate tenebrarum vos eripere satagentem, cælestium bonorum participes redditurum, ab optimo proposito æque vero Dei cultu avertistis: specie convivii, ad quod illum invitâstis, ad sacrificandum compulsuri vobiscum compotare coëgistis: crateribus autem cum signum crucis imponeret, uni vestrûm observanti increpantique Sigurdus Comes, mallei interpretatione subdole injecta, satisfecit; deinde ad biandum super climacterem compulistis, quocirca ferrum pervetustum vestris cervicibus inhiare faciam, ultionemque tanti sceleris in eum commissi de vobis repetam; denique hepar equinum degustare eum jussistis, & ne fecerit valde vereor: vos ideo mortem amaram degustabitis, mox & animas vestras canes infernales, ni resipiscatis. Haconem autem Comitem quod attinet, quemque in patrocinium causæ adduxistis, prædonem eum magis quàm Principem agnosco, utpote qui occisis legitimis Principibus, iisdemque suis Regibus & Dominis, regnum invasit, Christianam religionem, quam solenni sacramento in Dania cum omni suo comitatu suscepit, seque per universam deinde Norvegiam propagaturum juravit, exauthoratis remissisque verbi Divini ministris, turpiter deseruit, fædus apostata; Hacone Rege tanto deterior, quod nulla unquam tanti sceleris pænitentia duceretur; nec mirum, ex mala arbore malum fructum produci. Fuit enim pater ejus Comes Sigurdus præcipuus laqveus & decipula, quibus Rex Hacon irretitus capiebatur, vere talis, qualem Evangelium describit, Lupus ovinam indutus; cujus tamen, vindice Deo, doli in caput ipsius redundarunt, cum â fratre proprio deceptus ultrice flamma seculari, mox æterna torrendus, absumtus est. Celebratur quidem filius ejus Hacon ob bellum Jomicum strenue gestum; quid autem ibi strenue gessit? scilicet non sua virtute, sed tenebrarum præstitis opera, immolato publice pro victoria filio septenni, seque ipso simul ei devovendo superior evasit. Horum duorum transfugarum exemplo me eam, quàm Christo Domino meo fidem dedi, vel illecebris vel minis vestris abjecturum, nolite amplius sperare: & ut paucis me absolvam, aut hoc ipso momento, Christianam religionem acceptate, aut aciem adversus me instruite; id saltem præmoniti, majorem copiarum mearum partem, quam coràm cernitis, in subsidiis occultari, me quoque belli haut insvetum, majus periculum expertum, quàm certamen adversus rusticos aut inconditam turbam.

His orationem finiebat. Cæde autem antesignani sui SKEGGII perterritis

territis omnibus, nemo ſigna adverſus Regem erigere auſus eſt, itaqve ſe ſuaqve omnia ejus arbitrio permiſerunt. Rex ſine mora omnes, qvi aderant (*Oddo Monacho* præter fæminas & parvulos numero ſexcentos) nec ſacris undis prius abluti ſunt, per Epiſcopum & verbi Divini miniſtros baptizari fecit, obſidibusqve fidei pignoribus acceptis, miſit milites cum clericis per univerſam Thrandiam omnesqve ſubjectas provincias ad initiandos ſacris Chriſtianis erudiendosq; ſingulos univerſosqve; nec erat qvi poſt mortem Skeggii illo in diſtrictu obſiſtere auderet. Rex deinde cum univerſo comitatu Nidaroſiam conceſſit. Cives autem funus Skeggii in Eyras deductum in prædio Auſtratt tumulârunt: ab eo collis Skeggiahaugr deinceps nomen contractum ſervat.

His ex animi ſententia, affulgente Divina gratia, expeditis, ad reconciliandos ſibi exacerbatos cæde Skeggii Proceres, ſeditionesqve mature præoccupandas, paucis interjectis diebus, propinqvos ejus convocavit, familiam opibus & numero potentem. Iis itaqve, qvi cædem lite perſeqvi legibus tenebantur, ſatisfactionem obtulit, tandemqve poſt longam diſceptationem res eò deducta eſt, ut in paternæ necis compenſationem filiam ejus Gudrunam Rex in uxorem aſciſceret, tantoqve honore jacturam tanti viri toti familiæ penſaret. Nuptiis autem celebratis, cum genialem thorum Rex conſcenderet, illaqve ſomno ſopitum exiſtimaret, ſicam eum transfixura expedivit; verum vigilans ipſe, periculumq; præſentiens, erepto cultro illam prævenit, ociusqve exſurgens ſuos acceſſit, eisqve, qvæ geſta erant, expoſuit. Ipſa qvoqve ſimul exſurgens, cum omni ſuo comitatu exceſſit, nec in poſterum lecti ejus conſors facta, nec qvam deinde ſortem aſſecuta ſit, proditum eſt; virgo naturæ haut ignobilis, inſtinctu paternæ vindictæ qvàm Regii faſtigii cupidior. *Oddus Monachus* hic qvoq; ab aliis diverſus, tradit Gudrunam fuiſſe pellicem Regis, anteqvam Thyram in uxorem aſcivit, tunc demum poſt cædem patris ab eo dimiſſam, &, ut ſubinnuit, non invitam. Hac eadem hyeme prælongam navem Rex in inſula amnis Nidis, ejus generis, qvod Sneckias vocant, multorum naupegorum opera ædificari curavit, ſcalmis triginta, ſtatuminibus altis, adſtricto alvo, nec admodum eminenti: inde nomen Tranæ, ſeu Gruis, ei inditum eſt.

CAP. XIII.

SIGMUNDUS BRESTERINUS FÆREYIS EVOCATUR, STEFNER EX ISLANDIA REDIT, THANGBRANDUS EO MITTITUR.

HAc eadem hyeme Hallfredus in aula Regis cædem perpetrat, proximo vere Thorleifo Sapienti alterum oculum eruit, rediensqve ad Regem, impetratâ veniâ, in Daniam, & inde Gothiam, proficiſcitur. Horum ſeriem, ne ordo rerum invertatur, ad calcem, ut, antea dictum eſt, remittimus.

Inſeqvente vere Rex Sigmundum Breſterinum ad ſe per internuncios accerſivit, pollicitus ſe eum virum inſulanorum maximum creaturum, ſi ad ſe venire non detrectaret: qvi & cupidine inviſendi Regis accenſus, profectionem neqvaqvam diſtulit, appulſusqve oris Norvegiæ, eum in Sunn-Mæria offendit, inſigniqve benivolentia, habita

bita insuper pro obseqvio gratiarum actione, exceptus est. Comparatione deinde utriusqve fortunæ instituta, ab utriusqve patribus exorsus est, qvorum alter in conspectu filii tenelli, alter prole qvidem vitæ, non autem lucis, participe facta hostili manu, uterqve insidiis & innocens sublatus esset. Utriusq; exinde statum comemoravit, *ut ad necem tenelli quæsiti a propinquis Sigmundus, Thrando in se feralem sententiam pronunciante, Rex a Regibus Gunnhildis filiis, uterque in servitutem venditi; uterque inopes & omnium auxilio indigentes; uterque ut propinquorum persecutioni obnoxii, ita peregrinorum ope Principumque gratia sublati, in exilium acti, possessionibus patriis avitisque privati, postliminiò tandem Divina ope non solum restituti, sed etiam in sua quisque patria Principes effecti: nec natura quàm sorte magis dissimiles; utrique enim formam, vires, staturamque parum ab invicem discrepantem competere: accedere artes exercitiaque utrique communia, ingeniorumque similitudinem: se enim a puero idololatriam ipso naturæ ductu exhorruisse; idem sibi de eo relatum. His invitamentis ductum, quo eam, quam natura occulto quodam nexu inter eos conciliavit, amicitiam consuetudine firmarent, è patria sua ad se accivisse, certum & eum sibi in rebus etiam majoris momenti perficiendis, nec sibi damnosis, gratificaturum. In primis autem optandum, ne in posterum, quos tanta communio conjunxit, dissensu circa Divini Numinis cultum disjungantur: id autem ope auxilioque istius Magni Dei, qui cælum terramque & omnia iis contenta de nihilo creavit, quique eos, ipsis licet insciis, ex omnibus periculis liberavit, obtenturum se facilè sperare*; expositaqve religionis Christianæ ratione, *in magna apud se gratia futurum* pronunciavit, *si hac in parte sibi non refragaretur: levem autem suam gratiam fore, præ illa Divina, præmiisque æternis, cultoribus ejus destinatis.* Ad hæc Sigmundus; *non equidem Regem ignorare* respondit, *Haconis se Comitis satellitium militiamque secutum, magnisque ab eo, utpote amicis familiaribusq; fido, facili, bono, inimicis licet vi dolisque formidabili, beneficiis affectum, à cujus religione Rex toto cælo dissentiat: sed nec se, quantocunque eum amore complexus fuerit, potuisse ab eo hac una in re non dissentire, licet alium Deum, alium cultum meliorem ignoraret. Jam vero ex iis, quæ Rex rationi conformia exposuisset, constare, hunc cultum Haconiano longe præferendum; itaque in eum se facile consensurum.* Hoc responso lætus Rex eum cum omni comitatu sacro baptismo admovendum curavit, inqve intimum amicitiæ gradum receptum, hyemem apud se magno in honore detinuit, constitutis qvi illum articulos fidei probè edocerent.

Hac æstate Stefner ex Islandia redux, magnaqve benevolentia â Rege exceptus retulit, qvàm omnino nihil in convertendis ad Christum Islandis effecerit. Eodem tempore Thangbrandus, Ecclesiæ Mosturis insulæ præpositus, accitu Regis advenerat. Hic ob male administratam pecuniam Ecclesiæ exstruendæ dotandæqve a Rege deputatam, offensam Regis incurrit. Erat enim ingenio inconsultè liberali, magnumqve numerum famulorum alendo, lauteqve vestiendo, sumptus reditibus majores fecit, nec erant id temporis parochiani, qvi ministrorum inopiam sublevarent, nec Thangbrandus de consveta magnificentia qvicqvam remittere sustinuit. Cum ergo patrimonium Ecclesiæ â Rege attributum prodegisset, vicinos paganos diripere cæpit, eorumqve spoliis se famulitiumqve sustentabat. Eum igitur graviter increpatum, cum se proscripturum Rex minaretur, ad preces provolutum, clementiamqve Regiam inclamantem, in Islandiam ad Evangelium efferatæ genti annunciandum ablegavit; culpaqve hoc pænæ an pænitentiæ genere expiatâ, locum

 gratiæ

gratiæ priorem, si negotium fideliter desierit, promisit, navemqve cum commeatu & rebus, qvibus indigeret, suffecit, adjectis comitibus, & in his viris ordinis Ecclesiastici qvibusdam, qvi ei auxilio essent, ejusqve labores sua industria levarent. Atqve ita ab omnibus abundantissimè instructum dimisit; qvi eadem æstate felici usus navigatione eò pervenit. Fuit Thangbrandus statura corporis grandi, viribus magnis, voce clarâ, vir doctus, qvi injurias non qvidem inferret, sed illatas promptè ulcisceretur, commotior verbis factisqve impetuosior.

CAP. XIV.

DE ITINERE REGIS IN VIKAM, ET IIS, QVÆ INTER SIGRIDEM IMPERIOSAM ET EUM INTERVENERUNT, BAPTISMO S: OLAFI ET UPLANDORUM AD FIDEM CONVERSIONE.

ADulta æstate Rex Thrandiâ profectus in Vikam lento itinere tendebat: interea intersitas provincias lustrando mores emendabat, & qvæ ad Christianæ fidei cognitionem confirmandam reqvirebantur, gnaviter suggessit. Serò deinde autumni in Vikam pervenit; qvo tempore Sigridis Imperiosa Sveciæ Regis Eirici Victoriosi uxor, jam vidua, sed vivo marito matrimonio multata, opima in Svecia prædia magnamq; agrorum selectissimorum vim possessione complexa, &, ut addit *Oddus Monachus*, Gothiæ regni præfecturam a marito, cum nuncium ei remisit, sibi commissam tenebat. Utriusqve potiundæ desiderio inescatus Olafus legatis Upsalos, ubi tum fortè apud filium Regni habenas moderantem versabatur, missis, nuptias ejus expetebat. Ea vero, postqvam petita ejus ad intimum consilium detulisset, ex sententia procerum, suum qvoqve consensum adjecit. Ad totius negotii processum feliciter expediendum locus ad Gotalbiam Regnorum limitem delectus, ubi primo vere uterqve convenirent. Interea Olafus annulum illum ingentem, qvem valvis delubri Thrandiæ detraxerat, muneri ad eam misit, qvi â pondere & artificio ab omnibus, in primis ipsâ Reginâ, majorem in modum commendatus, ad ostentationem magnificentiæ per universum triclinium circumlatus, singulis convivis celebrandus monstratur. Assidebant inter cæteros duo fratres, professione aurifabri, qvi librato manibus cimelio, cum pondus magnitudini minus congruum animadverterent, pauca inter se mussitantes, exhibenti sine commendatione reddiderunt. Qvo cognito Regina iis accitis qværit, an domum extenuarent irriderentve? qvibus negantibus cum acrius instaret, adulteratum annulum responderunt. Ejus igitur jussu confractus, cum cuprum lamina aurea incrustatum prodidisset, Regina imposturam interpretata, brevi aliam subsecuturam prædixit; cum tamen ipse Rex deceptus doli immunis fuerit; & excusâsse ignorantiam vel inde liqvet, qvod qvæ prius de congressu ad constitutum diem convenerunt, Sigridis non rescidit.

Interea Olafus eadem hyeme ad fidei negotium promovendum in superiora profectus, Hringarikiam pervenit; qvo tempore Sigurdus Sir Halfdani filius, Sigurdi Hrisii nepos, Haraldi Pulchricomi pronepos, eam Regio titulo tenuit, Astamqve uxorem qvondam Haraldi Grænskii sibi conjugio

jugio ſociavit, ubi tunc Olafus, qvi poſtea Regum, poſt mortem etiam Divorum, numerum auxit, tenella ætate puer educabatur, qvem tum trimulum ipſe Rex ê fonte ſacro ſuſceptum, ſucceſſorem ſuum, operarium ſcilicet in vinea Dei, futurum prædixiſſe perhibetur. Tunc etiam vitricus ejus cum matre Aſta, eorumqve exemplo omnis Hringarikia Uplandæqve paſſim ſacris undis abluebantur. *Theodoricus Monachus* tradit, alios contendere Olafum in Anglia luſtrali aqva adſperſum, ſe qvoqve legiſſe in hiſtoria Nordmannorum, qvod a Roberto in Nordmannia Rotomagenſi Metropolitano baptizatus fuerit, id qvod *Vilhelmus Gemeticenſis Hiſtoriæ Nordmannorum Lib: V. cap: XII.* procul dubio ei ſuggeſſit, confirmationis fortè ſacramento cum baptiſmate confuſo, qvod *Libri præcedentis cap: XXIX.* nobis obſervatum eſt. Hringarichiâ in Vikam Rex rediens, ibi tantiſper permanſit, dum tempus ad excipiendam Reginam Sigridem, ubi convenerat, Konghellæ appropinqvaret. Et primo qvidem congreſſu, haut obſcura ſpes nuptiarum affulgere viſa eſt, qvousqve Rex inſtanter urgere cæpit, ut abjurato paganiſmo in Chriſtianos ritus transgreſſa idem qvod ille Numen ſine rivali coleret. Illa vero *negabat ſe cultum illum Deorum, cui hucusque tum illa, tum etiam majores ejus dediti fuerint, abdicaturam; ſed neque eum increpaturam, etiam ſi idolum, qvod placeret, coleret* (in hunc ſenſum vox Goþ/ qvo antiqvitas Deum denotabat, qvem etiam ejus ſeculi pagani intelligebant, a Chriſtianis traducta eſt, qvibus omnia ethnicorum ſordebant, & ut cultus, ita etiam vox, qvæ eum, qvi colebatur, denotabat, cum is per idola adumbraretur. *Chronica qvidem Mss.* Guþ habent, idqve in genere maſculino. *Codex* autem *Flat:* in genere neutro Goþ graphicè exprimit, probroſum tunc Chriſtianis cæleſtiqve Numini indignum nomen.) Hac, ut interprebatur, Rex exſecratione, ſeu blaſphemia, vehementer offenſus, genam ei chirothecâ, qvam manu tenuit, nimis in iram præceps pulſans; *quî*, inqvit, *te caniculam ethnicam ducerem?* Hæc *Chronicorum* formulis. *Codex Flat:* ejus verba in hunc modum deſcribit. *Exiſtimas, rugoſa, me te tam obſtinate paganam & annoſam ducturum? cave ne eo audaciæ procedas, ut ſæpius in Dei mei nomen convitia ingeras, ethnicâque tuâ formulâ ſupremum Regem, quem ego colo, idolum appellando aures meas lædas.* His dictis uterqve ſurrexit. Tum Sigridis, ut par erat, offenſa, *& hanc*, inqvit, *tu contumeliam impendio vitæ qvandoque penſabis. Ne hoc quidem*, ait Rex, *quod optas, ipſa noſcis: ego enim ſcio & cauſam, & tempus, & modum, qvo finiar, curæ eſſe Domino meo Jeſu Chriſto, nec in tua poteſtate qvicquam horum ſitum, nec qvicquam ad necem meam effecturam credam, cum tu execrabilis idolorum ſacerdos neſcias quo tempore te mors abſordet, forſitan fatum meum tuo anticipatura. Confido enim, Deum me tempore maxime idoneo ad ſe vocaturum. Tu autem, modo in malitia tua ethnicâque ſuperſtitione perſiſtas, intempeſtive moriere; felicius ſi obibis, Deo acceptum feres.* Atqve his dictis geſtisq; ab invicem diſceſſum eſt, Rege Vikam, illâ Sveciam repetente.

Liqvet ex his, multum erràſſe *Saxonem*, dum ſcribit, dolo Regis Sveni ab amore Sigridis abſtractum Olafum Thyræ Sororis ejus, tunc virginis illibatas pudicitiæ faces matronali ſtolæ præferendas exiſtimâſſe; ut & in iis, qvæ deinceps de contumelia Sigridi illata multis perſeqvitur, cujus occaſione in totam gentem Norvegicam acerbiùs invectus, omnium promiſcue ingrati animi notam inurere conatur. Et primo qvidem conſtat, Thyram virginem non fuiſſe, deinde qvod de ignominia, qvâ Sigridem affectam tradit, *Codex Flat:* & inde deſumpta *Hiſtoria Olafi Tryggvini typis im-*

impreſſa Partis I. Cap: CXXII. pag: 137. & *Theodricus Monachus cap: VI.* & qvidem multo atrocius in Haraldum Cærulidentem Daniæ Regem impingunt, qvem Gunnhildi Eirici Blodoxii viduæ tali comento necem machinatum memorant, utrumqve certe pari fide, fidem nullibi meriturum. Calumniæ autem, qva gentem univerſam hoc loco adſperſit, occaſionem dediſſe videtur Erlingus Skackius, qvi anno MCLXIV. ordinum populiqve diſſenſum prætexens, pacta cum Valdemaro Rege inita reſcidit, cum Vikenſes tantum ab eo concitati ei aſſenſerint. Sed ad rem.

Non longum tempus interceſſit, cum Sigridis Sveno Daniæ Regi nupſit, Gunnhilde Buriſlafi filia, priore uxore, non, ut habent noſtri ſcriptores, mortuâ, ſed repudiatâ, novaqve cum affinitate amicitia inter Daniæ Sveciæqve Reges coaluit.

CAP. XV.
THYRA REGIS GORMI FILIA NUPTIAS BURISLEIFI VANDALORUM REGIS EXOSA IN NORVEGIAM FUGIT, EAM SIBI REX OLAFUS CONJUGIO SOCIAT, ODDI MONACHI DIVERSA RELATIO.

BUrisleifus Vandaliæ Rex, ſæpius Sigvaldio genero qveſtus cum eſſet, fædus, illo authore inter ſe & Daniæ Regem Svenum, de elocanda ſibi ſorore ejus Thyra, impletum non eſſe; tandem etiam impenſius urgere cæpit, ut in Daniam ejus rei causâ legationem ſuſciperet, ſponſamqve ad ſe ducendam curaret, qvi cum eò profectus poſtulata comunis ſoceri expoſuiſſet, pactis Sveno ſtandum, vel bellum exſpectandum, aſſeverabat. Igitur Svenus ſororem, licet invitam multumqve repugnantem, raro gynæceo, nutricioqve ſuo Auſſure Achino (vel, ut habent *Chronica MSS.* etiam tum temporis molliori dialecto, Agino) viro opulento, pluribusqve aliis comitatam ad ſocerum transmiſit. Erat autem, ut ſuperius in Sveno dictum eſt, dotium dotalitiorumq; permutatio, ita inſtituta, ut bona omnia, qvæ Gunnhildis in Vandalia poſſiderat, Thyræ in patrimonii ejus compenſationem cederent. Multo lachrymarum imbre Thyra genas inter proficiſcendum rigâſſe perhibetur. Nihilominus Burisleifus cum ea nuptias ſtatim, ut recepta eſt, celebravit. Septem ibi dies ſine cibo potuqve moratam, oblata qvævis efferatô animô averſatam, ne ethnicorum contagione inficeretur, noſtri Scriptores teſtantur, confirmatqve *Compendium*, admodum piam fuiſſe, ut qvæ mallet in ſocietate Chriſtiana mori, qvàm inter ethnicos religionem ſuam contaminare. Cum tamen ex aliorum ſcriptis obſervem, Burisleifum tum idololatram non fuiſſe, niſi hic a Bolislao Poloniæ Rege diverſus fuerit. *Adamus Bremenſis* ſuperbisſimam fæminam appellat. Tot dierum jejunio emacerata, nutritio promovente comitanteqve, nocturno tempore in propinqvam ſylvam aufugit; ibi navigium, ut habet *Compendium*, juxta litus nacta in Daniam rediit. Verita autem vim fratris, procul dubio deprehenſam ad maritum remiſſuri, Daniâ aliis inconſciis tranſitâ, in Norvegiam ad Olafum Regem ſe contulit, gratiam ejus ſuppliciter implorans, ut tutum ſibi receptum in regno ſuo permitteret. Cumqve illam pietas eorundem ſacrorum conſortium, & præter amplisſimam ſortem morum qvoqve ſvavitas & rara forma fandiqve gratia ſummopere

re exornarent, ipſe conjugium ejus expetivit; qvæ prudenter conditione præſenti æſtimata, nihil ſibi de illuſtrisſimo ſtatu, in qvo nata & educata eſſet, dedecere animadvertens, ei pro arbitrio de ſe, qvicqvid liberet, ſtatuere permiſit. Ipſa itaqve, conſulente Auſſure nutritio, Regi ſe deſpondit. Magno deinde apparatu nuptiæ Tunsbergæ celebratæ ſunt, vere tertio (ut *codicis Flat*: verba ex primam) cum Olafus Norvegiæ ſceptra teneret, paulo poſtqvam ab Goth-Albia â Reginæ Sigridis colloqvio rediiſſet. *Chronica* omnia nuptialem hanc feſtivitatem anno poſteriore nonageſimo nono poſt reditum ex Halogia, de qvo inferius agendum, procesſiſſe, hyememq; Nidaroſiæ tranſactam tradunt. Ad exqviſitisſimas has epulas flos totius nobilitatis ê tota Vika pluribusqve provinciis invitata magnâ freqventiâ acceſſit. Prima nuptiarum die dapiferorum unum miſiſſe traditur, rogatum ſponſam, an donum nuptiale, qvale virginem, an matronam deceret, depoſceret? illam autem mandâſſe, ut referret, *ipſe conſideraret*, *quid potisſimum conveniret ei*, *quæ ſocia Regis alterius lecti per ſeptem noctes fuerit*; *proinde quod utrique eorum honori eſſet*, *proſpiceret*. Placuit Regi reſponſum, itaqve ſtolam ſubductam pellibus pretioſis miſiſſe traditur. Ambiguiſſe Regem de his, â veritate alienum videtur, cùm Styrbiorno, tradente *Compendio*, nec temporum ſerie repugnante, circa annum CMLXXXIII primò nupſerit; inde ad minimũ XXX ætatis annũ hoc tempore attigiſſe videtur. Solus *Oddus Monachus* hæc aliter refert, nimirum qvòd Olafus ſatellitium aulicum ex viris tantùm inſignibus, ſpectatæqve virtutis aut robore corporis præcellentibus, undiqve conqviſiverit; In his fuiſſe inclytum Akium Danum, qvi Thyræ domûs curam priùs geſſerit: ejus commendatione adductum Regem Thyræ nuptias expetiviſſe, ipſamqve in Norvegia aliqvantiſper manſiſſe in loco qvi Thyrisleif appellatur: famam eſſe, eam priùs nupſiſſe viro, cui nomen Biorno. Hoc ſi ita ſe habeat, planum eſt, eam virginem non fuiſſe. Mihi planius videtur, cum hæc ignoraverit, ei parum aut nihil de Styrbiorno conſtitiſſe. Thyrisleif poterat etiam ab alia Thyra nomen accepiſſe. Alio etiam capite hæc latius explicaturus tradit Burisleifum Regem in Daniam profectum, nuptias Thyræ expetiviſſe, conſenſuqve Regis affinitatis reſpectu facilè impetrato, doteq; accepta, domum rediiſſe. Thyram vero horum inſciam agros ſuos & latifundia, qvæ tamen Reginæ Gunnhildi antea aſſignata erant, multos annos inſediſſe, nec unqvam in animum induxiſſe, Regi ſeni & pagano ſociari; id vero Reginam Gunnhildem male habuiſſe, qvod dote ſua iſto modo planè fruſtraretur, ſæpiusqve Regi de hac injuria qveſtam ſollicitatamq; inſuper crebris patris precibus, ut maritam ad pacta exeqvenda alliceret; tandem rem eò deduxiſſe, ut per nuncios eam arceſſeret. Accedentem invitam navi impoſitam in Uplandiam ad Burisleifum deducendam curâſſe, illum vero nuptias cum illa celebrâſſe; cum autem undecim continuos dies, ita ut nec cibi nec potus qvicqvam delibaret, ibi manſiſſet, Regem duodecimo die eam accesſiſſe, his verbis affatum. *Video ſerenitatem veſtram mori malle, qvam mihi ſociari, vos itaque dimittam. navem & comites procurabo.* Atqve ita Falſtriam repetiviſſe. In eorum teſtimonium Rufum qvendam paſtorem adducit. Ibi cum aliqvantiſper manſiſſet, Thyra nuncios ad nutritium ſuum Akium in Norvegiam direxit, poſtulans, ut opem Regis Olafi auxiliumqve imploraret, qvo tuta adverſus inimicorum vim, etiam ab injuriis fratris Sveni, qvi iterum deſtinaverit illam in Vinlandiam ablegare, liberaretur. Hæc cum Akius, uti præceptum erat, ad Regem detuliſſet, adjeciſſetqve, *probè ſibi cogni-*

cognitum, malle eam homini Christiano nubere, qvàm tantam denuo calamitatem experiri; in primis ei invisum ethnici consortium. Rex sibi res ejus cordi futuras respondit, seqve eam accessurum, coramqve allocuturum promisit. Mox navem cum delecto comitatu adornatam in Falstriam direxit, exceptusqve magnificè, cum exqvisivisset, utrum sibi conjungali fædere jungi, an alium curatorem dari mallet? Regis conjugium prætulit, seqve ipsa, conciliatore Akio, despondit; auctoq; convivio, inqve nuptiale converso, fertur Rex Thorarinum Nefiulfi filium (eum natione Islandum Sancti Olafi vita celebrat) in gynæceum, ubi sponsa epulabatur, misisse qvæsitum, *munusne mulieri an virgini conveniens deposceret?* illam autem respondisse, *ipsius arbitrio committi, qvid aptius erogaretur; novem se noctes in Regio thalamo exegisse, si ipso lecti socio id obtigisset; facilè exemplo à se ipso sumpto hanc qvæstionem decisurum.* Placuisse Regi responsum, itaqve stolam muliebrem affabrè ornatam ad eam misisse: finito convivio Regem, Regina comitante, in Regnum suum rediisse. Singula minore prius allatis similitudine veri: & qvidem de Thorarino Nefiulfi filio manifestæ falsitatis, ut ex cap: XXX. hujus historiæ apparet.

CAP. XVI.

REX VENEFICOS CONGREGAT, AD MILITIAM CHRISTI INVITAT, PRÆFRACTE OBSTINATOS EPULIS EXCIPIENDOS CURAT, DEINDE INCENDIO DELET, PRÆTER UNUM EYVINDUM KELDAM OMNIUM PRÆSIDEM, QVI VI DÆMONIACA ELABITUR.

ILla festivitate Rex multa de moribus corrigendis graviter disseruit, in primis de magis & veneficis conqvirendis, præcipue ejus generis, qvos Seidicos appellant. Totâ igitur Vikâ adsitisqve provinciis reqvisiti, ad Regem specie invitationis adducebantur, numerumq; ingentem confecerunt. Horum Princeps fuit Eyvindus, cognomento Kellda, vir genere Regio, Rognvaldi Rettilbeini filius, Pulchricomi nepos, gradu tertio lineæ inæqvalis Regem ipsum attingens, opibus abundans. His miti alloqvio persvadere conatus est, ut missis infamibus artibus ad puram Evangelii lucem se duci permitterent; aliàs proscribendos extra imperii sui limites pronunciavit. Ut autem inemendabiles animadvertit, introductos in potoriam domum, tapetibus eleganter instratam, generosa potione inebriandos curavit, nec illi qvàm præbebatur, minus alacriter potabant. Procedente die eos iterum Rex accessit, ad Christianam professionem adhortatus, exploraturus fortè, an eadem ebriis, qvæ sobriis, pervicacia animos obsideret; factaqve non solum bonorum omnium allodiorumqve retinendorum possidendorumqve, sed etiam honorum officiorumqve publicorum adipiscendorum spe; si tam inhonestis impiisqve studiis desisterent, cum nullo modo flectere posset, palamqve profitentes audiret, neqve se minis, neqve verborum promissorumve illecebris, patrios ritus cultum Deorum aut familiaria studia deserturos, mandavit, ut summa alacritate potus illis ministraretur. Cum autem appoti essent universi, perqve loca, qvæ accumbentes cæperant, strati sopitiqve singuli disten-

ſtenderentur, faces tectis per veſperam ſuccendi fecit: nec magi prius expergefacti ſunt, qvàm ultrices flammæ omnia depaſcerentur. Solus Eyvindus per feneſtram artis ope elapſus, poſt paucos dies incidit in qvosdam ad Regem profecturos, iisqve mandavit, ut nunciarent ei, ſe qvidem incolumem incendium evaſiſſe, nec deinceps in poteſtatem ejus perventurum, nec eo magis Deorùm cultum vel abſtruſarum artium ſtudia deſerturum unqvam; imo gnavius in poſterum exculturum. Qvo cognito valde Regi diſplicuit, meritas eum pænas declinâſſe.

CAP. XVII.

REX AUGVALDZNESIAM PERVENIT, A MALO GENIO DE PRÆDII EPONYMI STATU, CULTU, ET TUMULO FIT CERTIOR, INSIDIAS EJUS EVITAT, EYVINDI KELDÆ ARTES ELUCTATUR, IPSUMQVE AQVIS SUFFOCAT.

APpetente vere, Vikæ provinciis luſtratis, inter prædia Regia opulentiora manſionis vices dividebat; miſſis interim qvi tota Vika in imminentem æſtatem copias conſcriberent, qvibus in ſeptentrionales Regni partes conceſſurus ſtiparetur. Agdas & Rogiam tempore ſexageſimæ permenſus, pridie feſti glorioſæ reſurrectionis in inſulæ Kormtis prædium Augvaldzneſiam trecentis corporis ſtipatoribus pervenit. *Codex Flat:* Reginam & Epiſcopum unà adfuiſſe refert. Eodem veſpere peregrinus qvidam ſenex, pileatus, unoculus, & eloqvens eò pervenit: qvi admiſſus in colloqvium Regis, variarum rerum narratione eum oblectavit, erat enim rerum antiqvarum peritiſſimus: qvi cum ad interrogata omnia perſpicue & ſapienter reſpondiſſet, ad plures qvæſtiones eum alliciebat. Inter alia rogatus, qvalis fuerit is Augvaldus, a qvo iſthmus & prædium nomen contraxerit? reſpondit; *fuiſſe Regem bellicoſum, qvi præcipuè vaccam delectam coluiſſet, ſecumqve, qvocunqve proficiſceretur, ſive terra, ſive mari, duxiſſet, unde enatam paræmiam, multis poſtea uſurpatam: Omnia ſimul, ſenex & vacca. Ejus lacte ut ſaluberrimo ſemper potionatum, ad ultimum in conflictu cum Rege qvodam* (Varnium *Chronica* & *Oddus Monachus* (qvi Skoruſtrandiæ Regem tradit) *Codex Flat:* Dixinum, propria autem Augvaldi vita, antiqvitus conſcripta, Hæklingum, atqve horum locorum dialecto Köklingum, nominant; id qvod etiam propinqvi colles in hunc diem conſpicui abunde teſtantur, ut in vita ejus memoratum eſt) *occiſum ſepultumqve non procul ab ædibus cum vacca, ſed diſcretis tumulis, memoriæqve eorum lapides ſepulchrales, qvi ibidem conſpiciuntur, erectos.* Complura alia veteris memoriæ narrabat; cumqve in multam noctem ſermonem produxiſſet, monuit Regem Epiſcopus, tempus eſſe cubitum eundi. Id cum feciſſet, hoſpes ad ſcabellum lecti ſedens adhuc diu Regem hiſtoricis expoſitionibus morabatur, donec Epiſcopus qvieſcendi tempus adeſſe ſuggeſſiſſet. Tum demum Rege ſomno ſe applicante hoſpes exceſſit; cum autem parùm dormiiſſet, excitatus hoſpitem reqviri jubet, nec invenit. Mane inſeqventis diei, coqvis cellariisqve convocatis, qvæſivit, ignotusne qvidam eos acceſſerit? cùm accepiſſet, acceſſiſſe qvendam, qvi carnes elixandas ut macras, Regiâqve menſâ tantôqve feſtô indignas,

 vitu-

vituperâsset; latera deinde boum grandia bina pingviaq; exhibuisset, qvæ & inter cætera elixarentur, omnia protinus edulia lebetibus effundi jussit, novaqve ingeri; *non enim eum hospitem hominem esse, sed larvam prisci illius Odini specie, cujvs cultu fascinati incolæ hucusque fuerint: invidia æstuantem principem tenebrarum frendere, qvòd erepti ungvibus suis ad veri Dei agnitionem pervenerint; jam vero infecto veneficiis cibo omnes perdere decrevisse, Dei vero gratiâ nihil effecturum.*

Eadem nocte Eyvindus Kelda ad eandem insulam longa nave, magno hominum, sed tantùm incantatorum Seidicorumqve, numero instructâ, appulit. Hi egressi in terram incantamentis caliginem & nubem inducturi, qva septi Regis & comitum oculos præstringerent, seqve, licet præsentes, omnium tamen conspectui subducerent, ut ista oportunitate tuto & pro arbitrio nocerent, frustra fuerunt; nam res in contrarium vertit. Sereno qvippe cælo, Soleqve fulgente, circa prædium ipsi usu oculorum penitus orbati, cæcutientes in gyrum circumacti oberrabant, veneficiorum vi in ipsos authores recidente. *Oddus Monachus* qvinqve navibus instructum ê pelago ad Augvaldznesiam appulisse, prædioq; classem admovisse memorat; viso autem templo omnes obcæcatos. Excubitores Regii, visa turbâ incondita, media luce ebriorum more errabundâ, rei novitate obstupentes ad Regem deferebant, qvi exsurgens satellites arma capere jussit, & qvinam essent, explorare; qvi ut Eyvindum Keldam agnoverunt, eum ad Regem repentè duxerunt. Hic confessus est, maleficiis se Regem, & qvi circa eum erant, prius obcæcaturum, deindè ex improviso oppressurum; cui itaqve respondit Rex: qvàm nihil præsidii in hac arte & hoc idolorum cultu sit, tuo ipsius damno experieris. Qvid impedit, qvo minus hæc jam proscribas, Christianæqve te cum tuis comitibus, execrando satellitio, sectæ adscribas; qvod cum pari qvàm antea ferocià negaret, omnes per proximam noctem domo inclusos custodiri fecit, postero autem die in scopulum devectos aqvis submergi. Scopulus inde Skrattaskær/ id est *Diabolorum scopulus*, audit. *Oddus Monachus* istum in freti Carmsundensis fine situm tradit, hæcqve festo Domino natali contigisse. Creditum est, incantationibus Eyvindi ad sopiendum Regem vigiliis præter morem narrationibus impensis fessum pileatum illum senem præmissum fuisse. Ibi Rex festis diebus celebrandis, cum maximam hebdomatis partem absumpsisset, feriis celeberrimis finitis, utrumq; tumulum (codice Flat: & versione Danica tradentibus, Chronicis autem silentibus) aperiri curavit, inventaqve sunt in alio ossa vetusta humana prægrandia, alio autem bovina, post elapsos a morte Augvaldi annos (nostro calculo) circiter DCC. Paræmia de sene & vacca, soli *Codici Flat*: notata, fidem dictis facit; ea enim rusticis in hac paræcia (Augvaldznesensi, ubi habito, hæcqve scribo) in usu est, atqve inde dimanâsse perhibetur, cùm tamen id aliter, qvàm a prisca & per manus qvasi tradita relatione habere neqveant; neqve enim ulli eorum *Codicis Flat*: copia facta est, nec, si esset, intelligerent. Monstratur adhuc sedes ejus in alio tumulo, ubi sudo cælo apricari solebat, saxumqve, cui insidebat. Cippus monumento Regis adstructus integer adhuc visitur, is autem, qvi vaccæ erat, anno MDCXCVIII, die XIV Augusti, cum universæ ædes Augvaldznesiæ fortuito incendio conflagrarent, tanti caloris impatiens in minutiores partes dissiliit, præter exiguam basin, qvæ positûs indicium superest, reliqvæ particulæ in usum graduum ædes intrantibus conversæ sunt.

CAP.

CAP. XVIII.
DE SIGURDO ET HAVKO HALOGENSIBUS, ASTUQVE REGIS OLAFI IN CAPIENDO HARECHO DE THIOTTA.

FUerunt duo fratres mercatores Halogenses, Sigurdus & Haukus, qvi (teste *Codice Flat:*) eadem æstate, qva Rex ê Vika in Thrandiam profectus est, in Angliam navigârunt; in reditu autem affecta æstate in Nordmæriam appulsi, inciderunt in milites Regios, qvi illos ad Regem detulerunt, qvòd ut cæteri gentis illius nondum Christianis sacris essent initiati. Rectoribus igitur navis ad se vocatis, Christianam religionem imperavit, qvam isti statim repudiârunt. Miti ergo oratione persvadendo magis qvàm imperando demulcere tentans, ubi nihil profecit, tandem compedibus constrictos in custodiam dedit, sæpeqve adeundo, rationemqve novorum sacrorum monstrando, ab idololatria avertere conabatur. Cum neqve minis, vel mortis, vel suppliciorum, neqve blandimentis moverentur, ad ultimum, deceptis custodibus, nec sine miraculo, clauso qvippe carcere, & compedibus integris, nocte qvadam elapsi sunt, nec cuiqvam constabat, qvomodo evasissent, aut qvò pervenissent. Serò autumni in insulam Thiottam ad virum Regio genere ortum Harekum, Eyvindi Skaldaspilleris filium, delati, magna benevolentia, ob tantam in summo periculo avitæ religionis retinendæ constantiam, excepti, hyemem ibi transegerunt.

Cæptu veris, cum die qvodam tranqvillitate cæli Solisqve terras refocillantis amænitate illectus Harekus domo exspatiaretur. Sigurdus suggessit ut cymbam expedirent; litoraqve circumnavigando tempus fallerent; qvod cum Harekus probaret, naviculam sex remis concitari solitam ê portu moliebantur, adhibito velo cum apparatu cætero, sicut consveverunt, cum animi causa litora legerent. Dum autem gubernaculo aptando Harekus distineretur, ipsi fasciculum butyri, panes, & lagenam, cerevisia plenam, illo non animadvertente, navigio intulerunt, & qvòd armati semper eum comitari solebant, nec arma suspicionis ansam præbebant. Et jam insulas prætervecti erant, cum eum ad gubernaculum sedentem uterqve accedentes; tres, inqviunt, conditiones tibi patent, unam elige, aut enim cursum nobis pro arbitrio dirigendum permittas, aut te vinciendum aut occidendum præbebis. Videns autem, in qvas compulsus esset angustias, qvodqve tanto robore fratres illi essent, ut alteri tantùm par videretur, potestatem navis iis facilè permisit, data insuper fide, nihil se contra moliturum. Sigurdus itaqve in ejus locum succedens, maxime cavit, ne terram uspiam contingeret: ventus autem ex animi sententia ab Aqvilone spirans, continuo cursu eos tandem in portum Nidarosiæ provexit. Mox adductus ad Regem Harekus, ut idololatriam Christiano cultu mutaret, admonetur, idqve sæpius, interdum pluribus præsentibus, interdum remotis arbitris, frustraqve multi dies pari ab utraqve parte contentione exacti sunt. Ad extremum Rex eum incolumem dimisit, præfatus, nolle ei in præsens nocere, tum intercedentis cognationis respectu, tum etiam doli, qvo se captum qvereretur. Scies tamen, inqvit, hac æstate me vos accessurum, experimentumqve facturum, an pænas ab refractariis Christianiqve dogmatis osoribus expetere sciam. Dimissionem maturandam flagitan-

gitanti lembum duodecim remigibus inſtructum Rex tradidit, adjectis octodecim famulis, qvo acceſſûs deformitas reditûs magnifici ſplendore penſaretur. Atqve ita magnifice dimiſſus domum repetivit. Haukus autem cum Sigurdo fratre remanebant apud Regem, ſacroqve fonte abluti ſunt. *Oddus Monachus* hæc paulo aliter refert, lembo namqve piſcatorio provectum in altum Harekum a Sigurdo & Hauko, qvorum Comites numero prævalebant, Nidaroſiam compulſum, qvatuor præfecturarum fevdo a Rege dato Chriſtianam religionem ethnicâ permutâſſe, cum oblatas prius duas, mox etiam tres, ut mercedem tanta mutatione non ſatis dignam, aſpernatus eſſet. Juſtas autem præfecturas, ſeu ſatrapias, lingva Norvegica fylki dictas, cenſeri, qvæ naves duodecim viris armisqve inſtructas expediant, in ſingulas ſexaginta aut ſeptuaginta computatis. Tanto præmio idololatriæ renuncians, unà cum Sigurdo & Hauko in Thrandia purioribus ſacris initiatus Authori laudato traditur. Verum id, cum domum rediiſſet, occultandum Regem præcepiſſe, ne proceres his intellectis plebem ad reſiſtendum ſibi eò profecturum exaſperarent.

CAP. XIX.
DE DOLO HAREKI ADVERSUS EYVINDUM KINNRIFAM, EJUS OBSTINATIONE ET SUPPLICIO.

HArekus cum primùm domum rediit, ad amicum ſuum Eyvindum Kinnrifam, ſeu Lacerigenam, miſit, qvi nunciarent, ſe qvidem Regem acceſiſſe, nec minis, nec promiſſorum illecebris ad peregrinos Deorum cultus ſe adigi paſſum fuiſſe; dimiſſum qvidem in præſens, nec tamen omni metu ſolutum: hac ipſa æſtate armata manu eos aggreſſurum. E re utriusqve, tum etiam in publicum utile fore, ne ad ſe qvam primum venire gravaretur, qvò coñuni conſilio, qvid in tanto periculo faciendum, maturè provideatur. Tanta neceſſitate motus Eyvindus, lembo paucis comitatus citato curſu eò ſe contulit, ſtatimqve magno affectu exceptus eſt. Cumqve ſine arbitris ad deliberandum aliò concederent, paucaqve inter ſe collocuti eſſent, ſupervenerunt ex improviſo Regii milites, qvi Harekum domum deduxerant, Eyvindumqve comprehenſum navi impoſitum ad Regem Nidaroſiam ducebant. Hoc modo Harekus laqveo, qvo ipſe ab amicis, iterum amicum ſuum irretivit, dolumqve, qvo circumventus eſt, ut exemplum ad imitationem arripuit, ſine qvidem bono, cum jam religionem novam, licet non palam, tegendarum inſidiarum cauſa, profeſſus, probaret. Ne igitur tanti boni amicum exſortem pateretur, excuſatiùs circa media peccaturus, vel omnis peccati immunis ſibi forte videbatur, etiam ſi pium ſanctumqve dolum illi ſtrueret. Rex cùm Eyvindo ordinem novi dogmatis diu, ſed ſine ullo profectu, expoſuiſſet, Epiſcopum ad id uberius & nervoſa oratione explanandum adhibuit; id cum fruſtra eſſet, munera honoresqve auctiores, qvàm hucuſqve geſſerat, oſtentabantur. Verum cum ne his qvidem moveretur, ſuppliciorum mortisqve minæ adjectæ, ſed pari pertinacia ac honores ſpretæ ſunt. Tandem ignita pelvis carbonibus plena nudo ventri impoſita ſtatim eum rupit; qvam amoveri poſtulans, pauca ſe ante obitum præfaturum ſignificabat;

bat; qvo impetrato Rex, *adhucne ſacra limpha perfundi vellet*? qvæſivit. *Ne illud qvidem*, reſpondit, *mihi, ſi vel maximè vellem, permittitur, Spiritus enim ſum, arte Finnica in matris matrice nutritius: neque enim parentes mei antea liberos procreârunt.* *Codex Flat*: planiùs; *cum enim*, ait, *parentes mei liberos nullos enutrire poſſent, Finnos multo pretio ſollicitârunt ad prolem ſibi procurandam; qui negantes id poſſe fieri, nihilominus promiſerunt impetraturos ſe diuturnam vitam proli, qvam proxime procrearent, ſi eam Thori Odinoque per omnem vitam ad extremum usque halitum conſecraturos juramento voverent. Deinde natus ſum, iisque Diis conſecratus mancipatusque: poſtea, cum per ætatem licuit, fædus illud renovavi, deinceps Odino inſervivi potensque inter Proceres evaſi. Cum itaque toties Odino datus devotusque ſim & inauguratus, non licet, nec placet, contractum inter nos fædus ulla ex parte reſcindere.* His dictis impium ſpiritum exhalavit, veneficarum artium ſuo tempore peritiſſimus, ita â malo genio faſcinatus, ut ſe non hominem ſed ſpiritum eſſe imaginaretur. *Oddus Monachus* qvinqve ſatrapias æternæ ſalutis redimendæ a Rege oblatas, ſed repudiatas, tradit.

CAP. XX.
DE ARDORE CUJUSDAM NEOPHYTI
PRO CONFIRMATIONE RELIGIONIS.

HOc eodem tempore vir nobilis, nomine Finnus, in Dania purioribus ſacris initiatus, Olafum Regem reprehendit, qvòd patrem ſuum Svenum, opulentum in Thrandia civem, qvem ægrè qvidem ad ſacra Chriſtiana perduxerat, permiſiſſet delubra domeſtica, licet non ad idolorum cultum, ut antea, iis tamen non everſis, in privatum uſum convertere, qvippe occaſionem idololatriæ clanculùm exercendæ ſimul fuiſſe tollendam, qvantumvis de patris fratrisqve jam converſorum fide non ambigeret: ideoqve indignabundus, poſtqvam mordacibus verbis Regem corripuiſſet, domum profectus idola confregit. Hic deteſtatus a teneris ethnicas vanitates, feſto qvodam Jolenſi, cum primo veſpere votis ſinguli pro more ſe obſtringerent, *ſcire ſe* affirmabat, *ubiqve hoc veſpere vota ſuſcipi, idque multis in conviviis, etiam patris ſui epulis longe ignobilioribus; ſe autem morem illum laudatiſſimum unico voto celebraturum, nobiliſſimo enim Regum, nec præterea ulli, inſerviturum.* Convivæ pro ingeniorum diverſitate variè votum illud interpretabantur, pluribus Principem Hacone Comite Hladenſi toto Septentrione nullum nobiliorem potentioremve pronunciantibus. Finnus autem *ſe probè diſcrimen faſtigii Regii a Comitum dignitate noſce diſtingvere* reſpondit. Exinde domum profectus in Daniam iter ſuſcepit, eòqve delatus incidit in juvenem, cum qvo veſtes permutavit: inventâ autem in veſtibus ejus cruce, qvidnam id eſſet? qvæſivit. Is *ſignum Chriſti Crucifixi, quem Chriſtiani colerent*, reſpondit. Finnus autem nugas ei anilesqve fabulas de Thore Odinoqve eorumqve geſtis enarravit. Sinceriori doctrinâ eum ab Epiſcopo imbuendum cum juvenis regesſiſſet, *fera-ne an homo Epiſcopus eſſet*? qvæſivit: eò tamen duci ſe petivit. Adductus, cujus religionis eſſet? cum ab Antiſtite interrogaretur, *Thorem Odinumque more Norvegorum ſe colere* reſpondit; verum poſtqvam Chriſtiana ſacra profeſſus erat, ardentisſimo, qvoad vixit, zelo cultum Dei propugnabat.

bat.

bat. Nocte, qvæ adventum ejus præcesserat, Thor, licet patri fratriqve, qvi etiam Svenus appellabatur, postqvam Christianus factus esset, nunqvam cultus fuisset, ad eum tamen in somno venire visus, lugubri habitu vultuqve pristinas amicitias haut ex merito coli qvestus, rogabat: *extremum hoc beneficium sibi deferret, ut ab advenientis furibundi fratris vi injuriisque se liberaret, elatumque fano in silvas deportaret abderetque.* Ille autem respondisse sibi visus est, *promisisse se Regi, omnem illi amicitiam renunciare, præstiturum etiam; neque enim quicquam in illo divinum agnoscere, qui se ipsum manibus hostium eripere nesciret.* Hoc responso prius mæstus, jam duplo tristior discessisse visus est. Ut verò Finnus domum rediit, â patre fratreqve amantissime exceptus, postridie fanum ingressus, situ fædum, æruginequve ferramenta erosa cultus ususq; desvetudine animadvertit. Mox idolis ornatum omnem, & qvicqvid pretii alicujus esset, exemit, frustratimqve confracta comminuit. Thoris in primis statua eô admirabilis, qvod non prius, qvàm post tres ingentes ictus, clava inflictos deturbari posset, qvam cervicibus fune illigatis ad litus detraxit, dependentemqve a puppi per undas fluctuantem ad Regem adduxit, ludibrioqve exhibitam omnibus monstravit, qvanta vanitate ethnica superstitio constaret. Hanc deinde frustratim comminutam incendit: ê cineribus autem pultem, frugibus, ut videtur, mistis, confecit, qvàm canibus fæminis exedendam proposuit, dictitans, convenire ut canes Thorem exederent, cum ille proprios liberos voràsset. Hæc ideo annotabam, ut ex hoc unico loco, qvem alibi non observavi, constaret, Thorem interdum Saturni loco cultum fuisse. Finnus religiose reliqvum tempus in aula Regis satellitum albo inscriptus exegit, vitamqve paulò post finivit.

CAP. XXI.

DE EXPEDITIONE IN HALOGIAM, BELLO CUM THORERE HIORTO, EJUS CÆDE, UT ET RAUDI DE GODEYIS.

SEcundùm supplicium de Eyvindo sumptum, Rex in Halogiam expeditionem movit; ipse navem Tranam dirigebat, magno delectoq; comitatu. Byrdam prætervectus, ut primam provinciam attigit, convocatis undiqve incolis, nova sacra promulgavit, nec erat qvi contradicere auderet. Omnes sacro fonte abluti sunt, & in his Harekus de Thiotta cum omni familia. Is deniqve Regem convivio magnificè excepit, satrapiæqve præpositus amplissima munera in Regem discedentem largè effuseqve contulit.

Fuit civis opulentus, qvi insulam Godeyam in sinu Salptio sitam incoluit, nomine Raudus, cognomine Ramius, seu Robustus, villarum multarum possessor, Finnorum numeroso comitatu, qvoties opus esset, stipari solitus. Is sacrificiis valde deditus, veneficarumq; artium magnus magister, amicum habuit Thorerem, cognomine Hiortum, seu Cervum, virum primarium, districtûs Vogensis præfectum. Hi cùm cognovissent, Regem cum copiis adventare, etiam ipsi classem copiasqve instruunt. Raudus navem magnam triginta scalmorum, draconis effigie inaurata insignem: Thorer etiam navigium aliud magnæ molis ducebat, in occur-

ſum Regis properantes; alacriter primùm, nec tamen diu, decertârunt, cum acies Halogenſis impelli, mox etiam disſipari cæpit. Inde metus fugaqve effuſa, Raudo in altum nave ſua evecto, mox ventis more ſuo ad votum excitatis (qvos ſemper faventes ſibi arte magica conciliare conſvevit) domum dilapſo, Thorer ad litora, nave converſa, ipſe terram conſcendit. Rex fugienti inſiſtens, paſſim territos cædebat, ipſe tum, ut aliàs ſemper, qvoties pericula iminebant, agmina præceſſit, Thoreremqve citato curſu, qvo plurimum valebat, fugientem conſpicatus ſeqvebatur; cani deinde Vigio in eum concitato, alludens ad cognomen, ut Cervum caperet, mandavit: qvo in ſe irruente Thorer ſubſtitit, vulnusqve beſtiæ grande gladio inflixit, ſed eodem momento haſtâ Regiâ latus utrumqve penetrante confixus mortuus in terram decidit. Omnibus deinde in fidem acceptis, inqve nova ſacra transgreſſis, parſum eſt; canis autem ſaucius ad naves delatus eſt, chirurgiqve optimi ad ſanandum electi, ut habet *Codex Flat*: qvi & cæptam ſemel fabulam perſecutus extare tradit, qvi referant, eum ad Finnum illum, qvem ſub primum in Norvegiam adventum ad promontorium Agdaneſiam conſuluerit, miſſum, priùs certe moriturum, qvàm eo ventum eſſet. *Oddus Monachus*, non a Rege, ſed Regis ſatellite, telo transfixum Thorerem perhibet; ê moribundi autem ore cervum repentè proſiliiſſe, cum qvo canis Regis diu fuerit conflictatus, donec uterqve in terram deciderint. Regem deinde accedentem deprehendiſſe cervum magnis vulneribus laceratum, qvem cum accurrentibus ſatellitibus oſtendiſſet, exſuccum cadaver, follem inflatum repræſentans, apparuiſſe; canem deinde valde ſaucium Finno ſanandum miſiſſe.

Inde Rex in Aqvilonem, ſecundo vento carbaſa inflante, curſum direxit, lento itinere & variis moris interſtincto, donec per varias curias plebem populumqve omnem luſtrali aqva tinxiſſet. Sinum Salpticum ingresſurus, cum adversâ tempeſtate repentè obortâ, Raudi incantamentis provocatâ, arceretur, nihilominus uſurus oportunitate ventorum, usqve in extremam Aundiam (Andanes) claſſem provexit, ubi tractum omnem borealem ab idololatria ad veram fidem convertit. Ut autem ad Sinum Salpticum reditum eſt, torrens aeris intimo ſinûs receſſu excuſſus decumanos fluctus conciebat: qvod cum dies aliqvot tenuiſſet, Rex Epiſcopum conſuluit, rogavitqve, *ut viam monſtraret*, *qua omnium malorum architecti poteſtas confringi posſit*. Ille *propitiô Deô operam ſe adhibiturum* pollicitus, mox ſacras veſtes induit; proramqve Regiæ navis conſcendens, accenſis candelis & incenſo thure roſeam crucem erigi jusſit, Evangeliiqve textu orationibusqve compluribus recitatis, luſtrali aqva omnem navem adſperſit; exinde remotis velamentis Regiæ navis, remis acerrimè concitatæ, cætera claſſis veſtigiis inhærens feliciter proceſſit. Dei beneficio, non autem ſuperſtitioſis ceremoniis, adſcribendum cenſeo, qvod ſecutum eſt miraculum. Ipſi tranqvillo mari, inter ſævientes ab utroqve latere fluctus, horrendasqve procellas, proſpectum montium eripientes, ſine ullo adverſæ tempeſtatis æſtuumve ſenſu, ſinum invecti, per univerſum diem noctemqve ſeqventem ante diluculum usqve remigando, ad inſulam Godeyam pervenerunt, navemqve illam longam in ſtatione conſpexerunt. Rex igitur domum univerſam coronâ cinxit, cubiliqve Raudi effracto ipſum cepit, vinculisqve conſtringi mandavit; ſervi famulæqve diverſis cubilibus extracti, pars occiſi, aut vincti, aut fuſtibus verberati ſunt. Deinde Raudus ad Regem productus, Chriſto nomen dare jubetur; qvo facto, nullam rerum ſuarum jacturam facturum Rex pollicetur; imò & magnã

gratiam conſecuturum, modò is uti ſciret. Ad ea Raudus infremuit, negans unqvam ſe Chriſtum Divinis honoribus culturum, inqve Majeſtatem Divinam multa convitia eructabat; qvibus exacerbatus Rex horrendo ſupplicio interiturum pronunciavit, columnæqve alligari, osqve bacillo dentibus interjecto aperiri diduciqve mandavit, ſerpentemqve imponi. Illum cum Raudus forti afflatu ab ingreſſu territum repuliſſet, ſpondili culmo injectus traditur; alii tubæ ingeſtum, perqve admotam ignitam laminam ê faucibus in ventrem compulſum; exinde ſe per latus exeruiſſe ferunt. Atqve ita Raudus incantationum, extremæqve in Deum impietatis horrendas pænas dedit. Præda ibi auri argentiqve rerumqve aliarum pretioſarum magna, & inter alia navis illa totâ Norvegiâ celeberrima, ipſam etiam Tranam ſuperans, in poſſeſſionem Regiam redacta eſt: proram caput Draconis, puppim ſinuoſa terga, projectâqve cauda ſingula aurea exornabant, mediis ſimiliter inauratis. Draconis inde, ſive Serpentis, nomen navi inditum, eo qvod expanſis velis navigans Draconis ſpeciem referret, qvam ſtatim Rex ſibi vehendo delegit. Inſulæ, qvas Raudus inhabitavit, Gilling & Hæring dictæ ſunt, in univerſum autem Godeyæ, intercedens fluctus Godeyarum æſtus dicitur. Omnes ſinus illius incolas Chriſtianos Rex ante diſceſſum reddidit; in reditu autem a ſpectris Trollisqve tum is, tum comites ejus, haut parum infeſtabantur, de qvo inſpici poterit *Hiſtoria Olafi Tryggvini*, *Partis II. cap: XLVI.* & ſeqq: *Snorrius* autem ut fabuloſa præteriit: nos inter fabuloſa in Appendicem hujus libri compendioſè retulimus.

CAP. XXII.
DE THRANDORUM APOSTASIA.

POſtqvam Nidaroſiam Rex rediit, haut longum tempus interceſſit, cũ nunciatum eſſet, Thrandos denuo ad cultum Freyris, cujus idolum adhuc integrum ſervaretur, relapſos. Hæc cum in convivio qvodam, parte Procerum præſente, percepiſſet, vehementer commotus, hanc eis ſtatim culpam improperabat. Sed cum non eſſet defenſio promta, nec confeſſio tuta, hæſitantibus imperavit, ut defenſionem â contemptu idoli peterent, idqve ſtatim confringerent. Id cum præ priſtina reverentia, conſvetoqve cultu minus â ſe impetrari regererent, ipſe in ſeqventem diem conventum publicum indixit, ſeqve idem idolum condemnaturum, mox etiam confracturum, minatus eſt. Inde Rex cum ſuo ſatellitio, ab alia parte Thrandi in ſacellum, ubi idolum colebatur, magna contentione pergebant, priorqve Rex litori appulit. Errabant ibi in paſcuis eqvi eqvæqve idolo ſacri, qvorum præcipuo Rex, reliqvis comites ad lararium vecti ſunt, ingreſſiqve idola omnia ſedibus dejecerunt: ſtatua autem Freyris in locum conventui dicatum translata, fanumq; Regio juſſu clauſum eſt. Tentoriô deniqve Regio in comitiis fixo, adventum civium Rex exſpectabat. Illi ad ſacellum priùs profecti cladem damnumqve Diis illatum cognoſcebant, Freyrem autem deſiderabant. Inde ad forum præcedentes, Regem jura reddentem, & qvæ in publicum ſpectabant, cognoſcentem exſpectabant; qvibus peractis, Freyrem tentorio efferri, inqve publicum produci juſſit; qvæſivitqve, qvid in trunco illo Divinum obſervarent?

rent? illi *magnam ejus potentiam hucusque agnitam; jam vero cultu omnium, authore Rege, destitutum, iratum populo, non ut antea cum civibus colloqvi, oracula reddere, futura prædicere, annonæ ubertatem pacemq; donare.* Rex *horùm nullius eum authorem fuisse* respondit, *sed juratum humani generis hostem, in trunco locutum; nec iis aliud donâsse, quàm quod aliis prius abstulisset*: converſusqve ad idolum, *si vel isti, vel ei, qvi hucusque obsedisset, malo genio, vires ullæ ad resistendum suppeterent, ut iis jam adversus se uterentur*, obſecravit. Mox brachium ſecuri amputavit; reliqva deinde concidit cōminuitqve. Perfidiam deinde civium exſecratus, unde hic Freyris cultus originem traxerit, expoſuit. *Freyr* (inqvit) *unus potentissimorum Sveciæ Principum fuerat, post excessum magnifico tumulo, ingenti popularium luctu, illatus. Nec contenti erant cives solis exeqviis: vivos homines in solatium ejus unà tumulo inferri placuit. Verum qvamvis esset omnibus dilectissimus, nemo tamen illud officium ei exhibere sustinuit. Placuit ergo effigie hominum statuas binas ligneas, qvibus se mortuus oblectaret, tumulo fenestris tribus distincto inferri. Tributa annuusque census, qvi vivo Freyri in recompensationem pacis annonæque proventûs pendi solebat, triplici monetæ genere injecta sunt; auream prima, argenteam secunda, æream tertia recepit. Triennium hoc tenuit, indigenis plerisque mortuum ignorantibus. Ut vero mortis ejus cognitio inolevit, nec tamen fertilitas, qvæ vivo divinitatis opinionem conciliaverat, ulla ex parte imminuta videretur, eum horum omnium authorem datoremque agnoverunt, longoque tempore sacrificiis, sed clauso tumulo, coluerunt. Post longi temporis decursum fuêre, qui opum cupidine illecti, tumulum, jam clausis etiam fenestris, aperiebant. Verum qvi per catenam in penetralia collis ad auferendum thesaurum demissi erant, panico terrore repentè perculsi, statuas tantùm ligneas rapuerunt, qvas extracti sociis exhibebant; aliam Sveci sibi retinentes religiose sub Freyris nomine colebant, aliam huc in Trandiam miserunt, qvæ hucusque specie illius religiosè culta est; qvæ autem ipsi Sveci frugum, fertilitatis, cæteraq; pacis munera ipsi adscribebant; eadem Dani Frodio Pacifico Regi suo accepta referebant. Imperabat tunc orbi Romano, ut prisca tradunt monumenta, Cæsar Augustus, sub qvo CHRISTUS, DEI Omnipotentis Omnipotens filius, natus est, ut omnium bonorum, ita etiam illius pacis author datorque, à qvo ego vobis missus sum, ad exstirpandam, qua hucusque obcæcati estis, idololatriam, verumque & genuinum istius, atqve adeo Sacro-Sanctæ Trinitatis, cultum monstrandum, ad vestram temporalem felicitatem, &, in qvo omnis cardo vertitur, æternam salutem. Vos autem, qvi turpiùs à suscepta semel doctrina jurataque religione defecistis, qvàm in principio obstitistis, meritas defectionis pænas, tormenta nimirum & mortem, haut effugietis, ni statim velut postliminio ad suscepta semel sacra redeatis; neque enim Rex dici mereor, si apostasiam, reditum ad gratiam Divinam obstinatè respuentem, impunitam reliqvero.*

Complures verbis Regis aſſenſum præſtabant. Interea militum Regiorum Chriſtianorumqve agmina magna occultè a Rege undiqve viciniâ excita accurrebant: qvibus cum apoſtatarum vires neqvaqvam ſufficerent, cauſam omnem arbitrio Regis commiſerunt; qvo ſub veſperam ê foro domum navigante, magna tempeſtas mare omne turbavit, fluctusqve ingentes concitavit. Ipſe ad proſperos in negotio honorem Dei propugnante ſucceſſus lætus gubernaculum tenuit. Fuit tum in eadem nave vir qvidam Islandus, nomine Thorarinus, poëta egregius, cui Rex navem gubernandam mandavit. Imperitiam excuſanti, verſus pangendi ad recreandos comites provincia demandata eſt; hac tamen lege, ut alium interea

in ſuum locum ſubſtitueret gubernatorem. *Eqvidem*, reſpondit, *canem tuum, ô Rex, haut imperitius me navem directurum ſpero. Bene habet*, ait Rex, *verſum matura: is autem licet haut peritus gubernator, gubernabit tamen*; admotisqve pedibus ejus gubernaculo ipſe Rex curſum dirigêbat. Interea poëta verſum fudit, qvo canem clavem tenuiſſe tradit, Regem autem remigâſſe. Redux domum maxima cum gratulatione ab omnibus exceptus eſt, actæqve Deo gratiæ, qvi conatus Regios tam laudabiles felici ſucceſſu beaverat.

CAP. XXIII.

DE THESAURO REGI A THORKELE DYRDILE OBLATO, IDOLOQVE THORGERDIS HOLGABRUDRIS A REGE DESTRUCTO.

INter omnes proceres Thorkell Dyrdill, avunculus Regis, ſummum gratiæ locum tenuit. Is ut vidit Regem adeo hilari animo, exceſſit, poſtqve horulam revertit, caprum manu ducens, affatusqve Regem, ſi placeret, gladio ferire non gravaretur. Rex ſubridens ſtricto gladio cervici ictum intulit. Verum ut caprum immotum, caputqve corpori absqve ulla læſione adhærens, ictumqve ne ſangvinem qvidem elicuiſſe animadvertit, qvid prodigii eſſet, exqviſivit; propiusqve accedens ligneum cute vellereqve obductum conſpexit: qvem cum Thorkell aperuiſſet, argento diſtentum obſervavit. *En*, inqvit Thorkell, *loculorum Comitis Haconis unum, theſauri ſui receptaculum, recèns mihi inventum. Qvomodo igitur diſpenſabis?* ait Rex. Is *bene diſpenſâſſe ſibi videri, quod Domino reddidiſſet*, reſpondit; *neque enim alium talium rerum dominum, quàm ipſum Regem, ſe agnoſcere.* Rex *illud quidem veriſſimum* reſpondit, *dono igitur ſuo posſidere* juſſit, ſvaſitq; *ut hunc eundem loculum, quo reconditum theſaurum accepiſſet, in poſterum reſervaret, quandoque cum maximè opus eſſet ſubſidio futurum; quod ſi plura rerum Haconianarum capri modo abdita reſciret, ea in muneris remunerationem proderet*: pincernæqve mandavit, ut craterem mero repletum ei porrigeret exhauriendum. Exhibentem præveniens Rex ipſe recepturus manum extendit; pincerna errore factum ratus, Thorkeli competere ſuggeſſit. Rex ita qvidem eſſe, ſe tamen ei propinaturum, præbibitqve dimidium. Thorkell, actis impenſè gratiis, magno ſe deſiderio teneri affirmavit, cognoſcendi, ubi & qvando auxilium â theſauro iſto mutuandum foret. (Verum id in vita Magni, ejus nominis Primi, Divi Olafi filii, exponendum eſt.) Hoc igitur veſpere aulici omnes ad hilaritatem usqve largiùs ſe invitabant; mane autem ſeqventis diei a matutina potatione, cæli clementia invitante, Thorkell Regi comitatuiqve eqvos miniſtrabat, ipſeqve præcedens ad ſylvam eos deduxit. Ibi Rex eqvo deſcendens, cum parte comitum pedes ſaltum ingreſſus, incidit in viretum arboribus circumdatum. In medio ſacellum ornatius, qvàm aliàs vidiſſe ſibi viſus eſt, animadvertit. Corruſcabat ibi auro argentoqve & pretioſa veſte idolum fæmineum. Thorgerdem Hölgabrudurem, amiciſſimum Haconi Numen, & præ omnibus aliis cultum, repræſentare Thorkell indicabat: qvod veſte ornatuqve nudatum, eqvi, qvem ipſe aſcendit, caudæ alligari juſſit, rediensqve ad comites qvæſivit, *num & hæc mulier inter eos procum eſſet in-*

inventura: viduam esse pluribus maritis, cultoribus suis, Principibus regionis hujus, uno post alterum orbatam. Qværenti cuidam, *quinam desponderet? in suam Thorkelisque potestatem recidisse* respondit. Binæ arcæ auro argentoqve plenæ ante idolum stabant, proprium velut patrimonium ab Hacone donatum: eas Rex sibi vendicavit. Postea statuam confregit, particulasq; illius, ut et idoli Freyris, unà cremavit, ne collectæ â superstitiosa plebe colerentur. Ut vero neminem interitu eorum moveri cognovit, summa cum devotione Deo gratias egit, qvi sua clementia & bonitate populum illum a Diabolo seductum Evangelii cognitione illuminare dignatus esset; enixè orans, *ut quam, se ministro, Numinis sui notitiam plantare cœpisset, eam deinceps etiam post fata sua promovere vellet; scire quidem se, populo isti haut diu interfuturum; vereri etiam, ne se amoto vinea Christi damnum caperet; nihilominus oraturum assidue, ut fidum quandoque operarium sibi substituat, qui ea, quæ auspice Deo plantaverit ipse, felicius riget excolatque, & si qui defecerint, ministerio ejus restitui, inque viam veritatis reduci possent.* Videturqve piissimus Rex spiritu Divino afflatus Sanctum Olafum prævidisse.

CAP. XXIV.
DE OBITU FILII REGIS OLAFI EX REGINA THYRA SUSCEPTI, RAUGNVALDIQVE VESTROGOTHIÆ COMITIS, NUPTIAS INGIBIORGIS REGIS SORORIS AMBIENTIS, LEGATIS.

PRoximam ab Halogia ad Christum conversa hyemem Rex & Regina Nidarosiæ transigebant. Æstate, qvæ præcessit, Regina filium in spem successionis enixa perhibetur. Haraldum de avi materni nomine dictum: indeqve magnum, sed breve, gaudium, exortum, cum annum non integrum vixerit. Hic locus universam temporis seriem, Chronicis observatam, invertit. Solus enim *Codex Flat:* & *Oddus Monachus* hæc habent; reliqvi, qvantum scio, non meminerunt. Enimvero si hac æstate, qvæ incidit in annum CMXCIX, filium procreavit, anno superiori convivium nuptiale præcesisse oportet. Jam vero prius cum Gudruna Skeggii Yrjensis filia nuptiæ confectæ sunt; nec tamen id ante Thrandiam Christianis sacris initiatam. *Chronica* autem omnia Thyræ nuptias in annum CMXCIX referunt, & qvidem anni ejus autumnum, postqvam Rex ex Halogia rediisset; nec in Norvegia præter unam hyemem, regni sui ultimam, vixisse volunt, nuptiasqve non Tunsbergæ, sed Nidarosiæ, adornatas; qvod qvidem consisteret, si refelli posset, eam prolem ex Regina suscepisse.

Hac eadem hyeme multi Islandorum, magni nominis viri, in aula Regis vixerunt, qvibus Ingibiorgis Regis soror impensè favebat; in primis autem Kiartano, qvi ibi diutissimè (Codice Flat: teste) manserat. Fuit virgo speciosa, mansveta, & liberalis, adituq; facilis, alloqvio blanda & ingeniosa. Hoc ipso autumno Hallfredus Vandrædaskald ê Gothia ad Regẽ rediit, jam antea familiaris Comiti Rognvaldo Ulfio (cujus pater frater erat Sigridis Sveciæ Reginæ, Imperiosæ dictæ, mater Olafi Sveciæ Regis Uxoris soror) Olafi Sveciæ Regis amitino, tunc Vestro-Gothiæ Comitis titulo præfecto; qvi multas ejus laudes prædicabat, fortitudinem, prudentiam, libera-

liberalitatem, adminiſtrandæqve provinciæ peritiam & dexteritatem, & in amicitia conſtantiam. Adjecit præterea, *ambire eum Regis amicitiam, ſororisque ejus Ingibiorgis nuptias, id enim ſibi ſecreto retuliſſe.* Nec vana fuerunt qvæ afferebat; hyeme namqve inſeqvente legati ab eo ad Regem ejus cauſa miſsi ſunt; qvibus benigne exceptis auditisqve reſponſum eſt. *Ingibiorgis voluntatem explorandam, cui plurimum tribuendum.* Hæc cum Rex ei retuliſſet, illa animum in ſe benevolentiamqve fraternam pluribus commemorans, *futuram ſe in ejus poteſtate, eique arbitrium ſui elocandæ commiſſuram* reſpondit; *tantùm orare, provideret, ne viro â Chriſtianis ſacris alieno jungeretur*; id qvod Rex haut invitus, ab ethnico conjugio cæteroqvin ſemper abhorrens, promiſit. Legatis deinde reſponſum, *in orientales regni oras ſeqventi æſtate Regem profecturum; ſi ulterioris amicitiæ firmandæ Comiti animus eſſet, ibi ſibi congrederetur, quò coram rectius omnia componerentur.* His dimiſſi ad Comitem redierunt: Rex autem in Thrandia hyemavit.

CAP. XVX.

DE NEGOTIO RELIGIONIS CHRISTIANÆ A SIGMUNDO IN INSULIS FÆREYIS PROMOTO, IISQVE, QVÆ INTER EUM ET THRANDUM INTERVENERUNT.

DUm hæc in Norvegia geruntur, Sigmundus Breſterinus, qvi ſub initium æſtatis anni ſeculi iſtius nonageſimi octavi commeatu clericisqve ad Chriſtianam religionem in Færeyis plantandam inſtructus a Rege miſſus omnibus inſulis ſumma cum poteſtate præfectus eſt, proſpera uſus navigatione patriam repetivit. Mox comitiis provincialibus in ſolenni foro in Straumſeya, freqventi populi confluxu, Olafum Regem Norvegiæ univerſis inſulis ſe præfeciſſe promulgavit; id qvod plures ei gratulabantur. Adjecit deinde, *ſe in Chriſtianorum cultus, ritus, moresque conceſſiſſe; in mandatis etiam habere, univerſos & ſingulos omnium inſularum Færeyenſium incolas ad idem inſtitutum convertere.* Primus Thrandus reſpondit, *æqvum eſſe ut cives omnes de tam arduo negotio deliberarent.* Id reſponſum omnium aſſenſum meruit. Seorſim itaqve progreſſi authore Thrando ad peregrinos ritus averſandos inſtigabantur: Cum autem Sigmundus animadvertiſſet, univerſum populum ad Thrandum confluxiſſe, ſeqve ſolum Chriſtianis tantùm, qvi aderant, iisq; paucis, ſtipatum, nimium ſe jam Thrando permiſiſſe affirmabat. Redeuntes omnes concitatiores, contactis armis, vim videbantur illaturi, ni Thrandus ſedâſſet. Hic cauſâ plebis ordinumqve omnium in ſe ſuſceptâ, deſiſtere incæpto Sigmundum jubet, fidemq; ſuam interponere, nunqvam deinde inſulanos ad ea ſacra recipienda adacturum; repugnanti hunc diem rerum ſuarum extremum futurum minatus. Videns autem Sigmundus, nihil in præſens ſe profecturum adverſus armatam concionem, cedendum tempori ratus, dextram qvidem in id, ſed ſimul verba, dedit; regreſſusqve ê foro in Skufeya permanſit, indignè admodum ferens, a civibus ſe ad pactum tam indignum & impium juramentum adactum; voce licet, vultu etiam & geſtu, præſentem animum fingeret.

Vere ſubſeqvente, æſtibus ſecundùm omnium opinionem navigationis

nis usum præripientibus, duobus navibus cum triginta comitibus in altum evectus, mandatum Regis, etiam cum præsenti vitæ periculo, exsecuturus, ad Austreyam adnixus, domum Thrandi coronâ cinxit, qvem effractô cubiculô, ubi acqvievit, captum cum milites produxissent, his verbis affatus est. *Fortunam ut plurimum instabilem vices variantem hìc conspice. Superiori qvidem autumno tibi usque adeo faventem, ut tuo arbitrio leges ferres; nunc velut tanti favoris gratiæque in indignum collatæ pænitentem, velut deditum meæ te potestati commisisse. Extorsisti tunc mihi ê duabus conditionibus, sed iniqvissimis, electionem alterutrius, dabitur etiam tibi ê duabus, sed valde disparibus, optio. Idola Diabolumque abnega, mitte vanam persvasionem, Christum Christianumque dogma cultumque profitere, consequentemque felicitatem æternam exspecta. Si hæc displicet, opibus nudatus omnibus extemplò moriêre, mortuus supplicibus immanibus, iisque æternis, afficiendus.* Thrando veteres amicos se haut deserturum respondente, protinus qvi occideret delectus, traditam a Sigmundo securim gerens ictum illaturus accessit. Qvo animadverso Thrandus, *siste paulum,* ait, *fandique copiam præbe. Ubi agnatus meus Sigmundus? eum enim alloqvar.* Is, qvæ velit, promere jussit. Tum Thrandus mandatis ejus pariturum se affirmabat; hanc etiam, qvam imperaret, religionem sectaturum. Thorer Sigmundum ut interficeret hortatus, cum persvaderi nollet, *tuo,* respondit, *tuorumque amicorum excidio parcis*; id vero se periclitaturum cum respondisset, statim Thrandum cum domesticis omnibus baptizari â præsente sacerdote fecit; deinde per omnes insulas secum circumduxit, nec priùs destitit, qvàm abrogato paganismo, omnes Christo regenerationis lavacro ablutos consecrasset.

Eadem æstate in Norvegiam navigaturus, tributa Regia secum avexit, Thrandum etiam valde invitum, iterqve neqvicqvam deprecantem. Provectus in altum, æstibus tempestatibusqve retrò actus naufragium fecit, omnisqve æris jacturam, nautis tamen omnibus eorumqve auxilio Thrando incolumi elapso. Nihil isto damno motus Sigmundus, reditibus Regiis propriis impensis restitutis (erat enim lauta in re) iterum fortunam tentaturus, secum Thrandum, multum licet obnitentem, duxit. Paulo longius provectos consimilis tempestas, sine tamen rerum hominumq; detrimento, nave luxatâ, ad patrias oras repulit. Thrandus *non esse, quod aliam sibi fortunam sponderet*, monuit, *quoad se invitum avehere tentaret.* Hac pertinacia victus Sigmundus eum dimisit, exacto prius juramento, qvo Christianam se religionem sincerè culturum promiserat, nec qvo minus ea propagaretur coleretur qve, ullo modo impediturum, Regiqve Olafo sibiqve se fidelem & obseqventem exhibiturum, aliosqve ad idem faciendum exhortaturum, nec qvenqvam ab eorum obseqvio ullis machinationibus aversurum, edictum Regis de religioso Christi cultu, sacrorumqve Christianorum usu, cæteraqve omnia religiosè observaturum. Juramenti formulam, qvàm accuratissime poterat, præscripsisse Sigmundus perhibetur.

Thrando domum remisso, ipse qvoqve domi hyemavit. Præcipite siqvidem autumno postremò repulsus, qvominus pelago se tertiò committeret, anni tempus, appetente hyeme, obstabat; navem ergo per reliqvum autumni reficiendam curavit. *Chronicon Norvegico-Danicum* reliqvias Orcadum, totam etiam Hialtlandiam, Sigmundum ad Christi cultum perduxisse tradit, longumqve tempus isti operæ insumptum; verùm de hac re alibi altum est silentium. Sigurdo Comiti Orcadensium illud injunctum,

junctum, qvem & perfecisse nullum est dubium; non enim filius ejus Olafo obses datus statim mortuus est, nec eo vivo obseqvium Regi subtractum. Ex iis, qvæ de Sigmundo legimus, planum est, in Færeyis his annis moratum: nec tempus vacat, qvô tantam rem extra patriam expediverit.

CAP. XXVI.

DE PROFECTIONE SIGMUNDI IN NORVEGIAM, ET IIS, QVÆ EUM INTER ET REGEM INTERCIDERANT.

VEre proximo Sigmundus in Norvegiam cum censu Regio, propriis impensis restituto, trajecit, longoqve tempore apud Regem magno in honore mansit, eiqve ordine, qvæ inter ipsum Thrandumqve & alios indigenas gesta essent, retulit. Rex eo collaudato, id tantùm ad felicitatis eorum complementum restare dixit, qvòd Thrandus ad se non fuerit delatus, omnia enim apud insulanos corrupturum, utile namqve omnibus exilium ejus; verum haut factu proclive futurum, suo enim judicio omnium septentrionalium hominum pessimum esse. Qvodam die Sigmundum Rex ad certamen exercitiorum secum instituendum invitavit, qvod cum post modicam excusationem suscepisset, sagittandi natandiqve peritiâ aliisqve artibus proximus ei judicio omnium habebatur; in singulis namqve aliqvid desiderabatur, qvo minùs æqvâsse judicaretur. Convivio adhibitus tanta in æstimatione fuit, ut tertius a Rege accumberet. Fortè cum brachium mensæ imponeret, Rex annulum crassum cubitum ejus ambientem observans, ostendi sibi postulavit; qvem detractum cum tradidisset, *dones, quæso, mihi*, ait. *Atqui decreveram*, respondit Sigmundus, *non alienare*. Rex alium se ei redditurum, nec pondere leviorem, nec pretio promisit. *Hunc equidem non alienabo*, respondit, *istud enim Comiti Haconi, qui eum peculiari affectu mihi donabat, pollicitus sum, promissaque expediam: mihi enim bonus vir visus est, ut qui me multis beneficiis affecerit*; Tum Rex respondit; *placeat*, inqvit, *Comes annulusque quantum voles, hìc tamen fortuna tua deficit; hic enim annulus tibi exitialis quandoque futurus est; nec me id minùs latet, quàm quo datore, & unde desumptum, acceperis, magis ut peterem cupido amicos periculis eruendi, quam annuli possidendi, permovit.* Irati signum facies Regis rubro repentè colore prorsusqve sangvineo tincta præbuit, nec deinde se Sigmundo pariter ut antea familiarem exhibuit; qvi nihilominus in aula ad primam usqve æstatem moratus amicè â Rege discedens dimissus, patriam, Regem non ultra visurus, repetivit, domiqve in insula Skufeya remansit. Impletum autem esse vaticinium Regis nos *in Historia Færeyensium* memoravimus. Annus hic erat, qvo â Rege discessit, millesimus.

CAP. XXVII.

DE THORHALLI FATIDICI VATICINIO, ET THIDRANDII CÆDE IN ISLANDIA.

Hic

HIc jam conſentaneum eſt, ut geſta Thangbrandi in Islandia exponamus. Adventum ejus prodigium tale præcesſiſſe dicitur. Thorhallus qvidam fatidicus, Hacone Comite in Norvegia imperante, in Islandiam migraverat, inq; oſtium rivi Syrlæki Orientalis inſulæ qvadrantis appulſus prædium Hörgslandiam habitationi delegit. Inter eum & Hallum, Procerum totius illius qvadrantis facile principem, dominum de Sida, qvi prædium Hof curiæ Alſtafiordenſis incoluit, intemerata amicitia, mutuo hoſpitii jure firmata, qvotannisqve cultaq;, interceſſit; Hallo ad generalia totius inſulæ, eaqve anniverſaria, comitia proficiſcenti apud eum in tranſitu ſemper diverſante, Thorhallo vicisſim crebris Halli conviviis, longo plerumqve tempore, excipi ſolito. Fuit Hallo filius, nomine Thidrandius, juvenis eximius, ab adoleſcentia peregrinationi asſvetus, moribus cultisſimis, ingenii etiam facilitate ab ipſa natura ornatus, patri in primis carus, omnibus præterea acceptus. Hic æſtate qvadam, dum Thorhallus ad patrem diverteret, adqve convivium ſub initium hyemis celebrandum detineretur, in patriam domumqve paternam redux, ſum̃a paterna caritate exceptus eſt. Contigit autem, ut dum amici omnes viciniqve unò ore eum com̃endarent, Thorhallus non ut cæteri in laudes ejus profuſus conticeſceret; qværenti cauſam Hallo reſpondit: *neque odio, ſive ejus, ſive filii, neque invidia, ſed nec inſcitia; quaſi minus ſibi quàm cæteris virtutes ejus meritaque pateant, id fieri; abſtinere autem laudibus, cujus deſiderium ſubito ſucceſſurum prævideat optandum primo quidem falli ſe, deinde ne virtutes ejus ipſi exitium afferant.* Procedente æſtate Thorhallus contriſtari cæpit: Hallo iterum cauſam reqvirenti, *proximo convivio verendum ſibi*, reſpondit, *ne fatidicus occidatur.* Hallus præſagium eluſurus, *eſſe ſibi bovem annorum duodecim, quem fatidicum appellare ſoleat, quòd præ cæteris ſui generis ſapere videatur, hunc ſe in convivii uſum mactaturum, atque ita metum mala præſagientis animi in honorem convivarum converſurum.* Thorhallus, *non eo fine ſe hæc conjectâſſe* reſpondit, *tanquam de vita ſua ſollicitus ſit; aliud majoris momenti metuendum. Quin igitur*, ait Hallus, *convivium ſuſpendimus*; id vero fruſtra Thorhallus reſpondit, *fata enim haut eſſe mutabilia.* Convivio ad præfinitum tempus inſtructo, veſpere primo pauci convivarum accedebant, reliqvis tempeſtate excluſis. Tum Thorhallus, *ut ſinguli intra tecta inſequentem noctem agerent*, mandavit, *neve ulla incidente cauſa, quantumvis prægnanti, ad egrediendum ſe perſuaderi paterentur, ſecus calamitatem ſecuturam.* Hallus, ut præceptis ſinguli obtemperarent, præcepit; non enim falli Thorhallum. Thidrandius convivis miniſtrabat magnâ, ut ſolebat, humanitate, partemqve eorum lecto ſuo excipiens, ipſe prope fores aſſidebat; cum plerisqve ſopitis janua fortè pulſabatur: omnibus edicti metu ſomnum ſimulantibus, ictus iterabantur. Tum Thidrandio inhumanum viſum eſt, invitatos hoſpites hoſpitio excludi, objiciqve procellis cæliqve inclementiæ. Itaqve arrepto gladio foras egreſſus, ut neminem conſpicatus eſt, eos, qvi præceſſerant, ad reliqvos, qvi ſeqverentur, in viam deducendos reflexiſſe ſuſpicabatur. Longiùs igitur procedens, juxta ſtruem ligneam conſtitit; cum in adſito campo ab Aqvilone novem fæminas ſtrictis gladiis, totidem eqvis inſidentes, veſtem nigram indutas; ab auſtrali autem campi parte totidem albo amictu adeqvitantes conſpicatus eſt. Et

jam domum rediturus, visa narrare gestiebat, cum nigræ subitò supervenientes, gladiis eum, gladio se neqvicqvam defendentem, impetebant. Post longiorem moram Thorhallus excitatus Thidrandium inclamavit, sed responso frustratus, nimiùm jam somno indultum pronunciavit. Egressi igitur convivæ Thidrandium lethaliter vulneratum luna serenante deprehendunt, ædibusqve seminecem inferunt. Is qvæ vidisset, qvemadmodum retulimus, narravit, adqve diluculum usqve vixit, tumulo more seculi illatus. Inqvisitum deniqve compertumqve, neminem illa nocte per eam viam profectum. Hallo deinde ex Thorhallo horum rationem sciscitante, *negabat sibi pro certo constare; suspicari tantùm, non fuisse has, quæ apparebant fœminarum specie, fœminas, sed familiæ illius genios, reliquas autem albas mutationem religionis, sacrorum, rituumq; portendere, & quidem in melius. Has autem furvas prioribus sacris adhæsisse, prævidere autem defectionem totius familiæ à se ad albas illas, indignatasque tributum hoc a tota familia exegisse; genios autem meliores per albas illas repræsentatos, opem ei allaturos, in præsens ab illis præventos.* Hallus orbitatem filii adeo ægrè tulit, ut deinde prædium Hof, monumentum luctûs, inhabitare non sustinuerit, itaq; in prædium aliud, nomine Thvotta, domicilium transtulit. Ibi Thorhallus cum pro more convivaretur; mane qvodam lecto proximo ab Hallo incubans præter morem fortè riserat. Hallo qvid subesset, qværenti respondit, tumulos multos collesqve apertos sibi visos, incolasqve velut subitò migraturos, vasa colligentes. Paullo post evenerunt ea, qvæ jam referemus.

CAP. XXVIII.

DE NEGOTIO CHRISTIANÆ RELIGIONIS A THANGBRANDO IN ISLANDIA PROMOTO.

THangbrandus a Rege Olafo (ut superiùs diximus) in Islandiam missus, in ostium Selvogi, qvod sinu borealiori Alstafiordo continetur (*Niala* in sinũ Berufiordum ad Gautavikam habet) appulit. Ei comes erat vir Islandus, nomine Gudleifus, nobili prosapia, qvippe a Hiörleifo Mulieroso Hordiæ Rege descendens per patrem Arium, avum Marem, proavum Atlium, abavum Ulfum Skialgium, atavum Hognium Album, tritavum Otryggum, tritavi patrem Oblaudum, ipsius Regis Hiörleifi filium. Fuit autem duellis exercitatus, viribus valens & ingenio acer. Cognito Thangbrandum Christianum esse, incolarum nemo eum invisere, alloqvi, aut in portum deducere, aut ullam operam vel humanitatis officia præstare sustinebat, idqve ex sanctione duorum fratrum de prædio Berunesia, Thorleifi & Ketilis Holmsteini filiorum. Prædium Thvotta postea dictum Hallus tunc incoluit. Illum fortè in provinciam Fliotzdalum Aqvilonem versus profectum in reditu Thangbrandus accessit, officioseqve salutavit, præmissaqve salutatione Regis, si fortè in eum districtum appelleret, legationis scopum exposuit, ejusqve verbis petivit, ut opem auxiliumqve præstaret, instrueretqve iis, qvibus indigeret; id qvod Hallus haut gravatè in se recepit, misitqve ilico, qvi navem in portum deducerent, onereqve levarent, omnesqve eorum res domum ad se deferrent. Fixa deinde in campo ten-

po tentoria tabernaqve, cujus rudera postea Thangbrandzhrof dicta sunt; ibi ille cum universo comitatu hyemavit, Hallo necessaria omnia liberaliter præbente; qvi & sæpius eos invisit, longo tempore cum iis conversatus.

Die præcedanea festi Michaelis, cum Christianos ab hora tertia pomeridiana feriatos Hallus animadverteret, causam intermissarum operarum exqvisivit. Thangbrandus festum Michaeli Archangelo seqventi die celebrandum instare cum respondisset, ulterius qvalis vir ille fuerit? qvæsivit. Thangbrandus respondit: *non hominem, sed spiritum a Deo Omnipotente creatum, aliisque Angelis Principem constitutum, ad oppugnandos malos dæmones, aque eorum insultibus Christianos protegendos. In primis animas Christianorum ad æternam qvietem sempiternaque gaudia deducendas ei commissas; ubi morbi tristitia, ipsaque adeo mors in perpetuum exulet, abundet autem voluptas, vitaque in æternum beatissima perennet. Hanc tamen felicitatem iis duntaxat patere, qvi Creatori sincere servierint, deinde in consortium Angelorum officiique communionem recipiendis, qvorum claritas Solis splendorem, robur humanam imaginationem superent, præ qvorum svavitate omnium ungventorum odor nausea sit. Distinctos autem in ordines novem, alios ad comprimendam vim omnem malorum Angelorum; alios ad morbos, & qvicqvid mortales infestat, averrucandum, sanitatemque & salutem restituendam, necessariaque suppeditanda; alios ad stationes in conspectu Creatoris observandas; omnes autem ad gloriam illius suavi melodia perpetuò decantandam, ineffabili pulchritudinis ejus admiratione defixos.* Nec plures ordines per ministeria distributos Thangbrandus enumerâsse legitur. *Enimvero*, ait Hallus, *illius potentia captum meum meique similium excedit, cui tam potentes ministri famulantur.* Thangbrandus hanc cogitationem ei viro ethnico non nisi a Deo inspiratam confessus est. Cum autem Hallus cænatum cum suis ivisset, *homines Christianos festum crastina die in honorem unius Deorum suorum magna religione celebraturos* retulit, *ad qvorum ceremonias inspiciendas etiam sibi suisque aditum patere; licere ergo iis eodem die feriari, ritusque peregrinos intueri.* Postridie cum ceremonias eorum vidissent, campanarum nimirum sonum, vestesqve sacras, cantusqve cum thuribulis svaviqve odore, candelarum accensarum lumina, & id genus ad pompam ostentationemqve tantùm facientia, mirum in modum tum is, tum exemplo ejus ejus domestici omnes, moti sunt. Ritibus probatis, non tamen patrios Deos temerè abdicandos Hallus statuit, ni novorum sacrorum efficaciam miraculosam præco ostenderet; ejus igitur in duarum effætarum longoqve morbo exangvium clinicarumq; vetularum sanatione, baptismi ope, sine tamen virium aut juvenilis vigoris restitutione, periculum fieri expetivit, pollicitus, si salubri lavacro ablutas, morbo vel liberatas, vel levatas ex parte, animadverteret, in ea sacra, cujus conspicuas vires observaret, se haut invitum cum omni familia concessurum. Vetulis deinde persvasis ad sacra Christiana amplectenda, postqvam Beatissimæ Trinitati se devovissent, baptismumqve pro more a sacerdote petivissent, impetrâssentqve; mox albas vestes indutæ affirmârunt, *morbo omni se liberatas, tantum viribus pro ætatis natura debiles, cætera à juvenculis nihil differre: exemptum præterea metum mortis, spe futuri æternique gaudii.* Hoc miraculo persvasus Hallus, postqvam a Thangbrando stipulatus esset, Michaelem Archangelum sibi tutorem patronumq; fore cum omni familia pridie feriæ gloriosæ resurrectionis se in rivo, qvi e domestico fonte scaturit, baptizandum præbuit, inde postea Thvot-

ta, ſeu *fluvius ablutionis*, rivus ille a Thangbrando dictus eſt; prædium exinde idem nomen aſſecutum. Proxima æſtate Thangbrandus cum Hallo ad comitia anniverſaria totius inſulæ profectus eſt. Iter autem verno tempore cæptum hoc ordine proceſſit. Cum ad prædium Skaftafell, teſqvis Lonsheidenſibus ſuperatis, perveniſſent, Thangbrandus a domino loci Thorkele ad ſingulare certamen provocatus, cruce ſe loco clypei protexit, adverſariumqve occidit. Inde in diſtrictum Hornafiordenſem profecti divertebant in prædio Borgarhofn, qvod ad orientem Heinabergſando adjacet, ad Hilderem Senem, cujus filius fuit Glumus, qvi Floſium ad incendium Nialinum ſecutus eſt, qvem cum univerſa domo Chriſto lucrati ſunt. Inde in tractum Fellzhverſium, in prædium Kalfafell, hodie paſtorale, itum, Thorſteinusqve Halli agnatus cum familia omni converſus. Ad Svinafell deinde iter directum, Floſiusqve, is qvi Nialem poſtea cum familia domeſtica omni incendio delevit, catechumenorum ordini inſertus. Proceſſum deinde ad prædium Breida, agnatusq; ibi Halli Auſſur Hroaldi filius catechumenus factus.

CAP. XXIX.

DE IIS, QVÆ INTER THANGBRANDUM ET ETHNICOS INTERCIDERUNT, ULTERIOREQVE IN PROPAGANDA CHRISTIANA RELIGIONE PROGRESSU, ET GESTI ODDLEIFI SAGACITATE.

COgnito Thangbrandi in propagando Chriſtianiſmo propoſito, ethnici tanto in eum furore graſſati ſunt, ut magorum præcipuum, nomine Hedinum, qvi prædium Kellingardalum incoluit, ab incantationibus, qvas galldr vocant, Galldra-Hedinum dictum, pretio conducerent, ut vivum terra abſorbendum curaret. E prædio Kirkiubæ, ubi divertebat, cum Hallo ad Surtum Asbiorni filium, Thorſteini nepotem, Ketillis, ethnicis Fiflſkii, ſeu Stulti, Chriſtianis autem poſterius Spakii ſeu Sapientis dicti, pronepotem, virum Chriſtianum ê Chriſtianis majoribus ab abavis usqve prognatum (neqve enim ethnicis illud prædium inhabitare licuit, ut ſuperius dictum eſt) profectus eſſet, incantatore in teſqvis Arnarſtaksheidenſibus ſacrificium peragente, terra dehiſcens eqvum ejus abſorpſit. Is autem ſubitò deſiliens, Divina ope auxilioqve comitum incolumis evaſit. Gudleifus autem magum perqvirens, ad amnem uſqve Kellingardalſa dictum perſecutus haſta transfixit. Exinde ad Dyrholmam perventum, ubi conventus celebratus, religioqve Chriſtiana comendata. Ibi Ingialdus, Thorkelis Haeyar-Tyrdilis filius, converſus eſt. Inde in tractum Fliotzhlidenſem iter promotum, ubi Veturlidius pöeta, qvi cum filio Ario maximè obſtiterat, famoſumqve carmen in præconem, probroſum etiam in Deum, conjectaverat, a Thangbrando & Gudleifo ſtatim occiſus eſt, cædesq; deinde carmine celebrata. Inde ad prædium Bergthorshvol itum, ubi Niall vir ſapiens habitavit. Hic cum dudum audiviſſet, Norvegos & Orcadenſes traduci, qvòd abdicatis patriis ritibus nova ſacra admiſiſſent, palam reſpondit, longè veriorem & ad ſalutem neceſſariam videri ſibi novam religionem. Exinde etiam receſſum qværens ſolus orabat.

orabat. Is cum omni familia haut gravatè Christo nomen dedit. Maurdus autem Valgardi filius de prædio Hofe maximè ei obstitit, vir subdolus & astutus. Inde transmissis fluviis ad Haukadalum nobile prædium perventum est. Ibi Hallus iste Thorarini filius, ad cujus authoritatem in præfatione provocat Chronicorum Norvegorum Scriptor, apud qvem Teitus, Isleifi primi Episcopi Islandiæ filius, & Arius Polyhistor educati sunt, tum trimulus baptizatus est. Ad comitia gentis universalia cum pervenisset, multos qvidem in australi qvadrante Christo lucratus est. Borealis autem tractûs incolæ, qvibus eadem sacra cordi erant, eum ad se invitârunt. Ad districtum Oxnafiordensem eadem æstate pervenit, multosqve in rivo prope prædium Skinnastadas, qvi postea de posteriore parte nominis ejus Brandzlækr/ seu *Brandi rivus*, dictus est, baptizavit. In tractu autem circa ingentem lacum Myvatn/ ab œstri in-exhausta copia denominatum, in stagno Þangbrandzpolli deinceps dicto alios abluit. Potentia autem eorum, qvi tractum Eyafiördensem incolebant, obstitit, qvo minus ulterius in Aqvilonem progrederetur, qvàm ad fluvium Skialfandium. Thorvaldus qvoqve Veilius, qvi prædium Heivikam in Grimsnesia incoluit, consimili de causa ac Veturlidius poëta ob famosum in eum & comitem ejus Gudleifum carmen conjectum ab iis ad rivum Heftlækum occisus est: prius enim pöema illud ad alium celebrem pöetam Ulfum Ugginum amicum suum misit, cum adhortatione ad conspirationem in necem Thangbrandi. Verum ille venusto carmine dissvasit, negans *se ad tantum facinus, qvod in recessu plus periculi, qvàm primo aspectu, haberet, puerorum instar allici passurum.*

Inde Thangbrandus ad stationem, ubi navem reliqverat, profectus; cum de ulteriore successu planè desperaret, ex Islandia domum navigaturus anchoram solvit; verùm adversa tempestate exorta repulsus, in australi insulæ qvadrantis portu Höfn sinûs Borgarfiordensis, prope fluvium Hvita, seu Albim, substitit. Habitabat tunc Skalholti, ubi postea hodieqve sedes est Episcopalis, Gissur Hvitius, seu Albus, Teiti filius, Ketilbiorni nepos, de qvo in primis Islandiæ incolis fusiùs actum est; qvi ut Thangbrandum tempestate eò delatum accepit, benignè invitatum seqventem hyemem hospitio excepit. Interea navis ejus tempestate collisa ansam præbuit Steinunæ Skaldrefi matri, qvæ Thoris Dei viribus id factum jactabat, ut duobus versibus presbyterum allatraret. Is autem cum reparâsset, Jarnmeis eam postea appellavit, qvasi *cribrum ferreum*; aq; ea promontorium Jarnmeis-hofdi postea nomen sortitum est. *Niala* non in portu Höfn navem collisam, sed in orientali Islandiæ qvadrante ad promontorium Bulandzhofdium, tradit, nomenqve ei visundr/ seu bisontis, memorat, aqve Hallo de Sida reparatam, ab ethnicis deinde Jarnmeis/ seu *ferreum cribrum*, per contumeliam dictam.

Appetente vere Thangbrandus in occidentaliora progressus, apud Gestum Oddleifi filium in prædio Haga, in tractu Bardastranda ad sinum Breidafiordum, remansit. Ibi singulare certamen, athleta qvodam provocante, non detrectavit: is ardentem rogum sine noxa penetrare, impunèqve in mucrones gladiorum se conjicere solebat; jam vero postqvam minister Dei lustrali aqvâ focum consperserat, signoqve crucis mucrones consecraverat, pugil suis artibus neqvicqvam confisus, igne primò læsus, mox mucronibus transfossus, non tantum Christianorum, sed etiam ethnicorum omnium magno gaudio, qvibus multas molestias creare solebat, interiit. Motus efficacitate doctrinæ Christianæ Gestus, cum familia sua

 amicis-

amicisqve omnibus catechumenorum ordini ſe inſcribi curavit. *Niala* non catechumenum, ſed baptizatum, Geſtum hoc miraculo viſo tradit. Thangbrandum enim experimenta religionum facturum, *ut tres rogos inſtruerent, mandaſſe; primum nullo ritu conſecratum; ſecundum ethnico tantùm; tertium ſe ritu Chriſtiano initiaturum*; ſtipulatum autem, *ſi cæteros illæſus penetraret, ſuum autem expaveſceret, ilico Chriſtianam religionem probarent, ſeque ſacro lavacro abluendos præberent*; acceptatamq; a Geſto reliqvisq; ethnicis, numero ducentis, conditionem. Aderant iſti, dum Thangbrandum Geſtus cum ſexaginta comitibus Chriſtianis ad convivium invitatum ſplendidè, pro gentis illius facultate, exciperet. Incolumem Berſerkum utrumqve ignem penetrâſſe, Thangbrandi autem non ſuſtinuisſe, uriqve ſe qveſtum, gladio, qvo ſcamna concuſſurus erat, repente excidente, eodem â Thangbrando ſtatim perfoſſum, manu ſimul â Gudleiſo amputatâ, perhibent. Fuit qvidem Geſtus vir nobili proſapiâ, ſapientiâ tamen & futurorum præſagiis clarior: genus duxit ex Hiorleifo Mulieroſo Hordiæ Rege, cujus filius Ulfus Skialgius (de qvo in primis Islandiæ incolis actum) & Eiricus, qvi Geirleifum genuit, provinciæ Bardaſtrandenſis primum incolam; cujus filius Oddleifus Geſti hujus pater fuit. Verùm defectus majorum in hac genealogia conſpicuus eſt, inter Hiorleifum & abnepotes ejus. Sagacitatis autem Geſti complura extant exempla, nam & fata hominum prædixit, genusqve mortis locumqve. Lioto cuidam qværenti, qvo mortis genere periturus eſſet? ſvaſit ut vicinorum odia caveret. Fuit vicinus ejus qvidam, nomine Grimus, cognomento Røgt/ cui filii duo ſtaturâ exiles. *An*, reſpondit, *terreſtres iſti pediculi* (ſic eos per contemptum appellabat) *fatum mihi accelerabunt*? *famelicus*, reſpondit Geſtus, *pediculus acriter mordet*. Locum deniq; qværenti indicavit: dictisq; eventus reſpondit. Norvego cuidam, qvi eum nutantem a lapſu inhibuit, fortunam hac humanitate affulſiſſe reſpondit, mox aliam ſecuturam monuit, tamen ne eam in infortunium verteret. Is diſcedens continuo in theſaurum defoſſum incidit, denariosqve viginti inde deſumpſit, repetiturus locum non amplius invenit. Lite deinde a domino loci pulſatus, decem unciis pro qvolibet denario multatus eſt. Hac eadem æſtate Thangbrandus ad Regem, nave jam refecta, Nidaroſiam rediit.

CAP. XXX.
DE ACCESSU ISLANDORUM AD REGEM OLAFUM, HIALTIIQVE VIRI INTER EOS PRIMARII EXILII CAUSA.

HAc eadem æſtate, qva Thangbrandus Nidaroſiam rediit, Rexqve in Halogia morabatur, complures ex Islandia in Norvegiam navigârunt. Inter ethnicos eminebant Halldor; Gudmundi Potentis de Modruvellis filius, & Kollbiornus Thordi Curionis Freirisqve Dei flaminis filius, qvi frater erat Floſii, Incendiarii poſtea dicti, tertius Svertingus Runolfi Curionis filius; duxit & navem unam Thorarinus Nefiolfi filius. Hi cognito Regis ex Halogia reditu, qvòdqve omnes ad ſacra Chriſtiana adigeret, præſentiam ejus declinaturi, ê fluvio in ſinum vela fecerunt, adverſa mox tempeſtate ad Nidarholmum retroacti. Horum adventum cum

Hall-

Hallfredi & Kiartani Snorrius confundit, occasione diversarum in Halogiam expeditionum, qvarum prior irrita, in insulam Raudseyam ad Naumudalum usqve pertigit. Ut auten Rex cognovit, Islandos ethnicos eò delatos abitum metu novorum sacrorum moliri, ne excederent, interdixit, qvi hoc edicto coërciti, mercibus tamen naves non exonerârunt. Interea celeberrimi viri, qvos Thangbrandus Christianos reddiderat, eò delati sunt. Gissur nimirum & Hialtius Skegginus de prædio Thiorsardalo, qvi filiam ejus Vilborgem uxorem habuit. Is in patria nuper in judicium vocatus erat, qvòd probrosum carmen in Deorum contumeliam publicè in foro universali fuderit, qvo Odinum & Freyam canes appellavit. Primus causam Deorum in se suscepit Runolfus curio Ulfi filius, Jörundi nepos, criminisqve læsæ Divinæ Majestatis reum peregit. Tanto autem popularium omnium favore pollebat, ut judicium constitui neqviret, priusqvam judices in ponte curio collocâsset, extremitatesqve armato præsidio vallâsset. Sed nec sic qvidem judicum ullus inventus est, qvi causam pro more in judicio referre voluerit, qvoad vir qvidam nomine Thorbiornus Thorkelis filius in judicium adscitus, hanc in se provinciam suscepit, eòqve rem perduxit, ut Hialtius Fiorbaugi pænâ multaretur. Referre autem vel repetere causam in judicio actam tenebatur unus ex judicibus: si id nemo in se suscipere vellet, inter se sortiri debebant, unus ex parte actoris, alter rei, teste Gragas/ Titulo um reifingarmann.

Hac eadem æstate Hialtius navi, qvam ædificari curaverat, in Norvegiam navigavit; verum cum ad eam proficisceretur, ad ripas fluvii Rangarvallensis occidentalioris (duo enim sunt) vir qvidam statura magnus, sed ignotus, clypeum hastamqve gerens, cursu contendit. Hialtius insidias veritus clypeo se munivit, eumqve inclamans; *heus, magne vir*, inqvit, *stipularum manipulus cordis loco tibi est.* Is autem hasta in Hialtium conjecta, clypeum tantùm perfodit. Comprehensus Narfium se nominavit, qvo exilii pænam cæde ipsius redimeret, a Curione Runolfo subornatum. *Atqvi*, respondit Hialtius, *tibi salubrius ego consilium, qvo judicio satisfacias, communicabo. Meus esto comes, impune deinde rediturus.* Placuit consilium, summæ humanitatis generosiqve animi certissimum indicium. Itaqve oceano feliciter transmisso Nidarosiam pervenerunt, hospitaliter a Rege excepti, cognito qvòd essent Christiani.

(Nota. Locus de Fiorbaugi pæna intellectu est difficilis, licet ubiq; in antiqvitatibus obvius. *Niala* pænam definit, qvæ duplicata exilio terminetur. *Codex LL.* antiqvus, Gragas dictus, falsum testem exilio, temerarium fiorbaugo multavit; nihilo tamen secius pænam hanc sæpe imparibus delictis irrogat. Unde patet, diversas pænas hoc eodem nomine intelligi.)

CAP. XXXI.

DE REGIS OLAFI FERALI IN ISLANDOS ETHNICOS, QVI TUM ADERANT, SENTENTIA, EORUMQVE PER INTERCESSIONEM GISSURIS, KIARTANI, ET HIALTII RECONCILIATIONE.

Pau-

PAulo post Islandorum adventum Thangbrandus Regem haut ita pridem ex Islandia redux accessit, graviter de injuriis gentis illius qvestus, *alios enim se famoso carmine lacerâsse, alios necem sibi struxisse, nunc insidiis, nunc duello, nunc deinde incantationis monstrosæ viribus, cum terram ad se devorandum, stupendum dictu, aperuerint, quæ instratum eqvum vivum absorpserit; tandem autem se publico judicio proscripsisse, nec ullam spem restare ad gentem tam præfractam jugo Christi subigendam, præter oppidò paucos.* Hac relatione Rex admodum exacerbatus, signo dato omnes Islandos, qvi in oppido aut navibus remanserant, acciri; mox qvotqvot essent ethnicorum, vel vulnerari, vel membris truncari, vel occidi mandavit (qvam ego sententiam magis ad terrorem incutiendum, qvàm mandati exsecutionem maturandam, datam credo.) Hac necessitate compulsi populares eorum, qvi Christianis sacris se addixerant, Kiartanus Olafi, Gissur, & Hialtius pro iis deprecantes, ne Rex verba promissaqve sua detractaret, suppliciter orârunt; *vovisse enim, nullum unquam tam atrociter se læsurum, quin veniam impetret, si Christianus fieri vellet. Jam vero eos, qui præstò essent, in eadem cum illo sacra, eosdem ritus, concessuros, salubribusque undis se abluendos exhibituros, se autem viam inventuros, qua religio Christiana in patria sua promoveri possit; multum autem ad id collaturos parentes nobilissimorum juvenum, eorumque propinquos, qui novis sacris initiati essent; plus autem apud indomitam gentem humanitate & blanditiis, quàm severitate & minis, profecturum. Sed nec Thangbrandum aliter in Islandia, quàm prius in Norvegia, se gessisse, paucorum tantum voluntatem sibi conciliâsse; si quid displicuerit, infesto statim animo ad vindictam, tandem etiam cædes, prorupisse, neque id incolas æquo animo tulisse.* Rex Gissurem & Hialtium intuens, qvâ familia orti essent, qvæsivit. Prior Gissur respondit. *Hialtius*, inqvit, *Skeggio patre natus est, Thorgeire avo, Eylifo proavo, Ketille Unimano abavo; matre vero Thorgerde, avia Hlife, proavo materno Einare de Cespite Orcadum Comite, abavo Rognvaldo Mæriarum Comite. Ego vero Teito patre progenitus sum, Ketilbiorno avo, Ketille viro opulento de Naumudalo proavo, cui uxor Asa Comitis Haconis Griotgardii filia. Teiti autem patris mei mater fuit Helga, Thordi, cognomento Skeggii, filia, Hrappi neptis, Biorni Bunæ proneptis, Vedra-Grimi abneptis. Mater autem mea fuit Olufa Baudvaris Satrapæ filia, Vikinga-Karii, seu Karii piratici, proneptis; Baudvaris avi mei frater fuit* (ut habet *Codex Flat*: Eiricus, rectius *Chronica & Glumi Homicidæ vita*) *Sigurdus, cujus filius Eiricus de Offrustadis matris tuæ Astridis pater. Cognationis itaque nostræ respectu Thangbrandum, pluribus aliis exosum, invitavi, domoque recepi.*

Nota. Exemplar Chronici Norvegiæ, Kringla dictum, *Fol*: 44. B. ut & aliud Chronicorum Exemplar *Fol*: 29. A. Baudvarem & Eiricum fratres fuisse memorant, *in vita Sancti Olafi*, dissentiuntqve a se ipsis, nam Kringla *fol*: 31 aliud etiam Exemplar *fol*: 18, hæc ita recensent, nimirum qvod Eirici pater Sigurdus fuerit Baudvaris frater.

Ut autem sibi Rex tanta propinqvitate junctum Gissurem cognovit, benignè utrumqve allocutus ad hospitium per universam hyemem invitavit, *inque eorum gratiam omnes Islandos impunitos se dimissurum* pronunciavit (haut alias, me conjectore, ob alienam culpam puniturus,) *si tamen promitterent, se religionis causam in patria proxima æstate promoturos. Obsides* autem

autem se interea retenturum quatuor eorum, quos nobilissimos ducerent, quorum primum virum jam haut modico tempore sibi notum acceptumque Kiartanum futurum, alterum Haldorem Gudmundi Potentis filium, tertium Kolbeinum, Thordi Freyris Flaminis filium, quartum Svertingum Curionis Runolfi filium. In potestate patrum propinquorumque eorum situm, filiosne vita orbatos cognoscere, an opibus honoribusque auctos recipere, malint. Iterum igitur Gissur Hialtiusqve orabant, ut erga obsides clementiâ qvàm severitate uti malit. An igitur iis sangvine juncti essent, pro qvibus deprecarentur? reqvisivit: cum Norvegus qvidam, responso occupato, *se in Islandia hac eadem æstate fuisse* affirmavit, *cum Runolfus Svertingi pater, pro quo jam intercederet Hialtius, ipsum in judicium vocaverit, reumque peregisset.* Qvo Thangbrandus conticere jusso, Regi tum Gissurem, tum etiam Hialtium commendavit; *eos viros esse* commemorans, *qui maleficia beneficiis pensare consveverint, cujus rei illustre documentum hac ipsa æstate Hialtium dedisse, cum immisso in se percussori, necemque sibi machinanti, non modò pepercerit, sed etiam in comitatum suum receperit.* Omnibus deinde Islandis, qvi tum pagani erant, sacro lavacro tinctis, Gissur Hialtiusqve magna apud Regem gratia, magnoqve honore, hyemem transegerunt: obsides etiam omnes liberaliter habiti Regiis sumptibus vixerunt.

CAP. XXXII.

DE IRRUPTIONE REGIS GUDRIODI IN VIKAM EJUSQVE CÆDE, ACCESSUQVE LEIFI, FORTUNATI POSTEA DICTI.

HAc eadem æstate Gudriodus, Eirici Blodöxii & Gunnhildis filius, qvi ab anno CMLXXV, (vel potius LXII) qvo ab Hacone Comite regno pulsus est, in occidentalibus terris annos exulabat XXIV, vel XXXVII. vitamqve piraticâ sustentabat, in Norvegiam ad Regnum repetendum cum numerosa classe delectoqve exercitu ex Anglia rediit. Vikam igitur, utpote a Nidarosia, ubi Rex Olafus considere consvevit, procul dissitam, ita etiam irruptionibus magis obnoxiam, expugnatuqve faciliorem, primò petivit, moxqve litorales oras bello rapinisqve infestavit, incolis pacis spe duntaxat in deditione, imperioqve ejus accipiendo, propositâ. Cives autem animadvertentes, se tantæ vi propulsandæ omnino impares, inducias pacti sunt, qvoad frenqvens comitatus cogi possit, ubi totius civitatis consensu fidem & jusjurandum se ei daturos polliciti sunt. Cum autem prolixius tempus reqvireretur, ad exciendos singulis curiis per universam Vikam cives, sumptus annonamqve ad alendum exercitum, exigebat, concessumqve ad calamitates bellicas evitandas, ut provincias Regum more civium impensâ cum maxima copiarum parte circumiret, conviviisq; indulgeret, parte exercitûs ad navium custodiam relictâ. Universæ Vikæ affines Regis Thorgeir & Hyrningus præfecti fuerunt: ad eos igitur cives nuncios miserunt, qvi publicum nuncium cogendorum ordinum gratiâ emissum celeritate præverterent, omnemqve pactorum ordinem iis exponerent; qvo cognito, telo belli indice per qvatuor viciniæ cardines qvam ocissime emisso, ad arma universam Vikam evocârunt. Præcessit hic index ex satraparum mandato comitialem nuncium. Omnes igitur Vikæ

auſtralis populi magna alacritate ad eos confluxerunt, copiæqve ex iis delectæ claſſi impoſitæ, inqve ſeptentrionales Vikæ partes eductæ, in locum, ubi Gudriodus convivabatur, eum per noctem improviſum ferro flam̃aqve adoriebantur, cumqve maxima copiarum parte oppreſſerunt. Mox ad naves converſæ, partem earum, cæſo præſidio, in poteſtatem redegerunt, pars fugâ dilapſa inqve altum evecta paſſim diſperſa vagabatur. Hic fratribus ſuis omnibus ad hoc usqve tempus ſuperſtes fortunæ maximam vitæ partem adverſæ, nec unqvam mitigatæ, ſævitiam ad extremum effugere neqvivit: adeo eos, qvos ſemel deprimere cæpit, ad internecionem qvandoqve perſeqvitur. His cognitis Rex, gaviſus ſecuritatem ſibi regnoqve partam, affinium præſertim induſtriâ, magnas eis hoc nomine gratias egit. *Oddus Monachus* paulo aliter hæc refert: tradit enim ſororios Regis Olafi ſpem feciſſe Gudriodo homagii ſibi præſtandi, inqve hunc finem conventum populi poſt triduum indictum; accidiſſe autem, ut dum Hyrningus numeroſa plebe comitatus foro adeqvitaret, ut derepentè eqvo delapſus exanimis corrueret. Conſternatum hoc caſu fratrem, bonâ Gudriodi veniâ conventum ſolviſſe, cadaverq; fratris domum ſuam deportari mandâſſe, invitâſſe autem Regem ſpe fori primo qvoq; tempore indicendi, ad convivium juſtis fratri perſolvendis dicatum, apparatum Regio convivio deſtinatum ad id adhibitum. Credulum Regem ſtatim ê foro in domum Thorgeiris deductum, ibiqve qvadam nocte, ſuperveniente Hyrningo, jam redivivo, copiis ingentibus comitato, incenſo cubili, ubi dormivit, flam̃is exuſtum cum omni ſuo comitatu, incendio autem elapſos ferro conſumptos. Hoc eodom autumno Leifus Eirici Rufi, primi Grönlandiæ inventoris & incolæ, filius, e Gronlandia Nidaroſiam appulit, cum Rex ex Halogia rediiſſet, moxqve cum ſociis nauticis omnibus facilè â Rege ad Chriſti cultum antiqvandamqve idololatriam perſvaſus, ſolenni ritu ſacra limpha ablutus eſt, anno decimo qvarto, aut qvinto, poſtqvam pater ejus Grönlandiam incolere cæpit; teſtante *Ario Polyhiſtore* in deſcriptione Islandiæ.

CAP. XXXIII.
DE NAVIS LONGI DRACONIS NOMEN CONSECUTÆ FABRICA, CARINÆQVE INVENTIONE.

HAc eadem hyeme navem, modum navigiorum omnium, qvæ id temporis Norvegis in uſu erant, longe excedentem, ad locum Hladhamras Rex ædificari fecit. *Codex Flat*: nunqvam antea tantæ molis aliam in Norvegia ædificatam tradit. Qvi fabricæ præerant, duo Codici Flat: memorantur, Thorbergus Skafoxii filius & Thorgeir Stiakarhofdius, in primis autem proræ puppiqve & fundamentis præfecti memorantur. Chronica ſolum Thorbergum puppi proræqve præfuiſſe, nec eum Skafoxii filium, ſed cognomento Skafhöggem, tradunt. Præter hos plures fabricatores operi adhibiti, alii navii coagmentandæ, alii figendis, alii poliendis, aſſeribus, alii etiam materiæ advehendæ delecti. Totum opus qvàm artificioſiſſimè adornatum eſt, navisqve longitudinem inſignem, latitudinis juſta proportio aſſeqvebatur, cui etiam altitudo ad amuſſim reſpondebat; ſubligaculorum ſtaminumqve moles univerſam navem firmabant. *Codex Flat:*

Flat: triginta qvatuor locis, five interfcalmiis, diftinctam, remis a fingulis lateribus qvinqvaginta duobus, carinâ, qvà ftaminibus jungebatur, in cubitus feu ulnas qvatuor fupra feptuaginta in longitudinem extenfâ, ftaminibus inter proræ puppisqve fuprema etiam diductioribus inftructam defcribit. Cum autem latera afferibus tegerentur, contigit ut Thorbergus domum revocatus ibi ad confummationem ufqve operis moraretur. Redeuntem Rex ftatim ad navigium infpiciendum cum duxiffet, omnesqve uno ore præ omnibus, qvæ unqvam effent ædificatæ, longis navibus, qvà molem ornatumqve, celebrâffent, confenfu publico contentus Rex domum rediit.

Poftridie manè, cùm Thorbergo comitatus rediret, omnes fabros otiofos offendit. Caufam intermifforum operum fcifcitatus cognovit, fupremos lateris afferes a prora ad puppim ufqve magnis ictibus laceratos. Offenfus igitur feralem ftatim fententiam in illatæ navi per invidiam cladis authorem pronunciavit, &, ut Chronica tradunt, etiam adjuravit, magnis præmiis propofitis, qvicunq; eum proderet; cujus rei explorandæ negotium Thorbergo datum: qvi ilico fe ipfum confeffus, mox reficere juffus eft, capitis periculo, ni in priftinum ftatum reftitueret. Is autem afferes adeo affabrè perpolivit, ut cum latus hoc cætero longè ornatius videretur, reliqvum pariter exornandum in fe fufciperet: qvo facto, non impunitatem modò, fed gratiam etiam Regis majorem meruit, artificibusq; omnibus exinde præfici meruit, capitisqve fupplicium judiciumq; criminale, gratiofo revocatum, ipfe fe deferendo evafit. Hæc navis exemplari Draconis, qvem ex Halogia Rex duxerat, ædificata eft, longè tamen major, & ex omni parte ornatior, Longi Draconis nomen confecuta: mox & illius, qvæ Raudo adempta erat, novi nominis occafionem dedit, qvæ ad relationem inter utramqve exprimendam Brevis Draco cognominata eft. Major triginta qvatuor interfcalmiis conftans in effigiem Draconis, capite, finu, claudâq; inauratâ formata, altitudine onerarias æqvabat, maxima, ut dictum eft, omnium, maximisqve impenfis in Norvegia poft hominum memoriam conftructa perhibetur. Fabulam fapit, qvod *Codex Flat*: memorat; nimirum cum lignum tam longum haut fuppeteret, qvod carinæ aptum videretur, fub Fornii nomine colonum Thrandenfem, veterem Regis amicum, fe fimulantem, revera Odinum, parva fcapha advexiffe, oblatumqve præmium abnuiffe, repetiturum cum tempore præfatum; Regem autem poft peracta matutina facra lignum confpicatum, locum qvendam pede preffum monftrâffe, qvem fecuri aperiri jufferit, inventumqve medio in ligno ferpentem deftinatum perforandæ carinæ, naviqve mergendæ, cùm Regem cum copiis medio mari veheret, neqve enim Regem Fornii illius ullam notitiam habuiffe. Exempto ferpente, ligno carinæ idoneo nihilominus ufum, aqve eo Draconis, qvod ferpenti fynonymum eft, nomen navigio indidiffe.

CAP. XXXIV.

DE REDITU GISSURIS ALBI ET HIALTII IN ISLANDIAM, AD PROMULGANDAM CHRISTIANAM RELIGIONEM.

SUb initium veris anni a Nativitate Salvatoris millesimi Rex Gissurem Album cum genere suo Hialtio Skeggino in Islandiam ad Christianam religionē indigenis jam tertiò annunciandam misit, qvi alacriter mandato parentes navem instruebant. Hac occasione Svertingus, Runolfi Curionis filius, suam etiam navem ad profectionem paratam mercibus oneravit. Tum demum ad Regem, ut abeundi veniam impetraret, accedens, temeritate istâ offensam ejus incurrit: navem enim post impetratam, veniam instruendam, nec veniam tum demum expetendam; cum obses contra edictum Regium se ad profectionem parasset, respondit, qvinimo sacrificuli filium etiam invitum detinendum, neqve ei in Norvegia, æqvè ac in sua patria, impunè futurum mandatis Regiis obstrepere. Nulla igitur discedendi veniâ impetratâ apud Regem detinebatur. Gissur autem & Hialtius necessariis instructi, comite sacerdote qvodam, nomine Thormodo, (cujus etiam Theodricus Monachus meminit Historiæ Norvegicæ Cap: XII) cum Ecclesiasticis aliis ei adjunctis. Leni aura, segniqve navigatione ad ostium Dyrholmense (Dyrholmam, Mappæ Portland appellant) navem appulerunt, qvo tempore Flosius Incendiarius desertum Arnarstaksheide in forum generale proficiscens transiit; qvi ex piscatoribus, qvi Gissurem scaphis accesserunt, cognovit, & eum & Hialtium rediisse, & fratrem suū Kolbeinum cum aliis popularibus suis apud Regem obsides detentos, qvi & hæc nova in foro primùm vulgavit.

Eodem illo die, qvo hæc Flosius percepit, Gissur & Hialtius insulis Vestmannaeyis, ad oram Haugaeyri dictam, advecti, ibiqve materiam ligneam templo in eo loco, ubi primùm appellerent, ædificando a Rege donatam expediverunt. Cum autem controversum esset, utri ostii lateri propiùs appulissent, sorte lis dirempta est, ædesqve sacra ad septentrionale latus locata, ubi prius ethnicum delubrum steterat, id qvod illi statim diruebant, inqve area templum Christianorum statuebant. Post diem qvintum parietibus exstructis, inde ad continentis arenosum litus, Eyasandum dictum, navigatum, eòqve perventum eo die, qvo incolæ ad comitia universalia proficiscerentur. Cum autem coloni omnes curialibus Runolfi eqvos apparatumqve omnem sufficére tenerentur, nihil horum impetrare poterant, pedes igitur usqve ad orientaliorem fluvium Ranga incedere coacti, usqve ad prædium, qvod Skeggius Asgautius cum filio suo Thorvaldo, cui uxor Koltorfa Hialtii soror, incoluit. Ibi â Skeggio eqvis viaticoqve liberaliter instructi sunt, filio Thorvaldo absente, inqve forum universale profecto. In prædium Laugardalum cum pervenissent, placuit ibi Hialtium relinqvi, furoriqve hostili subtrahi; neqve enim consultum visum est, ut temerè se iis, qvi superiori anno eum multârunt, objiceret; qvamvis autem Gissur intercessione sua securitatem ei, qvoad lis amice componi posset, impetrâsset, tamen amicis urgentibus se exorari passus est, ut ibi cum duodecim comitibus remaneret; Gissur autem cum reliqvo comitatu usqve Vellenkatlam ad lacum Aulvisvatn provectus, ibi substitit, missoqve in forum nuncio, amicos omnes cognatosqve, & sibi qvacunqve ratione obnoxios, hisqve aggregari volentes, eò arcessivit; cognovit enim per exploratores, hostes suos Hialtiiqve campum forensem armato præsidio sepsisse, accessu se prohibituros. Eò cum amici omnes, haut

secus

ſecus ac mandatum erat, magno clientum numero confluxiſſent, Hialtius improviſus ſupervenit, ſeqve iis iterum conjunxit. Structa deinde acie, inqve ordines digeſtâ, in forum proceſſerunt; nec ſegnius ethnici ad arma concurrebant, omniaqve ad tumultum apertumqve bellum ſpectabant. Inter miracula deinde notatum eſt, clementiæqve Divinæ adſcriptum, qvòd metu perculſi pagani, viri bellicoſi, & numero plures, eos aggredi verebantur; itaqve Asgrimus Ellidagrimius, Giſſuris ex ſorore filius, avunculum cum omni ſuo comitatu tentorio ſuo excepit. Poſtridie Thormodus ſacerdos ſacra, qvæ miſſam vocant, ad ripam amnis Auxara in cætu occidentalis qvadrantis incolarum celebravit. Iis peractis, ad rupem forenſem (ſic forum vocatur, qvòd ad rupem ſitum eſſet) ſeptem ordinis ſacri viri accedebant, ſibiqve duas cruces magnas præferri curârunt, qvæ in exteriore rupis fiſſura, dum *Codex Flat*: exararetur, librariorum teſtimonio, conſiſtebant: nunc earum longo tempore nullum veſtigium ſupereſt, (discuſſa Pontificia caligine dirutas conjicio:) altera menſuram ſtaturæ Regis Olafi Tryggvini, altera Hialtii exhibebat; freqventiâ magna rupenſe forum circumſiſtente, incenſum thus fragrantisſimum odorem pariter ad eos, qvi averſi, qvàm qvi adverſi, ab ea regione ſtabant, unde ventus flabat, ſparſiſſe perhibetur. Tum Giſſur Hialtiusqve, copioſa oratione legationis ſuæ ſcopum exponentes, omnes & ſingulos ut imperio illius Regis, qvi omnia regit, ſe ſubderent, Regiqve Olafo, tam ſalubre mandatum promulganti, obſeqverentur, adhortantes, nihil aliud obtinuerunt, qvàm ut magno murmure exorto, ethnici Chriſtianiqve mutuam ſocietatem invicem renunciarent, legesqve diverſas partium ſuarum religioni convenientes poſcerent. Hoc eodem momento puer qvidam citato curſu approperans nunciavit, ebullientem ê viſceribus terræ ignem omnia depaſcere, jamqve prædio curionis Thoroddi im̃inere, eiqve ruinam minari. Tum paganorum qvidam; *nihil mirum*, reſpondit, *Deos iis, quæ in eorum contumeliam agitarentur, offendi*. Ad qvod Snorrius Curio reſpondit; *ſi hoc prodigium eſſet, certe non minus reputandum, cum terra eo loco, ubi jam conſiſterent, dehiſceret, neutrius tamen Deos authores ſe agnoſcere*. Foro deinde cum in tentoria qvisqve ſua redidiiſſent, Chriſtiani Hallum de Sida ad ferendas ſuæ religioni idoneas leges elegerunt. Is autem onus illud devitans, Thorgeirem Curionem de Lioſavatne, qvi univerſæ inſulæ jus tunc temporis dicebat, mercede ſexaginta unciarum argenti corrupit, ut leges Chriſtianis ſervandas diceret, tresqve ſententias, qvas Giſſur & Hialtius præſcriberent, eis inſereret, utcunqve cætera conciperet. Primò, ut omnes Islandiæ incolæ Chriſtiani eſſent, ſacroqve baptismate tingerentur. Deinde, ut omnia delubra, ſacrificia, idola, abrogarentur. Deniqve ut ſacrificia mulctâ, qvæ vocatur fiorbaugr/cöercerentur. His compoſitis Thorgeir ad tentorium ſuum reverſus, ſub ſtragulo per integrum diem noctemq; ſeqventem, captandis, ut fortè ſimulabat, reſponſis vel oraculis, incubabat.

CAP. XXXV.

DE ETHNICORUM CHRISTIANORUMQVE VOTIS, PRO MUTUIS UTRORUMQVE SECTÆ SUCCESSIBUS TOLLENDIS.

INterea pagani, concione advocata, deliberârunt, qva ratione novæ credulitatis præconibus fortiter & tutò resisti posset. Nihil Deorum auxilio certius, neqve tutius visum: iis itaq; de impediendo peregrinorum sacrorum progressu supplicatum, votaqve de imolandis e singulis qvadrantibus duobus eximiis viris facta. Qvod ubi Gissur Hialtiusqve cognoverunt, singulis & universis suæ sectæ convocatis, inter se consultabant. Cum Hialtius exsurgens hujusmodi verba habuisse traditur: *Pro comperto habeo, paganos duos ex quolibet qvadrante vovisse Diis suis se immolaturos, ut Christianæ religionis progressum impediant, salutem profecto suam, animarumque suarum, tam profano voto tantum impedituri, vel penitus sublaturi. Cum autem iis tanta in idolis suis fiducia sit, monuisse nos videntur ad votum Deo nostro longè acceptius nuncupandum. Qvin igitur duos ex singulis quadrantibus deligimus, qui se Deo Omnipotenti devovent; vovent autem Christo continentiam, abstinentiam, temperantiam, justitiam, pietatem, cæterasque virtutes, quas asfidue cum jugi Dei cultu sectabuntur, novamque se ei hostiam offerent, corpus cupiditatesque illicitas enecando. Non autem ad tam honestum munus obeundum more eorum servos pessimosque homines, quos ê jugis montium præcipites dant, aut in cavernas detrudunt, illam certe mortem sceleribus suis promeritos, eligamus, sed insulæ nostræ primores, qui & operam ad Christianam sectam promovendam volunt, & præ cæteris contribuere possunt, salubrique exemplo purioris vitæ aliis præire, idololatriamque abolere, populares suos volentes tandem, nec ultra invitos, ad leges Christianas subeundas perducere. Hoc Christianæ pietatis jugum Gissur socer meus, ego quoque, si vobis ita videtur, in nos suscipiemus.* Id cum universus Christianorum cætus magno assensu probâsset, qvæsitum est, qvi ex aliis qvadrantibus (nam & hi ambo australis qvadrantis indigenæ erant) hanc sibi provinciam deposcerent? Statim orientalis vicem Hallus de Sida, vir optimus, & Thorleifus de Krossavika, aliàs Thorleifus Christianus dictus, subiverunt. Hunc eundem Thorleifum Ketill qvondam Crassus, consulente & instigante Brodd-Helgio, in jus ob Christianæ fidei professionem vocavit, ut in Voknafiördensi historia memoratur (sed qvæ interiisse creditur) verum eodem die, qvo illum citavit, procella tempestasqve horribilis exorta recedentem cum comitibus tantâ sævitiâ impetivit, ut expediendæ salutis nulla alia spes esset, qvàm in reditu ad adversarii tecta. Eò igitur conversus summa hospitalitate exceptus est, omniaqve, qvoad ibi tempestate detineretur, liberaliter ei comitibusqve præbita. Hâc humanitate victus Ketill, non modò ab accusatione destitit, sed perpetuam etiam amicitiam cum eo junxit. Ex qvadrante septentrionali votum subiverunt Hlennius de prædio Saurbæis, in tractu Eyafiordensi, & Thorvardus Spakbaudvaris seu Baudvaris Sapientis, filius, de tractu Skagafiördensi. Nullus autem in occidentali qvadrante suppetebat huic voto implendo, præter Gestum Oddleifinum, id qvod Gissuri Hialtioqve cæterisqve Christianis & mærorem & curam majorem incussit. Cum Ormus Kodrani filius, Thorvaldi Peregrinatoris frater, repentè exsurgens, *haut defuturum virum, qui tam pio voto se obstringeret, si frater suus Thorvaldus præsto esset*, pronunciavit, *se vero ejus absentis, sive vivi, sive mortui, vicem suppleturum, modò sua opera ad id uti dignarentur; quamvis temerarie votum suscepisse videri possit, homo tantùm catechumenus.* Grato id animo omnes acceperunt, studioqve ejus & alacri-

alacritate collaudata ſtatim eum ſacra limpha perfundi curarunt. Degebat is eo tempore in prædio Gilsbacka apud Hermundum affinem ſuum ſororis ſuæ Gunnhildis maritum.

CAP. XXXVI.
DE SENTENTIA THORGEIRIS DE LIOSAVATNE, QVA UNIVERSI ISLANDIÆ INCOLÆ CHRISTIANUM DOGMA AMPLECTI TENEBANTUR.

SEcundùm hæc Thorgeir Curio de Lioſavatne, qvi hucusqve ſub ſtragulo jacens delituerat, exſurgens, omnes tam Chriſtianos qvàm ethnicos ad forum accivit. Ut autem omnes conveniſſe animadvertit, poſtqvam frementis multitudinis murmur ſedâſſet, hac eos oratione affatus traditur. *Attentas, quæſo, proceres, attentas plebs aures dicendis præbete. Res noſtras ſocietatemque in ſummo periculo verſari, imò ad interitum ſpectare, proſpicio. Si jure, legibus, moribusque populus hic noſter diſtingvetur, rumpetur pacis vinculum diſtinctione tali; ſubibuntque disſidia, mox rixæ, inde prælia bellaque, exiguoque tempore terra hæc inteſtinis disſidiis exhauſta deſolabitur, ni tempeſtivè provideatur. Ne vero talia nobis eveniant, ea, quæ ad concordiam ſtabiliendam faciunt, conſilia maturè excogitemus. Audîſtis forſitan, Reges olim Daniæ & Norvegiæ longo tempore magnis inter ſe præliis decertâſſe, donec utriusque conſiliarii, mutuarum cladium pertæſi, etiam iis invitis, ſtabilem firmamque & longam pacem inter ſe fecerunt, effectumque eſt, ut prudenti civium ſuorum conſiliô ipſi Reges ex hoſtibus amici fierent, invicemque inter ſe munera mitterent, pacemque, quoad viverent, colerent, & propugnarent* (nullibi aliàs hæc legi, nec qvi iſti Reges fuerint, agnovi) *nos autem, licet potentiâ Regibus, prudentia etiam eorum conſiliariis, longè inferiores ſimus, eorum tamen exemplis nos erudiri par eſt. Controverſiam igitur partium hoc temperamento decidemus, ut utrique aliquod, neutri totum, quod poſtulant, concedamus; quò lite compoſita, omnes ſimul eodem jure frui, iisdem ritibus moribusque, pacisque commodis, communisque patriæ communibus utilitatibus, gaudere queamus. Me igitur ſvaſore ſummopere cavetote, quod iterum atque iterum moneo, ne ruptis ſocietatis vinculis vos ab invicem ſeparari veſtramque concordiam divelli patiamini.* Hac oratione tantum omnium asſenſum meruit, ut ilico ab utraqve parte ei irrevocabilium legum ferendarum promulgandarumqve abſoluta poteſtas arbitriumqve committeretur. Qvo impetrato, iterum hoc modo orſus eſt. *Principium legum noſtrarum ad concordiam Chriſtianorum conciliandam pronuncio: quilibet Islandiæ incola, cujuscunque ſtatus fuerit, Chriſtianus eſto; ſi ſacro fonte prius non ablutus, baptizator; delubra ethnica idolaque profana ſunto, deſtruuntorque; cultûs idolorum teſtibus convictus pœna fiorbaugsgardi multator. Verum cum ii, qui Chriſtianæ religioni maxime obſtiterant, inter ſe conciliari nequeant, quomodo ſubſiſtere hæc duo, velut inter ſe contraria, posſint, interdictum nimirum de liberis, tum divitum, tum pauperum, exponendis, & illud, quo alimentis, & quidem iis, quæ maximi uſus ſunt, prohibemur, placet hac in parte priſcas leges obſervari, quibus infantes impune exponere, equinaque veſci licet: ſecretus quoque idolorum cultus nulla pœna coercetor, ſi idoneis teſtibus probari nequeat: veteres etiam leges omnes, in quantum Chriſtianæ religioni non repugnant, obſerventor.*

Sanctio

Sanctio oratioq; Thorgeiris maximo omnium utriusq; diſciplinæ applauſu excepta eſt, conſenſuq; ſtabilitum, ne qvis ullum, qvo minus Chriſtum qvàm devotisſime coleret, impediret. Verum qvamvis plurimi, vi promulgatæ legis magis qvàm ſponte ſua, ſe tum baptizandos ſiſterent, paucorum tamen annorum decurſu reliqviæ iſtæ ethniciſmi de infantium expoſitione, occultaqve idololatria, & eqvinæ eſu, penitus ſublatæ ſunt, omniumq; Procerum plebisq; comuni conſenſu abrogatæ. Comitia itaqve Chriſtianiſmo inducto concluſa ſunt, ethniciqve omnes aut catechumeni facti, aut ilico baptizati; qvo minùs autem omnes promiſcuè baptizarentur, orientalis ſeptentrionalisqve qvadrantum incolæ in cauſa fuerunt, qvi frigida ablui detrectabant: magna igitur eorum pars in thermis Laugardalenſibus ſacris initiabantur. Hialtius autem Runolfo Curioni, qvi illum anno ſuperiori criminis læſorum Numinum reum peragebat, initiationis arbitrum ſe præſtitit; qvem ut catechumenorum ordini inſeruit, *Senem*, dixit, *Curionem ſalem mandere docemus.* Ut autem domum redierunt, per primam qvamqve occaſionem illa ipſa æſtate Chriſtianæ religioni per baptiſmum ſe devinciebant: nec erat, qvi amplius iſtis ſacris obniteretur. Atqve hoc principio Chriſtianismus in Islandia receptus, magnos deinde progreſſus, primis licet annis debilis, Deo optimo maximo promovente, fecit, nec unqvam defecit. Extant qvædam exempla, qvæ ſacrum dogma, anteqvam promulgaretur, commendatum miraculosè evincunt.

CAP. XXXVII.

QVO PRÆCEDENS SINGVLARIS DIVINÆ BONITATIS CURA IN ISLANDIS PURIORIBUS SACRIS IMBUENDIS ALIQVOT EXEMPLIS OSTENDITUR. SUBNECTITUR LEIFI FORTUNATI SUCCESSUS IN CONVERTENDA GRONLANDIA.

DUm a diſceſſu Friderici Epiſcopi & Thorvaldi Kodrani filii dira fames inſulam omnem affligeret, mendicorum qvædam cohors perſvaſa a Thorvardo Spak-Bodvaris, ſeu Bodvaris Sapientis, filio, ut votum de Chriſtiana religione ſuſcipienda nuncuparet, ſi tyrannidi Svadii de Svadaſtadis in provincia Skagafiordenſi eriperetur, non ſolùm præſentisſimo vitæ periculo erepta eſt, ſed etiam vindice Deo ſceleſta machinatio in ipſum authorem miraculoſè recidit. Imperavit enim mendicis, ut foſſam ducerent ingentem, prope viam publicam, qvæ prædio adjacet, id qvod illi ſpe alimentorum interea conſeqvendorum, mercedulæ etiam laborum, haut gravatè fecerunt. Finito opere domui ſegregi incluſis denunciavit, poſtridie omnes ſe occiſurum, foſſamqve in ſepulchrum eorum converſurum. Tam triſti impiaqve ſententia exterriti miſeri, noctem lamentis & ejulatu peregerunt. Fortè Thorvardus Spak-Bodvaris filius ſummo mane domum hanc, â prædio intervallo qvodam diſcretam, præteriens, lamenta illorum audivit, reſeratamqve intravit. Ut autem inſtantem iis mortem cognovit, *liberaturum ſe eos promiſit, domumque ſuam deducturum, gratisque omnibus alimenta præbiturum, modò Chriſtianis ſacris ſe addicere vellent*: qvam illi conditionem redimendæ vitæ cauſa alacriter arripiebant. Ut autem fugientes mendicos Svadius animadvertit, ſumptis armis cum domeſticis ſuis

ſuis eos perſecutus eſt, retracturus ad mortem, ultionemqve de Thorvardo ſumpturus, utpote qvi eos (ut ipſi viſum eſt) temerè a carcere expeditos, poteſtati ſuæ eripere tentâſſet. Cum autem concitatô in curſum eqvo propiùs foſſæ obeqvitaret, ſubitò deturbatus in eam incidit, impiamqve animam actutum exhalavit, conditusqve eſt in eadem fovea more ethnico, cum eqvo & cane. De illo verè dicitur, qvòd inciderit in foveam, qvam fecit. Thorvardus autem mendicos domum deductos, a presbytero, qvem aluit, ſacro fonte ablui, capitaqve Chriſtianæ religionis edoceri curavit, omnesqve, qvoad annonæ caritas incubuit, liberaliter ſuſtentavit. Hujus Thorvardi mater fuit Arnfridis Slettu-Biorni filia, primi Islandiæ incolarum unius, cujus progenitores *in Serie Regum Daniæ Lib: III. Cap: XIV* expoſui. Durâſſe autem hæc annonæ ſævitia cæliqve pervicax inclementia perhibetur, donec vir primarius voviſſet cum ſubjectis ſuis, abnegato idolorum cultu, eum ſe Deum culturum, qvi Solem creâſſet, ſi ſævitiæ hyemis indomitoqve frigori pluviæ mitesqve Zephyri ſuccederent. Is fuit Arnor Kerlingarnef, Biörni filius, Thordi de Spakonufellzhofdio nepos, inter primos Islandiæ habitatores primarii; cujus genus paternum ab atavo Ragnare Lodbroke Daniæ Rege loco citato extat. Uxor autem Thordi illius fuit Thorgerdis, hujus Arnoris avia, Thoreris Imi filia, ex Thorgerde Kiarvalis Irlandiæ Regis filia. Rem, ut ſe habet, ordine exponam. Premente fame, nivibus geluqve aſſiduo & ſine intermisſione inſulam infeſtantibus, internecionemqve pasſim minitantibus, concilium provinciale coactum eſt, ſummum ibi magiſtratum gerente Arnore Kerlingarnefe, qvi prædium Miklabæ curiæ Oslandzhlidenſis incoluit. Ad univerſi conſervationem, cum ſingulorum ſaluti conſuli neqviret, concluſum eſt, ut ſenibus utriusqve ſexûs, ut & inſanabili morbo laborantibus, luxatisqve, & omnino inutilibus, humana auxilia, alimenta & hoſpitia denegarentur, nec qvisqvam propinqvos vel etiam parentes ſuſtentare teneretur; futurum enim cum ſubtractis alimentis, qvæ inutiliter in eos impenderentur, vitam poſſint tolerare. Tam impium Synodi decretum ubi mater Arnoris, qvæ filia fuit Refi de Bardio, reſcivit, filium vehementer increpavit, qvòd tam crudelem ſententiam ſceleſtumqve plebiſcitum ipſe provinciæ Princeps ferri permiſiſſet. *Iis enim vitam eripi, qvi ſuperſtitibus authores vitæ fuerint, flagitiorum longè maximum eſſe: jus ſceleri publica authoritate datum. Et qvamvis id ipſum neqvaqvam perpetraturum ſciat, non tamen ideo flagitio vacare parricidialis ſententiæ licentiam, qvam non modò permiſiſſe, ſed etiam non impediviſſe, nefas ſit omnibus gentibus exſecrandum, inque ipſam naturam violentum & immane.* His adhortationibus motus Arnor, actutum miſit, qvi ſenes imbellesqve omnes iſtius provinciæ ex ſingulis domibus maturè arceſſerent, ut ſupplicia eorum aut injurias citiùs præveniret, qvos omnes neceſſariis nutrimentis refocillavit. Deinde concione habita, ſententiam priorem revocari mandavit, ſingulis injungens, ut canibus, qvorum numerum magnum alere mos erat, necatis, eorum alimenta pauperibus diſtribuerent, eqvisqve omnibus ad duos usqve in ſingulis villis mactatis annonam levarent, graviqve interdicto vetuit, ne qvis parentes aut propinqvos deſtitueret, transgredientibus pænam minatus: iis autem, qvibus nulla neceſſitudinis ſuſtentandæ facultas ſuppetebat, permiſit ut ad ſe ducerent, gratis ſuis ſumptibus alendos. His vota de colendo mundi Solisqve opifice, abdicato aliorum Deorum cultu, ſubjecit; ſeqventiqve die frigus geluqve omne pluviâ imbribusqve liqvari cæptum brevi evanuit, humusqve madefacta

gramina paſcendo pecori affatim producere cæpit. Id qvod inter conſpicua Dei benificia, qvi ignaro ſui populo hoc modo ſuam immenſam bonitatem, potentiam, clementiamqve manifeſtare, eumqve ad ſuum cultum allicere, & ad veræ religionis profeſſionem his ſignis præparare dignatus eſt, deinceps notatum fuit.

Tertium comendatæ cælitùs religionis exemplum Thorhallus qvidam Knappus ſuppeditat, vir ethnicus, longoqve tempore leprâ infectus. Habitabat in prædio paterno Knappſtadis, prope fanum ethnicum, ad qvod contubernii Fliotenſis incolæ ſemel in anno convenientes, ſolenni ritu Diis ſacrificabant. Hic in ſomno aliqvando vidit virum Regia veſte, auream gerentem haſtam, eqvo albo inſidentem, penatibus ſuis adeqvitare; ſe verò territum, domumqve repetiturum ab eo præveniri, amicisqve verbis compellari, ſe neqvaqvam metuendum, utpote qvi ei, cum gravi morbo cullucṫanti, condoleat: præſtò tamen remedium eſſe. Mox aggerem, qvi paſcua cinxit, prætervectum, ſibi inſeqvi juſſo monſtrâſſe locum, in qvo templum Deo Omnipotenti exſtrueret, ejusqve formam in area haſtâ delineaſſe. Qvis vero is Deus eſſet, plenius eum hac ipſa æſtate in anniverſariis inſulæ comitiis cogniturum, ſanitati enim in tantum eo anno reſtituendum, ut ad ea facilè poſſit proficiſci: deniqve mandâſſe, ut hac ipſa, qva expergiſceret, die delubrum comune dirueret, êqve materia illa ædem ſacram exſtrueret, qvo facto, in dies valetudinem recuperaturum: atqve his dictis recesſiſſe. Qvi viſionem haut contemnendam ratus, monitis paruit, maneqve ejus diei domeſticos neqvicqvam tergiverſantes ad fanum demoliendum miſit, ſtatutaqve æde ſenſim convaluit. Non conſtat, qvis ei in ſomno apparuerit; creditum tamen, eo qvod Regio apparuiſſet habitu, miſſam a Deo imaginem Olafi Tryggvini, cujus Regiam legationem de Chriſtiana religione eadem æſtate audivit, cumqve aliis baptizatus mox ſanitatem integram recuperavit.

Incolebat eodem tempore vicinum Thorhallo prædium mulier artibus vetitis dedita, nomine Thorhildis. Hæc eadem ipſa nocte, qva hæc viſio ei oblata eſt, domeſticos omnes excitavit, mandavitqve, *ut è paſcuis armentum pecusque ſuum omne domum reducerent, ſeptisque includerent, neque enim qvicqvam, quod ibi illo die oberraret, amplius victurum. Thorhallum enim vicinum ſuum mente motum, miſſurum, qvi celeberrimum illud delubrum, qvod magna veneratione hucusque cultum fuerit, diruerent; inde Deos jam exules profugosque in prædium Siglunesſiam boream verſus migraturos, adeo æſtuare, ut nemini obvio parſuri videantur.* Paruerunt Dominæ mandatis domeſtica ſervitia: boves, oves, capræqve omnes ilico domum actæ, eqvitiumqve omne, præter unam eqvam, qvæ deinceps in paſcuis mortua inventa eſt. Hoc templum beatæ Trinitati dicatum primum in tractu Fliotenſi ædificatum eſt. Thorhallus deinde religioſus Chriſtiani dogmatis ſectator, devotusqve Numinis cæleſtis cultor, recuperatæ viſibili Divina ope ſalutis teſtis, & exemplum miſericordiæ Divinæ, vitam deinceps feliciter egit, beatèqve finivit. Atq; hæc ſunt, qvæ *Codex Flat*: commemorat, ſingularia Divinæ bonitatis in gentem illam, mox purioribus ſacris imbuendam, præludia.

Eadem æſtate, qva Giſſurem Hialtiumqve in Islandiam ad religionis negotium promovendum Rex miſerat, etiam Leifum Eirici Rufi filium in Gronlandiam, cum presbytero aliisqve ordinis ſacri viris, ad idem in gente illa perficiendum amandavit; qvi inter transfretandum naufragos homines tabulis adhærentes offendit, omnesqve navi ſua receptos periculo exemit,

exemit, domumq; devexit; inde ei Fortunati cognomen inditum, (*Chronica MSS.* eo reditu Vinlandiam Bonam primùm inveniſſe tradunt: Codex tamen Flat: hanc relationem variat, nec ſibi ipſi conſentit, ut infra monſtrabimus.) Eò cùm adulta æſtate perveniſſet, diſplicuit patri, qvòd hæc duo perpetrâſſet, qvæ paria judicavit, exemiſſet nimirum naufragio homines periclitantes, & noxium hominem eò advexiſſet: ſacerdotem intellexit. Nihilo minus, inſtante filio, exorari ſe paſſus eſt, ut Chriſtianus fieret, ſacroqve baptismate ablueretur; cujus exemplo omnes qvoq; Grönlandi Chriſtiani facti ſunt.

CAP. XXXVIII.
DE REGINÆ THYRÆ ACERBIORE EXHORTATIONE AD REPETENDAS POSSESSIONES SUAS, REGISQVE IN VINLANDIAM PROFECTURI APPARATU.

EOdem anno ſub exitum hyemis initiumqve veris Thyra Regina Regi graviter ſæpiusqve, nec ſine lachrymis, inopiam ſuam qverebatur, qvòd latifundiis agrisqve, ad dignitatem ſuſtentandam, ſuumqve ſtatum, tanto faſtigio convenientem, conſervandum, omninò careret; poſſeſsiones autem ſuas in Vandalia, prædiaqve opima, velut ſpolia a peregrinis teneri. Interdum blandis verbis Regem ſollicitabat, ut eas ſibi reſtitueret, nec id ei difficile futurum, tanta inter illum & Burisleifum amicitia intercedente, ut mutuo congreſſu omnia, qvæ ab eo expeteret, ilico impetraturus videretur.

Hæc ut ut amicis Regis innotuerunt, ſinguli poſtulatis Reginæ adverſabantur. Mitis ea hyems præmaturè herbas produxit. Accidit autem, ut Regi per plateas feſto Ramaliorum, ſeu Dominica Palmarum, exſpatianti, obvius qvidam ſpondilia, ſeu angelicas multas, inuſitatæ eo anni tempore magnitudinis, deferret. Harum unam Rex ad Reginam ſolam in triclinio flentem aſportans, dono accipere juſſit; illa autem extenſa manu faſtidientis ſpecie averſata reſpondit. *Eqvidem pater meus Haraldus Gormius longe ampliora munera donare conſvevit, minusque qvàm tu formidabat, regni ſui limites ad Majeſtatem ſuam augendam* (vel, ut habent *Chronica*, poſſeſſiones ſuas repetendas) *egredi, cujus rei evidens teſtimonium dedit, cum unica expeditione hanc terram maximam partem vaſtavit, omnem autem in ſuam ditionem redegit. Ego verò ſæpius tibi queſta ſum, quàm pauper egenaque huc devenerim, quamque indigne iniquèque poſſeſſionibus meis in Vandalia ſpoliata orbataque caream; fruſtra qvidem id, cum tu metu Sveni fratris mei Dænica freta penetrare non audeas, ad eas repetendas, Majeſtatemque tuam aſſerendam.* Offenſus hac exprobratione Rex, elata voce reſpondit: *Nunquam fratrem tuum Svenum formidabo; qvod ſi contingat nos congredi, prior omninò cedet.*

Haut longum tempus effluxit, cum concilium in urbe celebravit, qvo omnibus palam fecit, ſe eadem æſtate claſſem copiasqve educturum, qvarum delectum ſingulis provinciis imperabat, numerumqve certum è territorio Thrandenſi conſcribendum edixit. Mox in auſtrales ſeptentrionalesqve, mediterraneasqve & maritimas regni partes, miſſis qvi mili-

:tem colligerent. Ipſe navis recens ſtructæ Draconis Longi director, eam cum univerſa claſſe Regia expedivit. Delectus autem eorum, qvi navem illam plusqvam prætoriam ducerent, anxiè conqviſitus eſt. Nullus ſexagenario major, aut vicenario minor, admiſſus, ratioqve tum corporis tum animi virium haut vulgarium in ſingulis obſervata. In ſatellitio Regio, qvod ex ſelectisſimis totius Regni exterarumqve nationum athletis pugilibusqve conflatum eſt, primum locum tenuit Ulfus Rufus ex Heidmarchia, qvi ſignifer proræ fuit, & Kollbiornus Stallarius ê Raumarichia. His adjecti Endridius Ilbreidus, ſeu Panſa, Vikar ex Tiundalandia, Arnlioti Gellinii frater, & Thorſteinus Tauripes Islandus. Proxime â prora (ſaux/ ſeu rauſu/ vocant) locati ſunt Thorgeir & Hyrningus affines Regis (*Chronica* ſuam qvemqve navem direxiſſe tradunt) Ivar Liomius *Codici Flat*: memoratus, Vakr Elfſkius, a Gautelfa ſeu fluvio Raumelfa ſic denominatus, Raumi filius, Beſſius Robuſtus, An Skitti, ſeu Sagittarius, ê Jamtia, Thrandus Ramius ſeu Robuſtus ê Thelamarkia, cum fratre ſuo Othyrmere. Ex Halogia Thrandus Skialgius, Augmundus Saudius, Hlodver, ſeu Ludovicus, Langius ê Saltvika, & Harekus Hvasſius, ſeu Acutus. His *Chronica* addunt ex interiori Thrandia Ketillem Hafium, ſeu Altum, Thorfinnum Eislium, Havardum & fratres de Orkadalo. Ad tranſtrum Krapparum/ ſeu anguſtum loculum, collocabantur Einar Thambarſkelfir, ita dictus ab arcu ſuo Thomb, ſolus præter leges admiſſus, cum tantum eſſet annorum octodecim, virtute defectum annorum ſupplente, Hallſteinus Hlifaris filius, Thorolfus, Ivar Svartius ſeu Niger, aliis Smetta, Thorſteinus Skelkus Islandus, Ormus Skogarnef, ſeu Sylvinaſus, etiam Islandus, Guñaris de Hlidarenda frater, illegitimo thoro natus. Tranſtrum ſtirrum/ ſeu anterius, inſidebant Bardus & Biornus de Studla (ê curia Ætnenſi) & Börkus ê Fiördis, Thorgrimus de Hvini, hodie Qvinisdalo, Thiodolfi filius, Asbiornus & Ormus, Codici Flat: Asgrimus & Grimus, Thordus de Mardarlaug, Thorſteinus Albus de Offruſtadis, Arnor Mærſkius, Hallſteinus, *Codici Flat*: notatus Islandus, Hromundi Claudi filius, Eyvindus Snakus, Bergthor Beſtill, Hallkell de Fialis. Mediaſtinum tranſtrum (midſkipa vocant) qvi tenuerant, *Codici Flat*: memorantur, Olafus Drengus, Arnfinnus ê Sognia, Griotgardus de Raumsdalo, Asbiornus ê Moſture, Sigurdus Billdus, Einar ex Hordia, Finnus e Sognia (Chronicis ex Hördia) Thorkell Dyrdill ex Agdis, Biornus Magnus ê Veſtföldia, Bryniolfus & Haukus ejus frater, Arnor Orſkius, & Ketill Ryſkius, ſive ex Rogia. Complures alii ſelectisſimi viri illam navem complebant, qvorum nomina non extant. Dimidia tranſtra octo ex univerſis ſelecti occupabant, tranſtrum autem ſeu locum fyrirrum triginta, qvibus unum *Codex Flat*: adjicit. Communi æſtimatione viſi ſunt ſinguli ſocii nautici, qvi in hanc navem coierant, aliis in tantum præcellere, in qvantum ipſa navis omnes ſuperabat. Thorkell Nefia Regis frater Draconi Brevi præfectus eſt, avunculi autem ejus Joſteinus & Thorkell Dyrdill Tranam gubernabant: utraqve claſſiariis eximiis munita eſt. Novem magnas naves (*Chronica MSS.* undecim habent, *verſio Danica* duodecim) in Thrandia Rex inſtruxiſſe traditur, præter illas, qvæ viginti interſcalmiis conſtabant, & eas, qvæ minores erant. Cum autem omnia ad expeditionem parata eſſent, præfectos ſingulis provinciis, villicosqve prædiis Regiis ordinavit per univerſam Thrandiam: plurima tamen eum in multam usqꝫ æſtatem tardâsſe *Codex Flat*: tradit, ita ut ante abitum ejus naves ex Islandia & aliunde in Norvegiam devenirent.

CAP.

CAP. XXXIX.
DE TESTIMONIIS QVIBUSDAM, QVÆ RARAM REGI AGILITATEM ADMIRANDAMQVE SANCTITATEM ADSTRUUNT.

SEcundùm hæc Olafus, classe copiisqve ad expeditionem instructis, Thrandiâ in australes Regni partes cursum direxit. Multa in eo itinere notata sunt, literisqve, vel etiam rhythmis, tradita. Tarde processum est, morisqve variis iter distinctum, dum præsides provinciis, villici agris præficerentur, singulæqve administrationis partes idoneis ministris cōmitterentur. Incidebat insuper religionis confirmandæ cura; qvæ singula expeditionem susceptam tardabant. Accidit autem, ut dum in portu qvodam classis, non procul a prærupto monte, anchoris alligata staret, aulicorum duo, suas qvisqve artes & exercitia jactantes, multisqve verbis extollentes, in contentionem inciderent, qvinam per excelsæ rupis aspera altiùs eniteretur. Pignore nimis inæqvali iniqvoqve certatum est, hinc capite, illinc armilla aurea, capitis pretio; victoria altius provecto adjudicata. Qvi posterior accessit, cum se periclitantem de reditu animadvertit, relato pede, vix ac ne vix qvidem præsentissimum periculum trepidus evasit. Is autem, qvi prior, mediis rupibus hærens, cum obfusâ oculis caligine, nec altiùs eniti, nec retrogredi auderet, nec qvæ manibus corripuisset, sublevando corpori firma satis, nec, qvibus insisteret, sustinendo animadverteret, imminentisqve mortis imago oculis obreperet, lamentabili voce sociorum auxilium inclamavit. Qvo audito, Rex suos ad misero succurrendum hortatus, cum nihil se profecturum prospiceret, adversus eos, qvi præsenti hujus periculo exemploqve ad tantam temeritatem cavendam instruebantur; ipse depositâ togâ, montem non aliter, qvàm si per planitiem incederet, ascendit, exemptumq; periclitantem, complexuqve brachii sustentum, cum paulo qvoqve altius provexisset, pari, qva ascenderat, facilitate, velut nullo onere gravatus, in plana retulit; id qvod Marcus nomophylax, cujus authoritas magna, tribus versibus decantavit, *Codici Flat:* non citatis modò, sed etiam integris in testimonium adductis. Nec isthæc *Chronici versio Danica* omisit.

Nonnulla miracula in hoc itinere idem Codex, adducto in testimonium ejusdem Marci carmine, affert. *Oddus* qvoqve *Monachus* memorat: qvæ sive conficta, sanctitati tamen Regis, conceptæqve de eo hominum opinioni, vitæ moribusqve congruum testimonium perhibent. Sæpiùs enim classe portu vel stativis ad anchoras defixa, ê puppi navis Regiæ, excubitoribus non sentientibus, per noctes in terram egressum, tum demum excessisse animadversum, cum rediret. Id vero ante alios observatum Thorkeli Dyrdili, Regis avunculo, ei in paucis caro, curam injecisse cognoscendi, unde hæc evenirent, qvem in ponte per totam noctem, oculis in puppim conversis, considentem, nihil priùs compertum, qvàm Rex ê terra summo mane rediens, eum â tergo adortus præcipitem ê ponte datum, iterum undis extraxerit, togamqve holosericeam (Gudvef vocant) pellibus pretiosis subductam, qva amictus erat, madefactam, manibus leviter versatam, in integrum restituerit. Eodem carmine laudatus nomophylax, seu

ſupremæ curiæ in patria ſua ſummus judex, Marcus teſtatur; deinde qvòd hanc Regis conſvetudinem, ut periculoſam, ſeorſim reprehenderit. Verum nocte qvadam, cum in Regia navi, ubi qvieſcere conſvevit (licet Tranæ una cum Joſteino fratre præfectus eſſet) de improviſo a Rege excitatum, inqve terram deductum, ad ſeqventium obſervationem admiſſum, ea tamen lege, ne ulli qvicqvam eorum, qvoad Regem ſupereſſe cognoſceret, communicaret, idqve ſub capitis pæna. Cum in viretum qvoddam arboribus undiqve ſeptum perveniſſent, domum ſolitariam benè ornatam vidit; qvam Rex ingreſſus cum clauſiſſet, ei ad januam ſe præſtolari mandavit. Vidit autem per foramen Regem in genua provolutum, preces ad Deum fundentem, manusqve in cælum tendentem, qvem repentè exortum Solis ſplendore certans jubar, excitatisſimo odore, qvalem naribus nunqvam veſtigaverat, latè diffuſo illuſtraverat. Duos deinde juvenes, albis veſtibus indutos, luce clariores, Regiam Regi veſtem circumdantes, manusqve capiti imponentes; qvi deinde omnes miro artificio, ſvavi melodia, laudes Dei concinebant, qvalem nunqvam, vel ante, vel deinceps, audierat. Viſione hac variè affectus traditur, hinc terrore, hinc gaudio, Thorkell, inqve terram procidens, Deo pro tanto beneficio ſibi revelato gratias egit; ſecutusqve poſt horulam Regem ad naves rediit. Hæc longo poſt tempore Haraldo Imperioſo, ſeu Strenuo, Norvegiæ Regi narrâſſe, narrationemqve ſeriò adſeverâſſe, fidemqve, utpote vir integritatis prudentiæqve perſpectæ, deinceps meruiſſe traditur. Narrant & aliud, huic non abſimile, *Codex Flat:* & *Oddus Monachus*, Regem nimirum in convivio qvodam poſt peracta ſacra in ſolio reſidentem diſparuiſſe, Sigurdo tantùm Epiſcopo medio in pavimento cum Angelo collocutum viſum; qvod cùm ille præſentibus indicâſſet, ſolio deinde repetito, poſtqvam conſedisſet, omnibus conſpicuum factum. Hæc, qvamvis in gloriam ejus conficta videantur, præterire tamen nolui, ob eam, qvam prius adduxi, rationem.

CAP. XL.

DE VATICINIO SENIS CUJUSDAM FATIDICI, DE EXPEDITIONE REGIS NUPTIISQVE ROGNVALDI VESTRO-GOTHIÆ COMITIS CUM INGIBIORGE REGIS SORORE, ET PROFECTIONE IN VANDALIAM.

STadas, comitante Regina ſororeqve Ingibiorge, prætervecto Regi Olafo, Procerum magna copiarum vis expeditioni delecta occurrit. Inter omnes Erlingus Skialgius myoparone illo magno, triginta locorum capacisſimorum, delecto milite, nauticaqve manu inſtructus, præcipue eminebat: affines item Regii è Vika Thorgeir & Hyrningus, ſuæ qvisqve navis conſpicuæ ductor: adeo comitatus omnis magnatum præſidio freqventiâqve inſignis fuit. Fortè Rex cum claſſe exercituqve (non, ut habet *Codex Flat:* ſitûs regionis errore deceptus, poſt celebratas Ingibiorgis nuptias, ſed anteqvam in Jadriam perveniret) in portu inſulæ Moſturis detinebatur, cum fatidicum ſenem, cæcumqve, haut procul inde habitantem, ex aliorum relatione cognovit. Explorandæ igitur ſolertiæ ſagacitatisq; ejus cupidine incenſus, delectis qvibusdam, mercatores ſe profitentibus, comitatus,

tatus, rogatur, ecqvid illi de Rege constaret? In proximo portu eum cum classe consistere, cum respondisset, suspirans senex, ingens damnum jacturâ qvatuor rerum, singularum sui generis pretiosissimarum, qvibus paria nec unqvam antea Norvegia habuerit, nec habitura deinceps videatur, regno incolisqve omnibus imminere auguratus est. Jussus eas commemorare, Regem omnibus, qvi eum præcesserint, gloriâ superiorem, Reginam probitate & sapientiâ prioribus Reginis potiorem. Navi, Draconis Longi nomine celebri, nullam unqvam in Norvegia magnitudine parem aliam ædificatam. Canem autem Regis Vigium etiam in suo genere aliis præstantiorem. Metuendum autem, ut harum rerum, qvæ in deliciis essent, diuturna foret possessio. His expositis, Regem jam discedentem inclamans, *nimium fortè se effutivisse, cum serò nimis cum Rege se locutum intellexerit*, adjecit, *nec tamen dicta revocari posse*; *fidem autem iis non habendam.* Neqve hoc imminentis cladis malum præsagium Regem terruisse, aut ulla ex parte sollicitum tenuisse legimus. In Jadriam inde ad prædium Solium provectum sumptuoso convivio Erlingus longo tempore excepit. Eò qvoqve Rögnvaldus Ulfius Vestro-Gothiæ Comes, qvi per legatos nuptias Ingibiorgis ambiverat, profectus, cum in Christiana sacra cum universo comitatu concesisset, exemploq; suo subjectos sibi populos eò traducturum spospondisset, tum Regis, tum virginis, consensum impetravit. Convivium exinde auctum, inq; festivitatem nuptialem conversum, magno splendore procesit. Et jam omnes suas sorores Rex splendidissimis matrimoniis elocaverat. Atqve ita Rognvaldus cum uxore mutuis benevolentiæ officiis dimissus, domum, clericorum doctorumqve virorum comitatu, procurante Rege, instructus, ad subjectam sibi provinciam in Christianorum civitatem transferendam, ex animi sententia rediit. Qvantam autem Vestro-Gothiæ partem tenuerit, monumentis antiqvitatis destitutus definire neqveo. Illud certè Codex Flat: hoc loco testatur, ardenti hujus Regis Christum colendi impetu partem illam Gothiæ occidentalis, cui præfuit Rögnvaldus, in Christianorum collegium adscitam.

E Jadria Rex sexaginta navibus (*Compendium* unam & septuaginta recenset) solvens, in Daniam movit, transmissoqve fretô Sundico in Vandaliam devectus, in loco colloqvio delecto veterem socerum Regem Burisleifum allocutus, omnes Reginæ possessiones facilè & sine negotio, annitente præsertim Astride, primæ suæ uxoris sorore, Regisqve filiâ, obtinuit; ubi amicitia Regum denuò instaurata est, longaqve ibi per æstatem mora multis amicis invisendis, maxime tamen Astridi, qvòd se invicem, mutuo caritatis amorisqve affectu, affinitatisq; pristinæ nexu, tenerè complecterentur, impensa.

CAP. XLI.

DE CONTEXTU INSIDIARUM ADVERSUS REGEM CONSTRUCTARUM, ET ASTRIDIS, QVÆ PRIORIS UXORIS SOROR ERAT, FIDE.

POstqvam Olafus Regi Ethelredo conciliatus Angliâ discedens Norvegiam occupavit, Svenus ad Angliam in potestatem redigendam, qvod ad rem suam facere videbatur, nihil omisit, aut intentatum reliqvit; nam licet ipse sua repeteret, classem tamen & præsidia idoneis locis reliqvens id obtinuit, ut absens licet,

licet, cuncta tamen armis & multitudine infesta retineret. Horum dum aliqvi ad Normannos Galliæ hostiliter procinctum movissent, Ethelredus Rex, Cumbris vastatis, Monam insulam vi occupat. Alii non hostiliter, sed amicè, profectos ad se volunt, ut nimirum veterem necessitudinem, & cum posteris Rolfi consangvineis & popularibus suis amicitiam, instaurarent. Ipso Rege tunc in Dania remanente, cum Sigridis Imperiosa, famâ adornatæ expeditionis Vandalicæ in Daniam delatâ, vindicandæ injuriæ sibi ab Olafo vana nuptiarum spe deceptæ illatæ, alapæq; impactæ, cupida, cum maritum sæpe aliàs in ultionem, sed frustra ad illud usqve tempus, sollicitatum, hac occasione vehementiùs instigare cæpit monitô; *si non injuriâ sibi illata tangeretur, decoris tamen sui ipsius Majestatisque rationem haberet. Olafum enim ne consulto quidem eo, & omnino invito, sororem ipsius sibi conjugio sociâsse, vel potius in pellicem ascivisse, regnum ei a patre relictum invasisse, impune insidere, Regisque titulo usurpare, nec majores ejus ad talia connivere solitos.* Rex *sororem tam illustri matrimonio junctam* respondit, *ut splendidiori non posset; vires autem potentiamque Olafi majorem esse, quàm ut facile retundi, nedum debellari possint, si expeditio in Norvegiam suscipienda sit. Esse enim Principem bellicarum artium peritum exercitumque, felicem insuper, & assiduis victoriis florentem, etiam adversus magnas vires hucusque invictum, civium quoque studiis suffultum, militumque præstantissimorum delectu terribilem.* Illa *ad tantam rem aggrediendam planiorem se propediem viam expedituram* respondit: *Olafum nempe expeditionem in Vandaliam hac ipsa æstate suscepturum, contemptimque Hellispontum Danicum, cô & inconsulto & invito, transiturum; id ne impunè fiat, classe expedita opus esse, tum Danica, tum aliunde collectâ; sollicitandum in societatem maturè per legatos filium suum Sueciæ Regem Olafum, sponte sua aliàs ad vindicandas matris injurias promptum, tum generum Regis Comitem Eiricum* (duxit enim filiam Sveni Regis Gidam uxorem, ut latiùs in ejus vita exponendum est) *Comitis Haconis filium, vindicem paternæ necis, ereptæque per vim amplissimæ hæreditatis, haudquaquam segnem aut cunctabundum. Horum auxilio facilè eum Olafum vel occisurum, vel regno exacturum, vel saltem ignominiam extorti transitûs clade ejus aliqua dempturum. Quod si his tantorum Principum conjunctis viribus expugnari eum posse diffideret, adjiciendas artes, quibus irretitus, vel nullo, vel facili negotio victoriam de se concederet; id autem obtenturum, si Sigvaldium Comitem, quem prius exilio ob justas causas paternaque hæreditate multâsset, è Vandalia, spe gratiæ, restitutionisque in patriam, paternaque bona omnia, propositâ, arcesseret* (sic habet *Codex Flat: Compendium* autem eum Daniæ Regis Comitem, seu vasallum, fuisse tradit, eoqve jure ei obnoxium) *eumque ad Olafum specie amicitiæ affinitatisque decipiendum in Vandaliam ablegaret; facilè enim astuto consilio ad partem classis exercitusque dimittendam allecturum, vel quovis alio commento eum in potestatem hostium securum perducturum.* Probato consilio Rex primo vere legatos in Sveciam misit, facilèqve Regem cum Comite in suam sententiam traxit: qvi magna classe copiisq; instructi, tum demum in Daniam venerunt, cum Rex Olafus per fretum Sundicum in Vandaliam enavigâsset; id qvod Halldor Inchristianus eo carmine cecinit, qvod in laudem Eirici Comitis pepigit.

Interea Sigvaldius consilio Reginæ accersitus, in gratiam conditionibus antea recensitis receptus, in Vandaliam statim remissus est, cum occultis mandatis, ut Olafum Regem tamdiu retardaret, donec classis Danica cum sociis in procinctu ad eum excipiendum parata idoneo in loco exspectaret, eòqve illum imparatum deduceret. Hic in Vandaliam rediens, facile

facilè ſe in intimam Regis gratiam inſinuavit: erat enim vir prudentiâ eximiâ, nec aſtu minore, breviqve ſecretorum omnium particeps factus, prius Regem in ſuam poteſtatem redegit, qvàm hoſtibus traderet. Hic per occultos nuncios omnia, qvæ in Dania gererentur, locumqve inſidiarum, inſulam Svoldurem dictam, cum reſciret, variis impedimentis injectis, Regem per æſtatem, ducibus militibusqve domum anhelantibus, moræq; ulterioris, præſertim faventibus ventis, pertæſis, longo tempore detinuit. Tandem cum fama, ſed incerta, de claſſe Regis Sveni in Vandaliam etiam ad aures Regis pervolaret, eam his rationibus elevavit, *quòd non eſſet è re Regis Sveni, ſolo Danorum exercitu eum, tanta claſſe delectæque juventutis flore inſtructum, aggredi: ſi quid autem vano rumori tribuendum ſentiret, ſe cum decem navium claſſe ei auxilio futurum; neque enim Jomsvikingorum, ſeu piratarum Jomicorum, ſubſidium titillivitium aut araneorum texturam olim reputatum.* His Rex cum aſſenſiſſet, domeſtico collegio ſummo mane convocato aſſurgens, omnibus gratias egit, *qui ſe peregrè domo ſecuti, æſtatis magnam partem ſuo miniſterio impendiſſent; neque ſe mirari, ſi tædio diuturnioris moræ patriæ repetendæ cupidine ducerentur: veniam itaque ſe cuilibet, quam primum paratus eſſet, reditûs concedere: majorem tamen gratiam promerituros, qui ſe comitarentur.* Omnes laudibus gratibusq; Regem venerantes, magna alacritate optatam totiens redeundi poteſtatem amplectuntur. Cum ſenex qvidam, vir opulentus, in medio exſurgens circo: *Regem quidem habemus*, inqviebat, *cæteros animi corporisque fortitudine, magis tamen bonitate & clementiâ, præſtantem. His tantis ejus virtutibus nos non aliter frui oportet, quàm ut conceſſam libertatem obſequio ejus impendamus, nec eum extra regnum conſtitutum temerè relinqvamus, maxime cum fama hoſtilium inſidiarum ad aures noſtras pervenerit. In propugnando Rege noſtræ gloriæ culmen conſiſtit, qvod periculo ejus magis attollitur, altiusque erigitur. Qvod ſi ei per noſtram abſentiam aliqvid humanitùs evenerit, fruſtra pænitentiæ vel jacturæ tantæ remedium, qvantumvis glorioſo ſucceſſore, qværimus.* (Hæc de venia Regia *Codex Flat*: tantùm habet.) Pauci ad hanc orationem applaudebant, omnesqve ad naves properabant, ipſe etiam Rex, ſigno dato, copias ad claſſem excivit, êqve portu cum navibus (Sigvaldii unà computatis) unâ ſupra ſeptuaginta ſolvit.

Refert *Codex Flat*: nocte, qvæ abitum Regis proximè præceſſit, Aſtridem Sigvaldii uxorem Regem adiviſſe, eiqve inſidias Regum expoſuiſſe, & magnopere orâſſe, *ne ſe in tantum diſcrimen adverſus vires longe majores contendendo præcipitaret.* Eum autem reſpondiſſe, *haut ſe propoſitum ſuum ad levitatem famæ omnino incertæ mutaturum; certum, Sigvaldium, ſi quod periculum immineret, ſibi indicaturum. Regna Deum pro arbitrio ſuo & adimere & largiri, hoſtes autem ſuos ſe neqvaquam fugiturum.* Cum autem his monitis precibusqve nihil proficeret, inſtitit poſtulare, *ut ſi forte res eò deveniret, ut auxilio ſuo opus eſſet, illud neqvaquam aſpernaretur*; id qvod ſe gratanter accepturum eſſe pollicebatur. Poſtridie cum claſſem ſolviſſet, leni, ſed ſecunda, aura flante, minores naves, utpote leviores, velocius in altum ſtatim præcedebant reliqvas mole ſua tardiores. Sigvaldium, qvi navigationis moderamen in ſe receperat, viam inter inſulas, ubi altiſſimum fretum navium talium capax eſſet, monſtrantem ſeqvebantur. Cum autem Comes ad inſulam Svóldurem perveniſſet, qvidam lembunculo remis ad eum contendentes nunciârunt; Danos ibi Svecosqve ingenti claſſe inſtructos portum navibus repleviſſe. Qvo cognito, ipſe velis deductis ad inſulam ſegni remigio reflexit, qvem & reliqvæ, qvas in auxilium Regis

promiserat, secutæ sunt, præter unam, qvæ uxorem ejus Astridem vexisse, teste *Codice Flat*: perhibetur. Hæc vestigiis ejus aliqvantisper inhærens, ad insulam tamen non contendit. Atqve ita Rex dimissæ classis præsidio orbatus undecim tantùm reliqvas habuit, qvas trium potentissimorum Principum anxiè collectis classibus â copiis qvoqve instructissimis opponeret, teste *Marco Nomophylace*, metricè hæc, ut cætera, tradente, ut & Haldore Inchristiano.

CAP. XLII.
DE PROCESSU CLASSIS NORVEGICÆ, APPARATU MAGNITUDINEQVE NAVIUM, HOSTES IN ADMIRATIONEM SUI RAPIENTIUM.

INterea Reges cum Comite Eirico ex insulæ Svolduris edito colle, sudo cælo, cursum modumqve navium Norvegicarum contemplantes, ubi maximam classem Olafum deseruisse animadverterunt, tam propitiam sibi fortunam invicem gratulabantur, *tum qvod minore periculo cum minima tantùm copiarum parte confligendum esset, tum qvod militibus suis, jam ob longiorem moram obmurmurare occipientibus, incertis an confligendi copia daretur, sibique adeo ipsis satisfieri posset.* Ut autem classis Olafi magnarum navium primam conspicati sunt; *hanc*, inqviunt Reges, *navem magnam ornatuque insignem Draconem Longum agnoscimus*; qvibus Comes Eiricus respondit: *navis qvidem magna & conspicua, non tamen cum Dracone comparanda.* Styrkaris (veriùs, ut Chronica habent, Endridii) de Gimsis fuit. Mox alia etiam majori admirationi fuit, illa enim priorem magnitudine excedebat. Eam etiam Svenus Draconem Longum existimans, suos ad præliandum, Eirico obnitente, hortatur, fuitqve Thorkelis Nefiæ, fratris Regis uterini, neqve tamen ipse eam direxit. Tertia deinde procedebat, mox etiam qvarta; singulæ prætoriæ visæ, cum essent affinium Regiorum Thorgeiris & Hyrningi, qvas tamen neuter eorum duxit. Paulo post qvinta, reliqvis longè major, sed sine effigiato capite, secuta est. Tum subridens Svenus: *trepidat jam*, inqvit, *Olafus, dum erecti capitis effigie navigare formidat.* (Ita vertendum *compendium* docet, qvod *versioDanica* alias præcedere non ausum interpretatur) Respondit Eiricus: *non est hæc Regia navis; probe enim hanc, utpote sæpius visam, novi, cum velo discolori* (stafat segl vocant.) *Hic enim Erlingus Skialgius de Jadria navigat: hanc missam faciamus, eos enim viros vehit, qvos a congressu abesse nobis magis conducit*, Mox Olafus Sveciæ Rex moræ qvoqve impatiens; *ne, qvæso*, inqvit, *formidemus congredi cum Olafo, licet navium oportunitate superiori, nec eam infamiam latè per regna regionesque omnes spargendam incurramus, qvod innumerabili exercitu viam ei & reditum in regnum præclusuri dilabi passi simus. Enimverò*, respondit Eiricus, *rem optabilem tibi, Rex, referam, Olafum Norvegiæ Regem adhuc nos prætervectum non esse, imo hoc ipso die, non solum tibi, sed etiam nobis singulis, copiam futuram prælio cùm eo decertandi; nec qvemquam nostrûm, sed nec tanti exercitus militum ullum, meritò de certaminis levitate per contemptum qværendi ansam habiturum, licet has, qvæ præcesserunt, naves a prælio excesse sinamus.* Vera Eiricus attulit, hanc enim navem ipse Erlingus direxit, qvi & Regem po-

stea

ſtea nunqvam viderat. Tum demum Sigvaldii naves ad inſulam ſe applicantes agnitæ, teſtimonium Comitis confirmabant. Tres deinde naves magnæ, inter qvas una capite inſignis, prodibant; qvibus viſis Svenus omnes ad bellum evocabat, ne, dum deliberârent, Rex elaberetur. Tum Eiricus; *complures*, inqvit, *magnas naves habent, multasque in iis capitibus præditas, præter Draconem Longum; paucæ autem earum præterierunt; opperiamur itaque paulisper*. Multi timore perculſum eum interpretati, congreſſum cum Rege detrectare, nec patrem ulſciſci audere, permiſſurum Regem cum manipulo tantum ſuorum immenſum exercitum effugere, non ſine tantarum gentium perpetuo opprobrio. Commotior his Eiricus omnes in litus evocavit: *haut tamen dubitabo*, inqvit, *quin Dani Svecique, qvi mihi hodie ignaviam improperant, ante diei finem, non minus qvâm ego meique milites, bello ſatientur*. Dum vero ad litus progrederentur, qvatuor ingentes naves apparuerunt, inter qvas una Draconis capite eminebat, auro tota coruſcans, mole, ut videbatur, incomparabili; qvibus viſis, omnes vera dixiſſe Comitem affirmabant, magnificentiamqve illius Regis extollebant, qvi tam pretioſas res maximis impenſis comparare non dubitaret; neqve enim unqvam toto ſeptentrione parem ædificatam. Svenus autem, *mene*, inqvit, *hoc die Draco ille magnus vehet? Eum certe gubernabo*. Eiricus autem ſubmiſſa voce, paucis tantùm audientibus reſpondit: *licet Olafus hanc duntaxat navem duceret, ſolâ tamen Danica manu haut expugnares*. Hæ capitatæ naves Tranam prior, poſterior Draconem Brevem exhibebant. Jamqve univerſus exercitus ad claſſem properabat, aciesqve â ducibus inſtructa eſt, qvi & inter ſe ſortiebantur, qvinam primus hoſtem adoriretur. Sveno id obtigit: proximæ vices Sveciæ Regi Olafo, &, ſi plures reqvirerentur, Eiricus ultimo diſcrimini reſervatus eſt, ſorte dignitatum & ætatum rationem ſecutâ, navesqve, qvas qvisqve Principum ſuæ poteſtatis fecerit, victoriæ præmium decretæ. Ei autem, qvi eorum primus Draconem conſcenderet, navis cum præda univerſa permiſſa. Norvegia etiam, devicto Rege, ex æqvis partibus inter eos dividenda, ſingulisqve triens aſſignatus.

Hæc dum aguntur, aciesqve in ordinem redigitur, naves adhuc tres ſtupendæ magnitudinis conſpectæ; qvas qvarta velut aurea, radiis ſplendentis Solis fulgida, repercuſſum lumen latè per oceanum ſpargens seqvebatur, prora ingenti, capite illuſtri. Longitudo tamen hominum aſpectum diutiùs fatigabat; horâ integrâ, dum proprium longitudinis ſpatium meatu conficeret, ita ut puppis locum, qvem prora reliqverat, aſſeqveretur, interlapſâ, ut notat *Codex Flat*: tranqvillo forte cælo, ſilentibusqve ventis, leni etiam, (ut credere par eſt) æſtu agitante: neqve enim curſûs certa ulla, eaqve perpetua, dimenſio hac ratione haberi poterat. Et jam ulterior dubitatio omnium confesſione remota eſt: Principibus tacita admiratione captis ne vox qvidem excidit: milites plane obſtupuerunt, ſuæ qvisqve ſorti fatoqve timentes, multis enim eadem navis necem repentinam adferebat. Tum Eiricus, *ô dignam*, ajebat, *tanto Rege navim, qvi, qvantô eâ reliqvas, tantô & ille alios Reges præſtat*. Hoc autem elogio coram Regibus nunqvam hoſtem ornâſſe videtur, qvantumvis generoſi animi heros, loco qvidem & tempore alieno.

CAP. XLIII.
DE ORDINATIONE CLASSIS REGIÆ AD PUGNAM,

UT Thorkell Dyrdill, Thranæ rector, cum reliqvarum navium præfectis, Comitem Sigvaldium collectis velis ad insulam navem applicuisse observavit, ipse etiam, suis deductis, novi qvid incidisse ratus, ad eum remis contendit, sciscitatusqve causam inhibiti cursûs, insidias subesse respondit (*Compendium* eum erecto albo clypeo ad eos remigâsse tradit) Regi, ni præcaveret, periculosas. Collectis igitur velis ibi substiterunt, donec Thorkell Nefia, Draconis Brevis rector, cum navibus, qvi eum comitabantur, accederet; qvi cognito periculo, velis depositis Regem paritèr exspectabat. Classis autem hostium in portu delitescens, parte tantùm sui conspectum præbuit. Ut autem Regiam navem insulæ appropinqvantem Principes conspexerunt, universam classem in stationem deduxerunt. Monebant tum Regem proceres, ut fugâ salutem maturè qværeret, nec adversus tantas copias tam modica manu certaret. Rex celsa in puppi stans, corpore pariter ac animo erectus, magna voce respondit; *vela dimittite: nemo meorum fugæ consilia circumspiciet, ignotum mihi hactenus præsidium & omnino insvetum, ad qvod nec hodie refugiam: vitam meam Dei providentiæ commendo.* Ut autem universum circa mare hostili classe coopertum apparuit, Thorkell Dyrdill, avunculus Regis, vir prudens, salubre consilium suggesit, qvo simul exosam Regi fugam & inevitabilem cladem declinaret; hortatus, *ut sublatis velis altum peterent, reliqvamque classem, quæ præcesserat, reducerent, atq; ita junctis viribus cum hostibus, licet numero propè infinito superioribus, certarent: tantilla autem manu adversus tantam multitudinem vel per somnum qvidem victoriam sibi neminem spondere posse; neque cuiqvam indecorum suo se pede metiri, præliumque illud declinare, qvod eertum sibi suisque interitum internecionemque allaturum videretur.* Exitus belli molesqve certaminis in tam paucis navibus debellandis consilii prudentiam deinceps ostendit. Nemini enim dubium erat, qvin Olafus, si junctis viribus collectaqve classe dimicâsset, non modò hostes evasisset, sed etiam certam victoriam domum reportâsset, cùm tantilla manu tantam vim prope ad hostium usqve desperationem sustinuerit. Verum instante jam fato obcæcatus Rex saniora consilia aspernabatur; itaqve elata voce naves suas colligari, gladios educi, animos a fugæ consiliis averti jussit. Collectas deinde classico undecim, qvæ residuæ erant, naves hoc ordine collocavit: in medio navem Regiam, ab altero autem latere Tranam, ab altero Draconem Brevem, ab utroqve deinde reliqvas naves statuit. Ut autem proras Draconis Longi Brevisqve colligare cæperant, ut educeret longius Regiam navem clara voce imperavit, neqve enim se postremum in tanto exercitu futurum. Qvod ut Ulfus Rufus, proreta signiferqve Regius, audiebat, *si*, respondit, *Draco in tantum extra reliqvas naves extendetur, in qvantum eas longitudine superat, nos certe, qvi proram partesque ei proximas* (sax vocant) *tenemus, undique hostibus opponemur impetemurque.* Rex adhæc respondit; *ideo Draconem magnitudine sua alias naves excedere volui, ut qvo esset major, eo etiam in præliis interque navigandum conspectior.*

Me

Me vero latebat, proretam mihi & rufum eſſe & pavidum. Ulfus ad hæc; *cave*, reſpondit, *ne tu puppim hodie defenſurus prior terga hoſtibus obvertas, qvàm ego proram deſeram.* Telum Rex fortè, dum hæc inciderent, manu tenebat, qvod confeſtim nervo applicatum in Ulfum direxit; qvod is conſpicatus, *eò*, inqvit, *dirige, quò neceſſitas monſtrat, in hoſtes nimirum, neque enim tuorum tibi ante veſperam nimium videbitur: qvam ego operam impendo, tibi impendo.* Itaqve Rex telum deponebat. Interea lembus ille Vandalicus, qvi ſeorſim eo die navigavit, qvàm ocisſimè ad puppim Draconis Longi ſe applicans parumper ſubſtitit, unusqve nautarum cum Rege ê puppi peregrina lingva Norvegis ignota aliqvantiſper collocutus eſt; neqve qvid Rex ei reſponderet, intellectum eſt. Qværentibus qvinam eſſent? *amicos ſuos e Vandalia,* reſpondit.

CAP. XLIV.
DE CONGRESSU REGIS CUM DANIS ET SVECIS.

REx ſublimis è puppi ex habitu facilè internoſcebatur; rubra enim veſte ſerica, ſed breviore, loricam texit: clypeo præterea casſideqve inaurata uſus eſt. Ut vero ordines hoſtium ſignaqve conſpexit, qvæſivit, *cujus vexilla eſſent, qvæ ſibi e regione opponerentur?* reſponſum, *Sveni Admorſæ barbæ, Danicæque clasſis. Codex Flat*: reſponſum Regis hac formula effert. *Non timeo timidos illos; neque enim ii damis animoſiores ſunt: nunquam Dani Norvegos vicerunt, neque hodie vincent. Chronica MSS. Non metuimus meticuloſos illos; non ſunt animoſi Dani. Verſio Danica* addit, *bello navali. Compendium* moderatiùs reſponſum tradit hoc modo; *non timebimus exercitum illum: nunquam Dani victoriam reportârunt.* Vexillis autem ad dexteram erectis, qvis præeſſet, cum qvæſiviſſet, agnoviſſetqve ea Regis Sveciæ Olafi eſſe. *Non eſt, qvod Svecos eqvinæ deditos timeamus; ſatius illis eſſet domi ollas ſangvineas lingere, qvàm Draconem veſtris armis propugnatum impugnare.* Cujus autem eſſent naves illæ magnæ, Danis proximè adjacentes, dein ſciſcitatus, Eirici Comitis cum accepiſſet, reſpondit: *Enimvero Principum accuratus delectus adhoc bellum habitus eſt; nec Eiricus nos ſine cauſa aggreſſurus videtur: inde cruentum prælium exſpectabitis, iſti enim pariter ac nos Norvegi ſunt.* Ut autem Thyra Regina apparatum belli videbat, majorem in modum contriſtari cæpit. Tum Rex eam affatus, *tempera,* inqvit, *a lachrymis, dotem enim tuam in Vandalia conſecuta es, donum autem denticulæ hodie a fratre tuo, ut ſæpe petiviſti, repetam*: eamqve ſub tabulatum deduci juſſit, miniſteriaqve idonea providit, Epiſcopumqve ad eam conſolandam reliqvit. Exinde Reges Comesqve claſſem remis concitatam adverſus eum direxerunt. *Snorrius* qvidem *Sturlæus* pluribus conſentiens Svenum primùm Draconem Longum cum reliqvis majoribus navigiis aodortum tradit. *Marcus* autem *Nomophylax* in duplicata Olafi oda (Olafs drapo hinni tviſkelfdo habetur) Olafi Sveoni primas tribuit, Svenum autem ſucceſſiſſe perhibet. Snorrius *Chronicaque* Svenum primum in Regiam navem, mox etiam Olafum proras in ulteriores direxiſſe, ab alio autem latere Eiricum Comitem, magnam illam ferratamqve, qvam Jarnbardan appellavit, qva etiam præ-

lio Jomsvikingenſi uſus eſt, navibus iis applicâſſe refert. Ut vero concrepantibus lituis clamor militaris ab utraq; parte editus eſt, Sigvaldius ſuas naves prælio ſubduxit, ſpectator tantùm conflictûs periculi ſecurus. Teſtantur id *Skulius Thorſteinius* & *Hallfredus Vandrædaſcald*, ſuo qvisq; verſu.

Miſſilibus primò omnis generis, levibusqve ſagittis, telisqve arcubus ferreis emisſis, interdum etiam haſtis, utrinqve pugnatum eſt. Sexaginta navibus Svenum Regem primò Draconem impetiviſſe *Marcus* memorat, prorasqve lateribus ejus ubiqve confertim applicatas; eodem etiam momento Tranam Draconemqve Brevem a Danis cominus oppugnatas, proretas autem Regis Olafi gladiis, ipſum autem Regem cum iis, qvi in poſteriore parte navis erant, denſo telorum imbre, ingentem Danis cladẽ intuliſſe, magna eorum parte vel occiſâ, vel vulneratâ. Nec tamen harum ſexaginta navium cominus applicatarum impetum ſolumodó Norvegos ſuſtinuiſſe; longè enim majore miſſilium vi eminus â navium cæterarum multitudine, non ſine magno ſuo damno, impetitos tradit: Regem deniqve Olafum, cum magna eorum parte, qvi poſteriores navis partes defendebant, ad proram converſum, memorabilem pugnam gladio haſtaqve cominus edidiſſe; maximè autem Danis nocuiſſe, qvòd proretæ propugnatoresqve priorum partium Draconis Longi Brevisqve & Tranæ, ferreis manibus navi Sveni Regis injectis, facilè ê ſuperiori nave deorſum feriendo ictus iis tantum non impunè infligerent, donec omnes, qvas retinere poterant, penitus evaſtâſſent, Regemqve cum reſiduis copiis in remotiores compulſum penitus extra teli jactum ſubmoviſſent; veraqve de ſucceſſu illius Olafus ominatus deinde viſus eſt. Succesſit ei Olafus Sveciæ Rex, qvindecimqve navigiis aggreſſus, magna adhortatione militum animos accendit. Verùm licet numero præpollerent, oportunitate tamen altiorum navium vincebantur; nam & hi vana pleraqve (utpote ſupino jactu) tela in ſuperiora mittebant; gravior & pondere ipſo libratior ſuperne ê Regiis ictus erat. Poſtremo aſſeres ferreo unco præfixi (Stafnlia vocant) cum roſtratis anchoris in illas injici cæpti, ſecutaqve ſtrages ingens, mox etiam fuga, navesqve, qvotqvot vinculis ſe eximere neqvibant, perinde ut Danorum, nudatæ milite deſolatæqve ſunt. Et licèt Sveci magnis primò animis, utpote integri adverſus feſſos, prælium redintegrâſſent, fortius tamen â propugnatoribus Regiis reprimebantur, donec magna ſuorum parte cum majoribus etiam navibus amiſsâ, plurimâ etiam vulneratâ, ipſe Rex victoriæ nihilo qvàm cum inciperet propior, tantùm ſalvus evaſiſſe gaviſus, ut verbis *Codicis Flat*: utar, in tutiora extraqve teli jactum ſe ſuosqve recepit: defunctusqve eſt Olafus Norvegus Danorum Svecorumqve prima oppugnatione.

CAP. XLV.

DE CONGRESSU CUM EIRICO, ET REGIS IN CONTINUANDA PUGNA PERVICACIA.

INterea, dum Reges in impugnanda nave Regia, majore ſuo qvàm oppugnatorum damno, minore etiam gloria, occuparentur, Eiricus extremæ in altero cornu navi ſuam cominus junxit, cæſimq; punctimqve feriendo terreſtris pugnæ ſpeciem edidit; nec priùs deſtitit, qvàm illam, occiſis aut in fugam conjectis defenſoribus, occupâſſet, abduxiſſetqve; inde

inde in aliam converſus, poſtqvam eam conſimili modo expugnâſſet, majores adortus, aliam poſt aliam in poteſtatem redegit, qvippe Danorum Svecorumqve claſſe Regias naves undiqve circumveniente, telisqve e longinqvo misſilibusqve impetente, (redierant enim ſub teli jactum) ipſe in mortuorum ſauciorumqve locum, recente ſemper milite auctus, faciliùs adverſus feſſos jam & ſaucios, imbreqve telorum propemodum obrutos, rem gerebat. Milites autem Norvegi, cum ſe minoribus navibus defendendis ultra non ſuffecturos animadverterent, in majores inſiliebant. Comes autem unamqvamqve devictam ſcisſis vinculis mox abduci jusſit, nec priùs deſtitit, qvàm omnes, præter Draconem Longum, deviciſſet; eò autem ex aliis navibus omnis multitudo armis habilis confluxit. Adeo brevi momento potentisſimi Regis vires unius navis cancellis circumcludebantur. Ad eam igitur impugnandam Danorum Svecorumqve claſſe omni eminus exortâ, Eiricus navibus ſuis in latus ejus directis cominus Regios adortus gladiis impugnabat: ipſe in loco Fyrirrum dicto, non procul a puppi, teſtudine militum protectus eſt. Volabant jam undiqve omnis generis tela misſiliaqve, cum Norvegi obliti navalis prælii ſupernè ictus infligentes, cum pro arbitrio ad hoſtes pertingere neqvirent, extra latera, tanqvam in terra res gereretur, procedentes, pasſim aqvis, utpote armaturâ graves, abſorbebantur. Multi hoc genere mortis abſumpti ſunt, dum totis in hoſtes viribus, tanqvam in campo pugnaturi, aciemqve rupturi, feruntur.

Fuit Comes Eiricus fortisſimorum virorum auxilio ſuccinctus. Illi militabant & qvidam, in eadem, qva ille, navi, ê Jomicis piratis, Vagnus Akinus, Svenus Buinus, Illugius etiam Taglaricida; ex Islandis Skulius Thorſteinius, Eigilis Skallagrimii nepos, Vigfus Viga-Glumius, & Torfius Valbrandius. Inter omnes autem Finnus de Herlandia Eyvindi filius, vir Norvegus (alii eum natione Finnum dixerunt) jaculandi peritiâ eminebat; nam & ſagittam nervo qvovis alio acrius certiusqve propellere noverat. Is etiam arcum Einaris Thamba-Skelferis fabricârat. Verum Einar ê Regia nave tota die tela arcu excutiebat, impulſu planè admirabili, qvovis enim alio fortiùs jaculari ſolebat: cujus deſtinatum in Comitem telum globum gubernaculi ſupra ipſius caput tanto impetu percusſit, ut ligneam materiam usqve ad clavum, qvo figebatur, perrumperet; qvô unde emiſſum fuerit, qværente, repentè aliud inter brachium ejus latusqve pervolans, aſſerem ponè caput aculeo penetravit. Comes itaqve Finno imperat, ut virum illum magnum in loco Krapparumi jaculo feriret. Finnus occidi non poſſe, utpote fato non obnoxium, reſpondit, arcum forte corrumpi poſſe: excuſſoqve protinus telo hamato, arcum, dum tertiò tenderetur, rupit. Tantus autem fragor, dum confringeretur, editus eſt, ut ad aures qvoqve Regis perveniret; qvo qværente, qvid tanto tonitru intonaret? Norvegia, reſpondit, manibus tuis excidit. *Nequaquam*, reſpondit Rex, *fragor tantus perſonuit, neque enim regnum meum arcu tuo, ſed Dei providentia, ſtat & regitur: meum autem arcum intendito*; qvem ut projectum ereexit ſinuaturus, toto protinus jaculo intra curvaturam condito exclamavit, *debilis, heu nimium debilis, Regius arcus*! eoqve ad Regem jactu remiſſo, clypeum gladiumqve ſumpſit, interqve promptisſimos dimicavit. Rex autem ê celsâ puppi conſpicuus, plurimùm eo die vel arcu vel manu gerens, ſemper duo ſimul tela jaculabatur, exemploqvè ſuo, animiq; præſentis alacritate, alios ad pugnandum accendit & animavit. Obſervabat autem eos, qvi in anterioribus navis partibus pugnabant, ictus ſæpius ingemi-

geminare, minoribus tamen vulnerum veſtigiis, qvàm pro eorum pondere. unde itaq; tot ictus fruſtranei? qvæſivit. Reſponſum à qvodam: *& confractis enſibus ſe & acie deſtitutis uti.* Aperta itaqve arcâ in ſolio repoſitâ, multos inde gladios acutos ſplendidosqve deprompſit. Ut autem manus ad eos apprehendendos demiſit, obſervatus eſt ſangvis ſub lorica promanans, nemini autem, qva parte vulneratus eſſet, conſtabat. Qvi proram locumqve ſyrirrum dictum tenuerunt, omnium acerrimè pugnârunt, hoſtibusqve damnum ingens intulerunt, altitudinis oportunitate adjuti; ibi namqve robuſtisſimus qvisq; collocabatur: ſtrages autem a mediæ navis propugnatoribus cæpit, ubi magis erat depreſſa. Ut autem Illugius Taglaricida cæde propugnatorum navem exinaniri animadvertit, per harpagones, qvibus reliqvis navibus nectebatur, impetu factò, eam aſcendit. Ei Endridius Ilbreidus, ſeu Panſa, occurrit, ſingulariqve certamine fortisſimi athletæ ſe mutuò impetebant, nec niſi poſt longam decertationem Illugius, multa tamen cum laude, cecidit. Eum imitatus Comes Eiricus, rarioribus circa malum defenſoribus animadverſis, eò qvindecim viris comitatus eniſus eſt. Ei Hirningus Regis affinis cum manipulo pugnatorū ſe oppoſuit, magnoqve ardore mutuisqve cladibus pugnatum eſt; fuit enim Hirningus vir bello egregius, nec ſuſtinuit impetum Comes; itaqve repulſus in navem ſuam reditum accelerare coactus eſt, non ſine ſuorum notabili cæde vulneribusqve. Qvo conſpecto Rex, *ſiccine*, ait, *Comitem repuliſtis? egregie quidem id; neque enim ei victoria de nobis ſperanda eſt, quoad idolum Thoris in puppi collocatum habet.* Hæc vox Regis a multis Comitis militibus excepta fertur. *Chronica* tamen nec hujus, neqve eorum, qvæ proximè ſeqvuntur, meminerunt; Eiricum nimirum cum Regibus ad mortuos ſauciosqve in terram deponendos, conſiliaqve nova capienda, proximam inſulam repetiviſſe, ibiqve conſilium a Thorkele Procero rogatu Comitis depromptum, de arboribus excidendis, lateriqve Draconis imponendis, qvo inclinans in alterum latus aſcenſum faciliorem præberet; idem ex ore ipſius Regis exceptum Thorkell retuliſſe traditur, qvi hanc unicam viam ad expugnandam navim, aliàs tantis athletis defenſam inexpugnabilem, monſtraverit, qvo deinceps Eiricus feliciter uſus perhibetur.

Interea Proceres militesqve Olafi monitis precibusqve perſvadere inſtiterunt, *ut tandem ſaluti ſuæ ſuorumque effugiò conſuleret; namque ex uno illo capite victoriam quæri: nec dubitandum, quin illo elapſo veniam vitamque gratiâ victoris reliqui eſſent conſecuturi: poſſe etiam adhuc expanſis velis reliquam claſſem revocari*; Qvibus ille reſpondit, *nondum hoſtes de victoria certos, nec ſe ad incitas redactum, nave adhuc integra, totque phalangibus inſtructâ.* Hæc *Chronica* majori veriſimilitudine prætereunt: qvâ enim fiduciâ, claſſe univerſa exutus, multis inſuper unius tantum reſiduæ navis clasſiariis amisſis, victoriam, qvam integris viribus aſſeqvi neqvivit, rebus jam affectis & prope deſperatis ſibi ſpoſponderit? neqve eo animo ab eo hoſtes receſſerunt, ut penè captum dimiſſuri, belliqve impenſarum, laborum, periculorum, cladis & ſtragis tantæ, præmio omni deſtituti, domum infamiam tantùm clademqve referre decreverint. Pari fide lembi Vandalici gubernator iterum Regem accesſiſſe, operamqve ſuam ſuorumqve obtuliſſe traditur, cum in eorum auxilio adverſus tantam multitudinem præſidium nullum eſſet: Regem autem petiviſſe, ut qvam ceperant; ſtationem tenerent. Qvaſi vero, ſi elabendi occaſio jam affulſiſſet, eam ad omnium internecionem dilaturus fuiſſet, ſe tum demum, nec tamen facilè, expediturus, cum de omnibus actum cognoſceret.

CAP.

CAP. XLVI.
DE CÆTERO BELLI CONTEXTU, EJUSQVE EVENTU.

Secundùm hæc, ut vult *Codex Flat:* Comes Eiricus cum universa Danorum Svecorumqve classe iterum Olafum aggreditur: alii proris in latera Draconis conversis cominus pugnabant: pars maxima eminus misſilia ſine intermisſione conjiciebant. Eiricus autem tanto impetu invectus eſt, ut ornamenta omnia, qvibus prora partesqve priores navis radiabant, confringerentur, navemqve ſuam Draconi, qvàm proximè poterat, junxit, hoſtesqve totis viribus adortus, tam prudentis Ducis, qvàm ſtrenui militis, partibus fungebatur. Rex propugnatoresqve nihilo remisſius vim hoſtium longo tempore non modò repulerunt, ſed ingens etiam damnum regeſſerunt, qvoad arborum recèns exciſarum trunci fune trocleis injecto ſublevati lateri Draconis ingerebantur; qvo inclinato aſcenſus facilior multos deinde hoſtes admiſit: nec prudentioribus alia deinceps ratione expugnari potuiſſe viſus eſt. Id qvod *Marcus* carmine teſtatum reliqvit. Eiricianis deinde ſe acritèr inferentibus incruduit pugna, Olafianis haut minore ardore propulſantibus, magna utriusqve clade, ſed diſpari conditione; illinc integris cæſorum, recentibus feſſorum gregi ſuccedentibus, hinc nullis: nam qvem qvisqve vivens locum ceperat, eum amisſâ animâ, vel ſuo corpore, vel ſuperjectorum ſimul cadaverum ſtrage tegebat, vel his in ſubjectum mare deturbatis, hoſtibus vacuum reliqvit. Videns autem Comes aciem eorum extenuari, denuò cum magna phalange aſcenſum in Draconem molitus eſt; qvi licet minimè incruentus fuerit, Olafianis acerrimè reſiſtentibus: prohiberi tamen a paucioribus in ultima defatigatione non potuit. Hoc impetu cum multi ê Regiis occumberent, latera pasſim militibus nudata ab hoſtibus occupabantur; qvod ut proretæ, & qvi in anteriore parte navis pugnabant, animadverterunt, ad puppim protegendo Regi agminatim convolârunt. Tradunt tunc Thorſteinum Tauripedem, cum confluxum hoſtium animadverteret, Regem inclamâſſe his verbis, *liceretne qvantum liberet? Curni*, reſpondente, mox proximo hoſti alapam pugno tantâ vi impegiſſè, ut longe extra latera navis velut raptus exanimis corruerit; deinde tanqvam furore percitum, inſtrumento, qvibus vela obliqvantur (beituas vocant) arrepto, in hoſtes invectum promiſcua cæde memorabilem cladem intuliſſe. Non tulit, in extremo licet periculo conſtitutus, generoſus Regis animus morem barbarum, & â diſciplina militari alienum; *arma ſumito*, inclamavit, *hæc enim bello deſtinata ſunt, non autem nuda manus, ſudes, aut ligna.* Paruit Thorſteinus imperio Regis, arreptisqve armis haut ſegniùs, qvam cum trabe uteretur, prælium ciebat. Rex autem continuò ê puppi tela vel haſtas in hoſtes ingerebat. Et jam pugna magna ex parte in loco ſtrit-tumi reſtituta erat, cum milites pro Rege ſuo ſolliciti, vires parùm langveſcentes reſumerent. Eò cum Comitem perveniſſe Rex animadvertit, gæſis tribus, ſed neqvaqvam pro ſolita felicitate aut peritia directis, eum impetivit: primum latus dextrum, ſiniſtrum aliud præteriit, tertium in proram usqve, nullo ejus damno, penetravit. Admiratus Rex, *magna*, in-

inqvit, *Comitem hunc fortuna protegit: nunqvam aliàs telum meum pariter in vanum evasit. Ei regnum Norvegiæ a Deo destinatum videtur, nec mirum, patronos enim mutavit, veraqve sunt, qvæ dixi, eum nos non superaturum, qvamdiu Thor puppim insideret.* Eiricus namqve, cum primam vocem Olafi, qvam supra retuli, excepisset, abjecto idolo, Christianum se futurum voverat, si victoriâ potiretur. *Chronica* qvidem hæc compendii studio, suo more, ut plurima alia, prætereunt; monumenta tamen alia, eaqve secutus *Arngrimus Crymogeæ Lib: 1 cap: x.* accuratè memorant. Et jam exiguo tempore plurimi fortissimi viri a multitudine superati occubuerunt, uterqve Regius affinis Thorgeir & Hirningus, Vikar de Tiundalandia, Ulfus Rufus, Endridius Pansa, Thorsteinus Hvitius, Thorsteinus Skelkus, Ivar Liomius, cum multis aliis strenuis viris, si unqvam alias, hac præsertim pugna immortalem nominis sui memoriam, exemplumqve fidei & fortitudinis, posteritati relinqventibus. Kolbeinus Stallarius proram defenderat: is, pio magis an animoso consilio, vestem armaturamqve, in similitudinem ejus, qvam Rex gestabat, formatam eo die induit, ut, qvi cæterà, formâ videlicet & statura, Regem penè referebat, habitu qvoq; deceptos hostes ab eo in se averteret, si id suprema necessitas posceret. Cum autem in loco Fyrirrum/fervente pugna, fortissimus qvisqve occumberet, in puppim se ad Regem recepit, cum tantus telorum nimbus eos obrueret, ut utriusqve clypei telis undiqve cooperti aggravarentur. Cumqve milites eò certatim confluerent, tradit *Codex Flat:* consentiente *Oddo Monacho*, visam repentinam lucem clariorem, qvám pro captu oculorum, Regi circumfusam, qva evanescente, oculis subductum disparuisse. *Chronica* aliter & magis ad fidem; tantam enim multitudinem hostium navem conscendisse referunt, qvantam capere poterat; circumsessam autem undiqve â navibus Comitis, nec jam, deficientibus propugnatoribus, fortissimo qvolibet cæso, ultra resisti potuisse; tum verò Regem ab alio, Kolbeinum autem ab alio latere præcipites se in mare dedisse. Armatos autem, qvi lembis latera undiqvaqve cingentibus vehebantur, gladiis hastisqve ruentes in undas singulos enecâsse. Regem autem, cum comprehendendus Comitiqve sistendus qværeretur, in undas prosiliisse, clypeoqve, ne urinandi oportunitatem impediret, supra corpus levato, aqvis subitò immersum manus eorum evasisse; Kolbeinum vero, suo muniendo ventri ab ictibus eorum adhibito, prius captum qvàm absorberetur, statimqve a militibus, Regem se cepisse ratis, ad Comitem deductum errore cognito vita donatum. Hanc *Chronicorum* narrationem *Codex Flat:* Snorrio tribuit, invicto argumento, ipsum Chronica, qvæ supersunt, conscripsisse. His variantibus narrationibus etiam Kolbeini testimonium subjungit. Visum namqve sibi, cum in puppim se proripuisset, Regi jaculis Comitem impetenti sangvinem subter loricam manasse, eumqve paulo post, cum armatura integra, se in mare projecisse, se vero, cognito captam esse navem, parum exterritum, cum Regem non amplius vidisset, relicto clypeo, ab eodem latere, qvô Rex prius, in undas delilisse, incidisse autem in clypeum elegantem, eundem, qvem Regem eodem die gestantem viderat, observatumqve sibi virum subtus lentè natantem, incidentis pondere gravatum, eum deseruisse, se vero eodem prope momento in hostilem lembum retractum, proqve Rege agnitum ad Comitem deductum vita benignè donatum, postqvam constitit, se Regii fastigii exsortem esse.

Regis exemplo complures alii in undas se præcipites dederunt, qvorum

rum postremus fuit frater Regis uterinus Thorkell Nefia, qvem fidelissimè Regem propugnâsse, fortissimeqve pugnâsse, Hallfredus testatur. Ad proximum deinde litus enatans, inter alios victoris Eirici Comitis clementiam expertus mortis periculum evasit. Sex præter Kolbeinum Stallarium numerantur inter natandum intercepti servatiqve; Einar nempe Thambarskelfir, Thrandus Skialgius, Augmundus Sandius, Thorsteinus Tauripes, Biornus de Studla, & Asbiornus de Mosture.

Comes Sigvaldius, qvi inter bellandum, velut otiosus spectator, neutri partium auxilia præbuit, ut primùm excessu Regis indicem victoriæ clamorem remisqve pulsati maris sonitum percepit, mox cum suis ad locum pugnæ contendit. Verùm navis illa Vandalica, qvæ bis eo die Regem accesserat, militesqve Astridis (alii dicunt ipsam Astridem) vexerat, qvàm ocissimè sublatis anchoris Vandaliam citato cursu repetivit; statimqve fama tulit, sub undis Regem loricam exuisse, urinâsseqve, qvoad classis hostilis spatium emensus esset: inde nando ad illam pervenisse, ibiqve susceptum, iterumqve in Vandaliam transvectum. *Snorrius* etiam *Sturlæus* tradit multa de itineribus ejus postmodum sparsa, nobis mox enarranda. Nitebatur autem fama ista relationibus eorum, qvi è prælio evaserunt; tum etiam qvòd inter mortuos nusqvam inventus esset. Suspectæ verò tales relationes Hallfredo poetæ fuerunt, ubiqve terrarum eum, si vivum novisset, qvæsituro: cujus carmina hac de re etiamnum extant. Verùm *Codex Flat*: qvi undiqve conqvisitis argumentis eum evasisse contendit, Hallfredum primam relationem secutum cum carmen pangeret, postea autem, cum certior de itineribus Regis rumor increbresceret, dubitationem ei exemptam tradit: maximè autem poetam doluisse, qvòd prælio cum Rege non interfuisset. Tanto etiam mærore afflictum *compendium* perhibet, ut postea valetudinem pristinam nunqvam recuperaverit.

Gestum est bellum hoc, non, ut vult *Adamus Bremensis*, in freto Sundico, sed ad insulam Svoldurem, fortè prope Gripsvoldiam, ut *Arngrimus* interpretatur. (*Saxo* etiam in Valdemaro Primo Svoldensis portûs meminit) V. Idus Septembris, qvod in diem mensis ejus nonum incidit, die, qvi seqvitur festum nativitatis Divæ virginis, anni millesimi. Interqve septentrionalia celeberrima illud numeratur; partim ob defensionem, exemplo carentem, tam paucorum adversus tantam multitudinem, non ex ignavis, sed fortissimis, gentibus conflatam; partim ob Eirici Comitis strenuam oppugnationem, mutuæq; cladis immensa damna, expugnationemq; navis illius, qvam aperto mari inexpugnabilem, tantis præsertim athletis propugnatam, omnes existimârunt; maximè autem ob partam de tanto Rege victoriam, qvi omnium Danicæ lingvæ consortium eo seculo celeberrimus habitus est, *Compendio* & *Codice Flat*: id pariter attestantibus: cui parem nunqvam deinceps in Norvegia nasciturum omnium opinionem fuisse Hallfredus carmine testatur. Tantoqve eum omnium favore polluisse *Compendium* addit, ut plurima pars hominum sermones & colloqvia sua in ejus honorem direxerint, nec sibi persvaderi voluerint, eum sub undis suffocatum; sed vel in Vandalia, vel Germania, superstitem vivere.

CAP. XLVII.

EXEMPLA QVÆDAM INGENTIS LUCTUS EX ORBITATE REGIS CONTRACTI.

EXpugnata jam Regia nave, cum a cædibus cessatum esset, navisqve elatis cadaveribus purgata, Regina Thyra ex inferioribus partibus deducta Comiti sistebatur, admodum, ut par erat, mœsta, propemodumqve confecta. Illam cùm maximis promissis solari conatus esset, nihil ei præter gratiarum actionem ob summam humanitatem expresſit: *velle qvidem se, non vero posse, vivere*, respondit, *nimio qvippe angore correptam*; nec verbis fides defuit, nam cum cibi potusqve impatiens esset, a Sigurdo Episcopo qvæsivit, *qvibus alimentis permissum esset homini vitam parcissimè sustentare*? qvæ cum ille præscripsisset, præceptis ejus obediens post diem nonum exspiravit. Fæminam superbissimam *Adamus Brem*; nostrates piisſimam, simulq; etiam pertinacissimam, tradunt. Certè marito sibiqve, totiqve adeo Regno, exitiosa fuit, documento posteris, & præsertim Principibus, qvàm periculosum sit prudentibus consiliis consiliariisqve mulierum cupiditates præferre. Nec Reginam solam mortiferus luctus, nec Hallfredum lenta tabes absumpsit; nam & Stefner ille Islandus, qvi ad Evangelium in patria annunciandum primus a Rege missus erat, cum inter eos esset, qvi levioribus evecti navigiis imminentis periculi securi Regem præcesserant, cognito Regis fato, immenso dolore pressus, non ultra sustinuit in Norvegia vitam transigere: itaqve Romam petebat, peccatorum absolutionem impetraturus. In reditu autem in Daniam, & qvidem ditionem Comitis Sigvaldii, delatus, non poterat sibi temperare, qvin probrosum carmen in Comitem jactaret, qvô ex aqvilino naso proditorem, nomine tamen suppresso, descripsit, *eum qui Svenum Daniæ Regem Regno extulisset, Olafumque Tryggvinum prodidisset. Oddus Monachus* ita latinè reddidit. *Nec nominabo, penè monstrabo; curvus est deorsum nasus in apostata, qui Svein Regem de terra seduxit, & filium Tryggva traxit in dolo.* Qvod ut Comiti relatum est, se propriis coloribus delineatum sentiens morte eum multavit. Hunc exitum Stefnir, a fidei amorisqve in Regem constantia, qvàm prudentia commendatior, habuit. Atqve his luctus & mæror ingens mortem attulit. Complures tamen alii fuerunt, qvi fato Regis magnopere afficiebantur, maximè tamen sororius ejus Erlingus Skialgius, licèt postremò amicitiæ fædera cum Comitibus iniret, ut suo loco dicetur. Nec intrà homines luctus tantùm constitit. Canis qvippe Regis Vigius in loco ante mediam navem (Fyrirum) durante bello & deinceps jacuit, qvoad Comes, qvi Draconem postea gubernabat, in Vikam perveniret. Tum demum Einar Thambaskelfir eum accedens his verbis affatus est. *Domino jam, Vigi, orbati sumus*; qvibus verbis tanqvam cordolio affectus ilico exsilivit, inqve terram Einarem secutus, colle qvodam ascenso, ibi recubavit, nullasqve escas, licèt appositas, admisit; ab iis tamen canes alitesqve alios arcebat, donec inedia confectus moreretur. Speciem etiam qvandam luctûs navis ipsa præbuisse traditur, qvæ deinceps gubernatori inobediens in aliud semper latus inclinâsset: ideoqve ut inutilem Comes exscindi curavit. Atqve hoc modo vaticinium senis illius cæci Mosturensis qvatuor harum rerum jacturâ impletum est.

CAP.

CAP. XLVIII.

DE RELATIONIBUS ASTRIDIS ALIORUMQVE, QVI ITINERIS OLAFI CONTEXTUM, POSTQVAM PRÆLIO EVASERAT, EXHIBENT.

NE vero lateant relationes, qvæ Regem a prælio evasisse arguunt, sive rationes, qvibus eæ innituntur, visum est eas relatu *Codicis Flat*: sed compendiosiùs, exseqvi. Refert namqve, postqvam natando ad lembum Vandalicum enixus esset, duobus vulneribus magnis, pluribus autem levioribus, saucium conspectum: aliud ictu lapidis capiti, reliqvum sagittâ brachio impactum: prius Einar Thambaskelfer indicio sangvinis in genas defluentis, alterum Kolbeinus Stallarius observavit, ut dictum est. Astridis curâ sanitati restitutus a pluribus cognitus traditur. Plurimorum potentiorum auxilia opesqve ad restitutionem in Regnum oblata abnuisse fertur, causatus, *vereri se, ne qvid in regimine suo Deo displicuerit; nec filios suos spirituales bello a se impeti salvâ conscientiâ posse.* Possessiones deinde dotales Astridis in Vandalia opimas, pari liberalitate ab illa ad sustentationem oblatas, eas nimirum, qvi imperio Sigvaldii exemptæ erant, recusâsse, nec persvaderi potuisse, ut viatico se instrui pateretur ad invisendum Angliæ Regem Adalradum, seu Ethelredum, amicum intimum, â qvo qvicqvid expeteret, facilè obtinere posset. Solam conditionem Romam adeundi placuisse. Astridem igitur cum tredecim eqvitibus eum ad fluenta usqve Rheni deduxisse, subqve discessum pondere argenti, qvantum eqvô vehi posset, rerumqve pretiosarum magna vi donâsse, éqve comitibus qvinqve sibi reservâsse, reliqvis octo ei ad itineris comitatum relictis. His stipatum Romam profectum peregrinorum magnæ turbæ undiqve confluentis interpretem egisse, mercatoris Norvegici specie tituloqve. Nec Astridis relatio ulteriùs extenditur, qvàm cum ad Pontificem Romanum perventum esset. Deinde mari transmisso Hierosolymas petivisse traditur, Patriarchamqve & urbis illius, seu potius regionis, Regem (qvinam ille id temporis sub imperio Turcarum fuerit, non exprimitur; & haut scio, an Judéæ peculiaris aliqvis Rex constitutus fuerit) adivisse, magnaqve ab iis benevolentia exceptus, utpote morum gravitate, virtutumqve Regiarum decore, formâ etiam & corporis statura valde comendabilis: oblatam autem ab iis, cognito Regem esse, amplam ditionem modestè recusâsse, triaq; tantùm castella largitionibus eorum accepisse fertur, qvæ sub habitu monachali rexerit. Mihi qvidem Patriarchæ illius cum Rege isto, tam potentiæ, qvàm religionis (ut hinc apparet) comunio consensusqve planè suspecta sunt. Hæc tamen in vulgus sparsa Codex laudatus notat, relataqve perhibet per Anglos è terra sancta reduces, qvi qvinto post Svoldrense bellum anno peregrinationem istam susceperint, qvibus ipse librum, vitam suam cum septem aliorum sanctorum virorum descriptionibus continentem, Regi Edelredo deferendum tradiderit, ubi hæc omnia accuratè tradita sint; adjicitqve, biduo cum Astride & Dixino, uxoris suæ Geiræ a consiliis, mansisse in civitate Bustensi (Buttaborg habent: meminit etiam illius Knitlinga saga, dum eam a Valdemaro Primo Daniæ

Rege obsessam refert: prope Julinum sita videtur) ibiqve consilia inter eos agitata. Eodem tempore in Norvegiam alius qvidam vir (cujus nomen non extat) prudens venisse traditur, qvi se ab Olafo Tryggvino, in monasterio qvodam trans Mare Mediterraneum degente, ad Erlingum Skialgium missum professus est. Dicta autem cultro & cingulo ab eo sorori suæ Astridi misso probavit; qvæ illa Regi qvondam possessa agnovit.

CAP. XLIX.

DE RELATIONE GAUTII CUJUSDAM, QVI ANTEDICTA CONFIRMAT.

Confirmat hæc asserta relatio cujusdam Norvegi, nomine Gautii, qvi anno a conflictu Svoldrensi qvadragesimo septimo, Magno Bono & Haraldo Imperioso simul regnantibus, Romam petebat. Is cum Coloniam, Germaniæ celebre oppidum, appulisset, obvium habuit veterem qvendam amicum sibiq; cognominem, Gautium qvoqve dictum, Româ redeuntem: â qvo cum pecuniam mutuare gestiret, non modò impetravit, sed etiam facilem ad omnia humanitatis familiaritatisqve officia sibi exhibenda deprehendit. Inter cætera se eum Romam, & deinde qvocunqve libuerit, comitaturum pollicitus est. Romam cum deduxisset, terram sanctam simul petebant. Libuit inde Ægyptum invisere. In eo itinere in solitudinibus cum erratum esset, correptus morbo Gautius, is qvi comitem se præbuit, decessit. Solus itaqve deserta pererrans Gautius, in reditu labore fameqve propemodum enectus, in magnum flumen incidit, ad cujus ulteriorem ripam monasterium ingens animadvertit, transitu autem defectu pontis navigiiqve interclusus cum ripam diutiùs, sed frustra, legisset, exhaustus labore fameqve, in terram cum se conjecisset, somno sopitus est propè tertiam diei horam. Vidit autem per qvietem accedentem se virum, increpantemqve, qvod nimis securè dormiret, hortantem autem, ut exsurgens ad ripam tenderet, scapham ibi reperturum. Expergefactus speciem viri illius, cum primùm oculos aperiret, recedentis, conspicere sibi visus est: cætera somno responderunt, inventaqve ad ripam scapha fluvio transmisso Monasterium petebat. In via autem incidit in domum lapideam affabrè exstructam; intra ejus parietes virum canicie venerandum, similem ei, qvi ipsi in somno apparuit, conspicatus, qvi in genua procumbens precibus vacabat. Is cum surrexisset, Gautium accedens intra limina domus recepit, lingvaqve Danica compellans, *qvinam esset, qvòve tenderet*? qvæsivit. Cognitô autem, Norvegum esse, qvàm amicissime eum excipiens, osculo etiam dignatus est. Sciscitatus deinde de Principibus Norvegiæ, Comitibus nimirum Eirico & Sveno, utrosqve mortuos accepit. De Erlingo deinde Skialgio ejusqve uxore qvæstio instituta, cum fatum ejus gestaqve cum Sancto Olafo cognovisset, cæpit qvoqve de eo sciscitari. Vt verò mortuum accepit, succesisseqve ei Svenum Alfifæ filium, qvi Tryggvium Olafi Tryggvini filium magno prælio, cum patrium regnum repeteret, devicisset, morteqve multâsset, majorem in modum contristari visus est. Deinde qvæsivit, *qvinam jam sceptra Norvegiæ teneret*? responsum, *Magnum Olafum annos duodecim solum, præsentem autem decimum tertium,*

tium, unà cum patruo ſuo Haraldo, in ſocietatem imperii recepto, regnare. His adjecit, *an ulla apud Norvegos Olafi Tryggvini memoria reſtaret?* *celeberrimam quidem eam ad omnem poſteritatem,* reſpondit, *maxime autem ob propagatam Chriſtianam religionem. Quid autem de exitu vitæ ejus fama ferret?* cum qværeret, *variare hominum opiniones,* reſpondit; *alios enim ſub undis multis vulneribus confoſſum armatura gravem ſuffocatum exiſtimare*; mox ſubtriſtior *haut veroſimilem conjecturam,* reſpondit, *æſtimantium, undis ſe commiſſurum, ſi ſe tam ægrum ſauciumque cognoſceret, ne elabendi via ſupereſſet, metuque tanto exſternatum, ut hoc mortis genere perire præoptâſſet; haut autem tanto robore agilitateque fuiſſe, ut prædicabatur, ſi vel lorica vel arma obſtitura fuiſſent, quominus ea ſub undis exuere abjicereque licuerit.* Plures autem opiniones depromere jusſit. *Eſſe,* reſpondit, *qui Divina virtute per conſpectam lucem ſublatum, aut in locum aliquem translatum arbitrarentur,* illam conjecturam ut vanam ſenex redarguit, *quòd Olafus tanto honore indignus fuerit, qui licet quædam bona operatus, pluribus tamen peccatis obnoxius fuerit.* Plures adhuc conjecturas reqvirenti retulit, *eſſe etiam, qui ad lembum Vandalicum, qui non procul a nave Regia ad anchoram ſtetit, enatâſſe, exceptumque evaſiſſe. Id autem a vero haut abludere* reſpondit; *etiam ad ſe in Orientem famam harum rerum perveniſſe. Conſtare etiam, quòd Olafus ad hoc, quod præſens eſſet, tempus, propemodum quinquaginta annos a Svoldrenſi conflictu vitam protraxerit. An vero Einar Thambaskelfir viveret?* reqvirenti reſpondit Gautius, *inter Proceres totius Thrandiæ primarium eſſe, ingenti Regis Magni gratiâ ſublatum; duxiſſe autem Bergliotem Haconis Comitis filiam, prædiumque Gimſas inhabitare. Enimvero,* reſpondit ſenex, *eum acerrime in Dracone Longo illa ætatula pugnantem vidi; æquabat enim unumquemque athletarum Regiorum celeberrimum.* Qvô auditô, Gautius eum intentis oculis contemplatus, notaqve referentem obſervans; *dic,* inqvit, *mihi, ſi tu Rex Olafus es. Haut equidem,* regeſſit, *Majeſtatem nomenve Regium mihi tribuo;* Qvô dictô campana ſonuit ad preces veſpertinas ſignô datô, exſurgensqve ſenex, eò protinus, ut primum ſignum intonuit, accesſit: per univerſam autem viam, qvæ ad templum ducebat, eum ad latus incedentem allocutus eſt. De ſtatu Proceribusqve Norvegiæ ſermo omnis inſtitutus. Tanta autem proceritate erat, ut humerotenus, tum ipſe, tum omnes, qvi in monaſterio procerrimi erant, eum attingerent, tunicâ habitum monachalem tegente. Tum Monachorum omnis cohors magna veneratione exſpectabant, nec prius ſacris operari exorſi, qvàm accesſiſſet, inſerviebantqve cuncti, & ut Regi obediebant. Finitis precibus Oeconomo imperavit, ut curam peregrini ageret, id qvod ille ſollicitè exſecutus, balneo ablututum nova veſte induit. Poſtridie, finitis ſacris, cum templo ſenex egrederetur, Gautio arcesſito, ſalutem ſuam Einari Thambaſkelferi deferri mandavit, cum hoc elogio, *quòd nemo eo fortiùs in conflictu Svoldrenſi pugnaverit.* In fidem autem dictis firmandam gladium & baltheum ſui generis præclara ei miſit: oeconomus autem in hoſpitium eum deduxit. A meridie autem ad domum magni iſtius viri accesſit, uberius, qvinam eſſet, exploraturus, qvam tunc occluſam deprehendit. Seqventi autem die abivit, ducesqve itineris interpretesqve transmare usqve in Græciam, mandato ſenis illius magni, eum deduxerunt. Inde rectà in Norvegiam tendens, Einari iſthæc ordine retulit, qvi ut munera accepit, lachrymis obortis, Olafum eum Tryggvinum, carum ſibi Regem, allocutum aſſeveraverit.

Hanc relationem Teitum Asgeiris filium, virum memorabilem ſapien-

pientemqve, ab ore Thorarini Thorvaldi filii, iſtum autem ab ipſo minare Thambaſkelfere excepiſſe *Codex Flat*: teſtatur. Allatis teſtimoniis accedit Ormus Thorlioti filius, vir Orcadenſis, exiſtimationis haut vulgaris, fideiqve opinione conſpicuus, qvi in Dyrneſia habitavit, tempore Sancti Edvardi Confeſſoris: teſtatur autem, audiviſſe ſe hæc eadem, qvæ hic tradita ſunt, de pugna Svoldrenſi, effugioqve Regis, e libro, qvem Hieroſolymis patri ſuo Ethelredo Olafus ipſe Tryggvinus miſerat, Edvardum Regem Proceribus ſuis recitantem, referentemqve, Monaſterium qvoddam Syriæ incoluiſſe Olafum ad id uſqve tempus; tum vero ejus obitum per certos internuncios Syriâ in Angliam redeuntes cognitum Regem promulgâſſe. Qvod ſi ita erit, admodum ſenem eum excesſiſſe oportet, cum circa annum qvadrageſimum ſecundum poſt milleſimum Edvardus Angliæ ſceptra capesſiverit, ſi, ut vulgò ſtatuunt, anno CMLXIX natus eſt, LXXIII anni interfluxerunt ætati ejus adſcribendi: ſin ex noſtra opinione annus CMLVI ei natalis eſt, annorum LXXXVI fuerit, cum Edvardus regnare cæpit. Sed nec conſtat, an primo Regni ſui anno hæc de eo narraverit.

CAP. L.

CONTINENS REGIS ELOGIUM.

DE his, qvæ jam expoſuimus, nobis certi qvid definire haut proclive eſt, qvippe a memoria noſtra tam remotis, Scriptoribus etiam iis, qvi proximo ſeculo vixerunt, dubiis & diſceptatis. Illud certè conſtat, fuiſſe Olafum tam corporis qvàm animi dotibus planè memorabilem, ſtaturâ excelſâ, ſed cujus modum exponere neqvimus, cum diruta ſit crux illa, qvæ in fiſſura rupis in univerſali Islandiæ foro ſtatuta erat, menſuram illius exhibens, ut ſupra dictum eſt, formæ decore venuſtateqve & vultûs Majeſtate illuſtrem & verendum, robore qvemvis robuſtisſimum ſuperante. Comâ fuit plana, albâ, albicantibus ſuperciliis, colore candido, oculis perqvam venuſtis, lætis, & illuſtribus. Haconi Adalſteini alumno per omnia ſimillimus, qvem proxime accedens, nec viribus tamen usqve adeo æqvâſſe traditur, ſuo licet tempore neminem toto Septentrione parem habuerit. Agilitatis incomparabilis, longo uſu acqviſitæ, multa teſtimonia, ſingularis tamen exempli notatum eſt, qvod in montem Smalſarhorn (inſulæ Brimangriæ in provincia Sunnfiordenſi diſtrictûs Bergenſis) pedibus enixus, clypeum ſuum in vertice rupis collocaverit. Item qvod aulicum ſuum, media in rupe pendulum, & qvo ſe verteret neſcium, ipſe ſub ala tanqvam conditum, velut in campo plano ſpatiatus, in tuta loca retulerit. Supra ordines remorum ſaltantem, tribus ſimul miſſilibus luſiſſe, ita ut unum ſemper, dum alia exciperentur, in aëre volaret; ſingulis etiam manibus pari agilitate uſum, hoſtem percusſiſſe, arma tractâſſe, duabusqve ſimul haſtis jaculatum conſtat. Nec animi virtutes minores erant, ut præſagam futurorum mentem, cujus varia exempla, omittram: hilaris ſemper & affabilis, ab omni faſtu immunis, ut qvi alloqvio ſuo omnes dignaretur; facetus etiam, ludisqve ſe ſubinde oblectare ſolitus: liberalis, & ſupra omnes ſui temporis

Reges

Reges magnificus, munera magna largiri, lauteqve veſtiri amabat, miro, qvoties navigaret, ventorum obſeqvio felix, bello ſemper interritus, exemploqve ſuo alios ad virtutem invitabat: in ira tamen valde ſævus, ut qvi inimicos & refractarios crudeliter affligeret, alios enim igne cremavit, alios ê præcipitio rupium dejecit, alios membris mutilavit, alios ferocibus canibus dilaniandos objecit. In his erat Sigurdus qvidam Islandus, qvi proretam Regis, popularem etiam ſuum, nomine Grimum, in Comitiis Islandiæ univerſalibus, in gratiam viri primarii, ſapientiæ opinione Geſto Oddleifio comparati, Thorkelis cognomine Trefilis, Raudabiorni filii, qvi prædium Svignaskard, mihi allodiali jure proprium, incolebat, qvòd ſe inter freqventem turbam collapſum, ab illo potisſimum protritum exiſtimaret, occidit. Mox a Grimi propinqvis in jus vocatus, exilio damnatus eſt; ope vero Thorkelis peregrinæ navi impoſitus in Norvegiam delatus, aliud ſibi nomen metu Regis impoſuit, qvo tamen commento vindictam haut effugit: relatum namqve Regi eſt, occiſum in Islandia proretam ſuum Grimum, & qvidem innocentem inermemqve, cubitum jam iturum, ab armato invaſore impetitum; interfectorem autem in qvadam nave, qvæ nuper appulſa eſſet, latere. Ad eam igitur navem ipſe Rex ſcapha vectus, interfectorem omnium primus ſagacitate ſua notavit, extractumqve vinculis condidit, foroqve judiciali ſtitit, veſteqve nudari jusſit, pronuncians canibus laniandum objiciendum.

Diſplicuit aulicis tam crudelis ſententia. Itaqve unus eorum mitigandam, vel omnino remittendam, aſſumpto interfectore in occiſi locum, qvòd eo nulla ex parte inferior videretur, cum ſuggesſiſſet, reſponſum reportavit, exemplum in eum memorabile ſtatuendum, qvo cæteri ab aulicorum ſuorum miniſtrorumqve, præſertim innocentium, cæde deterrerentur. Cumqve a tanto rigore revocari non poſſet, Epiſcopum aulicus accesſit, ejusqve pro damnato deprecationem poſtulavit; qvi cum eum ad Regem cum precibus ſuo nomine pro venia damnati deferendis remiſiſſet, obfirmatum in ſententiæ tam crudelis exſecutione Regis animum offendit; negabat enim Epiſcopum ſe melius viros inter ſe comparare poſſe: fortè qvod hunc in demortui locum, utpote nihilo viliorem, ſurrogari petiverit. Cumqve in nudatum veſte canes fruſtra incitâſſet, Vigium omnium ferocisſimum valde invitum immiſit, qvi unico morſu ventre dentibus aperto, reverſus ad Regis pedes ſe abjecit: qvo vulnere accepto, miſer ille globum hominum tranſiliens, exanimis decidit. Majorem igitur in modum Epiſcopus Regem objurgans ad pænitentiam ſeriam lachrymis conteſtatam perduxit, qvam etiam ei publicè indixit; tanta autem moderatio facto tam crudeli ſuccesſit, ut nihil, qvod Epiſcopus injungeret, detrectaret. Severitate tali maximè in veneficos & Chriſtianiſmi turbatores, & qvos nulla ſpes ad agnitionem veritatis deducendos affulgebat, extremæ malitiæ homines, uſum tradunt, qvâ plurimum ad negotium Chriſtianiſmi promovendum profecerit; dum enim alii metu, alii amore ejus & gratiæ impetrandæ ſtudio accenſi, ſacra, qvæ imperabat, colunt, reſiſtentes autem vel tolluntur, vel crudeli ſupplicio afficiuntur, nullus, qvi ei obſiſtere poſſet, vel auderet, reſtabat. Atqve hoc modo crudelitas hæc excuſari poſſe viſa eſt, cum perſvaſum eſſet Regi, talia media ad conſeqvendum finem tam præclarum, & ſalutarem Dei gloriæ unicè dicatum, licita eſſe & neceſſaria, imo &

Deo acceptissima. Qvicqvid autem exorbitavit, certè immenso Dei amore flagrâsse constat, cujus fiduciâ rectèqve factorum conscientiâ certamen tam impar detrectare non sustinuit, victoriam meritorum fiduciâ animo forsitan temerè complexus. In consangvineos qva fuerit pietate, amicos fide & constantia, liberalitate & benevolentia, subditos clementiâ & bonitate, atqve adeo in omne genus humanum propensione, affatim ex iis, qvæ memoravimus, constat. Iracundia & temeritas in Reginam Sigridem Imperiosam, licet propinqvi sui Haraldi Grænskii cæde malè promeritam, excusari non potest, cum injuria illa offensaqve superveniente reconciliatione sopita fuerit. Verum qvantis, qvæso, noxa illa meritis, culpa gloriosissimis facinoribus, repensa est? Malè igitur Adamus Bremensis, & eum secutus Saxo, eorumqve asseclæ, traducunt optimum & Regem & virum, qvorum convitia hæc nostra legenti vanitatis satis convicta qvin appareant, non est qvod dubitem. Consimiliter Sverrir Norvegiæ Rex â *Gvilhelmo Neübricensi*, imo longe magis, vituperatur, qvi tamen Scriptori anonymo, de profectione Danorum in terram Sanctam circa annum Christi MCLXXXVII suscepta amplissimis laudibus celebratur. Verum *Claudium Lyschandrum* longè aliter de Olafo Tryggvino sensisse, testis erit ipsius Gronlandia, metricè sermone Danico edita, ubi eum Sancti, vel Divi, titulo ornat, procul dubio testimonio aliqvo suffultus, qvo in sanctorum numerum relatum suspicari licet; qvamvis id mihi videre nondum contigerit. Eqvidem maximam fidem meretur ipsius Edvardi Confessoris Angliæ Regis sanctissimi authoritas & testimonium, qvem *Codex Flat:* testatur qvolibet die Paschatos ipsius vitam proceribus suis recitare consveviffe, rationemqve facti eam attulisse, qvòd perinde ac feria Resurrectionis Dominicæ memoriæ dicata alias anni dies præstet, sic Olafum magnam partem alios Reges antecelluisse. *Gunnlaugus Monachus*, qvi vitam ejus in Latinum sermonem transtulisse perhibetur, *Oddus* etiam *Monachus*, qvi eam idiomate patrio conscripsit, Norvegiæ & subjectarum provinciarum Apostolum eum haut inscitè nuncupant.

CAP. LI.

DE IIS, EQVORUM TRADITIONIBUS HISTORIA HÆC CONSCRIPTA SIT, UT ET DE SIGURDO EPISCOPO.

Hi iidem Monachi hanc historiam ex relationibus horum virorum concinnâsse se profitentur, Gelleris nimirum Thorgilsis, Asgrimi Vestlidini, Biarnii Bergthoreris, ut et harum fæminarum, Arngunnis Arnoridis, Herdisis Dadinæ, & Thorgerdis Thorsteiniæ. Postqvam autem vitam Regis Gunnlaugus conscripserat, censuræ viri Polyhistoris Gissuris Hialtii eam se subjecisse, qvi totum biennium apud se detinuerit, restitutam autem ejus monitis se emendâsse perhibet. Mortuus autem est Gunnlaugus, monachus monasterii Thingeyrensis, in boreali Islandiæ parte siti, anno salutis MCCXIX; cujus scripta *Bryniolfus Svenonius* Islandiæ

landiæ

landiæ Auſtralis, Occidentalis & Orientalis qvadrantum Epiſcopus nuper celeberrimus, *in notis Stephanii in Saxonem*, intercidiſſe luget.

Gunnlaugus Monachus Epiſcopi regii res geſtas geſtis Regiis ſubjunxit: cujus authoritatem ſecuti hic etiam referendas duximus, licèt in Comitum tempora indicidant. Scribit enim, invitatum in Sveciam ab Olafo Rege poſt pugnam Svoldrenſem ad convertendos ethnicos conceſſiſſe. Ipſum primò Regem ſacro fonte abluiſſe, deinde proximo biennio totum regnum permeâſſe, idola deſtruxiſſe, multosqve ad veram Chriſti agnitionem deduxiſſe. Qvâ vero fide ſcriptores noſtri hæc à ſcriptoribus Svedicis diſſentientia, in primis Hunrodus Veſfrididis (eum, credo, Islandum, qvem curionem parœciæ Langadalenſis, Mobergii habitantem, poſtea memorabimus; qvi hæc in Islandiam ê Svecia retuliſſe fertur) tradant, non video. Etenim Sigfridum miſſum â Rege Angliæ Mildredo (aliis Ethelredo) amicitiæ fædere Veciæ Regi juncto, Epiſcopum Eboracenſem fuiſſe, poſtea Vexonienſem Epiſcopum factum, Olafum Regem baptizâſſe, Scriptores Svedici communiter multis, qvæ fidem faciunt, allatis rationibus aſſerunt. Et licet ſimilitudo nominum ſvadeat, Sigurdum hunc eundem eſſe Sigfridum, qvi Svecos converterat. Eboracenſem tamen Epiſcopum, vel, ut vult *Johannes Magnus*, Archiepiſcopum, & qvidem ab Ethelredo miſſum, qvo minus fidem mereatur, ea qvæ de hoc Sigurdo in aula Regia Norvegorum, atqve adeo per totam Norvegiam, geſta hucusq; fuſè ſcripta ſunt, penitus obſtant. Tertio anno Magnatum Regni pars ingens in Epiſcopum Sigurdum inſurrexiſſe ad idola & priſtinas abominationes relapſa memoratur. Sigtunas igitur, celebre id temporis oppidum Sveciæ, ſe contulit, graviqve oratione eos â cæpta veſania deterruit; in qva notandum, improperâſſe eum Svecis, qvòd graviter Chriſtianos ad locum Vegſior dictum perſecuti, magnum innocentium numerum trucidâſſent. Pietatis illius documentum armilla a Rege Olafo Tryggvino ei donata extitit, qvam in illius, ut chariſſimi Domini, memoriam, cum diutius ſervâſſet, palam teſtatus eſt, non eſſe ſibi inter homines alium magis ipſo Rege vel pariter dilectum, nec munus, qvod magis qvàm ipſius coleret; verum pænitere ſe, tantiſper ſibi ſoli reſervâſſe; eam itaqve in tres partes diviſam in redemptionem captivorum Chriſtianorum impendit, neqve enim meliùs collocari reſervatum, qvàm in illum uſum expenſum Regium donum potuiſſe exiſtimavit. In oppidum Bernd dictum, (nec, qva in regione, conſtat) ſenex conceſſiſſe, ibiqve piam & exemplarem vitam tranſegiſſe, tandem etiam finiiſſe, perhibetur. An vero Vernalium, vel Vernon, vel Vernonium, oppidorum Galliæ unum, hic intelligendum ſit, exprimere neqveo. Apoſtolicum concionatorem omnium Norvegorum ſcriptores noſtri eum ſalutant; neqve immeritò, cum in iis Chriſto lucrandis, cumqve Deo conciliandis, operam ſecundùm Regem maximam impenderit. Nec tamen conſtat, qvo genere, qvibus parentibus, qva patriâ ortus, qvos præceptores audiverit, nec qvo tempore Olafum Tryggvinum acceſſerit: ejus tamen ſororis filium Grimkelem Epiſcopum, qvi cum Divo Olafo Chriſtianam religionem poſtea maxime promovit, *Oddus Monachus* agnoſcit. Asgautus tertius Thrandiæ Epiſcopus Grimkelis ſimiliter ſororis filius fuit. Fuerunt autem conſobrini idem Asgautus & Jon, qvartus Thrandiæ Epiſcopus, & Ketill Kalfus, maritus Gunnhilldis, Sigurdi Sirii Reguli Hringarichiæ filiæ, cujus frater germa-

nus fuit Haraldus Imperioſus Norvegiæ Rex, uterinus autem Divus Olafus. In hac Epiſcoporum ſerie *Codex Flat:* qvi hunc ordinem ſeqvitur, a *Petro Claudio Undalino* diſſentit, qvi Jonem tertio loco, Asgautum autem ſeptimo, in hoc Epiſcoporum ordine collocat.

Hactenus itaqve res geſtas vitamqve Olafi Tryggvini Norvegiæ Regis, Principum ſui ſeculi, imò & omnium ferè temporum, ut piisſimi, ita celeberrimi, atqve etiam poſt fata glorioſisſimi, ductu Codicum, Authorumqve ſuprà citatorum fide, pertexuimus. Reliqva, qvæ ad hanc operis noſtri partem ſpectare forſitan videbantur, qvalia ſunt ſatellitum ejus præcipuorum, qvorum in hiſtoriis fit mentio, geſta, eorumqve fata, cum prolixiora ſint, qvàm ut vel hiſtoriæ contextui absqve perturbatione ordinis inſeri, vel intra appendicis menſuram contineri qveant, peculiari libro, eiqve proximè ſeqventi, reſervavimus.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS SECUNDÆ

LIBER DECIMUS,

ISLANDORUM QVORUNDAM, AULICORUM ET ATHLETARUM OLAFI TRYGGVINI, ADQVE VITAM EJUS SPECTANTIUM, GESTA COMPREHENDENS.

CAP. I.

DE THORSTEINO TAURIPEDE.

SECTIO I.

De nativitate & educatione Thorſteini, & qvæ in Islandia ei contigerunt.

MAter Thorſteini, nomine Oddnya, a nativitate ultra decimum filii ſui ætatis annum muta, verùm formâ eximiâ, fuiſſe perhibetur. Frater ei Thorkell Geiteris filius, de prædio orientalis Islandiæ qvadrantis Kroſſavika, ortus ex Thorere Procero e Vorſia, qvem inter primos Islandiæ cultores recenſuimus. Hanc Ivar Liomius, dum mercaturam exerceret, hoſpitio fratris receptus, ſtupravit; partumqve agnoſcere detrectans, in Norvegiam fratris perſecutionem, vento ad votum ſpirante, evadens rediit. Qvô magis exaſperatus Thorkell, omnem incitati animi rabiem in partum novellum vertens, eum, patre Geitere haut vanis præſagiis de for-

fortunâ infantis certiore, atqve ideo, ſed neqvicqvam, deprecante, exponi juſſit; id enim in egenorum liberos, licet vituperio non careret, per leges tamen licuit. Rei certè turpis triſte miniſterium ſervo Freiſteino Formoſo, Grimkelis de Vorſia Norvegiæ provincia filio, ejus, qvem Sockius prædo improviſum, ſubjectis domo facibus, incendit, invito & repugnanti mandatum eſt: fuit enim natura mitis, clarisqve natalibus ortus, ſed vi & injuria in hanc calamitatem delapſus, cum a Sockio in ſervitutem venderetur. Is infantem linteis involutum faſciis ſub arborum radicibus in loco a cæli injuria tutô expoſuit, lardiqve offam ori ingeſſit. Vicinus ruſticus, Krumus nomine, vir pauper, villam Krums holt dictam, ſed, cum *Codex Flat:* ſcriptus eſſet, agro vicino ſubjectam dirutamqve, a Krumo Priſco, qvem ê Vorſia in Islandiam migraſſe tradidimus, primitus occupatam, incoluit. Duxit enim genus ab illo per patrem Vemundum Ydam, avumqve Asbiornum, Krumi illius filium. Hujus junioris Krumi uxor Thorgunna nuncupabatur, Thorſteini filia, Veturlidii ejus, qvi primus tractum Borgarfiordum in orientali inſulæ qvadrante occupavit, neptis, Asbiorni celebris viri de prædio Beitſtadis in Norvegia proneptis, Olafi Langhalſii (ſeu longæ cervicis) abneptis, Biorni Reidarſidæ atneptis, mulier non tam formoſa, qvàm multiſcia. Poſt qvartiduum Krumus in ſylvam profectus, infantem delapſam ex ore offam vagitu reqvirentem invenit; gnarus autem, Oddnyæ filium eſſe, partim factum immite deteſtatus, partim etiam amicitiæ cum Thorkele intercedentis reſpectu domum eum retulit, ſuumq; ex uxore filium ſimulans, per univerſum ſeptennium (qvod creditu arduum) educavit, Thorſteiniqve nomen impoſuit, qvo qvidem tempore inſigni & ſupra ætatis captum robore tum Thorſteinus polluisſe traditur, adultis etiam comparandus. Fortè in Kroſſavikam qvodam die profectus, triclinium intravit, Geitere ſene in ſuperiore ſcamno, capite velato, qvædam admurmurante. Fortè in ipſo ingreſſu puer citato gradu ſe proripiens in medio pavimento collapſus, Oddnyæ lachrymas, ſeni cachynnum expreſſit; cui cauſam tanti riſûs ſciſcitanti: *Non eadem tuis, qvæ meis, oculis viſio objecta eſt*, reſpondit. *Ingredientem namque te pullus niveus urſi præceſſit, qvi me conſpecto, in medio pavimento conſiſtens, acceleranti tibi offendiculo fuit, unde non Krumi te & Thorgunnæ ſobolem, ſed majori genere ortum, colligo.* Monuitq; ut eò ſæpius accederet, occulto qvodam generis nexu invitante. Egredienti Oddnya veſtem novam donavit. Exinde puer ſæpius ſe eò conferebat: tandem Geitere procurante Oddnyæ filius, Krumo rem, ut geſta eſt, narravit, uxoreqve & Freiſteino prodentibus, agnitus eſt, Thorkeliq; avunculo in dies acceptior in domum ejus familiamqve aſcitus eſt.

Decimum annum agebat, cum avunculus eum ſecum ad oves ê montanis paſcuis deducendas autumnali tempore acciret; in reditu autem ſolo Freiſteino comitatus in vallem qvandam exitu diei incidit. Ibi tumulus ingens, ſub cujus radicibus per noctem ſe reqvieturum profeſſus, ſervum vigilare jubet, ſeriò cavens, ne ſe, qvantumvis inſomniis agitatum irreqvietumqve, excitaret, magni enim id ſuâ referre. Adulta nocte Thorſteinus vehementius inqvietari, exagitari, calceis ſimul & occipiti inſiſtere, terribilemqve ſui ſpeciem per reſiduam noctis partem diluculum usqve præbere. Inde magna ſollicitudo ſervo injecta, dubitanti, mandatum tam ſeverum exſeqvi, an excitando excedere, conducibilius eſſet. Tandem Thorſteinus, nullo interpellante, excitatus, multo ſudore perfuſus laudat Freyſteini jam altera vice ſibi præſtitam fidem, mercedem-

cedemqve impii mandati de se exponendo violati, nunc etiam præsentis fidei libertatem accepturum promisit; præsentemqve pecuniam, traditis duodecim selibris argenti, ei donavit: deniqve, qvæ somniaverit, exposuit. *Tumulus*, inqvit, *mihi aperiri visus est: inde vir statura magna, vultu non omnino truci, clamidem rubram amictus, egressus me nomine salutavit; ego quis ille esset, requirens responsum accepi, Bryniarem se vocari, nec sibi meum nomen aut familiam fataque prospera incognita: tumulum autem hunc se incolere: meque ad se domusque conditionem invisendam invitabat. Ego vero, assumpta securi, quam mihi avunculus Thorkeli donabat, ingredi visus sum. Intra tumulum domus egregiè instructa sedibus distingvebatur, ad dextrum latus undecim viri rubra veste induti, singuli tristes, considebant; ex adverso autem duodecim amictu cæruleo, aspectu torvo. Maximus inter eos cæteris asperior. Bryniar ad me conversus; hic, inquit, frater meus est, nomine Oddus, pluribus infensus, me tanto robustior, quanto statura major, socius iniqvus; me namque meosque famulos per vim adegit, ut singulis noctibus vel selibram auri, vel duas argenti, vel tantundem precii ei pendamus: id jam per integurm uensem tenuit, opesque nostræ exhauriuntur. Est ei aurum occulto raroque genio, quod linguæ mutorum subjectum impedimenta solvit, fandique vires conciliat: inde mater tua vocis sermonisque compos fieri poterit: id vero adeo sollicitè custodit, ut nec noctu nec interdiu deponat. His dictis ad suos se conferens, locum supremum occupavit, extremum autem inter eos tenere videbar. Post exiguam moram Bryniar descendens loco Oddum accedit, crassamque illi armillam auream offert; qua recepta, regredientem nec gratiarum actione nec voce dignatus est. Ejus exemplo reliqui omnes, oblatis donariis, sine ullo benevolentiæ signo recesserunt. Tandem Bryniar ad me conversus, cum te, inquit, nostro collegio immiscueris, nec te a pensionis onere liberum putato; visus ergo mihi securi armatus ad eum accedere, hisque verbis affari. Nec mihi, Odde, qvæ offeram, multa suppetunt, nec tu a paupere ultra ejus sortem exiges. Is scamno insidens tristi supercilio, præsentiam meam sibi neqvaquam probari respondit; qvicquid autem vellem, expromere jussit. Ego præter securim nihil mihi esse regessi, quam me porrigente cum extensa manu recepturus esset, brachium ei amputavi. Mox ingenti tumultu intra tumulum exorto, singulis arma supra capita pendentia raptim capientibus, infestis animis concursum est. Nec jam Bryniar Oddo brachio mutilato impar visus est; omnes tamen, qvi vestem cæruleam gerebant, alacriores videbantur: verum licet manus aut pedes, aut alia membra, mutuo sibi amputarent, actutum tamen integri prælium instaurabant; qvos autem ego vulnerabam aut occidebam, non restituebantur. Non igitur prius destiti, qvàm Oddum cum singulis complicibus occidissem: ipse autem vehementer fatigatus, â vulnere tamen immunis evasi, Bryniare cum suis me ab ictibus protegente. Occiso hoc conflictu Oddo, Bryniar ei aurum illud mirificæ natura detraxit, matremque ut eo sanarem, mandavit; actis deinde magno verborum apparatu gratiis marsupium mihi tradidit, duodecim illis argenti selebris grave, qvod tibi jam dedi; operam deinde meam, præstitumque sibi beneficium verbis extollens, jam se â jugo immani liberatum, totius tumuli possessorem factum asseverabat. Hoc autem facinus plurium præclarorum a me in posterum gerendorum auspicium præludiumque futurum: me enim magnum virum, aliisque ritibus, iisque melioribus, imbuendum, purioribusque sacris initiandum prædixit; ad qvæ sibi fratrique haut æquè facilis aditus pateat, qvippe hominibus terricolis, quàm iis, qvi ad ea creati sint. Adjecit præterea, novo me insuper, eoque ingenti, beneficio præsens cumulaturum, si filio meo nomen suum adaptarem;*

adaptarem, eumque sacro fonte abluendum curarem. Tumulo deinde me deducens; si, inqvit, vota mea qvicquam possunt, ut omnia tua acta in gloriam vertant, voveo: ingredique tumulum visus est.

Thorsteinus evigilans, crumenâ & auro locupletatus, domum regressus, avunculo rem, ut gesta est, enarrasse, matriqve usum lingvæ, auri beneficiô, statim ut lingvæ subjectum est, procurâsse perhibetur. Ab hac origine tumulus in valle, Jokulsdalo dicto, in hodiernum usqve diem a Bryniare denominatus extat, *Codice Flat*: testante. Hic ego lectorem qvemqve suo judicio abundare velim: cum tamen plura ejusmodi exempla, tam extra, qvàm intra patriam extent, hæc neutiqvam præterire volui. Receptissima etiam olim apud vulgus opinio fuit de geniis singulorum hominum familiaribus, certas animantium formas referentibus, qvemadmodum hìc de Thorsteini genio, pulli ursini formam repræsentante, traditur. Thorsteinus deinde Freisteino Formoso, jam libertate donato, matrem elocâsse traditur; qvi prædium Sandvikam in Bardznesia incoluit, districtusqve ad sinus Vidfiordum & Hellisfiordum possedit, interqve primos Islandiæ cultores deinde computatus est, fortè qvòd primus colonos eò deduxerit, qvod tamen longe post annum nongentesimũ trigesimum factum est; qvo tamen tempore universa insula colonis repleta fuisse dicitur.

SECTIO II.

De iis, qvæ inter Thorsteinum & Ivarem intervenerunt, & ejus conversione ad Christiana sacra.

ANnos duodecim natus erat Thorsteinus, cum e portu Gautavika, naviculario Asbiorno Kastanrassio, solveret. Discedenti ad assertionem generis annulum, qvem pater dederat, eidem monstrandum mater tradidit, procul dubio agnituro. Confectô itinere, ad aqvilonares Norvegiæ partes provectus, Styrkarem de Gymsis accessit, ibiqve hyemem transegit: cumqve se ea ætate robustissimis parem probâsset, aliisqve virtutibus tanto genere dignum, mox propensiorem ejus gratiam sibi conciliavit. Inter Styrkarem & Ivarem Liomium, ut cognatio, ita etiam magna necessitudo, conviviis subinde reculta, intercessit. Fortè etiam eadem hyeme Ivar per nuncios, qvorum præcipuus Biornus nuncupabatur, eum ad convivium Jolense invitabat; qvi triginta viris, & in his Thorsteino, comitatus eò profectus, magnificè exceptus est. Verum penultimo convivii die Thorsteinus Ivare accesso, annulum sibi a matre traditum ostendens, an ejus testimonium consensu qvoqve suo probaret? qvæsivit, relationis indicio testeqve confirmatum. Ut autem nomen matris annulumqve agnovit, rubore suffusus, irâqve turbidus, longe inferioris conditionis patrem ei obtigisse respondit: *satis in Islandia servorum ei procreando habilium: posse se exemplum in eum, nec id immeritò, statuere, quo nebulones absterriti dediscant se, meretrices etiam & prostibula sobolis suæ adulterinæ patrem ementiri.* His Thorsteinus valde, ut par erat, iratus, verbis tamen temperavit; minatus tantùm, *alio quidem tempore eum se accessurum, nec aliter quàm patrem professum aut occisum dimissurum.* Atqve his dictis dis-

disceſſit. Commotior inde Ivar Styrkarem ſollicitavit, *ut beſtiam illam è medio tolleret, ſtolidâ ferociâ inflatam; ad ſcelera quæque proclivem.* Abnuit Styrkar, *eo quòd neceſſitate evidenti adactus veram tantùm confesſionem efflagitaret; indolem enim juvenis haut obſcurum ortum, imò generoſum, prodere.* Inde non ſatis conſentientes, finito conviviô, ab invicem diſceſſerunt, Thorſteino Styrkarem domum ſecutô, ubi proximâ biennii morâ inter eum & Herdiſem Styrkaris ſororem amicitia coaluit. Inde in patriam redux, triennio apud avunculum tranſacto, deinde in Norvegiam cum nauclero Kolbeino Sneipere rediit; adqve Styrkarem profectus eſt, eodē anno, qvo Olafus Tryggvinus a Thrandis Rex conſtitutus eſt, qvôqve ille Styrkare comitatus memorata monſtra ſuſtulit. Ad Regem deinde in Hordiam profectus Chriſtianis ſacris, iisqve votivis, initiatus eſt. Ibi Ivarem Liomium tanto in honore apud Regem offendit, ut tertius ab eo menſæ diſcubitoriæ accumberet. Eum igitur, præſente Rege, ſtricto mucrone pectori adacto accedens, *aut*, inqvit, *hoc ipſo momento meum te patrem profitetor, aut imprimendum altiùs gladium excipe.* Tum Ivar, *talem filium me patre dignum agnoſco, matre quoque tantæ probitatis, ut mendacii eam inſimulare nefas ducam.* Atqve ita reconciliati ſunt.

Jam ea ſubjungam, licet ad hunc annum non pertineant, qvæ *Arngrimus* cōmemorat, *Codex* etiam *Flat*: refert; qva ſcilicet de cauſa Tauripedis cognomen conſecutus ſit. Ad certum enim annum ob Chronicorum cum Codice illo diſcrepantiam referre neqveo. *Arngrimi* verbis ex *Crymogææ Lib*: *II.* depromptis hæc referam:

SECTIO III.

Narratio de cauſa, unde Tauripedis nomen contraxit, Arngrimi verbis expoſita.

QVidam Harechus, inqvit, (fuit is inter Thrandiæ ſatrapas, prædiumqve Reime incoluit) *Thorſteinum interrogat, an qvempiam ſecum robore comparandum duceret, & an ipſum Regem? De aliis equidem neſcio, inqvit Thorſteinus; â Rege vero aliarum virtutum experientiâ magis qvàm roboris me ſuperatum iri ſat ſcio. Mox Harechus Thorſteini verba inverſa apud Regem detulit, ut qvi ſe cum Rege comparandum diceret. Rex id aliqvantiſper celare. Tandem in ſuorum conceſſu exorſus; nonne tempeſtivum tandem videtur, inqvit, qvid noſtrûm uterque poſſit, ego & is veſtrûm, qui ſe mecum comparandum duxit, experiri? An vero id de te, Thorſteine, fateris? Thorſteinus dictum negare, & Harechi inverſionem & dolum ingenuè corrigere, deinde addere. Cur autem, inquit, non retulit potius Regi benè candidus Harechus de tauro immani (villam enim Harechus habuit, ubi fortè jam Rex convivabatur) quem idoli loco furtivis cultibus obſervat & adorat. Harechus ilico taurum producere juſſus in vicinam ſylvam Regem abduxit & ſocios. Vident ſatis magnam boum copiam, inter quos tremendæ & inuſitatæ prorſus magnitudinis taurus, nec magnitudine ſolùm, ſed etiam voce & geſtu horribilis. Ibi Thorſteinus taurum a Rege comprehendere juſſus incredibile edit roboris ſpecimen. Etenim poſteriorum pedum alterô valida manu correptô, totam coxendicem â reliquo corpore avulſit; tauro ea vi retinente, ut an-*

teriores pedes genuum tenus terræ (forsitan ex parte limosæ) *infixos haberet. Placuit Regi mirum in modum incomparabile facinus, pronunciavitque Thorsteinum unius hominis robore nunquam vincendum fore. Sed & immanes aliquot in Norvegia Thorsteinus gigantes* (de qvibus supra retulimus) *confecit, solo adjutus consangvineo prædicto* (fecerat hujus priùs mentionē) *Styrkaro, qui prius sexaginta viros, contra se â Rege missos, deleverant, qvatuor exceptis. A tauri autem victoria Thorsteinus cognomen, Rege imponente, sortitus est Tauripes*, Oxafotr. Hactenus *Arngrimus*.

Cognito deinde, saltus Heidenses iterum a talibus monstris occupatos, evocatus a Styrkare, impetratâ Regis veniâ, ei se eò profecturo comitem denuo addidit. Ibi Skialdgerdis, qvæ prius in subterraneam cryptam confugiens saluti suæ consuluerat, jam Skeliungo sui generis marito nupta, auxilia qvædam conqvisiverat, qvæ tandem cum sociis omnibus, post acrem congressum ab iis superata, infelicem animam exhalavit. Opes victoriæ præmium, qvæ nullæ priori certamine finito inventæ sunt, (Has enim illa, dum conflictus duraret, abdiderat,) jam ingentes victoribus cesserunt, onustiqve spoliis Gimsas redibant, & tunc nuptias Thorsteinus cum Herdise Styrkaris sorore, fratre consentiente, celebravit. Ex ea filium procreâsse sunt qvi perhibent, eiqve subterranei amici Bryniaris nomen indidisse, cum sacra lympha tingendum curaret. Hic in satellitium Regis Olafi ascitus, ultimo bello navali, regno Norvegiæ, Rege amisso, fatali, interfuisse, eiqve strenuam operam præstitisse, ut in pugna Svoldrensi dictum est, perhibetur.

CAP. II.

CONTINENS VITAM HALLFREDI VANDRÆDA-SKALDI, SEU PERICULOSI POETÆ.

SECTIO I.

De progenitoribus Hallfredi, avo patreqve, & iis, qvæ illis in Norvegia evenerunt, occasioneqve petendi Islandiam.

HAcone Adalsteini alumno ad sceptra Norvegica sedente, avus Hallfredi Thorvaldus, cognomento Skiliandius, insulam Halogiæ Ylfviam incoluit; cujus filius Ottar apud vicinum Ingialdum cum filio ejus Avaldio enutritus est. Qvo tempore piratarum rabies, effusis licentiæ habenis, cives Norvegiæ passim infestavit, Eirici Blodoxii filiis, uxoreq; Gunnhilde, dum exularent, nunc per se, nunc per talium colluviem, inqvietantibus. In his erat Sockius qvidam prædo celebris, & eo nomine iis in paucis carus. Is nocte qvadam insulæ advectus, ilico domum Thorvaldi ferro flamaqve oppugnat; qvi improviso malo excitatus, ubi cognovit, qvo duce impeteretur, de tanta injuria expostulans, qværit, qvo suo merito id fiat? cui Sockius respondit, piratas causas non considerare erepti vi-

vis

vis opes tantùm qværi. Atqve ita Thorvaldus, cum qvindecim domesticis, præcluso exitu cum ædibus & ipse confligravit. Pars evasisse traditur, an vero inter illos uxor Thorgerdis Hallfredi filia, aut filius alter Thorkell Silfrius, extra conjugium natus, sed nec an cladi interfuerit, exprimitur. Sed cum hac præda nec satiaretur grassatorum fames, pars scelestæ factionis ad vicini Ingialdi domum conversa faces ei subjecit: cumqve omnis elabendi via obsessa teneretur, Ottar & Avaldius pueri per abditas fores ab eo in spem vindictæ emissi evaserunt; qvi ad pauperem rusticum in eadem insula elapsi, nocte eadem in continentem transvecti sunt. Nacti opportunitatem ad australiores regni partes comeandi, â nautis, qvi halices vehebant, recepti, vecturæ mercedem panificio pensabant, donec ad sinū Sognensem pervenerunt: ibi relictis nautis ad Galtium Ottaris avunculum profecti, genere nominibusqve dissimulatis, ædes ingressi, prope fores super stramenta considebant. Mox a Galtio ex facie, familiæ notas repræsentante, agniti, honestiore loco applicabantur, ibiqve septem aut octo annos, ad annum Regi Haconi Adalsteini alumno fatalem, permanserunt. Succedebant filii Blodoxii, a matre communiter Gunnhildidæ denominati, qvorum sævitiam veritus Galtius, ut nepotibus, qvantumvis innoxiis, & injuriâ tantùm oppressis, tamen qvòd prædo eorum flagranti gratia polleret, ulterius eis receptum præstare minimè audebat. Svasit igitur, ut, cum eorum discessu sibi securitas esset redimenda, Angliam peterent, ibiqve negotiarentur; traditoqve thesauro, qvem ê pretio agrorum eorum, qvos vendiderat, congessit, amicè eos dimisit, auguratus, Ottarem eorum majorem futurum. Cum triennium in Anglia mercaturis faciendis rem fecissent, in Orcades trajecerunt, ubi Ottarem cupido fortunarum suarum sedem in Islandia collocandi incessit. Invitabant tum magnorum virorum exempla, tum rerum necessariarum facilis acqvisitio, præcipuè autem libertatis illecebræ. Igitur empto navigio, destinato itineri idoneo, Ottar socium monet, *opes quidem ex animi sententia congestas suppetere, minimè verò tantam existimationem, ut inter strenuos viros haberi possint, inultis patribus*. Ad Sockium igitur inqvirendum conversi, eum cum fratre Sotio in statione qvadam deprehendunt, adeo de salute sua anxium, ut qvadraginta satellitum excubiis cubile sepserit, nec per vesperas nisi prælato lumine, haut minus tricenis comitatus, egrederetur. De his edocti, cuniculis de nocte ad cubiculum, loco a custodibus averso, actis, in conclave enixi, eum cum fratre Sotio improvisos occiderunt, perqve eandem fossam ad scapham redeuntes, inde ad navem, mox in Islandiam, navigârunt, frendente Regina Gunnhilde, qvòd nec de authoribus cædis, nec viâ ad vindictam exseqvendam, qvicqvam sibi constaret. In ostium fluvii Blandæ, borealis Islandiæ qvadrantis, tunc qvidem coloniis repleti, cum pervenissent, Ottar navem prædio Grimstungis curiæ Vatzdalensis permutavit. Avaldius hyeme apud eum transactâ villam Knukum ibidem coemit, duxitqve uxorem Hildem, Eyvindi Sörqveris filiam, inde nata filia Kolfinna venusta virgo & compta, colendæqve cuti plus nimium dedita. Ottari autem nupsit Asdis, Olafi de Haukagili opulenti viri filia. Mater illi Thorhalla, Einaris Senis filia. Ex hoc conjugio tres Ottari liberi fuerunt, filii duo, Hallfredus hic noster, & Galtius, filiaqve Valgerdis, omnes ejusdem & plurium aliarum curiarum virgines formâ superans. Hallfredus apud avum maternum in Haukagile educabatur, maturè statura roboreqve insignis, facie decora viriliq;, naso licet turpiore, capillo puniceo crispo, ingenio varius, cum adolesceret; pöeta etiā in tenellâ ætate felicissimus, plerūq tamen satyricus pluribusq; invisus.

SECTIO II.

De controversiis Ottaris cum Ingolfo, & Hallfredi cum Grise.

EO tempore Thorsteinus Ingimundi illius filius, Thorsteini nepos, de qvo Partis hujus Lib: II. pluribus egimus, tractûs illius tribunatum gessit, vir etiam vicinorum curionum facilè princeps, morum præterea amænitate integritateq; omnibus acceptus. Filios habuit duos, Gudbrandum & Ingolfum, qvorũ hic formæ elegantiâ, omnes toto isto qvadrante juvenes facilè præstabat. In eum carmen hoc conjectum est.

Fæminarum Ingolfus amore fervet
Totus: huic qvævis sibi grandiorum
Poscit, at mæret: lachrimans acerba
Jurat anus se,
Dum duos dentes teneat caducos,
Semper Ingolfo comitem futuram,
Nec metu mortis dubiæve sortis
Velle relictum.

Contigit autem, cum conventus autumnalis ludusqve pilæ in villa Grimstungis celebraretur, ut pila Ingolfi prope Valgerdem decideret; qvam illa apprehendens pallâ texit, cum eum, qvi emiserat, repetere jussisset. Actutum Ingolfus, intermisso ludo, aliisqve vicem suam comendato, eam accessit, totoqve die assedit. Freqventioribus deinde visitationibus patrem tandem de fama ejus sollicitum offendit: â qvo monitus, *ne famæ ejus maculam inureret; si id cordi esset, facile nuptias ejus impetraturum. Nec suum familiæque suæ ingenium incognitum, injuriis & ludibriis minimè obnoxium. Liberum se futurum* respondit Ingolfus, *nec ad curialium ullius præscriptum destinatis itineribus destiturum.* Patri itaqve Thorsteino Ottar de injuria filii qvestus, ejus authoritate eum ab ulteriore visitatione dimovit. Cum autem Ingolfus Valgerdem carmine celebraret, iterum irritatus Ottar ad patrem profectus veniam eum in jus vocandi petivit: id vero Thorsteinus, licet haut e re ipsius videretur, se tamen prohibiturum negavit. Aderat fortè frater Thorsteini Jokull, vir acer & vehemens, fratriqve ingenio dissimilis; hic iratus acerbis eum verbis objurgavit, qvòd eo arrogantiæ processerit, ut familiares suos irritate non vereretur. Tandem eò res deducta est, ut arbitrio Thorsteini componenda controversia omnis comitteretur. Hic utriqve parti consulturus, filio qvidem multam viginti unciarum argenti indixit, Ottarem autem territorio jurisdictioni suæ subjecto excedere jussit. Id cum grave Ottar sibi duceret, non ei minus se qvàm filio consuluisse Thorsteinus asseveravit, rixis enim mutuisqve offensionibus, tandem etiam cædibus, hoc medio cautum. Ottar itaqve in tractum Nordrardalum migravit, prædiumqve Ottarstadas primùm incoluit; qvo tempore filius Hallfredus penè viginti annos natus est. Is Kolfinnam Avaldi filiam adamare cæpit, freqventerq; invisere. Id cum patri ejus displiceret, monuit Hallfredum, ut eam duceret: Is hoc statu uxorem se ducturum negabat. Consuluit igitur Avaldius amicum suum Marem de prædio Marstadis. Is procum alium virum divitem, nomine Grisem,

ſem, Semingi filium de villa Geitaskarde, qvi Conſtantinopoli Imperatori meruerat, ut nuptias virginis expeteret, impulit; qvi Mare comitatus ad Avaldium profectus, haſtam ante fores, dum domi morarentur, aurato haſtili inſignem depoſuit. Impetrato deinde patris conſenſu Hallfredus ſupervenit, cognitoqve proco, Kolfinnam palam acceſſit, gremioqve impoſitam amplexus, palam ei oſcula libavit. Egreſſus procus, ut amoris hæc indicia animadvertit, qvinam eſſent, qvæſivit. Avaldius *ſponſam illius eſſe, quam Hallfredus amplecteretur*, reſpondit. *Itane conſveverint?* cum iterum qværeret, *imo ſæpius*, reſpondit pater, *qvàm par eſt; jam autem tibi horum emendandorum cura incumbit, cum virgo tibi deſponſata ſit.* Gris *planum eſſe* affirmavit, *quòd ſe injuria Hallfredus afficere deſtinaverit.* Cui Avaldius reſpondit; *ad huc penes eum eſſe pacti reſcindendi copiam, nec deinde de injuria ei querendum.* Id cum Griſi minus probaretur, mutuo conſenſu contractus firmatus eſt. Id verò Hallfredum adeo offendit, ut injuriam ſibi fieri conteſtatus palam minaretur, ſe Griſem nuptiis illis fruſtraturum. cui cum Mar repoſuiſſet, inſuper ſe minas ejus habiturum, virginis enim elocandæ jus in patris poteſtate ſitum; duobus eum verſibus Hallfredus ſubſannabat, contemptim ſubjiciens, *ſe eum, quantumvis ſacrificulum, nequaquam veneraturum.* Mox valde iratus diſceſſit; qvem Mar & Gris cum numero qvindecim, uno tantum comite inſtructum ilico inſecuti, ê ſuperiore loco fortiter reſiſtentem ſuperârunt, atqve in vincula conjecerunt. Interea avus ejus maternus, idemqve nutritius, cognito Griſis adventu, ſuſpicatus id qvod erat, provocaturum in ſe procum, comparatis raptim triginta viris, Ottarem patrem ad ſuccurrendum præmiſit; qvi Hallfredo jam catenis onerato ſupervenit. Is, utpote numero potior, litis arbitrio ſuo decidendæ poteſtatem Griſi, nec omnino invito, non item Hallfredo filio, qvantumvis vincto, extorſit, pronunciavitqve ſecundum Griſem, qvippe fidem ſuam ſecutum, eiqve virginem adjudicavit, nuptias autem in triennium differendas. Hallfredum extra patriam fortunam tentare juſſit. Is *fluxam aliorum fidem haudquaquam traduci* reſpondit, *cum etiam parentes perfidi eſſent: ſe autem Griſem prima quaque occaſione ad ſingulare certamen provocaturum.* Atqve his dictis ad avum maternum receſſit, æger animi, ob iniqvitatem paterni, ut ipſe interpretabatur, judicii. Avus autem pariter ſibi judicium diſplicere ſimulans, ad Ottarem generum miſit, qvi ei denunciarent, ut illud reſcinderet, ni gravioribus familiam litibus implicatam vellet. Itaqve ſimulato morbo, Hallfredum ad ſe arceſſivit, teſtamento interfuturum. Mox accedentem compedibus conſtrictum, tantiſper vinculis coercendum pronunciavit, donec judicio ſuo ſe acqvieturum fidem obligaret: qvi crudelitatem patris execratus, poſtqvam aſſenſiſſet, dimiſſus eſt. Sed nec Griſi ſententia Ottaris acceptior fuit; paullo enim poſt, nuptiis contractis, eam reſcidit: qvod ut Ottar cognovit, utrumqve fœdifragum pronunciavit, miſſoq; ad ſocerum nuncio, monuit ut monomachiam qvovis modo impediret. Is itaqve nepotem ad peregrinandum vehementer adhortatus, ut exterorum moribus adſveſceret, pecuniam & ſumptus ſe impenſurum pollicitus eſt; in qvod tandem, ægrè licet, conſenſit, ſed longè diſſidia hæc futura augurabatur. Cumqve navem ê portu molirentur, carmen in memoriam amaſiæ Kolfinnæ cecinit, redditusqve litoribus Norvegiæ, ad Haconem Comitem Hladenſem ilicò ſe contulit, carmen in honorem ejus elaboratum ſe afferre profeſſus: qvi ſtatim ut eum vidit, poetico genio afflatum conjecit, factâqve recitandi copiâ, cum pöema Comes qvoqve ipſe comendâſſet, Principum famulitio idoneum audacemqve

 aſſeve

asseveravit, securimqve argentea lamina incrustatam ei cum veste eximia donavit, & in aula sua per hyemem detinuit. Proxima æstate in patriæ australiores oras rediit, annosqve aliqvot navigationibus ultro citroqve, non sine magno lucro, impendit: nec interea unqvam in tractum borealem, ubi pater, ubi avus, ubi amasia, habitabant, rediit. Novissimè anno nongentesimo nonagesimo qvinto ê patria discessit, cum ad Olafum Tryggvinum perveniret, Christianis deinde sacris initiatus.

SECTIO III.

De dissensu scriptorum in anno, qvo Hallfredus ad Regem pervenit. Is ipso Rege fidejussore sacro balneo abluitur, inqve satellitium ejus adsciscitur.

IN ejus primo accessu ad Regem Olafum *Historia Olafi Tryggvini typis impressa* & *Chronica* dissentiunt. Illa in penultimum Regis annum nonagesimum nonum refert; qvod qvàm non subsistat, ex gestis ejus mox referendis planum est. Ista ad eum annum, qvo Rex profecturus in Halogiam, proceribus arma opponentibus, retrogredi coactus est: in qvo iterum dissentiunt, *Codice Flat*: annum XCVI, Chronicis seqventem propugnantibus; qvæ etiam hanc priorem profectionem cum posteriore confuderunt, & Islandos, qvorum accessus cum priori connexus erat, cum posterioribus, qvi anno XCIX, dum Rex Halogiæ sacris initiandæ intentus Nidarosiâ abesset, eò provecti sunt; hinc ordo qvoqve gestorum conturbatur. Sed nec ista applicatio ad priorem reditum ex Halogia, vel potius Raudseya, dubiis caret. Nam *Chronica* Regem non tunc in Thrandiam rediisse, sed rectà Vikam petivisse, contendunt; qvo admisso, ne tunc qvidem Hallfredus ad Regem pervenit; id enim in Thrandia obtigisse, omnes consensu perhibent; ex qva qvidem hypothesi narrationis ordo pervertitur. Dubitatur præterea, an simpliciter admitti debeat (si *Codicis Flat*: authoritatem *Chronicis* præferre placeat) annus priori reditui ex Halogia applicatus, cum antea dixerit, tunc primum innotuisse Hallfredo de mutatione Principum, morte Comitis Haconis, & successione Regis Olafi. Qvod qvidem valde suspectum est, cum autumno Hallfredus accesserit, ejusdem autem anni vere naves Norvegicæ, ut mos erat, certe Stefnir a Rege missus, eò navigaverit. Sed esto; solverit ex patria Hallfredus ante earum adventum, ita ut nihil illi de hac mutatione, priusqvam ad Agdanesiam pervenit, constiterit. Suppetit tamen locus, qvi hæc enucleatius explicat, nimirum de Augmundo Ditto, qvem *Historia Olafi Tryggvini Part: II. Cap. XXIX. pag. 120.* ita exponit. *Is ab Hallvardo quodam pulsatus, inultus patriam repetivit, sed exacturus vindictam, Norvegiam repetens, næve in statione ad Nidarholmum collocata, ipse scapha urbem petit; ubi in ignotum virum incidens fit certior de mutatione Principum, mox etiam de Hallvardo, qui ipsi verber impegerat, quòd is cognomine Halsi, seu Cervicis, internosci cæperit, postquam hyeme, quæ proximè præcesserat* (Fyrra vetr) *bello Jomico cervice vulnus exceperat.* Qvod si Augmundus eo anno, qvo Olafus in Regem sublima-

ſublimatus eſt, Nidaroſiam appulit, ibiqve primò mutationem percepit; qvid obſtat, qvo minus id qvoqve de Hallfredo ſtatuamus, præſertim cum ſinguli ejus anni, poſtqvam Olafus Rex in Norvegiam pervenit, in ordinem digeſti id ſvadeant? qvem nos qvoqve ſecuti ſeqventia exponemus. Anno igitur CMXCV. Hallfredus Islandiâ profectus ad Agdaneſiam pervenit; ubi rerum illa inſignis viciſsitudo, qvæ mutationem Principum invexit, mutationemqve ſacrorum moliebatur, primò ei innotuit. Huc jam *Codex Flat*: refert, qvòd de illis Islandis potius intelligendum eſt, qvi anno CMXCIX, tum qvoqve ethnici, Thrandiam devecti ſunt, nimirum qvod vim Principis, nova ſacra imperantis, fugituri, pro impetrandis ſecundis ventis, vel retro in patriam, vel in Sveciam ferentibus, vota Diis nuncupaverint, Freyri pro Svecia tres cados zythi, Thori pro patria, aut Odino, tantundem; qvod ideo minus in Hallfredum qvadrat, qvod extremo anni, tempore alieno, Islandiam repetiturum plurimum abſurditatis habet, in illos vero appoſitè, qvi per æſtatem, Rege in Halogia commorante, Nidaroſiam devenerunt.

Ex Agdaneſiâ Hallfredus ſociiqve nautici, ſinum ingreſſi, ad portum Pladκium dictum tendebant, nec tamen optata ſtatione potiti ſunt, portu longis navibus infeſſo. Nocte proxima vis magna nimborum exorta rudentibus anchorisqve infeſta naufragium minabatur. Illucente die triginta nautæ ê longa navi, expeditâ ſcaphâ, in auxilium eorum accurrebant: cumqve ſcaphæ rector tunicâ cæruleâ conſpicuus eſſet, anſam Hallfredo præbuit, ut qvid ei nomen eſſet, qværeret. Atκersfrackio, ad cuſtodiam fortè anchoræ alludens, cum reſpondiſſet, eodemqve momento rudens rumperetur, præcipitem ſe ê navi dedit, funemqve alterum nautis extrahendum porrexit. Extat elegans ſtropha, qva eum Hallfredus compellabat, ejusqve reſponſum dimidiâ redditum. Deinde Hallfredo in tutam ſtationem deducto, qvinam vir ille fuiſſet, tum qvidem non conſtabat: poſtea compertum eſt, eum ipſum Regem Olafum fuiſſe, qvi tum Nidaroſiam claſſe petebat, Hladisqve aliqvantum morabatur: eò etiam Hallfredus ſe contulit. Hoc anno in ulteriorem Regis notitiam perveniſſe non videtur; nam ille ſtatim in auſtrales provincias profectus novandæ religionis regniqve firmandi curam ſuſcepit. Interea Hallfredum patriam repetiviſſe *citatus codex Cap: XXII pag. 90.* innuit, dum tradit Kiartanum popularem ejus, eadem æſtate patriâ profectum, qva Hallfredus, Kiartanum autem prius ſacra limpha perfuſum. Jam vero ex geſtis Hallfredi manifeſtum eſt, eum initio anni CMXCVII neceſſariò baptizatum eſſe, cum poſterius non poſſet, nec prius, cum Kiartanus eum in illo ordine præceſſerit. Mox occaſio talis ſubnectitur; nimirum qvòd cum in platea exſpatianti Regi ſocios ſuos præcedens deinceps obviam factus eſſet, rogatusqve nomen Hallfredum ſe nominâſſet; Isne, qvi pöeta diceretur? cum iterum rogaretur, ſe qvidem carmina pangere nôſſe reſpondit. Mox ad profeſſionem Chriſtianæ religionis ponderoſâ, ſed brevi, oratione invitatus, *probabilia quidem argumenta Regem attuliſſe* reſpondit; *neque tamen ſe absque pretio ad ſacra illa adduci velle.* Regi qvid expeteret, qværenti, *Ut tu*, inqvit, *ipſe me de ſacro fonte ſuſcipias, illud enim officium nulli alii delatum volo*; id qvod Rex pollicitus etiam præſtitit, ſociiqve nautici omnes eodem tempore ſacro fonte abluebantur. Hallfredus avunculis Regis Joſteino & Karls-Hofudi in articulis fidei informandus commiſſus eſt. Suſceptorem fidejuſſoremqve ſibi Regem ipſum contigiſſe, cum ſacra limpha tingeretur, Hallfredus in oda qvadam, in honorem illius editâ, gloriatur;

cujus

cujus stropha superest. Hoc initio anni nongentesimi nonagesimi septimi gestum comperimus.

Qvodam die Hallfredus Regem carmini a se in honorem ejus facto aures præbere cum petivisset, Rexqve abnueret; *illud quidem*, ait, *in tua potestate situm est: sed & ego institutiones catecheticas, quas te mandante didici, ni auscultes, protinus oblivioni mandabo; neque enim plus ibi poetici genii, quàm in meo carmine, apparet.* Cui Rex respondit: *Et tu quidem periculosus poeta es: aures igitur adhibebo.* Qvod cum recitâsset, ob artis peritiam a Rege magnopere comendabatur, qværente, *num & in suorum aulicorum numerum inscribi sibique ministrare vellet?* Hallfredus *se aulicum Haconis Comitis prius fuisse* respondit, *nulli præterea inserviturum; sed nec ei, nisi promitteret, nihil sibi accessurum, quo se vel ex aula expelleret, vel abdicaret.* Rex *faciem quidem ejus indicare* respondit, *ausurum eum plurima, perpetraturumque ea, quæ sibi nullo modo probentur, nec ab hac conjectura famam discrepare.* Hallfredus *præsens esse consilium, quo metum eum demeret, nimirum si delinquentem occideret. Imò*, ait Rex, *periculosus poeta es: meus tamen satelles eris, hoc ipso cognomine. Quid ergo mihi dabis*, respondit Hallfredus, *si hoc cognomen reportabo? Video placere*, ait Rex, *gladiumque hunc eximium dono accipies, verum defectu haut carentem, vagina namque carebit: tu vero per tres integros dies noctesque diligenter custodi, ne ullus inde damnum periculumve sentiat.* Is actis gratiis, versu extempore fuso donum comendavit, ensemqve eadem diligentiâ, qvâ imperabatur, observavit. Idola noluit vituperare, negans ideo culpanda, qvia non colenda, præsenteq; Rege versum ejusdem sensus fudit: qvô Rex increpato, aliô corrigendum monuit; qvo tumultuarie facto, tribus exqvisitissimis in laudem Christianæ religionis properatis priores correxit, Regisqve laudem meruit.

SECTIO IV.

De cæde aulici Regis ab Hallfredo perpetrata, ejus periculo & liberatione.

DUo erant fratres in aula Regis, Ottar & Kalfus, genus ex Halogia, magis tamen Uplandis, ducentes, satellites Regis cultiores, qvàm vulgo acceptiores, qvi gratiam Regis Hallfredo ut nimiam invidebant, indignati insuper, qvod sibi cedere, prioresqve partes deferre, contumaciâ inflatus detrectaret. Vespere qvodam, præsente Rege, orta desubitò contentio eos cum Hallfredo comittebat. Pronior in eos Rex, qvod Hallfredo impares videret, eis ex parte patrocinabatur. Illo discedente, repetitum contentiosiùs certamen cæde Ottaris constitit; securi namq;, qvam donaverat ei Comes Hacon, caput ejus lethali ictu Hallfredus vulnerabat. Actutum Kalfus sociorum auxilio, manibus post terga revinctis, compedibus eum strinxit. Lege autem omni exceptione majore extremo supplicio homicidium in triclinio Regio perpetratum puniebatur. Accedens deinde Regem Kalfus cædem fratris detulit, qvam in exemplum audaciæ ad ulteriora per gradus, tandem etiam ad extrema processuræ, & occasione data etiam ipsi Regi forsitan exitiolæ, trahebat; multis præterea confictis crimini-

criminibus cum Regis aures oneràsset, ad capitalem in eum sententiam pronunciandam Regem perpulit, postridie suppliciô afficiendum. Triumphans hac victoria Kalfus, ferreis compedibus per noctem constrictum accuratè custodiendum curavit; die autem seqvente, cum ad supplicium Hallfredus duceretur, qvæsivit, *an is, quem vulneràsset, exspiràsset*? Cognito mortuum esse; *haut ergo sine causa talionem expetitis*, respondit: *verum ubinam Rex est? nihil id ad te attinet*, ait Kalfus: *te enim ad mortem condemnaverat.* Tum Hallfredus, *si quis præstò est, de quo unquam bene merui, in præsens rependet, si me conspectui Regis, acturum ultimas ob clementiam, dum in aula essem, præstitam, gratias, sistat.* Ibi vetus veriverbium, qvo nemo adeo inimicitiis oneratus dicitur, qvin amicum aliqvem reperiat, se ipsum probabat. Nam exorti sunt e circumfusa turba qvidam, qvi obligatos se agnoscentes, in conspectum Regis eum duxerunt; ubi & aulæ Regiæ Antistes Sigurdus adfuit. Tum Hallfredus Regem his verbis affatus est: *Memento, ô Rex, spospondisse te, nunquam me abdicaturum: cave ne promissum rescindas, secus brevius nostrum commercium futurum erit, quàm optarem. Accedit & alia obligatio, qualis in susceptorem cadit, sacramento baptismi contracta, cum tu me de sacro fonte levares.* His auditis Episcopus Regem oravit, ut in gratiam Dei tanti tam arcti nexûs rationem haberet. Annuebat Rex, confestimqve vinculis eximi jussit, ejusq; mandato statim Kalfo, qvantumvis invito, satisfactum est, mansitq; Hallfredus in aula, minore tamen Regis, qvàm antea, gràtiâ, multamq; homicidii Rex ipse solvebat.

Interjecto tempore, cum inter cæteros etiam Hallfredus Regi adstaret, ad genua ejus procidens, lachrymas profudit. Rege, qvid rei esset, qvô adeo angeretur, qværente: *Regiam*, respondit, *iram graviter fero; eâ me qvovis modo exsolvere cupio: id etiam*, ajebat Rex, *conseqvere, qvò te amandavero, ibis; id si expediveris, in integrum restituêre, erimusque reconciliati; gladium vero, qvem tibi dedi, nonne adhuc tenes? teneo*, inqvit, *sine omnium damno, nec hucusque vaginâ conditum. Convenit*, ajebat Rex, *periculosus gladius poëtæ periculoso: poteris autem carmen formare, quo singulis hemistichiis gladii nomen repetas.* Is *periclitaturum se* respondit, *omnemque moturum lapidem, quo gratiam Regiam sibi reconciliet*, versumqve singulari artificio, qvi & extat, fecit, adeoqve satisfecit, ut miro ingenio arteqve ad formandos versus præditum instructumqve ipse prædicaret, vaginamqve cum baltheo valde pretioso donaret, hâc formulâ adjectâ: *reconciliati erimus; insuper etiam absentiæ â mensâ vel templo, aut talium reus, veniam præ pluribus aliis impetrabis.* Tantam clementiam Hallfredus magnificis, ut par erat, verbis, longaqve gratiarum actione extulit: tanto etiam Regem amore complexus est, ut post obitum an abitum ejus, longo mærore tabeqve confectus, tandem exspiraret, ut antea dictum est.

SECTIO V.

De calumnia Kalfi, & itinere Hallfredi in Uplandas ad Thorleifum Sapientem.

Elapsis paucis diebus, Regi, ubinam Hallfredus poëta esset, qværenti Kalfus respondit: *more fortè solito idola occulte colit; in marsupio qvippe effigiem Thoris, ê balenarum dentibus factam, reservat: non enim Rex ingenium ejus rectè cognovit.* Confestim ergo

eum Rex acciri jubet, qværitqve, *num hæc, quæ intentarentur, vera essent, secretus nimirum idolorum cultus, Thorisque in marsupio servata imago?* Ad ea Hallfredus; *minimè*, inqvit, *Domine Rex, vera; exploratu autem facilia, cum marsupium præstò sit, & accusatio inopina, tempus eximendi idoli mentem prævertens*: exhibitoqve statim examinatoqve marsupio, cum nulla indicii vestigia apparerent, Hallfredus cum Kalfo expostulavit, *quod se apud Regem, objectô crimine capitali, calumniatus fuerit*; minatus, *malè ei cessurum, modò occasio se exhiberet; conjecisse se ante, nec id sine causa, in vincula, nunc nullo prævio delicto falsis criminibus onerâsse.* Rex haut facilè convicturos animadvertens, Kalfum dimissum domum remisit, nec sine nota; cum neqve Hallfredum, neqve ullum alium, deinceps falsis criminibus delaturum pronunciaret. *Tu autem Hallfrede*, ajebat, *in Uplændas ad Thorleifum Sapientem, Thorleifi Horda-Karii ex filio nepotem, proficiscere, eumque, quoniam religionem Christianam obstinate aspernatur, aut occides, aut oculos ei erues: successum in id promovebo, & comites, quos quotque reqviris, adjiciam.* Vulgo creditum est antiqvitus, tantam esse Regum fortunam, ut eam cum aliis comunicare possent; qvæqve eorum auspiciis gererentur, feliciorem exitum sortitura, si cæptis adspirâssent; nec ipsi Reges opinionem eam, utpote ad Majestatem augendam facientem, refutabant. Eqvidem misisse ad Thorleifum antea hujus negotii causâ nuncios Rex retulit, sed nullo ad novam religionem persvadendam effectu. Hallfredus *negotium arduum sibi videri* respondit, *suscepturum tamen in obsequium ejus*, Josteinumqve avunculum Regis, cum viginti duobus e convictoribus suis mensæ sociis deposcebat; qvi simul profecti, cum ad sylvam domui proximam pervenissent, eqvis descendebant. Ibi Hallfredus eos se in tertiam diem, si opus esset, exspectare jussit: ipse faciem cooperimento personæ texit, palpebras tingendo, mento & genis barbam adglutinando, senem per omnia extremæ senectæ expressit; fasciculum tergo oblongum ex libro arboreo, cui gladius inclusus, alligavit, hocqve baculo innixus, plerumqve etiam nutans, tussiensqvè, & per intervalla qviescens tendebat. Thorleifus, recepta priscis consvetudine, tumulo ut plurimum insidebat, non longo intervallo a domo separato. Eò gressum Hallfredus ægrè molitus, multa anhelatione ad devexa pervenit, oculosqve huc illuc contorqvens, virum tumulo insidentem conspicit. Eò igitur, sed multo labore molestiâqve, enixus, â Thorleifo prior salutabatur, qværente, qvinam esset. Is senecionem professus, *ægrum quidem ætatis vitio, magis tamen longa fatigatione, alieno anni tempore: autumno namque præcedente incidisse in satellites Regis Olafi in Thrandia, adque eum ductum inter cæteros ad abdicandum veterem Deorum cultum, novumque & ignotum suscipiendum, cum cogeretur, ê custodia occulte, uno eorum occisô, elapsum, inter lustra latebrasque totam hyemem transegisse; famâ autem nominis ejus ductum eò contendisse, auxilii opisque aliqvantulæ impetrandæ spe.* Thorleifus experientem virum lingvæ facundiam indicare, senium etiam persvadere, respondit, multaqve eum super regionum statu situqve & impositorum nominum ratione rogabat, prudenterqve qvæsita diluentem animadvertit. Tum demum adjecit, *an in aula Olafi esset vir quidam, nomine Hallfredus: eum enim in somno sibi sæpe occurrere, nec tamen somniis fidendum, propediem tamen adventum satellitum Regiorum sperandum. Equidem*, respondit, *mentionem ejus, raro tamen bonam*, injectam audivi. *Is etiam unus eorum fuit, qui me Regi sistebant.* Hæc dum referret, Thorleifum propius accessit. Tum Thorleifus, *nescio qualis senecio sis, aut quæ referas: haut pusillus videris.* Exsurgensqve

cum discessurus esset, eum Hallfredus comprehensum humi illico stravit; robore namqve longè eum præstabat. Ambo infra collem devolvebantur, Hallfredo superiore existente: mox stipite pusillo oculum ei alterum eruebat. Tum Thorleifus: *procedit jam, quod diu metuebam, damnum nimirum abs te, Hallfrede, perpetiendum; te enim hic agnosco, sed non solum, fortunâ nimirum Regia sublatum, cujus jussu ad obcæcandum me aut occidendum missus videris. Oro itaque, ut alterum mihi oculum dones, remuneraturo te cultro, cinguloque, quod gesto, utroque pretii magni, tibi etiam, si quando ope mea indigueris (neque enim absurdum, eum casum incidere posse) auxilio ero.* Ad hæc Hallfredus respondit, *nullo sive pretio, sive pollicitatione, ad transgrediendum mandatum Regium me adduci patiar: meo potius periculo absque pretio oculo donabere.* Thorleifus actis gratiis domum rediens, nulli suorum illatum damnum vulgavit, qvoad Hallfredum tutum ad suos pervenisse conjecit. Hallfredo domum repetenti, per villam, ubi Kalfus habitabat, transeundum erat: qva occasione gavisus, in ultionem calumniæ eum se occisurum sociis affirmavit; Josteino magnopere dehortante, ne fortunam suã infortunio misceret. *Illud verò indignum* retulit, *virum bonum lædi, homuncioni autem parci; ad minimum nota aliquâ insigniendo.* In eum igitur in agro sementem facientem, ocyus eqvo desiliens invectus, alterum ei oculum effodit, qvo gravius, qvàm strenuo viro dignum esset, vulnus ferente: *nihil mirum*, inqviebat, *multum te a Thorleifo Sapiente differre, virô eximiô, vulneraque animô generosô tolerante.* Inde rectà ad Regem profectus, qvàm primum in conspectum venit, an mandatum executus esset? interrogatus, obcæcâsse se Thorleifum affirmabat. Oculos ergo Rex veritatis indices poscebat. Cumqve oculum Kalfi porrexisset, Rex eo conspecto, *unde hic tibi oculus?* ait, *plura forte, quam imperata sunt, peregisti: non est is Thorleifi oculus.* Eo igitur exhibito; *hic ego*, inqvit, *Thorleifi oculum agnosco: tu autem, quæ gesta sunt, expone. Is alio quidem oculo Thorleifum multasse, alio donasse, in supplementum autem donati Kalfo alterum eripuisse. Dimidium ergo mandatum executus es: pars alia restat*, ait Rex; *libetne ad eam perficiendam iterum proficisci?* *Nequaquam*, respondit Hallfredus: *quî enim eo oculo spoliarem, quem gratis ei indulsi, ad Kalfi autem oculum residuum repetendum haut invitus proficiscar; neque enim præter dimidiam partem ultionis de eo sumpsi, quam tunc promeruit, cum me furum instar conditum vinculis, per mucrones gladiorum circumactum ad necem ducebat: verum ideo minorem, quàm culpa exigebat, pænam exegi, quòd infra sortem meam ducerem, homuncionem istum vel occidere, vel graviori supplicio afficere.* Rex utriusqve supplicio vindictis finem imponendam, satisqve pænarum exactum pronunciavit. Qvæ hic de perspicacia Regis in agnoscendo emortuo hominis oculo traduntur, vix ita intelligenda sunt, qvasi ipse eos discernere potuisset; sed ex ingenio Hallfredi, sibi ad ungvem perspecto, viâqve, qvæ per villam Kalfi ducebat, facilè conjicere poterat, impunitum non dimissurum. Ad eliciendam ergò veritatem callidè simulavit, illum oculum Thorleifum nunqvam capite gestâsse. Hæc ad annum nongentesimum nonagesimum septimum referuntur.

SECTIO VI.

De profectione Hallfredi in Daniam, indeqve in Gothiam, cum Audgilse, & reditu in Norvegiam.

 Eodem

EOdem vere veniam a Rege expetebat Hallfredus ad nundinas Haleyrenſes. *Rex licitum id ei fore* reſpondit: *verum præſagire animum, fore, ut haut minori deſiderio ad revertendum, quàm in præſens ad proficiſcendum, quandoque duceretur*; cultrumqve ei parvum ſub diſceſſum donavit, monito, ne alienaret, fortè ope Dei aliqvando uſui futurum. Primò in Daniam iter direxit, Sigvaldioqve Comiti, Strut-Haraldi filio, carmen encomiaſticum obtulit: qvi ut Hallfredum eſſe cognovit, jam antea famâ notum, dignum qvidem cenſuit, cui aures recitanti adhiberet, cum ejus poëſin Rex Olafus approbaverit. Carmen erat ejus generis, qvod Flock vocant, repenſumqve eſt armillâ ſelibram pendente. Invitatus ad longiorem moram, iter in Sveciam, & inde reditum in Norvegiam neceſſarium, excuſabat. Adulta æſtate in Vikam vela vertit; verùm naufragio ad orientalem ſinus tractum facto, mercium omnium jacturam fecit. Inde Konghellam profectus, ibi diutulè morabatur. Interim vir qvidam opulentus in Gothia habitans ex Anglia cum mercibus eò appulit, nomine Audgils; hic eum jam pecunia egentem decem marcis argenti comitem itineris ad ſe domū mercesqve deducendum conduxit. Erat enim iter latronibus infeſtum. Merces qvinqve eqvi vehebant, ſexto ab onere libero. Per ſylvam iter erat, nec plures comites ſuppetebant. Qvodam die inter ſaltus occurrit illis vir, Aunundus nomine, natione, ut profitebatur, Svecus, ê Gothia profectus. Hic anfractus viarum ignotis perplexos, & qvo magis in orientem procederetur, prædonibus infeſtos retulit: *neminem tamen eorum occurriſſe, nec id mirum, cum locorum omnium gnarus, diverticula viarumque compendia ſecutus ſit; ſe autem paratum ad viam iis monſtrandam, ſi operam rependere velint.* Augdils ſuſpectum ſibi peregrinum illum nec admittendum exiſtimans, Hallfredo tamen ſvadente unciis (aura vocant) duodecim eum conduxit;

Florebat id temporis ætate & viribus Hallfredus; nec audacia aut in re ſubita conſilium deficiebat. Audgilſe autem ſeneſcente, vires qvoqve imminuebantur. Tota die cum profecti eſſent, veſpere ad domum qvandam ſolitariam (Sæluhus vocant) proficiſcentibus reficiendis exſtructam, reditibusqve auctam, pervenerunt; cum Hallfredus inter eos operas partitus, Aunundo, qvòd ſecurim magnam geſtaret, ligna in uſum foci findenda, Audgilſi focum inſtruendum ac incendendum mandavit; ipſe aqvatum ibat. Aunundus de induſtria ligna cædenda monuit in uſum viatorum; qvam alacritatem cum Hallfredus laudaret, Audgils aqvationem ſibi depoſcebat, nulloqve refragante obtinuit. Hallfredo ad ſuccendendum focum converſo, cum opus, lignis ſucci plenis, nec ulla ex parte aridis, utpote ex arbore recens exſciſa congeſtis, ignemqve reſpuentibus, lentè procederet, ſegniusqve materia, qvàm pro promiſſi alacritate, promeretur, cingulum, a qvo culter donatus noviſſimè a Rege Olafo dependebat, ſolvit, qvod in cervicem rejectum ita fortè recidebat, ut culter dorſum tegeret. Ei jam operi intento in genua procumbenti, focumqve ſufflanti, Aunundus ingreſſus, faſciculo lignorum in pavimentum projecto, ſecuri ambabus manibus magnum ictum intulit, qvi cum in cultrum incidiſſet, parùm ad latera tantum, qvo anguli pertigerant, nocuit. Is autem ad primum verberis ſonitum confeſtim exſiliens, pedibus ſicarii correptis, *adſit nunc*, inqvit, *albus ille Chriſtus, cujus potentiam Dominus meus Rex Olafus in tantum*

tum

tum prædicat, eamque, ſi tam fortis eſt, hic oſtendat. Moxqve Dei fiduciâ, ſpeqve Regiæ gratiæ, communicatæqve ſibi ejus fortunæ (ut tum opinio erat) ſemper ſe vel remotisſimis in locis protegentis, erectus adeo præ valuit, ut ingenti caſu proſtratum Aunundum ita ſubverteret, ut ſopiretur, ſecurisqve manu exciderit. Tum gladiolô, qvo ſub interiori veſte cingebatur, ſtrictô, jam ſpiritum recipientem, an Audgilſem occidiſſet? interrogabat. Confitentem medium transfixit, extraqve cubile exanimem traxit, clauſisqve foribus qvietem capturus, tota nocte ab eo januam impellente, ingreſſumqve moliente, infeſtabatur, adeo ut ad januam ſtare impulſamqve repellere ad lucem usqve neceſſe fuerit. Poſtridie Audgillem ad fontem jacentem occiſum invenit, cultrumqve & cingulum ei mortuo abſtulit, deinde ſepelivit. Domum deinde ſcrutatus, plenam mercium opumq; diverſarum invenit, id qvod Aunundum prædonem fuiſſe prodidit. Inde in montem orientem verſus iter valde impeditum, viæ parum gnarus, emenſus eſt, qvoad ſono lignatoris duce in viretum qvoddam perveniret. Ibi in virum ſtaturâ magnum, barba rubra, qvi arbores cædens ad orientale ſylvæ latus habitabat, incidit; hunc facies parum probum pollicebatur. Is Hallfredo domum ſuam, rebus ejus cuſtodiendis amplam ſatis, commendans, eum ad hoſpitium invitabat; nec is abnuebat. Eò cum ventum eſſet, liberaliter exceptus eſt, nihilo minus hoſpitis benignitas avaritiæ notas ex oculis colligenti ſuſpecta fuit. Intra cubile lecti duo ſtabant, qvibus janua præfixa erat, alter viro uxoriqve proprius, alter Hallfredo datus eſt: qvem cum conſcendiſſet, foris ſera occludebatur, id qvod haut leve ad conceptam ſemel ſuſpicionem irritamentum fuit. Inde ſtrictô gladiô, nec depoſitis veſtibus, intra lectum in omnem eventum paratus ſtabat. Poſt exiguum tempus hoſpes gladium lecto intruſit, Hallfredum ſopitum occiſurus, ſed ictu fruſtratus: mox lethali vulnere, eo ipſo gladio, qvem Rex donabat, vicisſim accepto, exanimis concidit. Uxor lecto magno ejulatu exſiliens domeſticos inclamat, occiſum ab hoſpite advena maritum innocentem vociferans, protinusqve ut comprehenderent hominem ſceleratum, jubet. Illatis igitur luminibus, Hallfredum diu neqvicqvam impetunt; donec conjectis in eum veſtibus, uſu gladii prohibitum capiunt, inqve vincula conjiciunt. Mox vidua ad virum in vicinia primarium, nomine Ubbium, & qvòd ſacrificulus eſſet, Blot-Ubbium dictum, miſit, conſultum, qvid de peregrino hoc mariti ſui interfectore ſtatuendum eſſet. Is autem ſvaſit, ut in communem curiam productus omnium curialium judicio ſiſteretur. Id conſilium placuit. Frater Ubbii, nomine Thorarinus, toto contubernio ditisſimus, authoritateqve maxima fuit: ejus filia, nomine Ingibiorgis, ſapientisſima id loci fæmina viragoqve habebatur; hæc Audgilſis uxor erat. Placuit communitèr, ut peregrinus homicida ſolennibus ſacrificiis immolaretur, ſed intercedente Ingibiorge, inauditum minimè condemnandum, ſed examinandum ſvadente, Thorarinus ſententiam reſcidit, eiqve illud examen commiſit; ut autem Islandum ſe, nomine Hallfredum, appellantem audivit, mox interfata, *nonne is*, dixit, *qui* Vandræda Skald/ *ſive periculoſus poeta, uſurpatur?* Adeo celebre ejus tam in Dania qvàm Svecia nomen erat. Qvo affirmante; *quid*, inqvit, *te hominem Chriſtianum, Regis Olafi aulicum, huc in paganiſmum noſtrum, & quidem ſine comite, compulit?* Tum Hallfredus ſeriem itineris omnem, ex qvo ê Dania profectus eſt, donec ad Biornum perveniret, expoſuit; nec prius occiſum retulit, qvàm ſe ex inſidiis adortus occiſurusqve invaſit; *quod ſi autem*, adjecit, *tu ea Ingibiorgis es, quæ Audgilſis uxor, prout mihi etiam ex relatione*

 ejus

ejus videris, indices narrationis meæ cingulum & cultrum ejus, quem mortuo abstuli, hic poteris agnoscere: reliquas ejus res omnes Biornus in suam custodiam assumpsit, cum me hospitio exciperet. Aunundum autem ni occidissem, cædemqae Audgilsis meamque injuriam vindicâssem, frustra me itineris comitem conduxisset: versuqve gesta hæc complexus est. Illa indiciis prolatis convicta, possedisse ea Audgilsem affirmavit, ulteriusqve, qvæ cum Biorno gesta essent, exqvæsivit, Id alio versu cum exposuisset, verisimilia hæc videri respondit; Biornum enim longo tempore talium infamiâ laborâsse: ex emptumqve vinculis domum secum deduxit, mox exactiùs relationem ejus examinatura. Deinde ex domo Biorni omnes Audgilsis merces opesqve, qvas Hallfredus, cum hospitio ejus exceptus esset, ipsi alioqvin Ingibiorgi, si feliciùs cessisset, sua manu traditurus intulit, ad eam relatæ sunt; qvæ, qvòd liberos nullos haberent, legibus, (ejus fortè provinciæ) in ejus, ut uxoris superstitis, possessionem reciderunt.

Mox missi â Thorarino filiaqve in montem, qvi Aunundi prædonis gurgustium lustrarent, omnia narrationi Hallfredi congrua retulerunt. Inde opes, qvas prædo congesserat, domum devectæ (erant autem ingentes) omnium curialium sententia secundùm leges eorum municipales Hallfredo, ut proprio periculo magnaqve virtute partæ, adjudicatæ sunt. Hospitio deinde Ingibiorgis usus, cum brevì se ei vicinisqve omnibus insinuâsset, ipsam sibi uxorem deposcebat. Illa *multa esse, quæ societatem istam dissvaderent*, respondit, *præsertim, præter-quam quod peregrinus esset, dissensum sacrorum; neque enim indigenas, sacrificiis valde deditos, æquo animo laturos contemptum suæ religionis, nec ei a semel recepta recedere integrum vel salubre futurum; se vero non ex omni parte hac in re dignitati suæ consulturam, cum videatur vir domestico regimini idoneus, adiret modò, si placeret, patrem suum, ejusque voluntatem sibi conciliaret*. Cujus deinde consensu impetrato, nuptias celebravit. Fuit vidua formâ, sapientiâ, & opum affluentiâ celebris; duasqve hyemes in Gothia transegit. Interea carmen, qvod in honorem Olafi Sveciæ Regis composuit, ei obtulit, qvod is largo munere rependit. Posteriore hyeme vidit per qvietem Olafum Tryggvinum indignabundum his verbis se affatum. *Malè facis, dum Christianam religionem abjicis: consultiùs feceris, si cum familia tua ad me redieris, fidem tuam emendaturus*. Expergiscens graviter ingemuit. Uxori causam sciscitanti, qvæ viderit, retulit, qvæsivitqve, *an se quoque ad Regem Olafum profecturum sequi velit? beneficiis eam se obligâsse, quæ melius rependere nesciat, quam ut consortio Christianorum puraque religione bearet*. Illa *semper se opinatam respondit, eum ad Regem illum aliquando rediturum; se quoque eum comitaturam, quòd cultum illum sacraque suo longe præferenda censeret*. Filium id temporis, nomine Audgilsem, habuerunt, & jam uterum ferebat, sed nec id eam morabatur, qvominus maritum statim appetente vere migrantem, cum parvulo filio seqveretur. Sub autumnum Nidarosiam deventum est, qvo tempore nuptias sororis Regis Ingibiorgis Rognvaldum Vestro-Gothiæ Comitem ambire fama nunciavit. Benigniùs eum, ut solebat, Rex excepit; aliqvantum tamen increpavit, qvod & ethnicam uxorem duxisset, & tantisper inter ethnicos commoratus fuisset, clericoqve, ut absolveret, pænitentiamqve injungeret, mandavit; nec is gravatè, qvæ injungebantur, subivit. Paulo post uxor ejus filium peperit, qvi de ejus nomine Hallfredus Junior dictus est, deinde sacris Christianis cum utroqve filio initiata. Ut igitur Deum hoc magis sibi conciliaret, qvo plus in eum deliqvisset, monitu Regis, pietate incomparabilis, jussuqve, qvô donum, qvô a Deo præ

cæteris inſtructus eſſet, ad ejus laudes concinnandas uſurparet, carmen in memoriam glorioſæ reſurrectionis compoſuit; id qvod longè celeberrimū perhibetur. Iſtud celeberrimus ille diæceſis Schalholtinæ in Islandia Epiſcopus, *Mag: Bryniolfus Svenonius*, cujus ſub inſpectione puer adoleſcensqve vixeram, viſum ſibi in Dania qvondam juveni, in Bibliotheca illuſtrisſimi Cancellarii Regii *Chriſtiani Friſii*, non exſcripſiſſe magnopere dolebat: nunc an uſpiam exſtet, planè neſcio. Eandem hyemem Hallfredus magna in gratia honoreqve apud Regem transegit; qvo tempore uxor Ingiborgis in fata conceſſit.

SECTIO VII.

De reditu Hallfredi in Islandiam, liteqve cum Griſe, & ejus exitu.

ANno milleſimo, paucis diebus poſtqvam Leifus Grönlandiam repetiturus ê portu navem ſolvisſit, Hallfredus veniam a Rege petivit, patriæ eadem æſtate repetendæ. Rex *permiſſurum ſe* affirmavit, *probato quippe ſibi viro & accepto; verum ominari eventurum, ut pro eo, quo præditus eſſet, ingenio, hujus veniæ quandoque eum pæniteat; vix ſe poſtea reviſurum, malleque apud ſe manſiſſe. Munera autem in mei memoriam*, adjecit, *reſervanda, temploque, ubi requieſcas, donanda, nec unquam alienanda, hæc accipies, togam byſſinam* (Bell vocant) *caſſidem & armillam auream pondere ſex unciarum; quæ, ſi fortè contingat te inter navigandum mori, unà tecum capulo imponi mandabis.* Exinde Hallfredus navem inſtruxit, filiumqve Audgilſem ad avum maternum Thorarinum in Sveciam remiſit. Hallfredo autem infanti in Thrandia idoneum nutricatum providit. Ut autem parata omnia ad profectionem erant, Regi mæſtus qvidem ægrèqve disceſſurus valedixit; nec priùs in Islandiam appulit, qvàm finitis comitiis univerſalibus, qvæ ab anno CMXCIX, qvotannis a die XXIX Junii incolæ, perinde ut hodie, auſpicari ſolebant, cum XXII priùs cæpiſſent. Dilatus in oſtium fluvii Kolbeinsa / mercibus exportatis, conducto inſtitore, qvi eas per hyemem diſtraheret, in meridionalem inſulæ qvadrantem ad patrem inviſendum cum undecim comitibus totidemqve eqvis profectus eſt. Per vallem Langadalum iter erat, ubi Griſis uxor Kolfinna, vetus amica, pro more æſtivabat. In Laxardalo, qvæ inter Langadalum & Skagafiordum intercedit, plura æſtiva erant; verum ad æſtiva Griſis rectà tendens Hallfredus, tum qvod ipſe, tum comitatus omnis, peregrina eaqve ornatiore veſte amicti eſſent, viâ aberrare credebantur. Ut vero eum Kolfinna cognovit, amicè excepit, qvæqve nova haberet, exponere juſſit. Ille in proximam noctem differendum, qvam apud eam ſocio lecto ſe transacturum reſpondit; mox etiam, illa neqvicqvam abnuente, exſecutus eſt, ſingulisqve comitibus, ut lecti ſocias ſibi qvisqve procuraret, permiſit, ipſe inter nocturnos luſus, ut maritus ei placeret, ſciſcitatus, ubi laudantem animadvertit, probroſum carmen, qvod ipſe fecerat, illi affinxit, in argumentum fictæ concordiæ, ſex præterea verſus, & in his aliqvot ſatyricos, in Griſem fudit, qvos omnes *Codex Flat*: habet. Interea opilio domum regreſſus, qvid in æſtivis ageretur, marito nunciavit, qvi comparatis duodecim comitibus eò tendebat. Mane ejus diei ſurgens Hallfredus togam do-

num

num Regium Kolfinnæ obtulit, qvod illa accipere renuebat. Discedens itaqve subridens versum fecit, qvo gloriatus est, se exuvias porcello (ad nomen Grisis allusit, Gris enim porcum denotat) detraxisse. Ut autem Gris in æstiva pervenit, uxorem familiari prostibulis comento mæstam, carmine solatus ad persequendum Hallfredum se accinxit: illa vero vicem, ut præferebat, mariti sollicita, aqve periculoso consilio avocatura, damnũ certum, victoriam dubiam replicavit; qvi nihilo secius cum Einare Thorarinio, Thrandi nepote, cæteroqve comitatu ad amnem usqve Blandam insecutus, Audolfstadas prætervectus in mediis eum vadis transeuntem offendit, hastamqve in eum conjecit; qvam Hallfredus volantem apprehendens cum iterum jaculatus esset, objectu securis Einar a Grise in se ipsum convertens exanimis concidit: qva clade magis exasperatus Gris Hallfredum inclamans, fugam ei improperavit. Is ultra amnem processuram negans, in ulteriore ripa se excepturum affirmavit.

Erant in utraqve parte, qvi rem ad compositionem deducere tentabant, svadentes, ut injurias Grisi satisfactione pensaret. Hallfredo qvid postularetur? qværente, ubi utramqve armillam Comitis Regisqve dona in compensationem expeti cognovit, præproperè famam doni Regii in Islandiam pervenisse respondens, ad prædium paternum Ottarstadas profectus, patre mortuo, apud fratrem Galtium hyemavit, jactis interea in Grisem probrosis ex parte metris.

Vere proximo per tesqva Arnarvatzheide dicta transiturus, insitata tempestate adeo sæva, ut veneficio excita videretur, vexatus, a Mare ejusqve comitibus viginti armatis ex insidiis exortis strenue impetitus, â foribus aggere ab utraqve parte septis præsidium mutuabat, indeq; hostes satyricis versibus exsibilans, sine ullo suo damno frustratus evasit. His cum Gris se nihil profecturum animadvertit, curionem suum Hunriodum Nefrididem de prædio Mobergio in curia Laxardalo consuluit, placeretne Hallfredum in jus vocari? is autem svasit, actionem de cæde Einaris, & probrosis versibus, non autem de violata uxore, qvod ignominia non careret, intendi, Hallfredumqve ad forum Hunavatnz þing citari: id qvod ille impigrè executus est, adq; villam Hredavatn fratribus ambobus communem cultamqve profectus, per mercenarios servos diem illis dixit. Illi Thorkelem Kraflam, curionem Vatzdalensem, qvi prædium Hof incoluit, affinem suum, qvi a morte Thorsteini Ingolfii Vigdisem Olafi de prædio Haukagile filiam, materteram eorum, uxorem duxit, virum maximæ authoritatis, triginta comitibus stipati adibant, suisqve partibus adjungere adnitebantur. Is, dum lis in foro converteretur, arbitrum se, seu compromissarium judicem, obtulit, si pars utraqve in id consentiret, se vero litem transactione compositurum, modo id obtineri possit, promisit. Verum Brandus Avaldii filius, Kolfinnæ Grisis uxoris frater, parieti incumbens, Galtium Hallfredi fratrem, cum tentorio egrederetur, lethali ictu vulneravit (Gunnlaugi Ormstungæ vita Galtium duobus annis ab obitu Sveni Furcatæ seu Admorsæ barbæ Daniæ Regis vixisse vult) atqve inde subitò se proripuit; qvod ut Hallfredus animadvertit, affinis Kraflæ auxilium poposcit. Eos igitur ad tentorium Grisis comitatus, ut homicidam dederent, postulavit. Mater autem Brandi ad fores egressa, Thorkelem rogavit, an & ei in animo fuisset, filium suum ad necem qværere, cum eum sub palla sua tectum, cædis Gladii cujusdam reum ab hostibus eum occisuris liberasset? Thorkell tempus illud jam præteriisse respondit, jussitqve fæminas omnes tabernaculô excedere; qvas inter cum Brandus muliebri

habitu

habitu evasisset, Hallfredo fides Kraflæ, olim præstiti a matre rei beneficii per summam dissimulationem memoris, suspecta esse cæpit. Itaqve Grisem ad singulare certamen provocavit; qvod is neqvaqvam detrectavit, testatus, prævenisse eum se in provocatione, sibi, ut in causa meliore, majore jure competente. Sed neqve armorum acumine nitoreve inferior erat; succinctus qvippe gladio, qvem Imperator Græcorum, cui meruerat, ipsi dederat. Nocte qvæ duelli illo ipso foro absolvendi definitum diem præcessit, visus est sibi per qvietem Hallfredus Regem Olafum Tryggvinum se accedentem videre, lætus qvidem, sed admixto metu turbatus, cujus se alloqventis verba hæc excepit. *Dormisne, Hallfrede? somnium tamen hoc tibi ut vigilanti obtingit. Heu propositum inconsultum & insulsum! congredi cum Grise decrevisti, causæ patrocinio destitutus, viro; qui causam suam Deo eventumque omnem commendavit, eumque arbitrum delegit. Me igitur svasore certamen refuge, multamque irrogatam solve, omnis ignominiæ exprobrationisque securus. Cum vero lux crastina illuxerit, collem hinc parùm distantem prope bivium accede: ibi peregrinos equitantes conspicies, hos accedes, auditisque, quæ afferant, erit fortasse, quod te a certamine abstrahat.* Ut autem evigilavit, qvid sibi visum sit, animo volutans, uni sociorum exposuit. Is, *anne Grisem* (porcellum) *metueret?* qværens, *satius fuisse prius, dum salvo honore licuit, causam composuisse*, respondit; *hostes enim hoc effugium ex metu interpretaturos.* Hallfredus *nihil se eos morari* respondit: *consilia quidem Regia se secuturum.* Egressusqve, qvò jussus erat, vidit viros adeqvitantes, â qvibus cognovit, orbatum Regno, fortè etiam vitâ, Regem. Ad qvem rumorem tanqvam gravissimo ictu perculsus obstupuit, accedensqve forum, qvæ perceperat, publicabat. Inde lectum repetens, præqve mærore decumbens, ad condictum certamen non comparebat.

Erant qvi illum ut pusillanimem culparent. Primus Gris factum excusans, *falli eos* prouunciabat, *qvi metu præpeditum certamen subterfugere interpretarentur: orbitatem Dominorum qvàm ægrè ferant pii ministri, haut recte eos percipere; ejus rei documentum se ipsum esse, qvi Imperatoris Constantinopolitani mortem gravissimè tulisset, licet longe minoribus beneficiis affectus, qvàm Hallfredus ab hoc Rege; jam vero se gaudere, qvod hac occasione liberatus sit a certamine adversus Regiam fortunam, qvæ Hallfredum semper protegat.* Deniqve controversia omnis, prout â principio decretum erat, arbitrio Kraflæ commissa. Cædes Einaris violatioqve Kolfinnæ Galtii nece compensata est, eo qvod Einare potior videretur. Ad satisfactionem probrosi carminis cimelium aliqvid Grisi muneris titulo dari placuit. In id qvamvis Hallfredus consentiret, non tamen sibi temperabat, qvin strophâ satyricâ iterum extempore fusa Grisem perstringeret: traditaqve armillâ â Comite Sigvaldio donata domum rediit.

SECTIO VIII.

Ubi reliqva ad obitum usq; Hallfredi memorantur, & ultimò de morte & sepultura ejus.

MAgno semper mærore afflictus Hallfredus, moræ domesticæ impatiens, eadem æstate in Norvegiam transfretavit. Ad Orcades in itinere devectus, sub initium hyemis, cum ad Sogniam appulisset, certiora de clade Regis superiorisqve anni gestis edoctus,

tum primùm vitam Regiam carmine celebrare occepit, intercalari verſu diſtincto: qvô tamen magis deſiderium Regis, ortaq; inde mæſtitia, jugi recordâtione accendebatur; qvæ eo usq; proceſſit, ne æqvis oculis orbatam eo Norvegiam intueri ſuſtineret. Daniam itaq; tranſiturus in Sveciam reditũ meditabatur: cum in abdito qvodam ſinu conſtitutus fit certior, Comitẽ Eiricum non procul inde hoſpitio indulgere. Doloris itaqve impatientiâ exſtimulatus, conſilium de ulciſcendo Rege, præſentisſimo licet cum vitæ ſuæ periculo, animo cæpit volutare. Eadem nocte obverſata ei per qvietem imago Regis his eum verbis affatur. *Næ tu deliras, qvi Comitem morti deſtinas; qvin igitur carmen in honorem ejus pangis.* Poſtridie Hallfredus ad villam, ubi Comes diverſabatur, accedens, confeſtim agnitus comprehenſusqve ad eum deducitur; qvi capitali ſententiâ ilico in eum pronunciatâ, qvòd Thorleifum Sapientem excæcâsſet, in vincula conjici, adqve locum ſupplicii duci jubet. Ut vero vincula ſibi injicienda animadvertit, ereptam manibus injecturi catenam ferream in caput ejus impegit, protinusqve confractâ calvariâ exanimavit. Hôc magis incitatus Comes, ne pluribus exitio foret, mortem accelerare jubet; cum qvidam veneranda canitie ſenex unoculus Comitem acceſſit, orans ut ei in ſui gratiam parceret. *Siccine*, reſpondit Comes, *pro illo intercedis, qvi oculo te multavit, ecqvid tam ſubitò animô tam triſtis rei memoria effluxit.* Tum Thorleifus longe aliter rem illam conſiderandam ſuggeſſit, *licuit enim*, inqvit, *Hallfredo vitam mihi eripere, id qvod etiam facere mandato Regio tenebatur, vel utrumqve oculum; ſuo enim periculo mandatum Regium transgreſſus, alterum mihi oculum donabat; iſtius rei causa illum mihi iterum donari, incolumemqve reddi velim.* Aſſenſit petitis Comes, Hallfredumqve ipſi tradidit; cui Thorleifus injunxit, ut carmine honorifico intra triduum Comitem celebraret, id qvod is feliciter expedivit, præmiumqve magnificum reportavit. Nec tamen vel Hallfredus Comitis ſatellitium appetere, vel Comes eum aſciſcere ſuſtinuit, intuitu, ſed diverſo, Regis Olafi. Verum a Thorleifo invitatus, per hyemem ad eum divertit. Et qvàmvis omnia liberalisſimè & multa cum lubentia præberentur, tamen præoccupatus perpetuo mærore animus, nullam unqvam lætitiam admittere potuit; itaqve in patriam proximo vere navigans, in portum Leiruvogenſem devenit. Inhabitabat id temporis prædium Mosfell Aunundus Hrafni pöëtæ pater; cujus vernæ cum dimidiam marcam argenti deberet Hallfredus, creditoremqve fruſtraretur, ſexaginta viris comitatus Hrafnus anchoralia rupturus abitum ei intercluſit, qvoad interponentibus ſe utriusqve amicis, ſatisfactione præſtita, lis componeretur.

Anno deinde uno aut altero poſt mortem Sveni Furcatæ Barbæ Daniæ Regis, ſocietate cum Gunnlaugo Ormſtunga (ſev ſerpentina lingva) initâ, in patriam rediit. Intercesſit eo tempore inter Hrafnum & Gunnlaugum, formoſisſimæ virginis rivales, lis ingens, utriqve tandem exitialis, qvam Hiſtoria ipſius Gunnlaugi fuſẽ perſeqvitur.

Exinde Hallfredus animo ſemper æger, tædio vitæ ubiqve inqvietus, negotiationibus transmarinis per vices tempus fallebat. Tandem neqve in patriâ, nec in Norvegia acqvieſcens, in Sveciam rediit, ad filium ſuum Audgilſem, ubi etiam ſedem fixurus erat; obiit namqve ſocer ejus Thorarinus. Et jam annum triceſimum qvintum exegerat, cum in Islandiam ad univerſam ſubſtantiam ſuam auferendam profectus eſt, aſſumpto ſecum fratre Thorvaldo filioqve Hallfredo Juniore appellatato. Tempeſtatibus autem agitatus cum ſociis nauticis jugi in exantlanda nave labore fa-

re fatigatus, etiam in morbum incidit, qvem casus præceps e foris in imum navis alveum aggravavit. Extant tres versus, qvos interrogatus de morbi natura responsi loco fudit, casumqve illum lethalem sibi indicavit. Capulo deinde cadaveri aptato cimelia (Regia dona) imposita sunt, solo ense excepto, qvem filio novissimè donabat; fuerunt autem toga byssina, cassis, & armilla aurea, ut supra scriptum est. Loculus autem in mare projectus, in insulam Sanctam, Hæbudarum unam, appulsus, a famulis Abbatis illius, qvi vicinum monasterium regebat, inventus & effractus, cimeliis nudatus, cadaver paludi immersum est. Proxima nocte visus in somno Abbati Rex Olafus, pessimos eum servos alere dictitabat, qvòd navem poetæ sui fregissent, opes suffurati, colloqve ejus saxum alligâssent, eumq; paludi immersissent; hæc enim irato vultu minitabundus inqvirere jussit, secus infortunium subsecuturum prædixit, atqve his dictis disparuit. Postero die Abbas eos comprehendi jussit, veritatisqve confessionem facilè expressit, culpamqve condonavit, funusqve Hallfredo magnificum faciendum curavit. Cimelia templo data sunt, armilla in calicem, toga in pallam altaris, cassis in candelabra, conversa sunt. Apparet hinc, vocem Hringr non annulum, sed armillam denotare, hautqve exiguam fuisse, cum ex hac unâ calix conflari possit.

Thorvaldus Hallfredi frater cum Hallfredo Juniore, qvi cum patris nomine etiam cognomen retulit, eodem autumno in Islandiam delati sunt, filiusqve paternum prædium Ottarstadas deinceps incoluit, evasitqve vir memorabilis, numerosæqve prosapiæ progenitor. Annum vero, qvo Hallfredus mortuus sit, assignare neqveo. Diutiùs a conflictu Svoldrensi vixisse *Gunnlaugi Ormstungæ vita* luculenter satis indicat; his tamen obitum ejus, tam eximii Regis sui cultoris, magniqve virtutum laudumqve, sed justarum, sinceri præconis, ex cujus rhythmis ipsa Regis vita maximam partem desumpta est, subnectere libuit.

CAP. III.
CONTINENS VITAM KIARTANI OLAFI FILII
SECTIO I.
Qvo Codicis Flat: relatio exponitur, parsq; vitæ ejus in patria actæ, ad profectionem usqve in Norvegiam.

HAllfredo Kiartanus subjungendus est: cujus adventum ad Olafum Regem *Codex Flat:* & *Chronica* in idem tempus, qvo Hallfredus Periculosus poeta primò hoc Rege in Norvegiam rediit, referunt; idem *Arngrimus* facit, refertqve ad annum CMXCVII, Chronica autem ad annum CMXCIX. Ex iis, qvæ de Hallfredo disceptavimus, constat, anno CMXCVI. cum Hallfredus rediit, Kiartanum qvoqve appulisse, nec tunc mutationis Principum nescium.

E patria domo Hiardarholte (inqvit *Codex Flateyensis*) *Kiartanus & ejus patruelis Bollius ad navem se contulerunt. In altum deinde evecti, commode in Thrandiam ad Agdanesiam pervenerunt. Ibi Principum mutatione novorumque sacrorum promulgatione cognitâ, Nidarosiam contenderunt; multi autem Islandi, magni nominis viri, tum in Norvegia erant. Ad pontes tres eorum naves adjacebant, quarum una Brandi Aurvii, qui Vermundi Thorgrimi filii viri primarii filius erat; altera duorum fratrum Biarnii & Thorhalli, filiorum Breidskeggii; tertia Hallfredi poetæ, exiguo temporis spatio Kiartanum prævenientis; eadem namque æstate ex Islandia solverunt. Omnes Islandi Kiartanum maxima cum benevolentia exceperunt, Brandus tamen præ cæteris, se enim antea invicem cognoverunt. Hi autem Islandi, quos nominavimus, inter se ante Kiartani adventum pepigerunt, ut communi consensu imperium Regis, quoad mutationem sacrorum, detrectarent: ei autem advenienti, quod constituissent, exposuerunt, consiliumque ejus efflagitârunt. Is se id consulturum affirmavit, quod omnibus commodissimum arbitraretur.* Hæc de adventu ejus *Codex Flat*: Unde liqvet, Hallfredum priùs, anno scil: qvo Comes Hacon periit & Olafus succesfit, Nidarosiam delatum, periclitantemq; ab ipso Rege in comodiorem stationem deductum: proximo vere patriam repetivisse: inde eadem æstate rediisse, Kiartanum qvoqve & eos, qvi hic memorantur.

Fuit Kiartanus genere illustrisfimo, patre Olafo Pa, seu Pavone, de qvo suprà ad finem vitæ Haraldi Grafeldi dictum est; matre Thorgerde Eigilis Skallagrimii filia, prognatus, omnium, qvi ea in insula nati sunt, venustissimus, patri præ omnibus liberis suis dilectus, natu etiam maximus: ore paulò pleniore, facie admodum venusta & candida, capillo intorto & albicante, flagrantibus oculis, statura excelsa & robore magno, qvo avum Eigilem Skallagrimium, aut patruum magnum Thorolfum, retulit: fabrilium etiam artium pugilatusqve admodum peritus, nandi qvoqve exercitio & compluribus aliis plurimos præstabat: his morum comitas, mansvetudo, & aversa ab omni fastu mens accesfit, liberalitas etiam, & propensum ad juvandos indigentes ingenium. Tantas dotes omnium favor studiumqve, fama qvoqve & nominis magna celebritas, etiam apud eos, qvos nunqvam viderat, seqvebatur. Bollius patruelis, Thorleiki filius, proximè eum accedebat, ætate namqve pares, simul apud patrem Kiartani educabantur. Is etiam forma insigni pollebat, facie licet oblongâ, nasô erectô, labris crasfis, qvæ tamen faciem non dehonestarent, oculis venustis, cæsarie fulva, habitum corporis cultiore veste ornare solitus, militarem virum ad amussim repræsentans. Inter eum & Kiartanum non solùm sangvinis nexus, sed etiam convictus, amorem mutuum conciliavit. Horum generis series *Arngrimus Crymogææ Lib*: *II. Genealogia IV.* exhibet.

Adamabat Kiartanus viduam qvandam in Islandia, fæminam in primis formosam, omnibusqve aliis sui ævi matronis in illa insula prælatam, nomine Gudrunam Osvifi filiam, de prædio Laugis in curia Sælingsdalo, occidentalis Islandiæ qvadrantis, viri sapientiæ fama inclyti. Genus is ex Ketille Flatneso (seu Simo) & Hrolfo Rognvaldi filio primo Nordmandiæ Duce hac serie duxit. Pater ei Helgius, qvi piraticâ in Scotiam factâ Nidbiorgem Biolani Regis filiam, ex uxore sua Kadlina Hrolfi Nordmandiæ Ducis filia, in potestatem suam redegit, eamqve in uxorem duxit, ex qva Osvifum procreavit, Gudrunæ patrem, & Einarem Skalaglamum, de qvo in pugna Jomica dictum est. Helgius patre Ottare natus est, avo Biorno Austrænio, seu Orientali, dicto, proavo Ketille Simo. Mater Gudrunæ fuit

Thordis Thorolfi Lagi filia de prædio Medalſtranda. Ætate tenera Gudruna nupſit Thorvaldo Haldoris Curionis de Garpsdalo filio ; cum qvo divortio facto, Thordo Glumi Geirini filio matrimonio ſe junxit, ex qvò ſuſcepit filium Thordum Catum , qvem Snorrius Curio Helgafellenſis educavit: ejus filius fuit Stufus Cæcus, Haraldi Imperioſi poeta. Diſplicuit patri Kiartani animus filii ad hanc viduam propenſus, monuitqve, ſed fruſtra, *ut familiaritatem iſtam miſſam faceret: præſagire quidem animum, quod tamen vaticinari nolit, haut placido eventu neceſſitudinem illam finiri.* Ne vero patri amaſiam crebriùs viſitando, ſibiqve intermittendo, ægrè faceret, conſilio avunculi Thorſteini Eigilis Skallagrimii, magis qvàm patris, dimidiam navem a Kalfo Asgeiris filio ſtantem ad anchoras in oſtio amnis Gufæ emit, qvâ in transmarinas terras trajicere decreverat. Abiturus ad Gudrunam ſalutandam profectus, ubi qvid ſtatuiſſet, expoſuiſſet, expoſtulantem audivit, qvî conſilium illud tam diu texiſſet ; ſociamqve ſe itineris obtulit, qvòd abſentiam ejus ægrè latura videretur. Is vero *minus id ei licere* reſpondit, *quòd ſenis patris domus fratribus tenellis, nec adminiſtrationi idoneis, ejus ſolius curæ inniteretur; ſe tamen, cum conſilium hoc diſpliceret, aliud in ejus gratiam facturum, quod placeret*: rogavitqve, ut triennium exſpectaret, nec alii interea nuberet, vel fidem in id daret ; id qvod illa promittere nolebat. Atq; ita haut ſatis conſentientes ab invicem diſceſſerunt ; hacqve navigatione Kiartanus in Thrandiam , ut ſupra memoratum eſt , devenit.

SECTIO II.

De certamine Kiartani cum Rege.

EOdem autumno, cum jam Olafus Nidaroſiæ fundamenta urbis ſtatueret, die qvodam ſereno oppidani in fluento Nidæ natando ſe exercebant; qvod ubi Islandis innotuit, placuit exercitia eorum inſpicere. Inter cæteros qvidam omnes alios longè præſtabat ; hortatur itaqve Hallfredum primò Kiartanus , ut cum ipſo congrediatur ; qvo abnuente , ſupraqve vires ſuas congreſſum cum illo confitente , Bollium in eum neqvicqvam incitat. Tum Kiartanus : *mirum, eos, hoc exercitii genere cæteroqvin celebres, oblatam edendi ſpeciminis anſam negligere: ſe quidem periculum facturum, quid poſſit*: depoſitaqve veſte, qvam gerebat, coccineâ , in fluvium ſe projicit, tenditqve adverſus virum illum, qvi omnes ſuperabat, eumqve aqvis imerſum, diu emergendi facultate præreptâ, detinuit. Tandem cum dimiſiſſet, poſt exiguam moram qvieti datam fertur in eum adverſarius , majoriqve vi ſub undas actum , longioreqve multo tempore correptum ibidem detenuit, qvàm vel is antea tenebatur , vel Kiartano æqvum videretur, redditumq; libertati poſt exiguam pauſam iterum ſubmergit : nec priùs emerſerunt , qvàm Kiartanus de eventu certaminis dubitare cæperit. Certamine exploratum videtur , qvinam ſub undis diutiùs ſuſtineret absqve reſpiratione morari , utroqve demerſo , poteſtate tamen moræ penes fortiorem manente. Nunqvam Kiartanus ſe ita ſuperatum meminit. Tandem dimiſſus, ſine ulla voce ſalutationeve ad litus enavit, erubeſcens, gloriæ ſtudium in ignominiam vertiſſe. Qvem adverſarius ſtatim inſecutus, cupiens ſcire cum qvo concertâſſet, marginem fluminis aſcendit , ſimul-

qve veſtes qvisqve ſuas induebant. Viſus eſt Kiartano oppidanus facie auguſtiore, nec ſtatura qvàm viribus nandiqve peritiâ minore. Hic prior Kiartanum, qvinam eſſet, ſciſcitatus eſt: qvo cognito, *næ tu quidem, Islande*, inqvit, *nandi artem calles. Aliarum ne peritiam?* Kiartanus *nullo ſui decori hanc eſſe* reſpondit, *perinde etiam alias ceſſuras, licet in ſua patria haut contemptas.* Rex *magni referre, cum quo adverſario certet, qualeque is de eo judicium ferat*, reſpondit. *Cur autem nomen meum non requiris?* nihil ſua referre reſpondit. Rex, *vere quidem*, ait, *vir eximius es, ſed nec te demiſſè geris: ſcies quidem quinam ſim, & quo cum certâſti. Olafus Tryggvinus ſum, quem incolæ Regni hujus Regem appellant.* Cognito eo Kiartanus, relicto pallio, ſine reſponſo discesſit. Rex abeuntem, cum veſtes induiſſet, inclamavit, ne tam ſubitò diſcederet; reverſoqve pallium ſibi ipſi detractum porrexit; *non absque pallio*, inqvit, *vir tam eximius, &, ut videris, fortunatus, ad ſocios tuos redibis, nec noſtrum certamen aliter quàm joco inſtitutum arbitrare; nec quisquam te ideo minoris æſtimaverit, etiam ſi ego te hac arte æquem.* Kiartanus, actis Regi gratiis, ad ſuos ſe contulit, palliumqve illis, erat enim valde pretioſum, oſtendit. Illis accepiſſe diſplicuit, obligationis ſpeciem, ſeu arram, qva ei deinceps obnoxius teneretur, interpretantibus. Sine ſtipatoribus hunc ludum exercuiſſe Rex videtur, & qvidem diſſimulatô, qvis eſſet, ut ſublato metu occurrendi libertatem omnibus indifferenter exhiberet, qvo ſingulorum artes & vires experiretur.

Adulto autumno tempeſtates obortæ, gelu & frigora invaleſcere cœperunt; id vero ethnici Diis, primò Regi, deinde promiſcue omnibus iratis averſisqve, qvi in cultum ab eo imperatum conceſſerint, aſcripſerunt. Mox miteſcente cælo, ex omni vicinia ingens populi, tum maximam partem ethnici, confluxus in urbem factus eſt. Islandi domum unam omnibus cōmunem in urbe per hyemem conduxerunt, inter qvos Kiartanus facilè eminebat.

SECTIO III.

De proceſſu Regis Olafi in convertendo Kiartano & aliis Islandis ad Chriſtianam religionem, Kiartaniqve manſione apud Regem.

IN conventu deinde Eyrenſi, cum Rex longa oratione Chriſtianum dogma lenibus in principio & proceſſu verbis cōmendaret, in fine vero aſperior, etiam ſub necis vel gravium pænarum in detrectantes minis tandem imperaret, multi ex indigenis ei morem geſſerunt, ſtatimqve ſacris Chriſtianis initiati ſunt, atqve hoc eventu conventus diſſolvebatur. Eodem veſpere exploratores ad diverſorium Islandorum â Rege ſubornati, eos inter potandum in magnam lætitiam hilaritatemqve effuſos, de iis, qvæ in foro geſta eſſent, ſacrorumqve reformatione, diſſerentes offenderunt; Kiartano Bollium ſciſcitante, *placeretne religio, quam Princeps & profiteretur ipſe, & aliis proponeret?* qvam cum ob rituum vanitatem potisſimùm improbâſſet; *hac tamen in re ab eo ſe diſſentire* Kiartanus reſpondit: *ſed neque Regem ſine magno profectu hæc ſacra promulgare, ſingulis conciliis magno incolarum numero in ſuam ſententiam ritusque & ſacra transgrediente:*

diente: adjecitqve, *an etiam minarum expers promulgatio ista videretur? nequaquam*, respondit Bollius. Tum Kiartanus, *nulli hominum me cogendum permittam, quoad armis me tueri possum; sed nec ingenuo fortique viro dignum existimo, permittere se innocentem more pecudum mactari: malim mortem alioqui imminentem forti aliquo facinore & ad posteritatem commendabili nobilitare.* Bollius, *ecquid memorabile moliretur?* qværit. Tum Kiartanus, *quæ mihi mens sit, protinus exponam. Quod si Rex nos perinde ac cives suos tormentis minisque ad sacra hæc adigere occipit, aut ei statim sponte morem gerendum, aut tormenta pænasque incendio illius præveniendas censeo.* Bollius *nihil humile eum vel sentire vel loqui* respondit: *effectum tamen quo minus consilium hoc sortiatur, fortunam prudentiamque Regis, excubiis sollicitè noctes diesque vallati, obstare.* Tum Kiartanus, *destinati exequendi animos complures, etiam generosos viros, deficere* respondit: *neque se hæc serio, vel incitandi eos ad tantos ausus, sed explorandi tantùm animo protulisse.* Bollius *haut adhuc compertum* respondit, *cujus animus magis trepidaret.* Mox cæteri colloqvii vanitatem increpantes filum disceptationis abruperunt. Finito colloqvio, exploratores omnia ad Regem detulerunt; qvi postridie omnes, & inter eos Islandos, qvotqvot in oppido erant, convocavit. Ibi Rex qvotqvot ad edictum suum convenissent, animo Christiana sacra profitendi, gratiis actis, ad Islandos conversus, *an Christo nomen dare vellent?* qvæsivit. Cum nihil ad id alacriter responsum esset; *quinam*, inqvit, *ex vobis incendendi me consilium cepit.* Tum Kiartanus, haut ignorans se peti; *minime*, ait, *ô Rex, eandem quam dicendi etiam confitendi audaciam talium reo inesse arbitraris. Video te*, ait Rex, *nec equidem pusillanimem: verum non permittunt fata tibi supra caput meum incedere* (hac formula signantur, qvi alium supervicturi essent, sepulchra enim cæmiteriorum calcamus, qvibus conduntur mortui:) *verum quamvis neminem dubitaturum credam, quin satis causæ subsit, ne liceat tibi in posterum aliis Regibus, qui te utilia docere satagunt, incendia minari, merebitur tamen tam ingenua confessio, verborum, quæ forte etiam præter mentem exequendique propositum exciderunt, impunitatem: neque enim vestra vestrûmque æqualium minæ ulla ex parte comparari possunt cum gravissima persecutione, ipsaque morte, quam Dominus noster Jesus Christus à persecutoribus suis perpessus est. Spero etiam te, postquam Christum professus fueris, eo diligentius ei adhæsurum, quo jam difficilius ad eum produceris; plures etiam eo die, quo te haut invitum, sed libera voce & voluntate, ejus militiæ nomen dedisse conspiciunt, exemplum tuum secuturos, sociosque se tibi ad idem sacramentum dicendum addituros, vestrûmque persuasione populares cognatosque vestros deinceps in eundem cultum, vobis tantis viris præeuntibus, haut difficulter concessuros. Nimium etiam fallor, ni meliore, quam cum huc venisti, dogmate instructus hinc sis discessurus: itaque in præsens ad vestra diversoria liberè vadite, tu cum popularibus, neque enim invitus cultum, Deo à volentibus acceptiorem, vobis exprimam.* Magno omnium, Christianorum præsertim, applausu, cum Rex disseruisset, cæteris tacentibus, Regem Kiartanus his verbis affatus perhibetur. *Maximas quidem gratias, Regum optime, tibi nostro gentisque nostræ universæ nomine habemus agimusque pro maxima in nos benivolentia; qua solâ nos ad obseqvium tuum, gratia magnorum delictorum factâ, summaque verborum humanitate allexeris; hoc præsertim statu, cum nos in potestate tua constituti, clementiæ Regiæ unicè adscribendum judicemus, quicquid benignè in nos contuleris, jam arbitrio tuo sortique, quam permiseris, relictos. Me quod attinet, agnosco quidem verbis me Majestatem tuam læsisse; sed nec populares mei agnative verbis, nec semper fa-*

ctis

ctis, temperârunt. Hic tamen locum habet illud tritum, quô zythus alius homo dicitur (ɔ: ebrius, five mente motus) *ſæpe enim nobis evenit, ut inter pocula ea effutiamus, quæ dixiſſe poſtea pænitet, ubi ad mentem reditum eſt. Verùm temeritatem meam ſapientia tua emendabit, quæ me clementiâ prævenit, ſecundum vetus diverbium, quod parcendi gloriam ſapientiori tribuit. Majores enim noſtri ut ſeveritate exaſperari, ita etiam lenitate & beneficiis mitigari conſueverunt. Nec ego, ſi Chriſtiana diſciplina in Norvegia imbutus fuero, proxima hyeme, ex qua patriam repeto, Thoris caſtra transfuga repetam.* Rex ſubridens regesſit: *videri ſibi eum artibus ſuis & viribus magis quàm Thori vel Odino confidere.* Dimisſis deinde qvi convenerant, fuêre qvi ſvaderent, ut Kiartanum cum ſociis vi ad religionem Rex adigeret; neqve enim conſultum, tot ethnicos propè in ipſo palatii veſtibulo verſari, qvorum inſidiis oportunus eſſet. Ad ea Rex ſubiratus reſpondit; *ne id quidem obtinetis, multos enim profesſione Chriſtianos inter nos agnoſco, qui indole moribusque, religione exceptâ, Kiartano aut ſociis ejus præferendi non ſunt: indulgentiâ potius emolliendos cenſeo; neque eorum inſidias dehinc extimeſcam, quorum ingenia perſpecta habeo.* Sub initium proximæ hyemis Rex octo provinciarum conventum in Thrandia indixit, ubi Skeggius de Uphaugo pro populo adverſus Regem oratione habitâ Chriſtianam religionem disſvadebat.

Die qvi præcesſit natale Domini feſtum, (qvod tum in æde Divi Clementis, noviter Nidaroſiæ exſtructæ, Rex & Epiſcopus celebraturi erant) monuit ſocios ſuos Kiartanus, ut eâ nocte, Chriſtianis præcipuè cultâ, omnes exſurgerent, ceremoniisqve Chriſtianorum intereſſent, ut judicium de ritibus eorum dexteriùs exinde ferre poſſent. Id cum omnes approbâſſent, ſonitu campanarum muſicisq; inſtrumentis, thurisq; incenſi fumo maximè moti, ad finita ad meridiem usqve ſacra in templo permanſerunt. Domum demum regresſi, cum ſuffragiis de his, qvæ viderant, diſſentirent, Kiartanus majorem in modum ſibi arridere confeſſus, nihil magis ait ſe, qvo minus ad ſuſcipienda eadem ſacra ad Regem extemplò accederet, morari, qvàm pudorem, ne eum tam celebri die importunè interpellaret, miniſtrosqve Eccleſiaſticos in ſe ſuisqve baptizandis detineret; Bolliumqve in ſuam ſententiam facilè pertraxit. Hæc cum Rex per exploratores cognoviſſet, poſtridie miſit, qvi Kiartanum arceſſerent, qvo unà cum Bollio & nauticis ſociis accedentibus, cum adhuc Chriſtianus-ne fieri vellet, qvæſiviſſet, *nihil obſtare* reſpondit Kiartanus, *ſi ejus gratiæ in poſterum compos foret.* Rex promptam eam integramqve futuram pollicitus, atqve eo firmiorem, qvo propenſiorem in Chriſtianos ex heſterno cum ſociis ſuis colloqvio acceperit. Vetus eſſe adagium; *feſtum diem quemque auſpicatisſimum*; itaqve hoc ipſo die eum cum ſociis Chriſto oportunè conſecrari. Mox Kiartanus & Bollius cum ſociis eorum nauticis eodem die, ſecundâ nimirum feria feſti Natalitiorum Salvatoris, ſacro fonte abluti, uterqve convivio Regio, durante feſto, adhibiti ſunt, dum in albis eſſent; magnam Regis gratiam deinceps conſecuti. Eo autem die, qvo albas depoſuit, in aulicorum numerum Kiartanus aſcitus perhibetur. *Chronica* ſacris feſto Michaeli Archangelo ſacro primùm jam ethnicos interfuiſſe, ſeqventiqve die baptizatos tradunt.

Exacta hyeme, cum in Angliam mercatum profecturus, eſſet ad gentem Chriſtianam, atqve ideo in eos jam Chriſtianos propenſam, Regem accedens, diſcedendi veniam petivit. Ille *impetraturum* reſpondit, *ſi in patriam ad convertendam gentem ſuam ad Chriſtum profectionem moliretur; ſecus apud ſe permanſurum, utpote Principum famulitio quàm mercaturæ aptiorem;*

rem ; qvi agnito beneficio, *id quoque se malle* respondit, *quàm cum cognatis suis nova sacra obtrudendo contendere; faciliores etiam futuros sperare ad religionem, in gratiam Regis admittendam, cum scirent se in ejus potestate esse, & quidem benè habitum.* Placuit responsum Regi, deditqve ei vestes proprias optimi generis, qvæ qvidem staturæ ejus satis conveniebant; siqvidem proceritate æqvâsse Regem perhibetur. Hac igitur æstate Kalfus in Angliam utriusqve vicem mercatum ivit, Kiartano apud Regem ad autumnum anni nongentesimi nonagesimi noni permanente; cum Bollius in patriam redux Gudrunæ, qvam Kiartanus adamavit, persvasit, eum tantâ apud Regem gratiâ florere, ut reditum in patriam animo abjecerit, atqve hoc dolo deceptam sibi conjugio sociavit. Interea presbytero Thangbrando ex Islandia ad Regem reverso, gentemqve ut intractabilem & adversus nova sacra præfractè obstinacem, in se qvoqve valde injuriam, traducente, Rex valde exasperatus, capitis vel membrorum supplicium in omnes Islandos, qvi Christianismi expertes in Thrandia invenirentur, pronunciavit; sed Gissure & Hialtio, nuper ê patria eò advectis, âqve Thangbrando initiatis; & Kiartano aliisqve eorum popularibus deprecantibus, sententiam revocavit, si illi, qvi præsentes erant, statim converterentur, Gissurqve & Hialtius negotium totius gentis convertendæ in se reciperent. Pignus fidei obsides delecti, & inter hos præcipuus Kiartanus.

SECTIO IV.

De reditu Kiartani in patriam, nuptiis cum Hrefna, dissidiis inter eum & Laugenses, qvæ cæde ejus finiebantur.

MIllesimo anno Christi, cum gratissima fama de Christianismo in Islandia recepto aures Regis permulsisset, advocata concione, ipse surgens Deo Optimo Maximo devotò animo gratias egit, obsidesqve omnes Islandos, in hunc finem ad id detentos, liberos pronunciavit. Primus Kiartanus Regi gratias egit, veniâq; ejus se patriam hac ipsa æstate repetiturū asseveravit. Rex autē respondit: *verba qvidem sua haudqvaquam se retractaturum, licet magis in alios, qvàm eum, directa: magis enim se eum familiarium qvàm obsidum loco habuisse; etiàm malle eum propositum illud remittere, qvantumvis clarâ ibi familiâ succinctum, cum pateant illi apud se honores, conjugiique tam nobilis spes, qvalis illi in patria copia futura non esset.* Kiartanus, actis qvam impensissimè gratiis, petivit *ut se etiam veniæ popularibus datæ haut exsortem relinqueret.* Rex *impetraturum qvidem* respondit, *licet haut facilem acceptu videret, qvem dignitatis titulo expertem ei substitueret.* Kiartanus deinde navem Kalfo Asgeirino ministro mercibus necessariis instructam ad profectionem expedivit. Cum autem itineri accinctus esset, Ingibiorgem sororem Regis accessit; qvem benigné exceptum cum assidere jussisset, se jam reditum in patriam maturantem eam salutaturum, respondit. Pertinaciâ qvadam, magis qvàm aliorum hortatu, hoc proposuisse Regia virgo regessit. Mox peram attalici generis (Gudvef vocant) aperuit, tegmenqve capitis fæmineum inde colore album deprompsit, (motr vocant) miri artificii pretiiqve, plurimo auro intertextum (flammei an aliam velamenti speciem retulerit, haut scio) ei donabat, adjiciens; *hoc te tegmen Gudrunæ Osvifi filiæ sessibuli donum daturum scio* (bekiar giof:

habetur, datumqve videtur eo die, qvo nuptiæ celebrabantur, aut fortè posteriori, qvo in eodem sessibulo, seu sedili, considere solebant) *nobilius profecto, quàm cui caput istud involvi* deceat, (mores fortè Gudrunæ ex eventu prospexit, genus culpare neqvaqvam poterat, cum proavo Scotiæ Rege orta esset.) *Velim mulieres Islandicas nôsse, haut servili genere ortam, cum qva tibi hic in Norvegia familiare colloqvium intercessit. Nusquam te deducam: tantummodo vale.* Surgens itaqve Kiartanus, osculô delibatô, non sine mutuo desiderio discessit; fama enim erat, illos se invicem dilexisse, patuisseq; ei illius nuptiarum copiam, etiam Regis voluntate, si in Norvegia fortunarum sedem collocare libuisset. Id si priùs Regi & virgini in animo erat, postqvam tamen Comes Vestrogothiæ Rognvaldus per Hallfredum suam voluntatem significavit, qvod anno præcedente factum est, Kiartani curam animo deinde excessisse putem. Rex abeuntem honoris ergò ad navem secutus, eximium ei gladium, acumine & ornatu pariter insignem, donavit, monito ut gestaret; qvippe augurari, violenta morte non occubiturum, dum eo ad præsidia vitæ uteretur: mox ut fidem cultumqve Divinum, qvem professus esset, piè & graviter observaret. Pontem deinde ingressum discedentemqve hoc elogio ad suos conversus ornavit: *Magnus qvidem vir Kiartanus est, magnique ortûs: dolendum tamen, hominum fata mutari non posse.* Atqve hoc dicto in urbem rediit. Non caruit eventu præsagium Regis; nam cum in Islandiæ portum Hvitarvallensem delatus esset, cognovit Bollii patruelis astu Gudrunam delusam, cum de reditu suo ab eo persvasa desperaret, uxorem duxisse; nec tamen id molestè tulit, hyememqve apud patrem in prædio Hiardarholte magna cum abstinentia (primus enim omnium popularium suorum per universam qvadragesimam jejunavit, exemplumqve continentiæ virtutumqve cæterarum aliis monstravit) transegit, proximoqve vere uxorem duxit Asgeiris Ædikolli filiam, Auduni Skokulis neptem. Gudruna igitur invidia æstuans, æmulæ tantum virum qvovis modo eripere tentabat. Impulit itaqve fratrem Thorolfum, ut in convivio, qvod duabus hebdomadibus in prædio Hiardarholte ante hyemis initium celebrabatur, gladium a Rege donatum, qvô gestato invictus existimabatur, ei suffuraretur, paludiqve immergeret, qvem deinde, sed amissâ vaginâ, repertum amplius Kiartanus nunqvam gerebat. Similiter flammeum (ita enim appellare libet) Ingibiorgis donum, qvod uxori suæ die nuptiali linteo velatæ (lingiof appellatur; qvod idem esse ac bedfiars-atof hic locus evincit) dedit, eodem autumno in convivio Laugensi, ubi Kiartanus cum uxore sua vicissim a Gudrunæ marito fratribusqve invitatus convivabatur, perditum est, nec unqvam deinceps inventum. Inter Kiartanum & illos deinde hostilitas exorta hyemem proximam duravit, usqve ad qvintum diem hebdomadis Paschatis, qvi eo anno, qvi est ab incarnatione Domini millesimus secundus, incidit in diem nonum mensis Aprilis; qvô eum ex contubernio Saurbæensi, duobus tantum comitibus stipatum, domuitionem parantem, apud Hafurs-gil in valle Svinadalo, instinctu Gudrunæ, fratres ejus cum marito Bollio, novem simul comitibus instructi, ex insidiis adorti sunt. Tres Kiartanum simul impugnabant, postqvam altero comite occiso, alterum duo apprehensum tenerent: verum vilissimo gladio usus (qvem *Arngrimus*, historiam *Laxdælam* secutus, loco Regii furtô ablati eos supposuisse tradit, ad qvem libet ictum curvatum, inqve medio conflictu per plantam vel poplitem Kiartani reformandum) eos nihilominus usqve ad eorum defatigationem non sustinuit modò, sed etiam unum comitum occiderat, alterumqve

qve vulneravit, Bollio tantùm spectatorem prælii agente: ut autem affines, in primis Ospakus, de successu desperârunt, Bollium increpârunt, *qvòd auxilio, qvod pollicebatur, subtracto, periculo evidenti se domumque exponeret, si Kiartanum, gravem aliàs hostem, postea etiam longè sæviorem futurum, evadere sineret.* His accensus Bollius in patruelem stricto gladio, Fotbit dicto, irruit; qvo viso Kiartanus; *scelere qvidem*, inqvit, *te contaminaturum perspicio; qvô tamen succumbere, qvàm nocere malò*, projectoqve ense inermis substitit, parùm qvidem vulneratus, sed nimis fessus. Bollius nullo reddito responso, lethale ei vulnus inflixit, mox pænitentiâ subeunte, gremiô moribundum, donec animam efflaret, excepit. Corpus in prædium Borg ad avunculum Thorsteinum, Eigilis Skallagrimii filium, delatum est, adqve ædem sacram, qvam recèns ædificaverat, tunc in albis constitutam, humatum. Omnes Osvifi filii ob hanc cædem exilio multati, nunqvam deinceps in patriam redierunt; completumq; est hoc modo vaticinium Stefneris, infortunium iis prædicentis, dum se ob Christianæ religionis professionem in exilium agerent. Kiartani relicti conjugem dolore extinctam *Laxdæla* prodit; nec Bollio indemnem cædem fuisse, cum ipse multiqve alii, qvi interfuerant, â Kiartani necessariis, tam intra qvàm extra patriam mactati sunt: nec tamen prius, qvàm patre Olafo Pavone, ultionem semper improbante, ut qvæ Bollii cæde nec solatium sibi, nec orbitatem filii, rependeret, mortuo. Hunc exitum habuit vir inter gentis suæ Proceres magni nominis æstimationisqve, muliebri astu, invidiâ stimulante, sublatus.

Schema familiæ Hrefnæ, Kiartani uxoris; qvæ generis authorem Ragnarem Lodbrochem Daniæ Regem sibi hac serie vendicat: Filia ejus

Olufa, qvæ nupsit Steinari a Canibus, Comiti in Anglia.

Eiricus | Biornus | Isgerdis, uxor Thoreris Vermalandiæ Comitis

Sigurdus Biodaskalli⁹. | Audunus Sköull. | Ingimundus Senex.

Vikinga. Thora. | Asgeir Ædikoll⁹ seu furiosum caput. —— Jorun.
Karius.

Sigurdus. | Hallus. | Asgeir. | Thorkell. | Thorvaldus. | Kalfus. celebris merca tor | Thuridis. Thorkelis Kuggii uxor, cui pater Thordus Gellir | Hrefna, Kiartani uxor eorum filii Asgeir & Scum⁹

Eiricus de Offrustadis. | Ulfhildis. | Audun⁹ | Thorstein⁹ Skelk⁹ Olafi Tryggvini aulicus | Dalla Islei fi primi Isl: Episcopi uxor

Astridis. | Asta. | Eigill maritus Ulfhildis, Eyolfi Claudi filiæ, cui pater Gudmundus Potens Islandus. | Gissur, Secundus Islandiæ Episcopus

Olafus Trygg: Norv: Rex. | Divus Olafus Nor: Rex. | Eyolfus

Ormus, Divi Thorlaci, Schalholtinæ in Islandia Diœcesis circa annum Chr: 1177. Capellanus.

CAP. IV.

DE AUGMUNDO DITTO ET GUNNARE HELMINGO.

FUêre qvidem in Islandia Olafi Tryggvini tempore Proceres multi, qvi ipsum cognatione attingebant. Inter cæteros Glumus, a cædibus Viga-Glumus dictus, eo qvidem tempore seniô provectus, domicilium in prædium Thverarbreckam curiæ Oxnadali transtulit. Pater ei Eyiulfus Hruga, mater Astridis, Vigfusii Satrapæ de Vorsia filia. Libertinus Glumi fuit Augmundus, filius Hrafni, viri divitis, in provincia Skagafiordo habitantis, qvem Glumus ê servitute qvondam manumisit. Augmundum autem filium ejus apud se enutritum multum dilexit, utpote materno genere sibi sangvine conjunctum, qvem robur & statura insuper comendaverant. Hic in Norvegiam navigaturus, in statione qvadam insulari, pernocte Lunâ, vi ventorum in navem longam classis Comitis Haconis, cujus tamen possessor fuit Hallvardus qvidam, vir opulentus, fortè impegit, undisqve submersam relinqvens, in portum ad proximam continentem deflexit. Qvod ut Comiti postridie innotuit, irâ accensus, imperitos illos nautas pronunciavit, qvi damnum præcavere nescivissent; ocyusqve, causâ non auditâ, Hallvardo potestatem fecit vindictæ de iis sumendæ. Aderat Vigfusius Viga-Glumi filius, cui qvamvis nihil constaret de iis, qvi navem duxerunt, æqvitate tamen causæ motus, inauditos haut condemnaturum Comitem respondit, si judicio ejus causam suam subjicere non detrectarent. Comes graviorem se iis multam indicturum minatus est, qvàm ut illam æqvo animo essent laturi. Igitur Vigfusius, intercessoris vice in se recepta, ad navem profectus, consangvineum suum Augmundum agnovit, damnumqve factum, concitatumqve inde in eum Comitem retulit, svasitqve ut judicio ejus rem omnem comitteret. Is autem Comitis iniqvitatem notiorem, qvàm ut tutum sibi existimet ejus sententiæ se submittere, præsertim cum mala minetur; id enim ex fide præstiturum scire. Ergo Vigfusius iram ejus vimqve ei omninò inevitabilem sustinendam monuit: cumq; pervicacem imprudentiam flectere neqviret, ad Comitem reversus, socios suos qvosdam ex iis, alios etiam cognatos retulit, omnem rem arbitrio ejus comissuros. Tum qvidam ex adstantibus; *haut equidem Domino tuo vera denuncias*, ait: *obstinaces namque sunt, nec judicio Comitis se submissuri.* His Hallvardus auditis, æqvum retulit, ut se ipsum ulcisceretur. Cumqve Vigfusius se occisurum, qvemcunqve Augmundo cognato suo necem inferret, minaretur, *nihil se morari* respondit, *quanti Vigfusius genusque ejus in patria ipsius æstimaretur*; *certè præter cæteros in Norvegia nihil his tribuendum.* Atqve his dictis, citis ad Augmundi navem remis se contulit. Interea Comes subornavit, qvi Vigfusium observarent. Cum autem Hallvardus, ecqvam satisfactionem Augmundus ob illatum damnum offerret? qværeret, nec denegaturum moderatè postulatam, secus nullam redditurum, cum respondisset, Hallvardus in navem insiliens malleo caput ei uno ictu adeò percussit, ut animo linqveret, qvo peracto ad Comitem rediit, qvi minorem meritô vindictam affirmavit. Hallvardus *se contentum ignominiam pensâsse*; *posse etiam, si placeat, alia vice ultionem intendi* respondit, *solum*

lum nauclerum deliquisse, ejus se contumeliæ in præsens acquiescere. Angebat Vigfusium dolor pudorqve illatæ propinqvo contumeliæ; itaqve in omnẽ occasionem intentus, vel necem vel ignominiam Hallvardo struebat, diligenti autem custodiâ septus, conatus ejus & machinationes Comitis auxilio elusit. At Augmundus, ubi ad se rediit, accepto ingenti vulnere, magnam hyemis partem lecto affixus decumbebat: convalescens probro ludibrioqve expositus, Ditti cognomen contraxit; jamqve cautior omnia dissimulavit. Qvem Vigfusius majorem in modum ad vindictam hortatus, auxilium operamqve suam ad id pollicitus est. Verum Augmundus *se haut meritis majorem ignominiam reportâsse* confessus, *nec suppetere occasionem vindictæ in peregrina terra, adversus potentem adversarium, potentioris Comitis intimo favore sublatum; temerè etiam illum facturum, si jam in potestate Comitis aliquid adversus eum moliatur; nec patrem Vigfusii illud de se meruisse, ut filium ejus suo nomine vel neci vel præsenti periculo, qvantumvis deposcentem, exponat.* Vigfusius *neque se, neque patrem suum eam ob rem ullas ei gratias debere; ignaviæ sollicitudinem istam, sed supervacuam, quæ se minime teneat, prætendi, servilis generis paterni, unde ortum trahat, non materni Thveraingorum naturam hæc sapere.* Valdeqve iratus ab eo discessit.

Proximo vere nave mercibus onusta in patriam rediit, opibus qvidem, sed ignominiâ majori, auctior, qvàm cum inde proficisceretur, adq; propinqvum suum Glumum merces omnes devexit. Verum plus apud eum dedecoris patientia odii conceptûsqve contraxit, qvàm industria laudis, qvod ille dissimulatione discussit. Conventus enim omnes uti prius freqventando, provincialium lites componendo, propinqvi Glumi res domesticas curando, qvasi nullius contumeliæ conscius, strenuè se gerebat, magnamqve laudem & admirationem ob industriam tantam reportavit. Nec tamen Glumi animus his in eum mitigari poterat; diu enim eum alloqvio dignatus non est. Tandem *mirari se* dicebat, *quòd ingenium strenui viri ostendat, ipse virtute destitutus, cujus rei profectio è patria prima, dedecoris ignominiæque plenâ, testimonium abundè perhibeat; haut se eum æqvis oculis aspicere posse, animo ad vindicandam ignominiam destitutum, generis familiæque suæ opprobrium.* Augmundus *illud ut consideraret*, oravit, *quòd filium ejus periculo objicere noluerit; hanc intermissæ vindictæ veram esse causam.* Glumus *vanum esse metum pro eo, qui sibi ipsi non metueret*, respondit, *malle utrumque, editô præclaro facinore, vel in ipsa vindicta periisse, quàm ut alter cum ignominia viveret. Videri autem sibi Augmundum vel plerisque in perferenda injuria fortiorem, ultioneque differenda, non omittendâ, prudentiorem; neque enim faciem ingenium dissimile polliceri, vel nanci hominem a servili genere naturam haut alienam sortitum, nec deinceps in domo sua mansurum*: qvi ilico ad patrem concessit.

Post exactas in Islandia hyemes duas Augmundus iterum in Norvegiam navigavit, adqve insulam Nidarholmum dictam, inclinante die, appulit, scaphamqve seqventi die summo mane expeditam, tribus remigibus ponti admovit; ibiqve sociis relictis, cum mandato, ut in procinctu stantes proram in altum verterent, remosqve cuivis occasioni aptarent, ipse clamydem bicolorem segmentatamqve indutus ad oppidum (Hladas certè, non Nidarosiam, ut ex seqventibus patet) tendebat. Media viâ virum ignotum veste pretiosa (Skarlat) bardocucullo picto, binis tantùm coloribus æqvaliter distinctô, amictum obviàm habuit. Huic cum interroganti nomen suum exposuisset, *is-ne esset, quem Dittum cognominarent?* sciscitabatur: Augmundo confitenti, nomenqve ejus vicissim qværenti, Gunnarem

narem ſe, cognomento Helmingum, a veſte bicolore, vocari reſpondit. Inter nova præcipuum, mutationem Principum, Olafo Tryggvino Haconi Comiti ſuccedente, retulit. *Noſtin*, inqvit Augmundus, *virum quendam, genere Thrandenſem, nobili familia opibusque magnis, nomine Hallvardum?* *Novi*, inqvit, *verſatur enim in ædibus propinquis, ſortitusque eſt cognomen Halſi, ſeu Colli, ob vulnus ingens cervice pone aures ſuperiori hyeme in prælio Jomico acceptum, unde curvato capite incedit. Jam vero dignitate magna a Rege ornatus præſtò eſt. Veſtem autem, quam induis, modò venalis ſit, libenter emerem.* Augmundus venalem non reſpondit, dono autem accipere juſſit. Mirè lætatus Gunnar, repenſurum ſe aliqvatenus promiſit, redditaqve clamyde ſua, qvam in præſens haut incomodam arbitratus eſt, abiit. Augmundus ædes ingreſſus, inter alios Hallvardum ab incurvo capite agnovit; qvem ſubmiſſa voce ſeorsim vocatum, veſteqve Gunnaris deceptum (omnibus enim innotuit) egreſſum ilicò occidit, abjectamqve clamydem, integumento capitis (qvod pars veſtis, eaqve continua, fuit) ſaxo injecto in flumine ſubmerſit. (Tale veſtis genus Hekla vocatum, hic idem locus evincit: bardocucullo reſpondere videntur.) Hæc etiam ex materia Skarlak conſtitiſſe dicitur, verum non color hac voce, ut hodie, ſed materia indicatur, non enim aliàs bicolor fuiſſet; diverſis enim cocci generibus tinctam haut ſuſpicor.) Ad ſuos inde regreſſus navem ſtatim petivit, nautisqve magnum tumultum id loci exortum retulit, vento igitur ſecundo ſe uſurum, patriamqve actutum reviſurum inſinuavit. Illi dicto audientes ê ſtatione ſolverunt, inqve Islandiam incolumes pervenerunt.

Perpetrata cædes mox Gunnari Helmingo imputata eſt, veſte, ut creditum, virum indicante. Rex, qvamvis id ſibi minùs probari teſtatus ſit, nihilo minus inqviri juſſit, patibulo, ſi convinceretur, ſuffigendum judicavit. Fuit Gunnari frater, nomine Sigurdus, inter aulicos Regis haut in levi gratia vir. Hic vicem ejus ſollicitus gnavitèr eum inqviſivit, invenitq;, cum autem negaret authorem ſe cædis, nec tamèn adduci poſſet, ut vel illi, vel ulli alii eum proderet, ſvaſu ejus in ſylvam elapſus, in Sveciam usqve profugit.

Qvæ ſeqvuntur, *Arngrimus in Crymogæa* his verbis exponit, poſtqvam Gunnarem ad Uplandos aufugiſſe tradidiſſet. *Erant autem*, ait, *adhuc Oplandi (provincia erat eo nomine, in finibus regnorum Norvegiæ & Sveciæ ſita, ad Sveciam pertinens, ut exiſtimo) ethnicismo adeo dediti, ut idolum quoddam colerent præ cæteris, nomine Freyr, cujus Lib: I. memini: hic fuit conditor Upſalæ (quæ olim regni Sveciæ caput) Odini filius, poſt fata in idolo adoratus, per quod etiam idolum Diabolus reſponſa dabat. Quod cum cæcutientes ethnici animadverterent, Deo ſuo non ſolum ſermonem, ſed & rationem, propriam eſſe, eidem non ſolum cibaria & dapes, ſed etiam concubinam, ut eum ſcil: valde bearent, quæ illi a latere eſſet, perpetuò miniſtrabant. Contigit autem profugum, quem dixi, Gunnerum, magnis itineribus feſſum, ad hujus Divi lararium divertere. Qui audita tantæ divinitatis famâ, idoli concubinam rogat (miniſtram illi vocâre) ut a Divo ſuo veniam aliquot menſes ibidem deliteſcendi ſibi impetret. Quæ conſulto idolo: Revera iratum tibi habes Deum noſtrum, ait, torvis enim eſt te oculis intuitus. Interim tam eſt propitius, ut liceat tibi aliquantiſper ſub ipſius tutela latere. Fuit autem tanta vulgi amentia, ut idolum hoc ſuum ad convivia vocaret, ſimulque aurum & ingentia donaria conferret. Igitur non multo poſt, cum quidam ad aliquot milliaria disſiti Deo ſuo convivium opiparum inſtruxiſſent, hic Freir cum ſua miniſtra traham a deſtinatis ad hoc famulis ducendam aſcendunt, domo abeunt, ac per montana & ſyl-*

& ſylveſtria perrepentes in nives & tempeſtatum frequentiores grandines incidunt. Fatigantur ſocii, Deum & traham relinqvunt, ut ingruentibus cum tempeſtate validiore tenebris vitæ propriæ in primis conſulant. Solus remanſit Gunnarus, qui & ipſe fatigatus ſubſtitit. At Deus iratus trahâ exiliit, & in Gunnarem fortiter irruit. Quem Gunnarus tandem poſt diuturnam colluctationem, fugiente, qui idolum movebat, dæmone, ſubactum confregit, ubi mox ad idoli concubinam converſus, obtinuit ut eum pro Divo reciperet. Pergunt igitur, & paſſim conviviis excepti (nulla enim cacochymia hujus Divi orexim impedivit) oblationes alioqui omnes, niſi aurum & argentum, reſpuunt, ſicque brevì haut mediocrem pecuniæ ſummam corradunt. Procedente vero tempore animadverſum eſt, Divi concubinam uterum gerere. Crevit idcirco maledicta ſuperſtitio, ut nihil eſſet, quod tanto ſuo Deo non tributum vellent, qui præter morem etiam liberos gigneret. Is rumor cum ad Olafi Tryggvini aures perveniſſet, mox verâ conjecturâ ductus, prædicti Gunnari fratrem Sigurdum, quem ſecum habuit, amandat, ut Gunnarum propoſito Regii favoris præmio Nidroſiam revocet; cui nuncio cum ſe Gunnerus obſequentem præberet, Oplandi demum ſibi turpiter illuſum intellexerunt. Reverſus ad Regem in gratiam receptus eſt, uxorque ſacris Chriſtianis initiata.

CAP. V.

DE THORVALDO TASALDIO.

HUnc, utpote Augmundo ſangvine junctum, ei qvoqve hoc loco jungam. Is enim Viga-Glumi ſororis filius, Regi propior ſobrino, tunc ethnicus, ex Islandia in Thrandiam pervenit, cum Sigurdus & Haukus juſſu Regis comprehenſi in cuſtodiam traditi ſunt. Inde Chriſtianis ſacris initiatus, nexu etiam ſangvinis adnitente, in Regiam aulam admiſſus eſt. Miſſus deinde ad Uplandorum villam Ulfdalos, ad incogniti roboris virum Bardum, cognomento Craſſum, opibus affluentem, ut eum ad Regem vel invitum duceret; bis enim duodecim armatos ad eum antea ejus rei cauſa, ſed incaſſum, miſerat, qvorum neutri redierunt. Hic confeſſore ſuo Sigurdo comitatus, villam ejus ligneâ ſepe circundatam adiit, intransqve, ſolum Bardum cum filia, nomine Thora, in veſtibulo conſidentes deprehendit; expoſitoqve mandato, interrogatus, pluribus-ne ſuccinctus ad id perficiendum miſſus eſſet? reſpondit, tot foris eſſe ſatellites, qvi vel invitum, qvò vellent, ducerent. His concitatior Bardus, ſpecimen virium oſtenſurus, chirothecas ê pelle cervina, qvas manibus terebat, complicatas ilico diſcerpſit, infeſtusqve in Thorvaldum invectus fortiter excipitur: ſed ad ultimam fatigationem redactus, invocato Numinis auxilio, ſuperior eum humi ſtravit. Cumqve invocata in auxilium filia, adverſario ſuo Sigurdo robore compari colluctata, patri ſubvenire neqviret, accitis ex inferiore ædium parte miniſtris, Thorvaldus cum ſocio capitur; mox uterqve epulis excepti dimittuntur. Cum autem mandato Regis minimè ſatisfactum Thorvaldus ægrè ferret, ad preces converſus, ut Regem jam ſponte accederet, oravit, qvi non iis, ſed miraculo, motus faciles ei aures præbuit; qvod hoc ordine fabuloſè exprimitur. Viſum nempe Thorvaldo per qvietem Olafum Regem ad ſe venientem, linteum cervicali ſuppoſuiſſe ſuo, cum monitis, ut inde tabulam eximeret, cui nomen Dei inſcriptum eſſet, eam pectori

pectori ſuo appenderet, provideretqve, ut inter luctandum pectori Bardi admoveretur; evigilantem tabulam inveniſſe, & prout præſcriptum erat, adhibuiſſe, unde Bardum ſuperiorem vim agnoſcentem, iis, qvæ de illo Deo dicerentur, auſcultâſſe, ſponteqve cum filia & domeſticis eum ſecutum. Cumqve non procul ab urbe eſſe, Thorvaldum miſiſſe, arceſſitum Regem, ut in eo loco cum domeſticis omnibus ſacra limpha tingi posſit, noluiſſe enim in urbe, in plurium conſpectu, jam ſenem, veſtibus nudari, Regemqve ei hac in re morem gesſiſſe; qvô peractô, qvæſiviſſe a Rege, *an jam bonus eſſet?* affirmanti dixiſſe, *ſe ad illud usque tempus Regias aulas nunquam ſectatum; in poſterum, quoad viveret, Regi velle inſervire*: qvem bonorum ſuorum filiæqve curatorem conſtituit, qvam Thorvaldo in remunerationem tanti beneficii, cum omni ſubſtantia titulo dotis, locari geſtiebat: illo autem excuſante, uxorem ſibi in patria eſſe, ſvaſu Regis confeſſori ejus Sigurdo, qvod viribus pares eſſent, eam junxit. Paulo poſtqvam baptizatus eſſet Bardus, nondum albis depoſitis, naturæ conceſſit, felix extremæ ætatis ſorte ſenex. Thorvaldus autem impensè a Rege ornatus patriam repetivit. Tota narratio *hiſtoriâ Olafi Tryggvini, parte II. Cap: XIV.* continetur; ubi illud abſurdum, qvòd ſexaginta miniſtros qvotidie aluiſſe, qvi tamen domum adeuntibus nunqvam conſpicui, ſubterraneo cubiculo incluſi latuerint, cum tamen domeſticas operas iis excedentibus omnes obierint: miſſosqve qvatuor ſupra viginti Regis ſatellites etiam ſuſtentaverit, jamqve iterum incolumes reddiderit, cum interfeciſſe crederetur, ſolum advenis in veſtibulo unà cum filiâ conſpicuum, virum gigantei roboris, cum qvibus ſæpius & pluribus in terris conflictatus ſemper victor evaſerit.

CAP. VI.

DE THORSTEINO SKELKO.

EAdem æſtate, qvâ Olafus Rex Vikam vicinasqve provincias peragrans publica negotia obivit, magno comitatu in prædio qvodam Ræmio convivio indulgebat. Inter comites Islandus qvidam, nomine Thorſteinus, Thorkelis filius, Asgeiris Ædi-Kolli (furioſi capitis) nepos, Auduni Skökulis pronepos, qvi præcedente hyeme eum acceſſit, fuiſſe traditur; qvi contra Regis mandatum, qvô eâ nocte promiſcuè omnes prohibebantur foricas petere, cum ſocio moleſtiam creare nollet, ſolus ad ſecreta naturæ peragenda eò conceſſit. Cui homunculi formâ ſpectrum repentè, ſedem ab extima, cui inſidebat Thorſteinus, decimàm occupans, apparuit. Qværenti, qvinam eſſet? Thorkelem Thunnium (gracilem) ſe nominavit, qvi in loco Ræningiò unà cum Haraldo Hilditanno prælio concidiſſet. *Unde autem veniſſet?* ulterius qværenti, *recèns ex inferno*, reſpondit; *quid ibi ageretur?* inſtantiùs ſciſcitanti, jusſit ut ſingulare qvid qværeret. Qvæſtio ergo mota eſt, *quinam cruciatus maximos pateretur?* *Sigurdus*, reſpondit, *Fafnericida*; genusqve ſupplicii focum ſuffumigandum, proprio corpore nutriendum, expoſuit. *Quinam ægerrimè cruciatus toleraret?* qværenti, *Starkadum Priſcum* reſpondit, *tormentique genus incendium corporis totius â capite deorſum verſo, ad talos usque, memorabat*: horrendâ autem vociferatione non minimum ſupplicium minoribus dæmonibus inferri. Ejus

itaqve

itaqve speciem ut imitatione referret, Thorsteinus postulavit. Ter ingenti clamore per vices gradatim crescente editô, singulisqve ternas sedes transiliens spectrum ei appropinqvavit. Excitatus autem Rex campanas pulsari jussit. Auditô inimico sibi sonô dæmon desuper se in terram demersit. Cum autem die seqvente Thorsteinus veniam violati mandati impetrâsset, qvæsitus, num metuisset? *non metum, sed scrupulum, sibi incussum* respondit. Inde cognomine Skelki (scrupulus enim, sive parvus metus, Skelkur dicitur) insignitus, gladium dono â Rege in cognominis remunerationem accepit, inq; aulicorum numerum ascitus in ultima pugna Svoldrensi ei militavit, occubuitqve. Meminit illius *Arngrimus Crymogææ Lib: II.* Hæc autem ut fabulosa leviter perstringit; aliqvid tamen veritatis subesse, inditum Thorsteino cognomentum indicat.

CAP. VII.

DE LEGATIS GODMUNDI, REGIS GLÆSISVALLENSIS.

PRædium Raudabiorg, non procul a Vika, vir qvidam, nomine Thorer, dignitate satrapa, incoluisse traditur, interqve amicos Regis haut minimo loco. Filii ei duo, Helgius artibus & exercitiis instructior, alter Thorsteinus. Hi cum æstate qvadam in Finnmarckiam lardum butyrumqve aliis mercibus commutaturi transveherent, contigit, ut in reditu ad promontorium qvoddam, nomine Vimdam, navem applicarent, exspatiatiqve in terram, nemoribus consitam, ligna acerna (Mosr vocant) colligerent. Longiùs cæteris Helgium nemoris amænitas provexit: mox autem tenebræ subitaqve caligo errabundum a via averterunt, ne eodem vespere ad socios navemqve perveniret. Evenit autem, ut eadem nocte duodecim fæminæ, formâ insignes, interqve eos una specie præcipua, singulæ rubras stolas indutæ, rubris eqvis aureo apparatu conspicuis insidentes, ê saltu qvodam provectæ, obviam ei procederent. Ei, qvæ inter eas speciosissima erat, cæteræ omnes ministrabant. Tentorium illis discolor, auroqve interstinctum, auro globi omnes radiabant, columnam inauratam apex ex solido auro coronabat. Hoc posito, eqvisqve in pascua im̄issis, ipsæ mensam multo argento gravem variis ferculis instruebant: universa suppellex, malluvia etiam, argento inaurato constabant. Cum cænatum itum esset, earum Princeps Helgium non procul stantem proprio nomine inclamavit, nec is convivium detrectabat. Fercula illic vasaqve pretiosiora qvàm alibi conspiciebantur. A cæna lotæ, cum eximiè se exornâssent, qvæ præfuit, eum interrogat, malitne solus cubare, an secum lectum participare? Is societatem lecti haut aspernatus, qvænam esset, qvæsivit; illa Ingibiorgem se, filiam Regis Godmundi de Glæsisvallis, professa, tres noctes in obseqvium desiderii impetravit. His finitis, sudo cælo discessum est, istis viam, qvà venerant, repetentibus, ille ad naves nimium qvidem suis desideratus rediit. Sub discessum scrinia duo, argento aliud, aliud auro plenum, cum muneri ei amica dedisset, vetabat, unde venerit, cuiqvam revelare. Domum cum reditum esset, navem effigie draconum ornari, universamq; tingi curavit: pars thesauri in hoc expensa est, pars autem capitibus dra-

conum in futuros uſus incluſa: unde autem ſibi iſta pecunia, neqve patri neqve fratri retulit.

Feſto Jolenſi ſubitus turbo domo infeſtus ad navem Helgium & fratrem periculo liberandam convertit: illâ autem illæſâ, duo viri citato curſu adeqvitantes conſpecti Helgium ſecum abſtulerunt. Deinde tempeſtas remiſit. Anxius de filio pater Regem conſuluit. Is *vereri ſe* reſpondit, *ne quicquam in poſterum ab eo utile exſpectandum eſſet.*

Annus integer interceſſit, cum natale Chriſti feſtum in villa Alrekſtadis celebravit, ubi Rex illam hyemem tranſegiſſe fertur (qvod tamen & Chronicis omnibus, & ipſi Codici Flat: repugnat, qvæ accuratè memorant, ubi ſingulæ hyemes tranſactæ ſint, nec præter qvinqvennium imperâſſe volunt.) Primo menſis Januarii die, tres viri, inter qvos Helgius tertius erat, aulam ingreſſi, Regem menſæ aſſidentem officioſè ſalutant, Grimos ſe cognomines appellantes, legatos Godmundi Regis de Glæſis vallis, ſalutem ejus, donaqve cornua duo auro affabre ornata, Grimos pariter nominata, magni pretii afferentes; qvæ collata cum duobus aliis, qvæ Rex posſidebat, Hvitingis dictis, inter cimelia præcipua habitis, palmam præripiebant. Hi ſtudium Regis ſui in illum, animiqve ingentem affectum, prædicantes, ad amicitiam ejus, qvam pluris qvàm ulliùs Regum faceret, conciliandam ablegatos ſe profitebantur. Rex nullo reſponſo reddito, tantùm asſidere jusſit, cornuaqve, qvæ attulerant, pretioſa potione impleta, poſtqvam eam Epiſcopus ſolenni benedictionis formula conſecrâſſet, iis omnium primis exhaurienda apponi, rhythmumqve his verbis effatus eſt. *Accipient cornua hoſpites, dum hunc Gudmundi ſervum quieſcere facimus, bibentque ex cognominibus ſuis. hoc modo bono poto potionabuntur.* Ii autem ſuſpicati, qviddam ſuæ religioni adverſum Epiſcopum admurmurâſſe, multâ irâ incenſi; *Haut equidem,* ajunt, *vana ſunt, quæ Rex noſter de hoc Rege opinione præcepit, perfidus enim eſt, nec amicitiam bonaque munera rependere novit*; projectisqve cornubus, liqvore effuſo, magno ſtridore ſtrepituqve, exſtinctis omnibus luminibus, aulâ exſilierunt, asſumpto ſecum Helgio. Rex inſperato tumultu commotior ſurrexit, Deiqve ope imploratâ lumina accendi mandavit: cornua integra in pavimento inventa ſunt, tres autem ê ſatellitio Regio occiſi. Veneficiorum Godmundi, qvorum paſſim infamis habeatur, indicium hic ſe agnoſcere Rex teſtatus eſt. Tradit *Codex Flat*: ſuprà prædium Alrechſtadas viam, qvà ab oriente eò pervenerant, Grimaskard, ſeu Grimorum cavernam, dictam eſſe, nec ulli homini perviam. Cornua deinde ſine omnium noxa ad uſum adhibita.

Proximo, qvod recurrebat, ſeqventis anni natali Domini feſto, dum ſacra celebrarentur, tres viri ad templi fores acceſſerunt, qvorum duo ſtatim his verbis diſcedebant: *opprobrium* (Gretti) *tibi, Rex, afferimus, nec certum, quàm citò ſolvas.* Qvi relictus erat, fuit Helgius, & tunc qvidem cæcus. Is Regi, qvæ hactenus relata ſunt, expoſuiſſe dicitur; Interrogatus autem adjecit, *legatos illos Grimos partim ad decipiendum Regem, partim ad mitigandum, miſſos, ne asſiduis precibus Deum pro misſione ſua fatigaret. Magnificentiæ autem ejus indicium cornua miſiſſe. Ingenti comitatu, cujus numerum inire neqviret, Godmundum inſtructum, nec aliam conditionem huic prætuliſſe, cum ſplendidisſimè vixerit. Grimos autem potionem formulis iſtis, quas prælegit Epiſcopus, inſtructam admittere nequiviſſe, utpote ſuæ religioni contrariam, ideo exacerbatos aulicos ejus occidiſſe. Ipſos etiam tempeſtatem illam, qua primò patriis penatibus abreptus eſt, excitâſſe. Godmundo autem, jam precibus ad Deum fuſis victo, ſui ulterius detinendi poteſtatem abreptam,*

ptam, ideoque se dimisisse, Ingibiorgem etiam filiam ejus usu sui prohibitam, tactum suum ut igneum sustinere nequivisse ; invidisse autem aliis in posterum, cum ipsa frui nequiret; atque ita ad extremum oculorum usu se orbâsse. Majestatem autem Gudmundi, regnumque populosum, paucis describi non posse. His itaqve peractis, patrem ejus Rex acciri curavit, qvi, licèt filium exoculatum videret, Deo tamen Regiqve gratias egit, qvòd e potestate Trollorum liberatum reciperet. Annum vertentem exinde Helgius in aula Regis vixerat, qvo finito mortuus est. Cornua autem Grimos Rex secum in expeditionem novissimam assumpsisse fertur, nec, postqvam expugnatus esset, unqvam deinceps visa. Hic notandum, qvatuor annos gesta Helgii exigere, qvo tempore Regem Alrechstadis vel hyemâsse, vel festum natale Salvatoris celebrâsse, nusqvam invenio. In partibus itaqve anni erratum; si non tota hæc narratio conficta est.

CAP. VIII.
DE NORNA-GESTO.

ANno nongentesimo nonagesimo octavo, cum Rex Olafus, lustratâ Rogiâ, provinciisq; eam Thrandiamqve interjectis, Eyvindoqve Kelda cum veneficorum collegio aqvis submerso Nidarosiam rediisset, vir qvidam Gestum se nominans eum accessit: id nomen cum hospitem denotet, *verè & eum sibi hospitem futurum* Rex respondit. Is autem *non ad hospitium, quod alias expeterit, allusisse, sed verum nomen professum retulit.* Hoc in cubili Regio inter cæteros aulicos in assignato sibi lecto qviescente, intempesta nocte, Regi, sed soli vigilanti, spectrum qvoddam apparuisse perhibetur, qvod singulis lectis lustratis, ubi ad Gestum pervenit, consistens, *firmâ serâ vacuam domum claudi* ajebat. Hoc prodigio ad uberiorem ejus cognitionem incitatus Rex, etiam genus suum & patriam exponere jubet. Is *Danum se professus, satum patre Thordo, cognomine Thingbito, qui villam sive oppidum* (utrumqve enim Bœr dicitur) *Græningum incoluerit.* Erat autem staturâ supra plerosqve, sermone libero, corpore compacto, &, ut videbatur, robusto, ætate senili. Cumqve longiorem in aula Regis moram exposceret, *an & Christianus esset*? interrogatur: catechumenum cum respondisset, nutum spectri Rex sibi assecutus visus est, qvod crucis signo dormiturus se munivisset, cum tamen Christianis sacris initiatus non esset. Rex *moram ejus apud se haut longam futuram* respondit, *ni Christianus fieret.* Cumqve qvæsivisset, *quibus esset artibus instructus* ? citharæ rerumq; antiqvarum notitiam profitebatur. Rex *valde Svenum Daniæ Regem hallucinatum*, respondit, *quod ethnicum hominem è regno suo dimisisset; nec Christiano dogmate imbuendum curâsset.* Gestus *haut id Daniæ Regibus imputandum* respondit, *se enim longè prius Daniâ excessisse. quàm Imperator Otto exusto Danavirkio Haraldum Gormium & Haconem sacrificulum Comitem* (Blotjarl) *ad Christiana sacra compulerit* (id enim ex vulgari opinione hic qvoqve traditur, Haraldum & Haconem simul ad fidem fuisse conversos.) Regi complura sciscitanti sapientibus responsis satisfecit. Tertio Regni ejus anno hæc contigisse traduntur, eodem qvo legati Regis Godmundi de Glæsisvellis, Grimi nomine, eò missi sunt. Gesto in aulam recepto locus inter emissarios assignatus est. Moribus fuit comptis, qvibus etiam aulicorum gratiam promeruit.

Appetente feſto natali Salvatoris, Ulfus Rufus cum comitatu ſuo ad Regem e Vika, ubi per æſtatem ad limitnm coſtodiam Danorumqve inſultum reprimendum relictus erat, rediit; nam & in aula Regia hyemes tranſigere ſolebat. Inter pretioſa alia per æſtatem parta, initiali anni die Regi annulum obtulit, Hnitudum dictum, ſeptupli nexu diſtinctis partibus, totidemqve coloribus cohærentem, qvovis obryzo puriorem, atqve adeo, ut pari nobilitate alium nemo ſibi viſum exiſtimaret. Dono Lodmundi cujusdam civis ſe aſſecutum affirmabat, ea conditione, ut precibus ejus, adnitente Rege, Deo commendaretur, id qvod Ulfus in ſe recepit. Adeo orationum Chriſtianorum authoritas animos neophythorum occupavit. Hunc Halfus ille magnus, a qvo pugiles Halfsrecki deſcenderunt & denominati ſunt, Halfdano Regi in Ylfing inter cætera pretioſa qvondam extorſiſſe perhibetur. Memoria tanti Regis & vetuſtas, ſed in primis materiæ excellentia, donum commendavit, omniumqve aulicorum conſpectui exhibitum eſt, circumlatumqve per triclinia (non enim ad id tempus palatia in Norvegia exſtructa ſunt) omniumqve conſenſu qvovis auro præſtantius judicabatur. Ut vero ad Geſtum pervenit, leviter inſpectum, ſuper transverſam manum, qvâ craterem tenuit, extenſum, iterum redditum eſt, jocoſis inter ſocios ſermonibus, qvos inſtituerat, ne hilum qvidem remiſſis: cumqve pincerna univerſorum judicium exqviſiviſſet, communi conſenſu ut incomparabile celebratum eſſe, ſolum autem advenam Geſtum cenſuram ſuſpendiſſe, &, ut videatur, æſtimandi ignarum, reſponſum eſt. His Rex cognitis, *fortè*, inqvit, *novus ille advena plura qvàm nos arbitramur, noverit*; *cras eum accerſendum curabo.* Interea inter eum & ſocios orta eſt controverſia de auri præſtantia, illo ſi non melius, certè par aliud bonitate, ſibi viſum perhibente. Certaminis pignus ſinguli depoſcebant; ſelibrasqve argenti ſignati qvatuor iſti, ille cingulum cultrumqve, ipſis ita exigentibus, deponebant. Arbiter litis Rex ab utrisqve delectus. Interim Geſtus lyram artificioſè ad omnium admirationem pulſabat, Gunnarsſlag ſeu *Gunnaris acta* primùm, deinde *Gudrunæ artes veteres* dictas, nemini antea auditas, ad citharam modulabatur. Die, qvi ſeqvebatur, poſt matutinum cantum prandiumqve, Geſtus cum ſociis Regem accedentes, certamen indicârunt, eumqve arbitrum depoſcebant. Ille ſuis increpatis, qvòd temerè pignoribus certarent, ſvaſit, modò Geſtus conſentiret, temerè cæptam controverſiam revocarent: ille conventis ſtandum pronunciavit, exhibuitqve aureæ fragmentum fibulæ, qvâ ephippia eqvis adſtringerentur: id autem cum annulo collatum longè præſtantius primò Rex, mox univerſi, qvi præſto erant, pronunciârunt, pecuniaqve ei adjudicata eſt, qvam moderatè recuſans, monuit ſocios, *ne in poſterum pecuniam temerè adverſus ignotos contendendo prodigerent*; *plures enim eſſe, qui plura quam ii viderint.* Regi autem ob cenſuram gratias egit: *ſe autem, cum pecuniâ non egeat, gratis iis remittere.* Regi qværenti, *ubi aurum illud comparaverit? ægrè quidem ſe illud, utpote minus credibile, expoſiturum* reſpondit: *certum tamen, hoc cognito aliam narrationem Regem exacturum. Fragmentum fibulæ hujus nactum ſe* retulit, *cum Sigurdo Faſnericidæ in Francia famularetur, equo nimirum Granio in curſum concitato, êque palude, in quam præceps ferebatur, ſe ſubitò emergente, cum antilenâ rupta fibulæ confractæ partes collegiſſet, dono ab eo obtinuiſſe. Deſiliente enim Domino equinas ſe ſordes abluiſſe, villumque ſtaturæ admirabilis indicium ê cauda ejus decerpſiſſe*; qvem protinus ſex ulnas longum citharæ exemptum oſtendit, certiſſimum relationis ſuæ indicem.

De

De Sigurdo autem ejusqve expeditionibus, actisqve cum Brynhilde, ea retulit, qvæ supra in ejus vita descripsimus. In his autem scriptoris, credo, non Gesti, relatio dissentit. Sigurdum enim apud Hialprechum (Hilpericum) in Francia educatum tradit, Hialprekumqve Franciæ Regem nobis obtrudit, cum is provinciæ Thiodæ (Thyæ) Regulus fuerit, adqve eum ê Dania (ubi sibi primò in aula Sigmundi, qvi Fafnericidæ pater erat, innotuisse tradit, cum Sigmundus in regno uxoris suæ Borghildis in Dania manserat) in Franciam, jam Regem, profectum se affirmat. Inservîsse in Dania Hialpreko crederem, indeqve duce Sigurdo in Franciam concessisse; id qvod cum reliqvorum traditionibus cohæret. Hic *se Lodbrochis filiorum militiam secutum* retulit; *ubi summa aulicorum licentia fuerit*; *in aula autem Haraldi Pulchricomi, ubi etiam vixerit, summa severitas*; *Eirici autem Regis Upsalensis* (nescio cujus) *maxima voluptas*; *in Sigurdi autem & Giukungorum spectacula frequentia. Ludovici vero Germaniæ Regis aulam non licuisse ethnicis frequentare, itaque catechumenorum ordini ibi se adscriptum, cultissimis moribus Regiam totam instructam, quæ maximè sibi arriserit.* Norna-Gestum ubiqve se vocatum professus, nominis hanc rationem reddidit; *In oppido Daniæ Græningo cum natus esset, more seculi â patre viro locuplete tres fatidicas fæminas* (Volvor seu Nornir vocant) *ad fata sua, tum in cunis vagientis, formanda & prædicenda accitas, convivioque cum magno sumptuosoque comitatu adhibitas, felicem se præ fratribus suis, aut aliorum Procerum ejus regionis filiis, futurum vaticinatas; indignatam vero natu minimam, parem cæteris honorem sibi non tribui, nec ad consilium adhiberi, irritatam etiam magis comitum injuria, qui illam loco deturbatam in pavimentum dejecerant, jussisse reliquas cessare, non enim infantem diutius victurum, quàm candela* (arsisse autem duas supra cunas) *quam digito monstrabat, nuper accensa consumpta esset. Hoc dicto seniorem, luce extincta, matri suæ reservandam tradidisse, monitæ, ne prius quàm cum vitæ eum satietas teneret, accendendam curaret; ipsam autem sibi reddidisse. Illas deinde a patre suo liberaliter donatas abiisse, illamque juniorem vinculis constrictam secum duxisse.* Qværenti Regi, *quî Norvegiam jam iterum repeteret? ductum se famæ ejus celebritate* respondit. Hunc haut invitum Rex baptismo deinde admovendum curâsse perhibent, moxqve in aulicorum numerum assumpsisse. Interjecto tempore, cum annos trecentos natum percepisset, persvasisse, ut incensâ candelâ, qvam eousqve citharæ inclusam servabat, obitum maturaret; qvi se ad mortem compositurus, lecto ascenso, extremam olei unctionem poscebat & obtinuit; morbusqve pro decremento candelæ invaluit, deficienteq; eâ, illum etiam abripuisse fertur. Hac fabulâ, a Meleagri titione mutuatâ, scriptores haut satis oculati ætatem ejus tueri se posse sperabant. Illud certè omittendum non censeo, qvòd *Codex Flat*: tradat, visam tunc ætatem ejus narrationi cohærere, nimirum, ut interpretor, annos trecentos nondum a Sigurdi Fafnericidæ tempore elapsos, id qvod etiam genealogiæ omnes vindicant. Certè ætatem fabulosam nemo contendet, qvi nostro tempore Thorem Ulfsonium in Svecia suam ad CCLX. annos prorogâsse leget. Qvod si primus ille Fafnericida Ermanarici Gotorum Regis tempore vixerit hæc neqvaqvam consistere possunt.

CAP. IX.

RELATIO DE TROLLIS SPECTRISQVE, REGI OLAFO IN REDITU EX HALOGIA APPARENTIBUS.

EX Halogiâ ad Chriſtianam religionem converſâ revertenti Regi vir qvidam ex alto ad rupes qvasdam citatis remis contendens obſervabatur; curſus navis, niſus remos agitantis, ſtaturaqve ejus, corporisqve moles, ſingula inuſitata, admirationi fuere. Ad eum igitur aſſeqvendum juſſu Regis nautæ Regiæ navis remos, qvantum poterant, intendebant. Is autem vehementius inſtare, Regios ſummopere vitare, effugia qværere, remiges fruſtrari. Plures igitur remos expediri Rex jubet, ſingulisqve binos ternosve incumbere. Gigas autem animadvertens perſecutores appropinqvare, as ſurgens, remos ſtando incitare, tanto impulſu, ut manubria imam carinam attingerent: qvem ut retorqventem oculos Rex adſpexit, inclamat, ne ſe fugeret. Ille carmen modulatus ſignificabat, *non aliter amicos ſuos tractari, quàm ut meritò congreſſum ejus vitaret.* Singularem in primis obtutum ejus Rex animadvertit. Sexagenarium profesſus eſt, nec pluribus ætate florentibus parem. Ut autem rupem longius diſtare animadvertit, qvàm ut eò incolumis pervenire poſſet, remis navem ſeq; ſubvertit, præfatus, *haut ſibi vitio dandum, licet ætate affecta multitudini cedat; nunquam enim ſe in Regis poteſtatem perventurum*: præcinebat carmen ejusdem ſenſus, qvo gloriatus eſt, *uno tantum comite, ſibi robore pari, opus fuiſſe ad conatus eorum eludendos.*

Die proxima, leni aurâ vela percutiente, viſus eſt vir qvidam ê rupe inclamans, vecturam in auſtraliores regni partes ſubmiſſè petens: qvô Rex clementer exaudito, navi ad rupem directâ eum excepit. Staturâ erat magnâ, formâ venuſtâ, ætate juvenili, barbâ rubrâ. Mox ut receptus erat, ſcommata & cavillos in miniſtros Regis facetaqve dicteria conjicere, vires etiam per jocum cum iis conferre cæpit, qvibus tamen prævalere videbatur: inde *imbelles eos, nec tanti Regis ſatellitio aut tam celebri nave dignos* dictitabat, *utpote nautis longè robuſtioribus directâ, cum in Raudi Rammii poſſesſione fuiſſet; neque enim eum tam imbelles, atque ipſe eſſet, inter remiges aſſumere dignatum, facetiis conſiliisque talium tantum uti conſveviſſe, ipſos autem ſibi comparatos homunciones videri.* Rogatus a Rege, *an rerum priſcarum novarumve notitiam haberet? vix interrogaturum* reſpondit, *qvæ ſolvere neqviret.* Juſſus itaqve veteris memoriæ res expromere: *Ordiar igitur*, ait, *narrationem a primis terræ hujus cultoribus, gigantibus qvibusdam, qvi terram hanc qvondam inhabitabant* (prætemavigabant autem partes Halogiæ) *iſti repentina morte & caſu tantum non ſimul ſublati ſunt, duabus tantùm mulieribus ſuperſtitibus. Exinde homines orientales terras, præſertim hanc, incolere cæperunt. Mulieres autem iſtæ giganteæ populos illos multis damnis affecerunt, novisque incolis varias moleſtias creârunt, qvousque in auxilium rubra hæc barba invocari cæpta eſt; malleo igitur meo aſſumpto utramque occidi; exinde invaluit, ut qvoties magna necesſitas incolas premeret, me votis usque in præſens vocarent. Tu autem, Rex, omnes amicos meos propemodum deleviſti, id qvod ultionem reqvirit.* His dictis obverſus Regi ridensqve, celeriter tanqvam telum nervo emiſſum, ê navi in mare, conſpiciente Rege cæterisqve omnibus, tranſilivit. His motus Rex gravi oratione comites ad pietatem purumqve Dei cultum, cujus Numen tam præſens & propitium experti esſent, hortatus eſt: *Impudicum enim ſpiritum, qvantum in illo fuiſſet, omnes deleturum fuiſſe, qui ſub forma humana palam eos accedere, alloquique*

non

non sit veritus. Nihil autem genus illud adversus Christianos posse, modò nominis illam mensuram, qvantum in illis esset, implere studerent; *id qaod præsenti exemplo ostensum sit.* In primis præcepit, *ut fiducia Numinis Cœlestis freti signo se crucis munire nunquam negligerent*, *cujus miraculosum usum ipse in Dania*, *& tum quidem Christianæ religionis exsors* (scriptoris hæc videntur, non Regis) *expertus fuerit.* Inde in Naumudalos evectus, repugnantibus ventis, diutiùs detinebatur, ubi a morte Haconis ejusmodi spectra magnū incolis detrimentum intulerunt, oberrabantqve crebriùs, qvàm in aliis Norvegiæ partibus; nec longè aberat, qvin indigenas exigerent; horum etiam præstigias ipse Rex ter expertus memoratur. Pontificia superstitione ad eos exigendos usum Monachi confinxerunt; omnem enim provinciam crucibus prælatis transiisse, lustraliqve aqva rupes vallesqve & lacus, aqvarumqve omne genus, colles etiam & planitiem, aspersisse traditur; atqve his mediis ab infestatione eorum totum districtum liberâsse.

CAP. X.

DE HROALDO ET ENDRIDIO ILBREIDO, SEU PANSA.

DUo erant viri, veræ religionis doctrinâ non imbuti, qvos ante expeditionem in Vandaliam vel convertendos, vel puniendos, Rex statuerat: alter notus satis, incantamentisqve famosus, ut qvi duas præcelsæ molis undas, navigiis diras & inaccessas, Regi se invisuro per triennium objecerat, domoqve sua prohibuerat. Hroaldus ei nomen, incoluitqve sinum Moldafiordum dictum, vir opulentus, Regiqve ingeniorum studiorumqve diversitate inimicus. Hic Diis suis confisus, Regiæ iræ indignationisqve securus, decumanorum fluctuum præsidio accedentem Regem destinato itinere aversurus, qvantumvis mali dæmonis ludibria admirantem, magis incitavit, ut navem in eos, qvantumvis formidabiles, dirigi juberet: qvi Divina vi victi statim concidentes, tutum Regi ingressum permiserunt; qvi Hroaldum comprehensum ad se deduci mandavit. Cum autem vitam pro cultu Deorum honestiùs impendi, qvàm fœdo transfugio redimi, asseveraret, Rex pejora illum eligentem impetraturum promisit: deinde occidi jussit.

Alter erat Endridius, cognomento Ilbreidus, qvod pansam denotat, juvenis egregius, Regi ad id tempus incognitus, licet prosapia illustri: patruelis qvippe Styrkaris de Gymsis, Asbiorno patre progenitus, Gudrunæ Yriar-Skeggii filiæ, elocatæ qvondam Regi, sed repudiatæ, Thorsteiniqve Tauripedis Islandi sobrinus: Hreidarem enim, Endridii hujus avum paternum, Erlingum Ivaris Liomii patrem, Thorsteiniqve avum, & Asbiornum Yriar-Skeggi patrem, fratres Olufam Klippi satrapæ uxorem sororem habuisse, supra aliqvoties diximus. Hic peregrè profectus piraticam exercebat, dum Thrandia omnis ad Christi cultum converteretur, nuper autem redierat. Fortè cum in convivio, qvod Rex sub expeditionem copiis omnibus comitatuiqve magnificè exhibuit, qvæstio inter convivas incidit, *an Christianismus ubique intra regnum* (malim maritimas oras, & potissimas Regni partes, cum constet, mediterraneas qvas-

qvasdam ab ethnicismo nondum repurgatas fuisse) *in usu esset*? Ulfus Stallarius respondit, *tantum abesse, ut intra qvoque sinus Thrandensis terminos inveniantur Christianorum sacrorum baptismique expertes.* Id ut Regi relatum est, accersito eo, rem propius exqvisivit. Is *Endridio adhuc Numinis Cælestis notitiam nullam* respondit, *viro juveni, nuper paternorum bonorum hæredi opulento, statura formaque eleganti, viribus autem & exercitiorum subtilitate paucis noto, liberali popularibusque* accepto. Hac commendatione magis accensus Rex, Ulfum, cum qvanto deposceret comitatu, ad eum arcessendum misit. Ulfus *vim frustra adhiberi* regesit, *persvaso non cogi*: tantumq; viginti qvatuor comitibus lembo ad eum vectus est, dimidiaqve parte ad navem relicta, ipse cum reliqvis duodecim domum se contulit, humaniterqve exceptus invitabatur cum comitibus ad divertendum ibi, qvoad libuerit. Deductis deinde in triclinium, vastum qvidem illud, prout cæteræ ædes omnes, *relatum sibi* retulit, *diversitatem morum eorum, qvibus nuper assveverint, a suis suorumque dissentientium, mutui consessûs minus esse patientem; se autem ipsos hospitaliter & sine ullo fuco excipere decrevisse: itaque liberum eis fore, an secum convivari suisque domesticis velint, an seorsim.* Ulfus *placere ut simul accumbentes mutuo oblectamento fruerentur; optimum sibi Regem obtigisse, eaque bonitate, ut facilè expiet, si quæ commercio tali culpa labesque contrahatur.* Ut autem Endridius cognovit, comitum partem aliam navis custodiæ relictam, eos arcesſivit, suosqve in illorum locum substituit. Convivium deinde magna benevolentiæ significatione pollucibiliter processit, Ulfo a latere altero, & deinceps comitibus ejus, ordine collocatis, suorum autem magnâ freqventiâ ab altero. Ut autem exhilarari cæperunt, Endridius, *qvid negotii afferret? an vero aliò tenderet?* qvæsivit. Ulfus *missum se â Rege ad eum, ad honorificum convivium invitandum, eâ humanitate, qva cæteros Proceres soleat excipere: nec dubitare, qvin oblatum honorem obseqvio penset, præsertim cum Rex eum sibi de meliori nota commendatum, famaque prospera cognitum, coram alloqui honoreque afficere gestiat.* Is actis gratiis responsum in crastinum sobriè reddendum accipiendumqve dilaturum se respondit. Vespere magna hilaritate transacto, cubilibus mollibusqve stratis excepti pernoctabant. Cum autem proxima die mensis iterum adhibiti essent, Ulfo ad longiorem cum comitibus moram invitato, *aditum ad Regem se in aliud tempus occasionemque dilaturum* significavit; *sed neque eum devitaturum, si ei se accedere placeat: referret modò Regi, se ei amicum futurum, si sibi se benevolum exhiberet,* Hoc responso Ulfus, sed magna cum humanitate, dimissus ad Regem finito convivio rediens, rem omnem exposuit. Rex, *an sacrificiis idolisque deditus esset*? qvæsivit. Ulfus *neque illius indicium ullum sibi compertum, nec delubrum in villa ejus visum, nec fama horum eum laborare*, cum respondisset; *tolerabiliora hæc videri, seque eum improvisum accessurum* affirmavit: qvo cognito, Ulfus per famulum sibi a calceis certiorem eum de propero Regis adventu fecit. Eadem nocte Rex trecentis comitatus ad interiora sinûs contendens, manè inseqventis diei ad domum ejus pervenit, egressusqve navibus, cum parum â litore recessisset, Endridium cum freqventi famulitio comitatuqve obvium habuit, Regemqve magna alacritate observantiaqve excepit. Actis humillimè gratiis, qvòd se invisere dignatus fuerit, insuper oravit, ut convivium, qvod ipsi apparaverit, non aspernaretur: cumqve eum ad triclinium deduxisset; *Didici*, inqvit, *mores vestros â nostris convictu mensaque dirimi; hoc igitur triclinium tibi tuisque relinqvimus, nos interim di-*

scretis

ſcretis ædibus epulabimur. Rex *triclinio eum cum familia amicisque ſuis uti* jusſit; *ſe tentoria non non procul inde in patenti campo fixurum, contentumq; fore, dum omnia, qvæ ad convivium reqvirerentur, ſubminiſtraret.* Sed nec Endridius ſegniter poſtulata executus, magnificé omnia largeqve præbuit, famulitiaqve & miniſteria aptè ornatèqve ubiqve diſpoſuit. Primo convii die Rex, Endridio ad ſe accito, qvamvis ethnicorum promiſcuum conſeſſum ſe averſari teſtaretur, aſſidere tamen jusſit. Accedens Regem ſolenni honoris exhibitione veneratus aſſedit, coccinea veſte amictus, tegmen capitis ſericum, multo auro intextum, dextro brachio armillam, ſiniſtrâ puerum, qvadrimum aut anno majorem, eleganti forma, facie etiam ipſum referentem, gerebat; qvem ſororis ſuæ filium, non minus ſibi, qvàm ſi proprius eſſet, dilectum, referebat, ſe autem uxore liberisqve adhuc carere; asſidensqve Regi gremio eum fovebat. Itaqve Rex exorſus; *magnus elegansque vir videris: qvod ſi habitum corporis artium peritia exercitiorumque uſus æqvabit, paucos tu totâ Norvegiâ pares habere videris. Dignum igitur, imo etiam neceſſarium; eſt, notitiam te Creatoris tui habere, qvo eum ob tanta dona venerari, debitaque gratiarum actione honorare posſis. Delubrumne domi haberet?* qværenti cum negaſſet, ulterius qvæſivit, *qvanam religione duceretur, ſi ethnicus eſſet, non tamen Diis ſacrificaret? Importunus fortè videbor*, reſpondit Endridius, *dum hanc qvæſtionem ne ultra moveas expeto: nulla enim religione teneor, ſed & conſtanter decrevi, Diis illis, qvos effigiem hominum aut geniorum referre pasſim videmus, nullum cultum unquam deferre, licet potentisſimorum hominum imagine exemplarique formatis, maximè quòd ſingulos eorum me ipſo minus poſſe animadvertam. Qvid ergo obſtat, qvo minus Deum omnipotentem colas?* ait Rex. *Primò*, reſpondit Endridius, *quòd neque tu, neque ullus tuorum, quicquam mihi de illo operibusque ejus ſuggesſit. Deinde id qvod ſpeciem majorem habet, nimirum cum a parentibus propinquisqe meis adduci non poſſem ad cultum Diis eorum exhibendum; abſurdus videbor, ſi peregrinos ritus Deosque ignotos, commendatos ab aliis, qvi nullo me ſangvinis nexu tangunt, temerè admittam, ni evidentibus argumentis eorum potentiam tantam eſſe, atque prædicatur, evincant.* His auditis Rex ad ſuos converſus, *verumne eſſet, qvod religio ipſi non fuerit imperata?* qvæſivit. Reſponſum, *verum qvidem, cum id temporis piraticâ occupatus fuerit, dum promiſcuè omnes baptizarentur; poſtquam autem rediiſſet, effluxiſſe memoria reditûs ejus ſignificationem.* Iterum igitur Endridium affatus; *nonne*, inqvit, *fando inaudiviſti, me graves pœnas de iis ſumpſiſſe, qvi Chriſtianiſmo obſtiterunt? Auditum qvidem ſibi* reſpondit Endridius; *ſe autem â vi ſibi inferenda ſecurum, priùs enim mori qvàm cogi deſtinâſſe; ſed neque his copiis ſe coactioni obnoxium fore; eas in vicinia vires eſſe.* (Mihi certè minus probatur, ſubitò cogi potuiſſe, qvi trecentis armatis, & in his Regi, reſiſterent, præſertim cum omnes Chriſtiani eſſent.) *Interea Regi ſe convivium bona fide debitoque obſeqvio exhibiturum, ſi vi minisque abſtinens, liberum ſibi arbitrium ſacrorum opinionisque de Diis permitteret.* Rex, ſermone aliò verſo, cæpit inqvirere, *qvibus artibus maximè gloriaretur? ſibi enim relatum, plurimas, & quidem ad admirationem omnium, callere.* Is *nullam omninò* reſpondit, *indulgentiâ enim nimiâ â puero corruptum, animum tantùm ad ludos pueriles adjeciſſe, nuper autem, amiſſo prima juventa patre, ad res domeſticas & familiaris rei curam convertiſſe.* Inſtantiùs urgenti Regi, eoqve confidentius profiteri jusſo, *quòd ſpes eſſet, eum, qui tum harum notitiam, tum cætera omnia ei dediſſet, eas quo-*

que in uſum ſalubrem converſurum, verecundè reſpondit; *haut ideo artem natandi ſe profiteri poſſe, quòd juvenes eam exercentes viderit.* Rex *prudenter eum proprias laudes vitare* reſpondit; *verè tamen dixiſſe, exercitia enim prius videnda, quàm diſcantur.* Plures adhuc commemorare juſſit. Endridius *arcum ſe tenuiſſe, dum juvenes alii torquerent, ſcopum tamen non attigiſſe. Inter prima fortè tyrocinia*, repoſuit Rex. Tertiam autem cum promere juſſiſſet, *liberaliter Regem verba ſua interpretatum*, moderatè qveſtus, *arduum ſibi ſcopulum inter & undas navigare*, cum reſpondiſſet, *haut ſe misſilibus puerili ætate inſcitè tactis gloriari poſſe* adjecit. Rex, *haut mirum, ſi imperitè, cum puer eſſet*, ſubjecit. Atqve his dictis eum benignè eo die dimiſit. Poſtridie à prandio revocatum rogavit, *an ſine ulteriore tergiverſatione ſacro lavacro tingi vellet? Non eſſe ſe ea animi levitate, ut quod heri diſplicuit, id hodie protinus placeat*, reſpondit. *Conditiones itaque*, ait Rex, *tibi proponam: artibus iis, quas profeſſus es, cum uno meorum certabis, hac lege, ut ſi viceris, arbitrio tuo in colendis quibus velis fruare, victus autem Omnipotentem Chriſtianorum Deum colas. Neque ego*, reſpondit Endridius, *ullius artis peritiam mihi tribui, neque ullam calleo, Domini tamen mandatis parendum ſtatuo, præſertim dum vis abeſt; Quem autem ad hoc certamen deligis?* Rex, *ſe ipſum*, reſpondit, *hoc enim modo ſe accuratisſimè, qualis ſit, comperturum, nec dedignaturum ab eo vinci, quamvis his conditionibus magis ei vinci conducat ad veram victoriam reportandam.* Tum vero Endridius; *Etiam ſi*, reſpondit, *omnes artes exercitiaque omnium peritisſimè callerem, tecum tamen certamen omne detrectabo; jam vero in paucis tantùm parum aut nihil profeci.* Rex *hanc conditionem maximè placere* reſpondit, *ſi ſe victum agnoſcens, manus ante certamen daret. Eam ſibi ſemper patere, etiam poſtquam Regem natantem viderit*, cum reſpondiſſet, Rex veſtem exuens in mare ſe projecit: idem & Endridius fecit, contendenteſqve in ſinum ſe ſimul demerſerunt, comitibus omnibus magnoqve domeſticorum globo in litus ad hoc ſpectaculum confluentibus; ad ultimum tam diu ſub aqvis ſe invicem detinebant, ut dubium eſſet, an emergerent. Tandem Rex exortus litori adnavit, aſcendenſqve, intactis veſtibus reqvievit: nemini autem qvicqvam de Endridio conſtabat, nec ullus Regem percontari auſus eſt. Poſt longum tempus phocæ inſidens, cirriſqve fræni loco uſus conſpicitur; ubi autem litori appropinqvabat, eam dimiſit. Iterum igitur Rex in undas proſiliens, inqve eum invectus, continuò ſub undas depreſſit, diuqve cum detinuiſſet, dimiſit, adqve litus renavit, adverſariumqve viribus ad extremam fatigationem adeò defectum, ut ulterius adniti neqviret, ipſe ad terram deduxit; qvem ut refectum ex parte animadvertit, benignè affatus, *natandi admodum peritum* pronunciavit: *Deo tamen adſcribendum, quod à ſe ſuperatus fuerit; ſua enim operâ in conſpectu omnium litori redditum.* Endridius *penes ipſum eſſe, utcunque hæc interpretari placeat*, reſpondit. Mox rogatus, cur phocam non occidiſſet? *Ne fortè eſſent, qui me mortuam inveniſſe arguerent*, reſpondit. Reliqvum deinde diei hilaritèr, nox etiam qvietè tranſacta. Poſtero die Rex Endridium ad jaculatorium certamen, neqvicqvam ſe excuſantem, ad ſylvam non procul a domo evocavit, calculumqve pro ſcopo in ripa depoſitum collineandum propoſuit; mox depoſita toga arcum curvans, emiſſa ſagitta extrema attigit, paulo interiora Endridius. Rex altera vice medium, omnium, atqve ipſius etiam Endridii, judicio aſſecutus cum eſſet, eum imitari juſſit, vel, ſi malit, ſe victum agnoſcere: id vero ſibi non eripi cum reſpondiſſet,

ſimul

ſimul telum nervo emiſſum in eandem ligulam, qvæ telum Regium obduxit (Streingflugu vocant) pariqve felicitate ſcopum collineâſſe uterqve viſus eſt. Tum vero Rex: *ne ſic quidem ludo finem imponamus*: puerumqve, qvem ſe unicè diligere antea confeſſus eſt, adduci jusſit, vertici calculum imponi, faciemqve velari, linteoqve, cujus extremitates duo detinebant, ita conſtringi, ut ſe movere neqviret, ſi fortè advolante telo terreretur. *Huic*, inqviebat, *calculum ſine ulla ejus noxa uterque ſagittâ excutiamus*. Rubente vultu Endridius vindicaturum ſe minabatur, ſi puero noceretur. Rex ſigno crucis mucrone teli notato, alacritèr id emiſit, calculumqve feliciter excutiebat, verticis tantùm apice leviter tacto, ut exiguum ſangvinem in teſtimonium tantùm rei geſtæ roraret. Rex, ſi placeret, imitari jusſit: qvi lachrymis matris ſororisqve victus, haut eqvidem ſe metuere puero, etiam ſi experiretur, profesſus, precibus tamen earum ceſſurum ſe affirmavit. Rege victum pronunciante, *judicium ejus haut ſe moraturum reſpondit, videri tamen ſe ab eo circumventum*; *verè quidem hoc*, ait Rex, *verùm tuo tantùm commodo*. Exinde domum reditum, reliqvumqve diei variis delectamentis exactum. Tertia die, haſtis duabus in ſublime jactis, tantaqve celeritate per vices receptis, iterumqve projectis, ne ulla decideret, certatum eſt. Hoc exercitio cum in plano pari dexteritate adſtantium oculos in ſe convertiſſent, Rex adverſarium ne ſic qvidem ſuperari poſſe animadvertens, navem remis inſtructam expediri jusſit, interqve remigandum per exerta remorum capita â prora ad puppim decurrens, ſpectaculum illud eâdem, qvâ in plano, agilitate, ſed tribus ſimul haſtis, edidit, non ſine omnium admiratione. Idem cum Endridius, nec minus dextrè, præſtaret, adhuc artis hujus aliud ſpecimen reliqvum Rex inſinuabat. In mare itaqve provectus, proramqve prætergreſſus, calcatis aqvis, artificioſisſimè ludum hunc exercuiſſe, ingreſſusqve navem, ne calceis qvidem humectatis, perhibetur, Endridio ad imitandum provocato; qvi agnito miraculo, *non me*, inqvit, *Angeli Dei, qvemadmodum te, in aëere ſuſtinent: hoc enim tu propriis viribus arteque tua minimè effeciſti, ſed potius ejusdem Dei ope, quem colitu, cujus tu potentiæ, & qvidem immenſæ, ſpeciem hoc miraculo exhibuiſti, adque cultum ejus in poſterum me adduxiſti, cui etiam ſedulò adhærebo*. Effuſus hinc in laudes Dei Rex, humillimè gratiis pro tanta illuminatione actis, ei multa miracula Dei prodigiaqve â ſeculo perpetrata expoſuit, converſumqve cum omnibus ſuis Chriſtiano ritu inaugurandum curavit, Nidaroſiamqve ſecum deduxit, inqve aulicorum numerum receptum, magno favore complexus, in expeditionis Vandalicæ ſocietatem aſſumpſit. Poſtea Rex freqventer remis inſultando hunc ludum exercuiſſe traditur; id qvod *Marcus Nomophylax* carmine teſtatum reliqvit. Hæc de Endridio *Chronica* omiſerunt. *Codex* tamen *Flat*: & *alia Mss.* non reticent. *Saxo* ad Haraldum Cærulidentem, qvæ de puero memorantur, transtulit. Omnes uno qvaſi ore teſtantur, Regem misſilibus crebrò luſiſſe, & qvidem tribus ſimul, cum per navibus exſertos remorum ordines incederet: mirabile qvidem dictu; ſed qvod eô minus omittere ſuſtinui, qvia communi ſcriptorum conſenſu fideqve ſe tuetur. Maximas qvidem inclyti pace ac bello Regis artes, longo rerum uſu atqve experientiâ, tum ſtatim a pueritia, tum etiam in virili ætate, in diverſorum, eorumqve Potentisſimorum, Regum ac Principum caſtris, comparatas, ut nulli negamus; ita Monachorum admixta pasſim hinc inde figmenta, partim ut cari nominis regem poſteritati magis commendarent, partim

ut miracula, more ſuo, ſicubi occaſio dabatur, multiplicarent, diſſimulare non poſſumus. Hæc tamen, qvæ ultimò retulimus, eô majorem fidem merentur, qvòd *Marcus nomophylax*, magnæ vir authoritatis, calculum ſuum iis adjecerit. De ſingulis Lectorem ſuo abundare judicio permittimus, contenti, ea qvæ antiqvitatis monumenta nobis reliqverunt, ad poſteritatem bonâ fide transmiſiſſe.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM
PARTIS SECUNDÆ
FINIS.

INDEX
Nominum & Rerum memorabilium
IN TOMO II.

A.

B.

TOMI II.

C.

D.

E.

Eiri.

F.

[Ge-

per-

I.

K.

Kiar-

Tomi II.

O.

P.

Ple-

T.

Tho-

TOMI II.

V.

SYLLOGE VOCUM ANTIQVARUM,

Qvæ in hoc Tomo II. vel datâ opera illustrantur, vel occasione Nominum propriorum breviter explicantur.

A.

B.

Sigla

FINIS.